


Engelgrave
II

Mille colores. Ovid.

Hæc amat obscurum. Horat.

LVX EVANGELICA
sub velum
SACRORVM EMBLEMATVM
Recondita
in
Anni Dominicas
SELECTA HISTORIA
&
MORALI DOCTRINA
Varié
ADVMBRATA
Per
HEN. ENGELGRAVE
Societatis IESV.

P. I I.

Cruce refulsit. Virg.

Volet hæc sub nube Videri. Horat.

I. v. Meurs sculp.

COLONIÆ
Prostant Apud Iacobum à Meurs
Amstelodami 1655.

ILLUSTRISSIMIS,

REVERENDISSIMIS,

AMPLISSIMIS

FLANDRIÆ ORDINIBUS, PATRIÆ PATRIBUS.

PRUDENTER ille non minùs civilis, quàm naturalis doctrinæ Princeps Aristoteles, * Magistratus sublimibus ac longè conspicuis obeliscis comparavit, quorum verticibus lux imposita Remp. illustret ac recreet, & populo universo, tanquam beneficum ac salutare sidus, ad omnem honestatem præluceat. Hoc sapientissimi viri pronuntiatum, mentem mihi injecit, ut cùm *Euangelicam* hanc *Lucem* in publicum producerem, circumspiceremque quo loco illa pulchrior posset ac plenior apparere, vos potissimum intuerer, qui propter amplissimi gravissimique muneris, quod sustinetis, dignitatem velut sublimes obelisci in Rep. positi, altè eminetis, ac prudentiæ & æquitatis lucem, latè longeque diffunditis. Augurabar enim fore, ut, si *Lux* hæc *Euangelica* edito in fastigio intuentium oculis exponeretur, non modò intra ipsos Flandriæ limites, sed etiam ad remotas regiones, quibus Flandrici nominis splendor affulsit, radios suos mitteret. Neque hoc me solùm in Aristotelicis obeliscis tenet, quod eorum apices lumen fundant; sed quod hujus molis figura, dignitatis vestræ titulo, operique meo feliciter conveniat. Quadriformis illa est: & vos consiliorum, judiciorumque consensione in unum coalescitis, velut pulcherrimi cujusdam corporis apta inter se membra. Vestrum igitur munus, amplitudinem, splendorem, nomen intuenti, obeliscus ante oculos mihi versatur; cui Philosophus similes optavit Rerump. moderatores. In cujus ego lateribus non modò Quatuor præcipuarum Flandriæ partium, sed etiam totidem Euangelistarum, in quorum

* *L. 4. Pol. c. cap. 15.*

cœlesti sapientia sub velo Emblematum adumbranda, noster versatur labor, insignia appendere posse videor. Solennem etiam morem sequor, quo docta solebat antiquitas vario insculpto Emblemate, non ad spectantium oblectationem tantùm, sed etiam ad utilitatem, atque institutionem obeliscos ornare. Cujus consilii ratio hæc mihi fuit, ut non minùs legentium oculos, quàm animos pascerem; aut potiùs, quæ oratione meâ prolixiùs prosequor, ea brevi quasi compendio perstricta, sub aspectum darem. Est enim ita naturâ comparatum, ut quæ expressiùs subjiciuntur oculis, in animum illabantur altiùs, majorique voluptatis illecebrâ, quàm quæ per aures demittuntur. Neque verò alienum cuipiam videri debet; si viris, qui ad Remp. se & sua studia conferunt, opus inscribam, cujus usus magis templorum exedris, quàm Magistratuum subselliis convenire videatur. An ignorare quispiam potest, res etiam civiles ad *Lucem Euangelicam* explorari debere; & ne quid pravè distortum sit, consultationes, judicia, decreta ad amussim, quæ errare non patitur, exigenda? Quid causæ esse existimamus, cur Reges, cùm inaugurantur, manu illâ, quâ sceptrum gerent, sacrum Euangeliorum codicem religiosè tangant? fidem illi quidem, quam populo debent, obstringunt hoc ritu arctiùs: sed grandius hîc arcanum latere mihi persuadeo. Inexpugnabilis voluntatis authoramentum esse interpretor, quo divinorum oraculorum sanctionibus, quibus regalem imponunt manum, majestatemque suam submittunt, convenienter se regnum administraturos palam profitentur. Quod ad eos, qui Magistratus, hoc est, Regum vices in muneribus sibi commissis gerunt, pertinere, nemo negaverit. Tam igitur consilium meum vobis probatum iri confido, quàm rerum gerendarum momenta, ad æternæ sapientiæ trutinam expendenda esse agnoscitis. Accedit rara victoriarum novissimè partarum felicitas & magnitudo, quarum initia & progressus, & lætissimos exitus, spe omnium velociores qui considerat, vobis quoque gratulari se debere intelligit. Vos

classem,

classem, quæ portus obsedit, quæ æstate totâ hostilem commeatum arcuit, quæ venientes suppetias felici congressu fudit fugavitque, adornastis. Vos annonam militibus, equis pabulum, in belli sumptus pecuniam, & quæ non auxilia? submisistis. Quid à vobis ultra requiri potuit? Bonorum omnium vota, ut modestissimè dicam, æquâstis. Auctoritate optimatum; fide probatissimorum magistratuum; magnanimitate defensorum; curâ & solicitudine Patrum Patriæ explevistis officia atque partes. Illustravit itaque prudentiam ac fidem vestram præteritorum temporum acerbitas, cùm in Flandriæ visceribus hærentes hostiles exercitus, urbium & portuum claustra armis occuparent, spe præciperent, quod supererat. Sed narrabunt alii, scribent multi, loquentur historiæ, quid à vobis præclarè prudenterque gestum sit, ut inclinatam ac propè jacentem patriæ fortunam, pro viribus ac facultatibus vestris excitaretis. Ego, inter tot gratulantium vota, aliquod etiam sensus mei testimonium vobis gratulabundus offero, & pro temporum armorumque felicitate, ut ego quidem arbitror, non importunè. Neque hanc meam solius, sed conspirantem societatis nostræ gratulationem esse credite, quæ per me hoc qualecumque monumentum, observantiæ in vos suæ pignus esse desiderat. Accipite igitur benevolis animis exiguum hoc opus, quod patrocinio, nominique vestro committimus, quod & in eorum animis, quorum in manus veniet, fidei vestræ in Regem, ac pietatis in Patriam & æternæ, quam meruistis, laudis memoriam renovabit.

A. A. V V.

OBSERVANTISSIMUS

HENRICUS ENGELGRAVE
è Societate Jesu.

AD

Illustrißimos, Reverendißimos, Amplißimos

FLANDRIÆ ORDINES,

CUM

EUANGELICAM LUCEM

In Emblematum velo translucentem

Illis dedicaret

HENRICUS ENGELGRAVE

SOCIETATIS JESU.



Xorere, & totum radios diffunde per orbem
Aurea Lux. Non te Pyroëis, & Eous, & Æthon,
Sidereusque Phlegon, quamquam per inania currus
Phæbeos rapiant, & puris æthera lustrent
Ignibus, advexere. Tuus formosior ortus
Tu face, tu flammis tristes melioribus umbras
Discutis: & quantum, cùm cornua plena refecit,
Cynthia Luciferum, quantum sol igne sororem
Nativo exuperat, tantum tu publica mundi
Sidera. Temporibus certis surguntque, caduntque,
Noxque tenebrarum metuenda horrore suarum,
Cùm latuere, redit. Non tu fugientibus horis
Occidis, aut cæcis subducis lumina terris.
Æternum fulges: æterno à lumine semen
Accipis, haud illi patiens concedere nocti.
Te post horrentes longæ caliginis umbras
Invexere orbi, quas Euphratæa secundum
Flumina Buzides vidit volitare quadrigas
Ardentum plenas radiorum, ignisque corusci,
Totus & ipse igni, & radiis cœlestibus ardens.
Axis erant flammæ, temo, mirabile, flammæ,
Flamma rotæ, radiique & lora nitentia flammæ.
Electra aspiceres mediis illudere flammis
Aurea. Concordes ibant ad fræna jugales

Fulminibus

Fulminibus similes ardentibus. Omnibus unus
Et diversa tamen facies, & quæque figuris
Bis geminis variata. Aquilæ, fulvique leonis,
Et bovis, & veros hominis simulantia vultus
Ora ferunt omnes, habilesque volatibus alas.
Regina alitum pennis ad sidera niti
Velle videtur, & adversi patientia solis
Lumina defigit cælo, quò tendere contrà
Terreno nequeunt hebetes in corpore sensus.
Additus est illi juvenis, vocemque, coloremque,
Oraque mortali similis, sed qualis ab alto
Delapsus terras subiit Deus, unus utrumque.
Tum Leo silvarum Dominus, terrorque ferarum,
Torva tuens, animisque refert fremituque tonantem
In silvis vatem, & pueros, matresque, virosque
Ingenti effusos studio ad nova sacra vocantem.
Cornibus, & lata spectandus fronte juvencus,
Qualis opima tuis, Solyme, stetit hostia templis,
Vno eodemque coit mirando in corpore nexu.
Omnia quæ quondam Nabathæa ad flumina vates
Attonitus claris vidit rutilantia flammis,
Confessusque Deum, nostris neque vocibus usus
Edidit: æterni servant oracula fasti.
Illa fuere tui, Lux ô pulcherrima, quæ nunc
Orbe diem toto spargis, splendoris imago.
Hæ facies, hi te currus, axesque rubentes
Ignibus, hi volucres cursus tantò ante notabant.
O cæli decus, ô nostræ dux una salutis,
Æternum jubar, & mundi melioris origo,
Quis te, quis tantos oculis mortalibus ignes
Hauriat? infirmæ vires, aciesque retusæ
Ferre negant. Vis tanta tua est, & copia flammæ.
Vt tamen optato, quà fas est, lumine detur
Posse frui, obtendit tenuis tibi nubis amictum
Docta manus, pictisque obnubit lumina velis.
Ac velut objecta cùm Sol sub nube latentes

Dißimulat radios, quamvis non cernitur ulli,
Scire tamen poßis, quo cœli limite cursum
Obductus teneat: totum non occulit umbra:
Illa jubar tantùm minuit, non eripit orbi.
Haud secus, ut cerni poßis, & ab æthere lumen
Innocuum, & terris meliùs spectabile fundas,
Obduci nitidos pateris velamine vultus.
Vos hæc, vos propiùs radiis fulgentibus afflat,
Flandrorum Proceres, oculosque invitat, & ultrò
Spectandam sese variâ sub imagine præbet.
Huc geminas acies, huc totam advertite mentem,
Volvimur, & cæcis spes nostras credimus undis.
Nec tam Getulæ syrtes, succinctaque sævis
Scylla rapax canibus, nautis metuenda Sicanis,
Quàm mens nostra sibi. Scopulus sua cuique Cupido est.
Nec tot in abruptum puppes vorat alta Charybdis,
Infamisque sinus Maleæ, quot Livor, & Ira,
Ambitioque, Metusque, humani pectoris æstus,
Exitio tristi involvunt. Heu! littora pauci
Tuta tenent, dum quò præceps rapit ardor, aguntur,
Dum vada nulla cavent. Et vobis gratior ulla
Lux cœlo veniat, quàm quæ brevia inter & æstus
Vos regat, & cursus jubeat sperare secundos?
O navis secura tui, dum turbida ponto
Surgit hyems, & nox tenebris hyemisque, suisque
Incubat! ô quid agis? quem monstrant lumina portum
Respice. Nonne vides, ut malus saucius Euro,
Antennæque gemant, atque imperiosius æquor
Convulsæ nequeant ultrà durare carinæ?
At, nisi ludibrium debes miserabile ventis,
Ne placitos, qui te fallent, respexeris ignes.
Heu nihil infidæ fas quemquam credere luci!
Quos procul Euboico de littore Nauplius ignes
Sustulit, Argolicas traxere in saxa carinas.
Te sequimur, Lux alma, viæ dux optima nostræ.
Nulla Pharos, cùm certa negant se sidera nautis,

Tutiùs

Tutiùs errantes deducit in oſtia puppes.
Te ſine nil tutum eſt: horrent obſeſſa tenebris
Omnia: lux ſi quæ rimis aliunde malignis
Proditur, in ſcopulos, & ſaxa latentia ducit.
Ne mihi, ne rigidi dictent præcepta Catones,
Intonſique Numæ. Non ſanguine ſcripta Draconis
Iura, Therapnæique morer decreta Lycurgi.
Vtiliter quamvis & honeſtè plurima dicant,
Et peccare vetent: ſuus eſt tamen error in illis.
Sanctius his aliquid ſuperis è ſedibus orta
Lux aperit, Falli prohibet, Verumque, Bonumque
Detegit, & quidquid dubiis Prudentia rebus,
Temperies lætis, duris Conſtantia poſcit.
Hæc ubi ſe prodit, pariter Reverentia legum,
Et pacis nutrix Pietas, & neſcia fraudis
Incorrupta Fides manifeſtâ in luce refulgent.
Excedunt Erebi peſtes. Injuria recti
Contemptrix, rituſque audax abolere priorum
Impietas, miſerique parens Diſcordia Belli,
Et mala Mens culpæ pallens horrore, ſuique.
Voſque adeò, quos res patriæ bellique domique
Grandibus exercent curis: ſic Flandria veſtris
Tuta ſtet auxiliis, nec triſtes horreat ultrà
Armorum ſtrepitus: ſic Pax dulciſsima rerum
Pertæſos Martis populos, urbeſque reviſat:
Inſcriptum vobis monumentum, & pignus amoris
Conveniente operi, placidoque admittite vultu.
Quod ſi aliàs docti vobis placuêre labores,
Nunc certè placeat, quæ, dum gratiſsima mœſtæ
Reddita lux patriæ eſt, lucem quoque pagina præfert.
Lucem immortalem, quæ Divûm arcana recluſit,
Ignotique viam nobis detexit Olympi:
Qua veniente novi venit quoque temporis ætas,
Et, quo nunc fruimur, ſeclorum ſanctior ordo.
Si ſinerent vires, aut ſi quid vota valerent,
Pyramidas ſuper, aut Rhodii ſimulacra Coloſsi

 Eductam

Eductam cœlo Morinorum in littore molem
Poneret ex merito noster labor. Hìc ego duris
Neptunum exutum vinclis, portusque reclusos,
Et captas cœlarem urbes. Hìc maxime stares
Austriade, clypeosque super fulgentiaque arma
Aureus. Armatæ starent circum ostia puppes.
Classibus adversæ classes, effictaque in auro
Æquora ferverent navalis imagine pugnæ.
Vtque sui vobis debet victoria partem,
Partem opere in tanto vestrum quoque nomen haberet.
Nunc, quoniam solis hoc possunt carmina votis,
Sit liber hic grati, quod vobis Flandria debet,
Obsequii, vivax testis: sit temporis hujus,
Quo vestris etiam studiis opibusque receptæ
Exultant urbes, monumentum in sera superstes
Secula, marmoribus, solidoque perennius ære.
Siqua fides vatum auguriis, dum magna vigebunt
Nomina, dum meritis æqui solventur honores,
Dum Patriæ Patres vos dicet Flandria, vivet.

JACOBUS VANDE WALLE.

è SOCIETATE JESU.

A D

AD
LECTOREM.

IDEM mihi votum quod Philosopho Romano fuit, *a* Non delectent verba mea, sed prosint. Oratio sit talis, ut res potiùs, quàm se ostendat. Non quærit æger Medicum eloquentem, sed sanantem: sed si ita comperit ut idem ille qui sanare potest, comptè de his quæ facienda sunt, disserat, boni consulet; non tamen erit quare gratuletur sibi, quod inciderit in Medicum etiam disertum. Hoc enim tale est, quale si peritus gubernator, etiam formosus est. Quid aures meas scalpis? quid oblectas? aliud agitur. Urendus sum, ad hoc adhibitus es. Curare debes morbum veterem, gravem, publicum. Circa verba occupatus es. *Sequar monentis consilium, utinam assequar consulentis monitum. quapropter ne actum agam, Medicum agam, non Grammaticum. Quid enim aliud quàm ineptire est, bracteatam sectari eloquentiam, sermonumque illecebras quasdam, veluti sirenes affectare, ubi pravi comprimendi sunt affectus. Illa Philosophorum auribus ancillans eloquentia, rostris quàm sacris cathedris aptior est: si non tam delectationis captandæ avarus, quàm salutis consequendæ avidus es, habes quod aves. Folia ne legas, verba neglige, fructum collige, hos legere, intelligere est. Aureè Chrysologus:* *b* Verborum flosculos non quæramus: qui maturitatis fructum quærit, despicit amœna camporum. *Hoc demum ad gustum æternæ beatitatis sapere est. Interim hìc prægusta, non falsas eloquentiæ delicias, sed quantæ sit ingenuæ veritatis omnium mentibus expetenda suavitas: uti egregiè monet Princeps veritatis Doctor Augustinus:* *c* Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum quærere, non verba: quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest? quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est.

a Seneca epist. 75. *b* Chrysol. serm. 18. *c* Aug. lib. 4. de doct. Christi.

Nuda veritas, & investis, hoc Solis habet, dum innubis est; verbis rem vestire, lucem nube involvere est; quàm prosperè perspicaci ingenii splendore D. Prosper ita discussit: a De accuratione dictionis elucubratæ non satago, nec mihi pudori est, si disputatio mea, quæ fortè probatur in rebus, aliquos verborum inanium sectatores, horrore incomptæ orationis offendat: etenim cùm sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervet, quis non judicet me affectationem compositionis debuisse contemnere, etiamsi eam potuissem, veluti dicendi peritus implere. Quapropter ea mihi visa est compositio satis ornata, quæ conceptionem animi, cum necessaria quadam perspicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deserviret, nam & prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia: quando non res pro verbis, sed pro rebus numerandis verba sunt instituta. *Quare in hac luce meridiana toti caligant, qui me hîc oratorem aut sacrum Ecclesiasten de altiori loco differentem expectent. De plano ago:* b Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius. *Conciones non inscribo, quòd sciam neminem quemquam repertum esse, qui obsonium pro palato cujusque condire valeat, quod supremi dumtaxat est conditoris, qui hoc filiis suis in deserto condivit.*

Plura itaque cùm ad seligendum, quàm ad dicendum lector requirat, quandoque non pauca congessi; quædam etiam pro sale inspersi, festiva magis, quàm ut plena manu è suggestu spargantur. Denique Pythagoræ præceptum sectatus sum: ne multis pauca, sed paucis multa complectere;

Ejusmodi enim libros vulgus desiderat, & Hieronymus commendat: c Quidquid, *inquit*, in scripturis divinis mirabiliter fulget, quidquid in præceptis moralibus copiosum est, totum in parvo corpore adunatum lector desiderat, paupertatis necessitate.

Jam Deo duce ac vita comite CÆLESTE PANTHEON in FESTA & GESTA SANCTORUM non moliri, sed polire aggredior.

a D. Prosper lib. 3. de vita contempl. b Exod. 4. c Hieron. præfat. ad Comitem.

FACULTAS SUPERIORUM.

CUm tres Societatis Jesu Theologi legerint, & utiliter edi posse censuerint librum, qui inscribitur: *Lux Euangelica sub velo sacrorum Emblematum recondita, morali doctrinâ illustrata per P. Henricum Engelgrave Societ. IESV, in duas partes divisa.* Ego Joannes Bapt. Engelgrave ejusdem Societatis per Flandro-belgicam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi ab adm. R. P. N. Gosuino Nickel factâ, concedo ut is liber per Viduam & hæredes Joannis Cnobbari excudatur. In cujus rei fidem has literas officii mei sigillo munitas, meaque manu signatas dedi. Bruxellis 16. Decemb. 1652.

JOANNES BAPT. ENGELGRAVE.

PRO-

PROTESTATIO
AUTHORIS.

CVm S. D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martii 1625. Decretum ediderit, idemque confirmârit die 5. Iulii 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum qui sanctitatis seu martyrii famâ celebres è vita migraverint, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine cognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modò vult censeri approbata.

Idem autem Sanctissimus die 5. Iunii 1541. ita explicuerit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; bene tamen ea quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione quod nulla eis adsit authoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes authorem.

Huic decreto ejusque confirmationi & declarationi, observantiâ ac reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu quidquid in hac LUCE EUANGELICA *refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat authoritate, non autem divinæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut S. Sedis Apostolicæ nituntur: iis tantummodo acceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.*

SYNOPSIS
TOTIUS OPERIS.

Dominica 1. Adventus.

Funestis Deus signis minatur, ac terret, ut à peccato deterreat.

§. 1. *Dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum.* Act. 2.

§. 2. *Dedisti timentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.*

Dominica 2. Adventus.

Immarcessibilis corona, adversitatis vinculis contexenda est.

§. 1. *Quinam* vincti in Domino, *ferreis sibi vinculis corollam texuerunt.*

§. 2. *Morborum, aliarumque afflictionum vinculis astricti, coronam texuerunt.*

§. 3. *Vinculis Religionis, nec non vinculo conjugali, corona gloriæ adaptanda.*

Dominica 3. Adventus.

Mors argutè satis & acutè, Echo vitæ appellatur, juxta tritum illud:

§. 1. *Qualis* vita, *finis* ita.

§. 2. *Quibus in vita consuevimus, ea in morte placent & observantur: quemadmodum quæ diurnis agitamus curis, recursant nocturnis.*

§. 3. *Proborum somnia, eorumque exitus felices.*

Dominica 4. Adventus.

Solitudo orationi aptissima, ut homo Deo, & Deus homini loquatur. sic tamen ut & solitudo in urbe, ac interiori cordis recessu ædificari queat.

§. 1. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Psalm. 54.

§. 2. *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Oseæ 2.

§. 3. *Adhibe tibi in urbe solitudinem, & remota (ô anima) paulisper ab hominibus, propiùs Deo jungere.* Hieron. epist. ad Demetriad.

Dominica infra octavam Nativitatis.

Horologium afflictissimæ Matris, in quo gladius doloris acerbissimos cordis ejus cruciatus signat,

§. 1. *Gladius doloris, sanctissimæ Matris pectori perpetuo infixus.*

§. 2. *Horologium Matris dolorosæ.*

§. 3. *Matri dolorosæ condolendum, eoque praxes adducta.*

Dominica 1. post Epiphaniam.

De prompta filiorum obedientia erga parentes exemplo Christi. Quo fiet ut hic pueri sint Angeli, & cœlum sit in terris.

§. 1. *Erat subditus illis.* Luc. 2.

§. 2. *Quinam pueri singulari in parentes obedientià ac observantiâ præcelluerint.*

§. 3. *Filii obedientes Angeli, & familia quam inhabitant meritò cœlum nuncupatur.*

Dominica 2. post Epiphaniam.

In omni connubio contrahendo, inter conjuges paritas potissimùm spectanda est.

§. 1. Nu-

§. 1. *Nuptias aut matrimonium non obesse sanctitati, & saluti æternæ consequendæ: imò plurimis ad sanctitatem profuisse.*

§. 2. *Ad hunc finem conducit primariò, ut sit paritas Religionis, pietatis, & par studium virtutis.*

§. 3. *Non tam forma & fortunarum, quam morum & animorum æqualitas spectanda.*

Dominica 3. post Epiphaniam.

De dominio Dei in creaturas, quod longè majus quàm figuli in vasa, ut patet luculento illo Doctoris gentium testimonio: *An non habet figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam.* Ad Rom. 9.

§. 1. *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, in terrâ, in mari & omnibus abyssis.* Psal. 134.

§. 2. Quomodo nullus Dominus, nisi solus Deus. *Esther* 13. *in cujus ditione cuncta sunt posita, nec est qui possit resistere ejus voluntati.*

§. 3. *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.* Job 1.

Dominica 4. post Epiphaniam.

MOTUS MAGNUS, quin imò perpetuus peccatoris conscientiam exagitat; quæ operosi instar horologii noctes diesque interturbat, nec sinit conquiescere.

§. 1. *Ac primum quidem ut graves horologium malleorum ictus, ita conscientia peccatorem assiduo verbere pulsat, & gravissimos ictus infligit.*

§. 2. *Atque ut ferrati dentes hos inquietant & rodunt, haud aliter, vermis eorum non moritur, Marci. 9. qui vivis dentibus conscientiam arrodit.*

§ 3. *Hæc denique machina quandoque insperatò viros armatos, variasque larvas exhibet: at, quod longè terribilius:* personæ tristes illis apparentes pavorem præstabunt. *Sap.* 7.

Dominica 5. post Epiphaniam.

Invidus, cui numquam bene est, nisi alteri malè sit; seipsum perdit, ut alterum perimat.

§ 1. *Invidus alienum bonum suum facit invidendo supplicium.* S. Prosper lib. 1. de vita contempl. cap. 5.

§. 2. *Invidia hominem diabolo deteriorem reddit, & dolores inferni tolerare cogit.*

§. 3. *Invidiæ flammas, aulas Principum, castra militum, contubernia fratrum, claustra Religiosorum &c. latè depopulari.*

§. 4. *Solatia invidiosorum & invidorum remedia.*

Dominica 6. post Epiphaniam.

Quod non *unus passer cadat super terram*, Matth. 10. nedum in hac vel illa arbore nidificet, *sine patre vestro,* nobis argumento esse potest, nil casu fieri aut fortuitò.

§. 1. *Non casu sed consultò à divinâ providentiâ omnia gubernantur.*

§. 2. *Propositum SS. Scripturis, aliisque sacris ac profanis historiis stabilitur.*

§. 3. *Quinam in rebus maximè fortuitis, Dei providentia nixi sunt?*

Dominica Septuagesimæ.

Horologium iners, ac totâ die otio-

otiosum, quid mali ac turbæ in Repub. concitet, experientiâ compertum est; quid verò mali, otium in animis hominum generet, illo Ecclesiastici manifestius est: *Eccl.* 33.

§. 1. *Multam malitiam docuit otiositas.* Quam ut excutiamus, rectè Propheta conditionis nostræ, quâ conditi sumus, nos memores esse voluit, dum dixit *Iob cap.* 5.

§. 2. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volandum.* Quid? quod homini adeò non otiandum sit, ut Paulus moneat *si quis non vult operari, non manducet*; & prima veritas comminatur Prov. 6.

§. 3. *Per otium & pigritiam, veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.*

Dominica Sexagesimæ.

Amicus verus ut rarus sic carus, in adversis maximè comprobatur.

§. 1. *Est amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Eccl. 6.

§. 2. Hujusmodi Amici *in tempore tentationis recedunt.* Luc. 8.

§. 3. *Solus Deus amicus verus & sincerus.*

Dominica Quinquagesimæ.

Hisce Bacchi feriis peccatores suis flagitiis Deum lacessere, & rursus in crucem agere non verentur, testante ac detestante Apostolo:

§. 1. *Rursum crucifigentes sibimet-ipsis filium Dei.* Ad Hebr. 6.

§. 2. *Variis historiis comprobatur, Christum per peccata hominum rursum crucifigi.*

Dominica 1. Quadragesimæ.

Jejunium, quod Heterodoxi, ut inventum diabolicum execrantur, Redemptor noster exemplo suo sanctificavit, & observari voluit.

§. 1. *Hæreticorum errores refutantur, ac jejunii præceptum adstruitur.*

§. 2. Jejunium ut est actus virtutis abstinentiæ, hominem contra insultus cacodæmonis obarmat. *S. Tho.* 2. 2. *q.* 146.

§. 3. *Iejunii arma fortissima, ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Ad Ephes.* 6. *Atque his armis non robur animi dumtaxat, sed quod mirandum, etiam corporis acquiritur. Vnde Eccl.* 37.

§. 4. Qui abstinens est, adjiciet vitam.

Dominica 2. Quadragesimæ.

Splendidus Solis vultus semper idem, semper sibi similis constantis animi symbolum est. Nimbi, nives, pluviæ, infrà feruntur, non turbant Solem.

§. 1. *Vultus semper idem, animi sibi præsentis ac constantis index est, quod sacris ac profanis testimoniis comprobatur.*

§. 2. *Qui in adversis animo vultuque sereno luserint ac jocati sint.*

Dominica 3. Quadragesimæ.

Tartarei hostes, infesti hospites, ubi, semel animum occupârunt; jamque *ingressi habitant ibi*, difficulter statione cedunt: ita vitia ubi per actus frequentatos in consuetudinem abiêre, & quasi sedem fixêre, non facile deturbantur.

§. 1. *Quid*

§. 1. *Quid consuetudo, & quomodo acquiratur.*

§. 2. *Consuetudo altera natura, quam difficulter exuitur.*

§. 3. *Consuetudo non imminuit peccatum.*

§. 4. *Remedia extirpandi pravos habitus, & consuetudinem peccandi.*

Dominica 4. Quadragesimæ.

Divinæ munificentiæ fontem benignissimus Redemptor noster hodie multis millibus fecit scaturire, largiendo singulis, *quantum volebant*; at longè excellentiùs per sacramenta, sacros veluti canales, gratiæ fontes in animos hominum derivare non cessat.

§. 1. Deus dat omnibus affluenter, *& secundùm propriam cujusque dispositionem* Jacob. 1. Trid. sess. 6. cap. 7. Ex quo consequitur juxta mensuram gratiæ, fore & mensuram gloriæ, quod Apostolus innuit dicens: 1 *Cor.* 15.

§. 2. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate; sic & Resurrectio mortuorum.*

Dominica Passionis.

Prima veritas dum speculi in morem, Judæorum scelera liberè coarguit, eorum odium incurrit: qua de causa pauci etiamnum veritatem liberè proferunt, quia pauci eam libenter audiunt.

§. 1. *Veritas odium parit.* Eccl. 4.

§. 2. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.*

§. 3. *Quinam libenter veritatem audierint.*

Dominica Palmarum.

De eximia Domini Jesu mansuetudine, quam non modò per omnem vitam exercuit, sed & nobis cum verbo tum exemplo suo ad imitandum proposuit.

§. 1. Mansuetudinis magister hanc suis doctrinam tradidit Matth. 11. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.*

§. 2. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem* Prov. 15.

§. 3. In omnibus *affabilem te facito.* Eccl. 4.

Dominica Resurrectionis.

Ut cum Christo resurgamus, & in novitate vitæ ambulemus, exuere oportet veterem hominem; bombycem imitando, quem M. Basilius resurrectionis typum ostendit. *Basilius lib. Hexam. cap.* 8.

§. 1. *Quomodo* expoliare veterem hominem cum actibus suis *valeamus.* Coloss. 3.

§. 2. *Vt in novitate vita ambulemus,* Ad Rom. 6.

Dominica 1. post Pascha.

Omnes vos hodiernâ die, quantùm confido: *quasi modò geniti infantes,* 1 *Pet.* 2. sed ut infantibus familiare est cadere, ita & citò surgere. Documento nobis relicto, ut si per fragilitatem lapsi simus, non maneamus infixi luto; atque interim serus vesper ingruat, & divina clementia fores occludat.

§. 1. *Non tardes converti ad Dominum,*

num, & ne differas de die in diem. Eccl. 5.

§. 2. *Pœnitentia sera, rarò vera.* Aug.

Dominica 2. post Pascha.

Omnes nos quasi oves erravimus; Isa. 53. sed bonus ille Pastor cœlestem gratiam, velut viridem ramum porrigit, ut errantes ad se trahat & adducat.

§. 1. *Ramus divinæ gratiæ sufficienter omnibus porrigitur, quo dispersos bonus Pastor ad se trahat. idque primò per locutionem internam, secundò per externam: etenim*

§. 2. *Ramus divinæ gratiæ per sacros Ecclesiastas, animos Auditorum efficaciter trahit; dum juxta Apostolum fit* verbum insitum.

Domiuica 3. post Pascha.

Pretiosæ guttæ & virtutes stupendæ, quæ ex ardenti pœnitentis corde per oculos eliquantur.

§. 1. *Est pretium*, est honor & lachrymis, Ovid. 10. Metam. *si modo pro peccatis fluant.*

§. 2. *Anima lachrymis baptizatur.* Chrysost. hom. 9. de pœnit.

§. 3. *Lachrymarum vis cœlum aperit.*

§. 4. *Beati qui lugent.* Matth. 5.

Dominica 4. post Pascha.

Maxima pars hominum ignorat, quò vadat, currit in incertum, & in præceps agitur: dum quò vel quà eundem sit, non interrogat.

§. 1. *Quid faciendum ei, qui nescit quò vadat: nec quidquam statuit de statu vitæ?*

§. 2. *Consilium de statu vitæ non petendum à parentibus aut propinquis.*

§. 3. *Inspiratio qua quis se sentit vocari ad statum Religiosum, certissimè à Deo est.*

§. 4. *Vocatio ad Religionem, manifestum divinæ prædestinationis signum.*

§. 5. *Reprobationis signum certissimum iis, qui vocationem distulerunt, aut neglexerunt.*

Dominica 5. post Pascha.

Cùm prima veritas adpromiserit petenti nil denegandum, quî fit multa peti nec impetrari? Rationem Apostolus hanc assignat. *Iacob.* 4.

§. 1. *Petitis, & non accipitis, quia malè petitis.* Sunt qui non malè duntaxat, sed & mala postulant, quibus rectè dicitur: *Matth.* 20.

§. 2. *Nescitis quid petatis.*

§. 3. *Quid salubriter petendum.*

Dominica 6. post Pascha.

Redemptor noster dum se suis quasi severum, tum vel maximè se verum Patrem exhibet: utpote qui nosset quid conferret non muliebriter aut molliter, sed viriliter & fortiter suos tractari, atque generosi instar equi duris exercitari. Haud aliter sincerus Paterfamilias, qui non segniter liberos educat, sed effrænes juventæ impetus, metu verberum coërcet, arbitretur se obsequium præstare Deo & ipsis.

§. 1. *Filii tibi sunt, erudi illos & curva illos à pueritia illorum.* Eccl. 7.

§. 2. *Qui parcit virgæ, odit filium suum,* Prov. 13.

§. 3. *Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Prov. 23. Mansuetudo tamen semper severitati attemperanda; quemadmodum

§. 4. *Manna & virga* in arca asservari solita.

Dominica Pentecostes.

Deus universo orbi intimè præsens, juxta illud (1 Ioan. 3.) *In illo manet & ipse in eo.* quemadmodum bulla intus & extus, undique in aëre versatur. quæ intima numinis præsentia,

§. 1. *Medium ac remedium præsentissimum est ad omnia flagitia evitanda.*

§. 2. *Dei præsentia, efficax ad omnem virtutem, & perfectionem incitamentum.*

Dominica 1. post Pentecosten.

De centuplo: quod eleemosyna refundit multò copiosiùs, quàm ullo fœnore aut usurâ queat comparari.

§. 1. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prov. 19.

§. 2. Tullianum illud expenditur, *Est liberale officium, serere beneficium, ut possis metere fructum.*

Dominica 2. post Pentecosten.

§. 1. *Hostia Eucharistica quæ mirificè facit ad illuminandos & inflammandos animos, speculo caustico comparatur.*

§. 2. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Psal. 33.

§. 3. *Quinam ex hoc pane intellectus, sibi radium divinæ sapientiæ mutuârint.*

§. 4. *Vmbram fugat veritas: noctem lux eliminat.*

§. 5. *Speculum Eucharisticum, fidelium corda inflammat.*

§. 6. *Dispositiones animi pravæ, ad flammas ex Eucharistico speculo concipiendas.*

§. 7. *Proxima ad divinas flammas concipiendas dispositio, fervens desiderium.*

§. 8. *Quo amoris incendio, Deipara Christum utero conceperit, & in Eucharistia sumpserit.*

Dominica 3. post Pentecosten.

De perseverantia. Ovis & drachma deperdita, incessanter quærenda, donec invenias: & fabrica erigenda, donec colophone imposito perficias, ac jure exclames: *Congratulamini mihi.*

§. 1. *Cœpisse multorum est; ad culmen pervenisse, paucorum,* Hieron. epist.

§. 2. *Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.* Matth. 10.

Dominica 4. post Pentecosten.

Qui in nocte idololatriæ, hæreseos, aut noxæ lethalis laborant, quasi telas aranearum texunt, nullum operæ suæ pretium referentes.

§. 1. *Qui in nocte gentilitatis & idololatriæ versantur, frustra laborant.*

§. 2. *Hæretici luce fidei destituti, in vacuum laborant.*

§. 3. *In nocte peccati laborantes nihil capiunt.*

Dominica 5. post Pentecosten.

De Hypocrisi Scribarum & Pharisæorum, qui vanam virtutis umbram sectantur.

§. 1. *At-*

§. 1. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces* Matth. 7.

§. 2. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis.* Matth. 23.

Dominica 6. *post Pentecosten.*

Mundus non satiat, nec animum explet, etsi implere videatur.

§. 1. Fortuna multis nimium dedit, nemini satis. *Seneca.*

§. 2. Ignis nunquam dicit, sufficit. *Prov.* 30.

§. 3. *Solus Deus hominem satiat.*

Dominica 7. *post Pentecosten.*

Cavendum à pravo consortio.

§. 1. *Dæmon ut auceps, utitur pravis sociis ad decipiendum.*

§. 2. *Fœmina laqueus est & rete, quo stygius auceps abutitur ad capiendas animas.*

Dominica 8. *post Pentecosten.*

Majori solertiâ *filii tenebrarum* terrena & fluxa sectantur, quàm *filii lucis*, cœlestia & æterna.

§. 1. *Milites & Mercatores pro corruptibili corona, & fluxis bonis magis desudant, quàm nos pro æternis.*

§. 2. *Homines seculares, vanitati ac mundo muliebri impensiùs dediti, quàm nos veritati, & animi cultui.*

Dominica 9. *post Pentecosten.*

De cultu ac reverentia templis debita.

§. 1. *Terribilis est locus iste: non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* Gen. 28.

§. 2. *Domum tuam decet sanctitudo.* Psal. 92.

Dominica 10. *post Pentecosten.*

Sola humilitas est, quæ exaltat.

§. 1. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit.* Ephes. 4.

§. 2. *Probatur sacris ac profanis historiis, eos qui se humiliant, exaltari.*

Dominica 11. *post Pentecosten.*

Rectè loquitur, cujus lingua, affabri instar horologii, opportuno tempore sonat, & peccantem commonet. Qua in parte, tacendo non leviter peccatur.

§. 1. *Væ mihi quia tacui.* Isa. 6.

§. 2. *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum.* Matth. 18.

Dominica 12. *post Pentecosten.*

Oculo mentis, cœlestia attentiùs contemplanda, quò terrena omnia despiciantur.

§. 1. Cum S. Ignatio exclamandum: *quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.*

§. 2. Cum Apostolo: *quæ sursum sunt quærite: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Coloss. 3.

Dominica 13. *post Pentecosten.*

Peccatum quodvis hominem longissimè à Deo sejungit.

§. 1. *Peccator cum filio prodigo in regionem* longinquam *proficiscitur.*

§. 2. *Magnum Chaos peccatorem inter & Deum firmatum est.*

Dominica 14. *post Pentecosten.*

Uni & soli Deo serviendum esse, omnemque affectum ei soli exhibendum.

§. 1. Ne-

§. 1. *Nemo potest duobus Dominis servire*. Matth. 6.

§. 2. *Gravis Dæmonis fallacia persuadentis, posse aliquem duobus Dominis servire.*

§. 3. *Vni soli Deo ac Domino serviendum.*

Dominica 15. post Pentecosten.

Liberos à parentibus, velut traduces à vite avulsos, Christo meliori colono in Religione traditos, minimè ut mortuos flendos esse.

§. 1. *Religiosi mundo mortui, & quasi vivi sepulti.*

§. 2. *Homines mundo mortuos non flendos: quorum* vita abscondita est in Christo cum Deo. *Coloss.* 3.

§. 3. *Quale peccatum à Religione avertere, aut impedire: & quàm graviter à Deo punitum.*

Dominica 16. post Pentecosten.

Testudo bellica quam propugnatores, victoresque conscendere olim soliti, mundum ejusque titulos calcandos docet.

§. 1. SUBLIMABUNT NOS SI FUERINT INFRA NOS. Emissen. serm. de Ascens.

§. 2. *Quinam calcando honores, sibi gradum ad immortalem gloriam struxerint.*

§. 3. *Orbem, universum calcando, in cœlum conscenditur.*

§. 4. DE VITIIS SCALAM NOBIS FACIMUS, SI VITIA IPSA CALCAMUS. *Augustin. serm.* 176.

Dominica 17. post Pentecosten.

De Amore, quo Proximus noster diligendus.

§. 1. *Diliges proximum sicut pupillam oculi tui, quoniam* Sumus invicem membra. *ad Ephes.* 4.

§. 2. *Ionathas & David perfectum mutuæ dilectionis exemplar, proximum diligendum, sicut seipsum demonstrant.*

Dominica 18. post Pentecosten.

De Malitia cogitationum, quæ in animo, velut species in cubiculo obscuro per angustum foramen, quasi per oculum, relucent.

§. 1. Abominatio Domini cogitationes malæ. *Proverb.* 15.

§. 2. *Quæ cogitatio peccaminosa, & quinam ob solam cogitationem damnati.*

§. 3. *Cogitationes pravæ continuò repellendæ, Deo per Prophetam commonente:* Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. *Isa.* 1.

Dominica 19. post Pentecosten.

Pauci per fructus bonorum operum, ad vitam æternam prædestinati sunt.

§. 1. *Præscientia Dei, ac prædestinatio non officit libertati.*

§. 2. Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem, & electionem faciatis. 2 *Pet.* 1.

Dominica 20. post Pentecosten.

Divinus amor morbos, ceu molossos immittit, ut venetur animas: quin & doloris jaculo configit, ut ad se fontem vivum recurrant.

§. 1. *Infirmitas corporis, facit ut animus ad Christum & ad cœlestia suspiret:* Sicut cervus ad fontes aquarum. *Psalm.* 41.

§. 2. *Homo cum morbi cruciatibus* con-

conflictatus, Martyribus collatus, jure usurpat illud Psaltis: Perfecit pedes meos tanquam cervorum: & super excelsa statuens me. *Psal.* 17.

Dominica 21. post Pentecosten.

Vindex Deus pœnâ talionis, peccatorem punit. Et in servum nequam severè animadvertit, qui conservo suo crudelis exstitit.

§. 1. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Sap. 11.

§. 2. *Ipse sibi parat peccator quisque quod patitur; nos calamitatum nostrarum auctores sumus.* S. Salv. libro octavo de provid.

Dominica 22. post Pentecosten.

Qua ratione imago Christi in nobis vivacissimè exprimatur.

§. 1. Imago imitando aptè exprimitur ad quod Apostolus hortatur: *imitatores mei estote.* 1 Cor. 4.

§. 2. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui?* Rom. 8.

Dominica 23. post Pentecosten.

Mors rectè somnus à sacris & profanis historiis nuncupatur.

§. 1. *Mortis & somni proprietates inter se comparantur.*

§. 2. *Salubris homini dormituro illa Lipsii commonitio:* Ad lectum ad lethum.

Dominica 24. post Pentecosten.

Manus scribentis, quæ Baltassarem terruit, non obscuras supremi judicii notas nobis etiam exaravit.

§. 1. *Decretoriam sententiam* Mane, Thecel, Phares, *in judicio ferendam, qui legit intelligat.*

§. 2. *Aliam scripturam, libris in judicio aperiendis contentam, qui legit, intelligat.*



A P-

APPROBATIO.

LUcis Euangelicæ ſub velum ſacrorum Emblematum reconditæ pars ſecunda, à R. P. Henrico Engelgrave Societatis *IESV*, *multo ſtudio, & magno judicio, atque eruditione, uti prior, induſtriè concinnata, orthodoxæ fidei & bonis moribus conformis eſt, & ad fidelium illuminationem deſerviens: quò* ut filii lucis, & ſicut in die, honeſtè ambulantes, *ad lucis æternæ regionem feliciter perveniant. Quare eadem digna quoque eſt, ut typis evulgetur. Actum* 1. *Aprilis* 1653.

GUIL. BOLOGNINO S. T. L.
Can. & Lib. Cenſor Antverp.

EMBLE-

EMBLEMA I.

ERVNT SIGNA. Luc. 21.



[a] MULTA AC METUENDA MINATUR.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Funestis Deus signis minatur ac terret, ut à peccato deterreat.

§. I. b *Dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum.*

§. II. *Dedisti timentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* Psal. 59.

a Ovid. 15. Met, b Act. 2.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Erunt signa. Luc. 21.

IN ſublimioris ſcientiæ palæſtris, quæſtio non infima ventilatur *de ſignis.* Cui enodandæ à pleriſque unus Auguſtinus adhibetur; qui lib. 2. de Doctrinâ Chriſtianâ cap. 1. dilucidè ad captum cujuſque exponit: *Signum eſt præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens, in cognitionem venire. Sicut veſtigio viſo tranſiiſſe animal; fumo viſo ignem ſubeſſe cognoſcimus; & voce animantis auditâ, affectus animi ejus advertimus; & tubâ ſonante, milites progredi vel regredi; &c.*

Ejuſmodi ſigna alia ſunt naturalia, alia artificialia, quædam arbitraria ſeu ex inſtituto. Nos ea dumtaxat ſectabimur, quæ prognoſtica ac comminatoria, non modò publicas clades, vaſtationes agrorum, everſiones urbium, aliudve inſolens infortunium portendere conſueverunt, ſed & inſuper *aliud aliquid ex ſe faciunt in cognitionem venire*; offenſi ſcilicet numinis iram, ſcelera populi, vindicem manum extentam; ut eam tempori advertere, noſque ab irâ venturâ ſubducere valeamus. Ideo dicit dominus:

§. I.

Dabo prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terrâ deorſum. Act. 2.

DEus noſter longanimis & multæ miſericordiæ, prius Ægyptium illum tyrannum Pharaonem, cum curribus & equitibus, omnique exercitu, quàm Oceani fluctibus involverit, *poſuit in Ægypto ſigna ſua.* Pſal. 77.

Hæc quàm varia, quàm prodigioſa, quàm manifeſta exſtiterint, fuſiùs videre eſt apud noſtros, Cornelium, Bonfrerium, Torniellum & Salianum, qui his paucis omnia complexus eſt: *a*

Prima rubens unda: ranarum plaga ſecunda.
Inde culex triſtis; poſt muſca nocentior iſtis.
Quinta pecus ſtravit. Veſicas ſexta creavit.
Poſtque ſubit grando: poſt bruchus dente nefando.
Nona tegit ſolem, primam necat ultima prolem.

Quæſtionem hic movet Seleucienſis Antiſtes, ut quid Deus dixerit: *b multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terrâ Ægypti,* & non potiùs poſt primam plagam, poſt primam hanc comminationem, *c erit autem ſanguis vobis in ſignum,* contumacem regem cum ſuis deleverit? Ad quam Baſilicè, ut aſſolet, reſpondet: *d pœnitentia ſpe ſupplicium differens, procraſtinanſque punitionem.*

Philo verò eleganter circa ſciniphes philoſophatur, cur Deus hæc puſilla animalcula, non urſos aut leones, non famem, aut peſtilentiam immiſerit. *e Vt diſcat,* inquit, *qui hæc quærit, Deum voluiſſe incolas caſtigare, non tollere;*

a Salian. an. mundi. 2543. *b* Exod. 7. *c* Exod. 8. *d* Baſil. or. 9. *e* Auguſt. tract. 1. in Ioan. Philo. hic.

nam

nam si eos omnino delere voluisset, non opus erat animalium operâ, sed divinitus immissâ fame ac pestilentiâ. Quid quod præviæ noctem deliberationi ac resipiscentiæ designet, pridie interminando: *a cras erit signum istud.* Cur non statim? Pergit porro: *b constituitque dominus tempus, dicens: cras faciet dominus verbum istud in terra,* & alibi: *pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis.* Mitte ergo jam nnnc & congrega jumenta &c. Ubi Salianus *c* præclarum hoc epiphonema subjungit: insigne atque inusitatum divinæ bonitatis exemplum, erga tyrannum pervicacem! Non solùm calamitatem prænuntiat in certum tempus, imò diem atque horam, sed monet etiam ut res suas ab imminente clade conservent. Ex quibus omnibus rectè conficit Augustinus, *d hoc non tam indignanter, quàm misericorditer videtur admonere. Vide quomodo Deus etiam irascens temperat pœnam,* & hoc unum satagit, ut peccator fugiat à venturâ irâ. Durarunt siquidem, *e hæc signa atque portenta* non horam dumtaxat, aut diem, sed ad hebdomades, ad menses, universim omnes ad annum integrum.

Verum enimverò hoc gravissimè nostrâ tempestate flagitiosi queruntur, se incautos opprimi, non ea sibi *f signa atque prodigia* lucere, nullas se prævias Dei commonitiones aut comminationes persentiscere: quasi verò non æquè luculenta, imò & clariora & frequentiora signa, eos à scelere deterrerent.

a Exod. 8. *b* Exod. 9. v. 18. *c* Salian. an. mundi 2544. num. 6. *d* August. qq. in Exod. 9. 33. *e* Deut. 4. *f* Deut. 6.

Nolim hîc recensere *g signa & portenta*, quæ orbis universi excidium denunciabant; suffecerit, ea oculis objecisse, quæ quandoque unius, quandoque plurium capitibus certam mortem, aut publicam calamitatem portenderunt. *h* Cujusmodi imprimis signa, cœlestia esse consuevêre, quæ terriculo Deus esse voluit mortalibus, ut indices vindicesque irati numinis. Ex his, ne altius quædam petamus, anno Christi 1527. ante Turcarum in fines Christianorum eruptiones, gravissimamque tyrannidem, ante Romam à Borbonio armatâ militum manu expugnatam, ipsumque Ecclesiæ caput Cæsarianis militibus traditum, malorum omnium augur Cometa extitit, totâ Europâ sub quartam matutinam spectabilis, qualis antehac nunquam apparuisse perhibetur. Quantarum verò calamitatum prodromus fuerit Cometa, qui anno Domini 1575. per Belgium conspectus fuit, & alius insuper an. 1577. per Hebdomades omnino septem *i quasi belli signum in cœlo elatum,* scripsit & enucleatè & pertractatè Cornelius Gemma. Hoc unum iis qui volunt signum videre, crinitum sidus adduxisse sufficiat, *k* quod ævo nostro die quarta Decembris 1618. continuis prope tribus mensibus sub auroram, & ilico post mediam noctem se conspiciendum præbuit: cujus cauda seu flagellum, ut accuratè optici observarunt, supra quingenta milliaria in longi-

g Marci. 13. *h* Beyerlinck theat. tit. Cometa. V. Causs. de domo Dei. lib. 3. c. 12. *i* Strada. a. 1578. *k* Thomas Fienus. Ericius Puteanus de cometa.

tudinem protendebatur. Hæc autem ignea virga, non minùs quàm illa Moysis fatalis, Italiæ, Hispaniæ, Germaniæ aliisque Europæ partibus spectabilis fuit; ac derepente ubi, ubi præfulsit, consecuturas velut ancillatas juratasque pedissequas calamitates præcinere ac præmonstrare comperiebatur. Testis est Bohemia, Hungaria, ac universa Germania; testis Italia, testis Hispania, Lusitania, Catalonia, tota Francia, Anglia, Scotia, Hibernia, testis denique bellorum omnium palæstra, tanto sanguine cruentum, tot cadaveribus funestum Belgium. Prænuntium quoque fuisse funerum magnorum Principum, nemo inficiabitur, qui attenderit non multò post feralis hujus signi conspectum, Mathiam Imperatorem, Paulum V. Pontificem, Philippum III. Hispaniarum Regem, & Albertum Brabantiæ Archiducem è vivis sublatos fuisse: ut mihi jure liceat cum Augustino sapientissimæ Sanctitatis viro, Cometam *a Cœli linguam* nuncupare, quæ noctu & interdiu omni præcone argutior, clamat: *b Indignatur ecce dominus, & irascitur, & quod ad Deum non convertamini, comminatur. Indignamini indignari Deum, quasi aliquid boni malè vivendo mereamini. inter ipsa adversa, quibus vix coarctata & conclusa anima respirat, vacat malos esse?* Nati Patris monitiones contemnimus? supplicii imminentis signa videmus. *c* Documento hîc esse poterit sagax Caroli V. Imperatoris pronuntiatum, qui conspectâ ejusmodi crinitâ face, quidnam portenderet, ab Eginardo Philosopho & Historico studiosè percunctatus est: subverebatur, enim, quod verè accidit, mortem sibi præsagire; cui Eginardus illud Hieremiæ pro responso objecit: *d à signis Cœli nolite metuere, quæ timent gentes.* Sed retorsit sapientissimus Imperator: *Se non metuere signa, sed signorum opificem Deum, eumque vel ea propter venerari, quòd lacessitus hominum sceleribus, Reges & populum hac ratione præmoneat, priusquam feriat, ut ad pœnitentiam eos provocet. e* Ita & Albano jure metum incutere poterant visæ illustri nocte geminæ per cœlum acies bello paratæ, hastisque coruscantibus infestæ; quæ prodigia, ut Strada annotavit, Orangii exercitum imminentem, Gheusiorum cædes ac latrocinia, longamque bellorum ac miseriarum Iliadem denuntiabant: *f* ipsumque cœlum hoc anno sanguinem pluens, scelera populi cruentis lachrymis flere videbatur. Nec sua homines scelera flere norunt, ut quod olim Hieronymus, *g* (*cujus eloquium ab oriente usque in occidentem ad instar lampadis resplenduit*) hîc liceat usurpare: *h ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Romanus*, inquit, imò & totus *orbis ruit, & tamen cervix nostra erecta non flectitur.* Utinam non inopino fato, sed suo tandem scelerum pondere flectatur & flectatur & frangatur; *i* quemadmodum Alexandro Florentiæ Duci evenisse legimus: eâ in urbe, ex-

a August. de tem. serm. 30. in ephiphan. fer. 2. *b* Cyprian. tract. 8.
c Corn. Gemma lib. de Cometa. an. 1575.

d Hier. c. 10. *e* Famian. Strada an. 1568. *f* Strada cit. *g* Aug. contra Iul. c. 7. *h* Hieron.
i Strada an. 1536.

ceptâ

ceptâ regio apparatu Margaritâ, dum nuptiarum solemnia cum Alexandro repetuntur, inter connubiales epulas, deficiens, repente sol, convivas exterruit. Prodigii id loco fuisse eventus comprobavit: Alexander enim quantùm Cæsaris affinitate prætumidus, tantùm in mulierum amores incautè atque impotenter effusus, frustra evitatis aliunde insidiis, à Laurentio Mediceo propinquo, ac voluptatum ejus conscio, quâ delectabatur escâ facilè captus: atque in spem, sive speciem liberandæ patriæ, septimo principatus anno, nuptiarum evoluto nondum primo, est interfectus. Utinam hunc lucis defectum cum fortunâ suâ brevî occasurâ composuisset, & cum Carolo, signorum moderatorem ac scelerum monitorem agnovisset, illustrius vitam instituisset & clausisset.

Hæc *a prodigia in cœlo sursum*, quibus ut Nierenbergius ait, cœlum nobis minatur, & Deus se memorem nostri commendat, & nos immemores sui arguit.

Licet in cœlo illustriora sint, *b Signa in terra deorsum* non pauciora conspiciuntur: monstra cœlestia Cometæ sunt, nec tamen credo minùs animalium prodigiis interminatum nobis & cautum, quàm cœlestibus. *c* Mulæ partus prænuntius Babylonicæ servituti fuit. Fugam Xerxis, editus ab equa lepus præmonstravit. Parricidium Julii, sine corde, bovis exta. Romanam à Lusitanis cladem; sicut & aliquando Lusitanam à Romanis, editus ab equa centaurus, cujus anteriora tauri erant, extrema equi. Pridie quàm interficeretur Cæsar, alitum pugna cædem prædixit. Quibus attexit Famianus *d* noster, futurarum calamitatum prænuntium exstitisse, puerum, Leodii, natum bicipitem, quadrupedem, quadrimanum: quo portendi, canebant monstruosum fœdus, complurium populorum viribus conflandum, quod brevî sanè conflatum est. *e* Mitto hic Alexandro super mare, diadema turbine excussum, mortem denuntiasse; *f* statuam Divi Pauli, quam Adrianus Imperator ei erexerat, uberrimè flevisse, cùm ei exitium impenderet: brevî enim has lachrymas sanguine suo diluit. Fuerunt, qui in ipso utero, lucis timorem, & mala obventura fletibus indicarunt. *g* Flens in utero natus est, teste Fabricio, qui hunc & versibus illustravit, & baptismo adstitit. Nostris etiam his paucis annis, clarissimè vociferari auditus est alius in hac ipsâ urbe Uratislaviâ, homo in omni suâ vitâ postea miserrimus. Anno 1546. Infans in utero materno flevit, unus in Misniâ, alter Rotevilæ; eo verò anno bellum fuit Protestantium cum Cæsare. Hæc aliaque Nierenbergius in historia naturæ commemorat, ubi addit, quod hęc præfatio vitæ & lachrymatio, cæteras vitæ partes prædicet, ac prædictet.

Sed quid ea prodigia ac præsagia sectamur? Cùm vix utero soluti, elatâ voce infantes, noctes atque dies flentes & ejulantes, satis testentur in vallem se lachry-

a Act. 2. *b* Act. 2. *c* Euseb. Nieremb. hist. nat. l. 1. c. 4.

d Strada a. 1568. *e* Plut. Art. *f* Baron. 1185. *g* Nierem. hist. nat. l. 3. c. 23.

marum, in locum flentium expositos, suarum miseriarum vates ac præcones esse, magno contestante Augustino, *a dum infantia*, inquit, *non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodammodo.*

Nunc ad alia inanimata, non minùs tamen vocalia signa transeamus. Delectationi, sed & publicæ utilitati ac politiæ servit præludium, quòd in primariis emporiis ex summa turri, aut urbis curia, complura minuta campanilia argutè moderantur ac modulantur, hac fini, ut priusquam horologium ingentem principis campanæ malleum sustulerit, horamque pulsu signarit, velut attentionem captent, ac horam proximè sonantem, ceu signo dato, præmoneant.

Haud aliter qui tempora & momenta habet in suâ potestate, prius manum sceleribus gravem, quàm ad feriendum sustollat, signa certè sonora satis, æra, inquam, campana, quæ gravissimis calamitatibus portentoso sono præluserunt, mortalium auribus fecit insonare.

Continuum miraculum Hispaniæ, est campana Vilillæ, de qua Varius sic scribit l. 2. de fascin. cap. 14. In regno Hispaniæ, in oppido Vililla nuncupato, Cæsaraugustanæ Diœcesis, campana quædam est quam miraculorum appellant. Hæc per aliquot menses, antequam aliquid adversi in Christianâ Republicâ contingat, ex seipsâ, nemine impellente, pulsatur. Cujus rei testimonium per publicos tabelliones, testibus plurimis adhibitis, hisce oculis, inquit, P. Eusebius Nierembergius, *b* egomet legi, & Mariana lib. 21. de rebus Hisp. c. 10. pluribus contestatur. At quid opus, inquit, aggerere Auctores, cùm testatissima res sit, & ipse quater aut quinies nostris diebus audiverim pulsatam. Similis campana inter Japones admirabilis, tumultus futuros præsignificans. His tamen quid majoris ac melioris prodigii esse videtur, signum campanæ quempiam certæ mortis jam jam imminentis, præmonere, & velut insonare illud Joannis: *c novissima hora est. Morieris tu, & non vives.* Quod ferali quidem, sed veraci sono, variæ per Hispaniam campanæ ultro pulsatæ prænuntiarunt. *d* Ita Joannes Lupus Episcopus Monopolensis, scribit campanulam in Monasterio Camorensi Patrum Prædicatorum, triduo ante obitum alicujus Religiosi, sponte sua solitam pulsari, etsi nemo tum temporis decumberet lecto. Idem Auctor prodit consimilem campanam fuisse in Monasterio S. Dominici Cordubæ, quæ ultro insonans, portendebat aut fratris, aut insignis alicujus viri, ejusdem Monasterii fatum. In Germaniâ quoque ejusmodi campanam, spontaneo pulsu alicujus Monialis obitum præsignare compertum est. Quid hîc existimatis Auditores? Ubi hæc fatalis campana insonuerit, num quemquam oscitare, genio indulgere, scelus anhelare ausum arbitramini? Quin potiùs quisque se designari ratus, extemplo omnes animi latebras

a l. 21. de civit c. 14.

b Nierem. hist. nat. de Miracul. nat. in Europ. l. 1. c. 8. pag. 391.

c 1 Ioan. 2. Psal. 38.

d Nieremb. cit. l. 1. c. 12.

discu-

discutere, lachrimis & exhomologesi expiare, ritè se præmunire, ad actus contritionis recurrere, disponere domui suæ, in cinere & cilicio mortem operiri satagit.

Sed expostulantes hîc quosdam audire mihi videor, in hisce partibus ea signa desiderari, mille se votis talem mortis instantis monitorem exoptare, neminem non quantumvis profligatæ vitæ, illud Prophetæ usurpare, domine *a fac mecum signum in bonum*, Aut illud apud Matthæum: Domine *b volumus à te signum videre*. vultis non unum? Non obscurum, non longè dissitum, sed in hac urbe nostrâ non semel in anno, noctes atque dies Deum ejusmodi signa nobis designasse ostendam? Neminem vestrûm latet in singulos dies ære campano, sub obscuro vespere signum dari, quod *novissima hora* sit, portas urbis occludendas; accelerandum, currendum, & prædia & pocula deserenda, campana monet. Nunc verò dum indies bene mane, dum summo vespere funestum campanarum pulsum super vitâ functum exauditis, an non satis superque hoc signum admonet, portas tibi vitæ hujus brevî claudendas; juvenem talem, puellam, senem, jam urbe ac patriâ receptum? Accelerandum tibi ne excludaris. Hoc qui sibi signum ponit, is quoties feralis hic campanæ sonus exaudietur, in animum inducet, suosque commonebit: *c filioli novissima hora est*, *de poort-klock luyt* (quem fructum præsentis argumenti uberrimum duco) sapienter sibi cum sapientibus prospiciet, ne audiat illud: *d nescio vos, clausa est janua*. Quid quod campanæ hujus pulsum, non à foris, sed domi nostræ, & intra nos audimus, juxta illud Gregorii *e pulsat dominus cum jam per ægritudinis molestias, mortem vicinam esse designat*. An non advertimus ex pulsu arteriæ, mortem accelerare? An celer & præceps anhelitus, non properandum suadet? An non dominus dum per ægritudinis molestias caput pulsat, renes pulsat, assiduâ palpitatione cor pulsat, imò vel dentem pulsat, *mortem vicinam esse designat?* Audi quod fidâ relatione accepi ex literis P. Christophori Wiltheim, 6. Julii 1647. quæ sic habent: adjungo aliquod memorabile de morte Galassii, Cæsaris Generalis. Deus Galassio instantem mortem, uti solebat precari, denuntiavit hoc modo: Lintzii laborabat magno dolore dentium, cui leniendo dentem vitiatum evelli curasset, nisi medicus improbasset. Indormiscit Galassius, & paulò pòst experrectus, sensit ultro dentem illum in os decidisse, signatum effigie Sandapilæ, quam tegebat mortualis pannus, albâ cruce ut solet, per medium & ad latera protentâ. Dentem hic nihil tale notans, medico spectandum præbet: stupet medicus picturam, & stupet dentem (erat quippe molaris) sponte defluxisse, & omnem insuper dolorem cessisse. Advertit Galassius medicum attonitum, repetit dentem & ipsam Sandapilæ notam conspicatus, exclamat hoc

a Psal. 85. *b* Matth. 12. *c* 1 Ioan. 2.

d Matth. 25. *e* Greg. hom. 13. in Euang.

esse quod tot orationibus postulasset, certo sibi in eo constare, brevî moriendum esse. Descendit Viennam valens, laborat nephritide, adhibet chirurgum qui calculum à spintére semoveat, amovet sed læsâ aliquantum vesicâ: hinc gangrena quæ mortem illi non invisam nec invitam, sed prævisam & præoptatam ipsâ S. Marci luce attulit. Hæc ille.

Sed erunt fortassis qui hæc omnia potiùs dormientium somnia & bona nomina quàm vera vigilantium omina existimabunt, quos fortè magis feriet, quod Guilielmo III. Duci Bavariæ Historici *a* accidisse ferunt. Audiebat & erat Guilielmus Pater pauperum, hominumque Religiosorum omnium tutor: quem vitâ functum, etsi omnium voces siluissent, pro funere satis laudassent tot complorantium voces & lachrymæ: hic, inquam, laudatissimus princeps ubi è Concilio Basileensi, cui Cæsaris loco præerat, Monachium rediit, somnium tale habuit. Videbatur sibi videre eminentissimæ staturæ cervum, qui altero quidem cornu *campanulas*, altero accensos cereos præferret. Fugientem hanc feram, venator, & canes certatim insequebantur; interclusis omnibus evadendi viis, territum animal in cœmiterium Divæ Virginis profugit: hic sepulchrum inhumando homini apertum, præcipiti cursu irruens cervus, captus & occisus est. Evigilavit his visis Princeps, & quid sibi hoc somnii vellet, secum ipse disquisivit. Altero die quid somniasset, suis etjam proceribus enarravit. varias habuit interpretationes hoc somnium, quibus auditis dux Guilielmus: ego, inquit, sum cervus iste, mortalem hanc vitam brevî finiturus, in illo ipso Beatæ Virginis Templo humari volo. Omnia ordine facta, & præsagia eventum habuêre. Mors arcu & sagittis instructa venatur, pro cornubus campanas insonare facit, optimum hominum perfugium ad ædes Virginis ad tumulos majorum: illic peccata defleamus, & tuti erimus. Quotidiana funera, non vana somnia, lugubris campanarum sonus, non somniantes sed vigilantes interturbat, & inclamat: hic annus tibi nobilissime domine, tibi potentissima domina, venusta puella, fatalis erit; hic mensis tibi Amplissime, Consultissime Domine, tibi perillustris Adolescens funestus erit; hâc septimana tibi dives mercator, tibi corpulente, tibi opulente, tibi avare senex, tibi formose puer postrema illucescet dies. crastinus heu quàm multis per universum orbem, illi in mari, illi in terrâ, uni in mensâ, alteri in lecto, huic ambulanti, alii somnianti, nec quidquam opinanti supremus futurus est, atque *inter populum frequenti clade morientem, nemo considerat se esse mortalem.*

Quare supervacaneum reor excurrere *b* in Burgundiam, ut quis in cœnobio S. Martini illic contempletur prodigiosum ichthyotrophium, seu piscium vivarium, cui quoties pisculus mortuus supernatat, mortem Monachi designari infallibili experientiâ comper-

a Ioan. Nyder l. 2. formic. c. 3. Drexelii prodrom. c. 1. §. 38.

b Cypr. tract. 1.

compertum habent. Non *a* Monachii in Germania monasterium visendum quod Barbara Bavariæ Princeps ingressa. Hanc rex Galliæ conjugem sibi petiit à Duce Alberto, fratre Germano Barbaræ; hoc cùm innotuisset puellæ, triduum deliberationi postulavit: & illo quidem tempore, remotis à se arbitris, cum solo Deo egit, ardenter sæpius precata in templo, divinæ voluntati explorandæ. Elapso triduo respondit: parentes me Deo donarunt, hoc ego donum non revocabo. Ita in cœnobio permansit. Vbi inter alia sibi concessa habuit Amaracum tam prodigiosæ magnitudinis, ut huic portandæ vix duo viri suffecerint. Grandem deinde caveam avibus refertam aluit. Sed & torquem aureum sub sacro velamine, nudo corpori applicitum gestavit. Verùm quatuordecim diebus ante obitum Barbaræ, Amaracus omnis exaruit; nocte altera omnes aves repertæ sunt mortuæ; tertiâ demum nocte medius torques se rupit. Barbara præsagi animi Virgo, Antistitam conveniens: hæc omnia, inquit, me petunt. Et paucis pòst diebus, cùm annum ageret decimum septimum, *b expresso signo Sanctitatis*, obiit die S. Joanni Baptistæ sacro, an. 1472. Post illustrissimæ hujus Virginis mortem, decimo quarto die, alia è Monialium numero defuncta est; hanc iterum aliæ atque aliæ moriendo subsecutæ sunt, donec viginti Virgines (quot fortè aves) ex eâdem Sacrâ familiâ certis intervallis obierunt. Non, inquam, tale petendum *c Signum à Domino Deo tuo*, cùm & fluviis hominum cadavera enatantia, & super terram congesti cumuli ac tumuli, in cœmiteriis mortuorum calvariæ, vivaciùs quàm pisces aut volucres, mortuæ, mortalitatis suæ quemque commoneant. Cæteris verò prodigiis (ut Amaracus exarescat, torques arcanâ vi rumpatur, volucres conticescant) mortis prodromi morbi, dolores, paroxismi, longè certiùs prænuntiant; quibus omnem formæ venustatem exarescere, florem vitæ demeti, tenacitatis vinculum quo auro & argento adstricti erant, dissolvi; omnes denique aurium animique illecebras emori, in seipsis manifesto omnes præsentiscere coguntur. Vt verissimum sit illud Plinii: *d innumerabilia sunt mortis signa*, quæ omnia nihil aliud monent, quàm dispone domui tuæ, *e morieris enim tu & non vives*. Hoc, ne incautus obruaris gentilis Seneca Christianè inculcat, & incusat, *f quòd nihil nobis mali antequam eveniat proponimus, sed ut immunes ipsi, & aliis pacatius ingressi iter, alienis non admonemur casibus illos esse communes. Tot præter domum nostram ducuntur exequiæ, de morte non cogitamus? tot acerba funera; nos togam nostrorum infantium, nos militiam, & paternæ hereditatis successionem animo agitamus*. Ex quibus luctuosam hanc conclusionem inducit: *necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur*; necesse est graviùs percutiamur, qui moniti plagas non devitamus; necesse est debitas sceleris

a Chronica Monasterii Monachii Drex. prodrom. c. 3. §. 20. *b* Eccl. 45.

c Isa. 7. *d* Plin. lib. 7. c. 51. *e* Isa. 38. *f* Seneca consol. ad Marciam c. 9.

pœnas incurramus, qui post crebras minas, post varia intentata pericula non resipiscimus: cœlestem credo genium præstolamur, qui tempus mortis certò denuntiet, quo securiùs per omnem vitam lasciviamus. Audi hoc in genere stupendam quam Florentinus Pontifex recenset historiam.

a Prænobilis Adolescens supra mortales curas sese attollens, humana paulatim contemnere, seriisque studiis ad æterna tendere occœpit: scilicet angebat hic animum metus, ne morti quondam, si quâ improviso raperetur, imparatus inermisque occurreret. Eam ob rem assiduas preces, vel certè suspiria crebra funditabat, quibus unum hunc favorem à superis eblandiretur, ut divinitus moneretur & insidiantem à tergo mortem tempestivè exspectare posset. Hæc tam pia postulata à Deo impetravit, & genium suum tutelarem in conspectum habuit, qui asseveravit è vita priùs non abiturum, quàm nuntiis à se præmissis monitus, accingi supremo itineri plus triduo posset. Hoc nuntio accepto non opprimendum incautum, cœpit se ludis ludicrisque dare, ubique relinquens *b* *signa lætitiæ*; ac tandem per abrupta vitiorum præceps, in deterrimum repente evasit; nec jam parentes, non propinqui, non Magistratus valuerunt à vitæ licentia revocare, quibus hoc unum ut clypeum objiciebat: prius ego, quàm mors occupet, resipiscam. Evenit ut iter illi in vicinum oppidum esset, in quo itinere è saltu latrones in hominem involant, per quorum micantes gladios, subditis equo calcaribus non sine vulnere in tutum anhelans æstuansque se subducit. En primum mortis nuntium, quem in hac tantâ mortis viciniâ nec respexit innuentem, nec audivit increpantem. Sed condono hunc tibi stuporem: mox alterum, quæ cœli facilitas; monitorem habebis. vixdum vulnus in cicatricem coïerat, cùm efferatæ mentis adolescens navi conscensâ, mare sudo, liquidoque cælo ingreditur; in altum provectos tempestas excepit: alii clamare, manus tendere, scelerum veniam rogare, vitæque mutationem spondere. Solus hic noster, quamvis palleret vultu, animo tamen obstinato, nec salutis anxius, nec scelerum memor perstabat. Interea desævit tempestas, sic tamen ut hæc maris rabies monentis satis vices egerit. His periculis perfunctus non multo temporis intervallo, post acutos capitis viscerumque cruciatus, febris hominem adorta, quæ paucis diebus ita confecit, ut pro deposito conclamaretur: medici, parentes, propinqui, Confessarius de præsenti discrimine commonere; urgere lachrymis, precibus, consiliis, maturè curam salutis suscipiat. Durat & perstat Adolescens stolidus nuntium exspectare, qui mortem jam dudum in visceribus grassantem, nuntiaret. Cùm ecce tibi tutelaris genius, errorem animo excuteret, quasi nullum monitorem habuisset. Quem ut æger agnovit, audiitque vitæ vix breve momentum superesse. perturbatus cœpit expostulare, ut qui præmissis triduo

a S Antonin. 2. part. summæ tit 9. Bidermanni acroam. l. 3. acroam. 2.
b Sap. 2.

duo ante nuntiis monitum iri se crederet; cui tranquillè Angelus, quàm fideliter pactis steterit, quàm tempestivè monuerit, quos nuntios submiserit, exponit: cùm nuperrimè, per latronum sicas, & paulò pòst in mari per naufragia, ac tandem per morbum suo judicio, ac judicio medicorum lethalem corripi, triduum est; medicos instigavi qui mortem indicarent, contempsisti; parentes subordinavi, qui monerent, rejecisti; Curionem legavi qui suaderet, exclusisti; & tamen nuntios ad te meos venisse negas: & adhuc fidem quam fregerim, incusas?

Secundum hæc verba ex oculis evanuit, & Adolescens cùm quod acciderat, circumstantibus ægrè recensuisset, infelix animam exhalavit. Quid ad hæc Auditores? Annon ipsi hoc querimur, nobis nuntios deesse? Cùm oculis nostris sexcentos quotidie videamus, qui moriendi necessitatem denuntient. Alii super alios assiduè conclamantur, efferuntur, sepeliuntur: nec exemplum soli sunt senes, aut plebis quisquiliæ pauperes, aut pontis inquilini centones. Sed & in hoc proscenio ludunt pubescentibus annis adolescentes, & plenis viribus juvenes, & nobiles & divites: utique theatrum est; in quo agi tragœdiam hanc spectemus, ubi quot Actores quotidie numeramus, tot mortis nostræ, non è longinquo minitantis, sed cervicibus jam imminentis nuntios assiduè, monitoresque audimus, atque utinam audiamus! *a Quoties aut ad latus, aut post tergum ceciderint, exclama non decipies me fortuna, nec securum, aut negligentem opprimes; scio quid pares, alium percussisti, me petiisti.*

a Seneca consol. ad Marciam. c. 9.

I nunc & signum quære in profundum inferni, sive in excelsum suprà. I nunc querere, *b signa nostra non vidimus.* In quos meritò insurgit Apostolus: *c An divitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis? Ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ubi* Origenes: *divitias bonitatis Dei ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerunt, & quomodo pane omnes declinantes, & simul inutiles facti, latam & spatiosam perditionis ambulant viam. Si quis consideret quanti, in Deum quotidie blasphemant, & in cœlum extendant linguas suas. Iam quid de fraudibus, de sacrilegiis, & piaculis dicam? Si quis ergo hanc bonitatem Dei, & sustentationem ejus & patientiam contemnit, ignorat, quòd per hac ad pœnitentiam provocatur.* Cujus rei argumentum pleniùs ac planiùs ex illo regii vatis oraculo deducemus.

b Psal. 75. *c* Ad Rom. 2.

§. II.

Dedisti timentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus. Psal. 59.

INvehitur gloriosus Doctor Hieronymus in enormes ac execrandas Manichæorum blasphemias, qui ausi Deum, (cujus natura bonitas, cujus opus misericordia) severum, truculentum, crudelem, sacrilego ore lacessere; nixi hoc prophetæ Amos vatici-

nio: *a Si erit malum in civitate quod non fecit Dominus.* Omnia signa, omnia ostenta & portenta, pestilentiæ, fames, prælia, terræ motus, dissidia, eversiones urbium, conflagrationes, tempestates, morbi, mortes, quidquid denique in terris noxium, virulentum, miserum, luctuosum ac funestum est, horum omnium Deum ex se, & per se, quovis Pharaone ac Nerone crudeliorem auctorem profitentur. Quid ad hæc Hieronymus? *b Nota,* inquit, *quòd clemens & benignus Deus semper futurâ prænuntiatione cogatur inferre supplicia, & quod hæretici calumniantur in Creatore quasi severo & truculento crudeli, & tantum judice (eò quòd nullum sit malum in civitate, quod ille non facit) hoc nos referimus ad magnitudinem misericordiæ, quòd non inferat pœnas nisi ante prædixerit. Qui autem prædixit, non vult punire peccantes,* Sed instar jaculatoris ne quem feriat, clamat per Prophetas, præcones, concionatores, ut fugiant: rectè enim observat continuò subnecti: *c quia non faciet dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.* Quod pluribus confirmat dicens: *d revelavit Noë servo* suo quòd esset inducturus diluvium. Vindex Deus non ex abrupto puniit, non ex insidiis peccatores obruere voluit, nec protinus vivendi spatium, primo in flagitii fervore præsecuit, sed resipiscendi moras concessit; concionatorem eis Noëmum constituit, quem Beatus Petrus Justitiæ præconem aptè indigitavit. Interim arca futuri supplicii signum manifestum ob oculos versabatur, spectabant ingentem ad ejus fabricam apparatum, malleorum ictus aures continenter percellebant, prodigium hactenus inauditum ipsam concionari cathedram, ut Rupertus loquitur: *e prædicante ipsis publica arca fabricatura,* ignorare non poterant centum annorum opus, Deum ipsum esse Architectum. Tantum pabuli pro tot feris undequaq; comportabatur, non dubium prædictæ calamitatis argumentum; ipse tot ferarum ac animantium confluxus, quid aliud quàm illam ipsam quæ imminebat orbis eluviem portendebat? Adhæc Noë impiorum aures assiduo obtundebat clamando, monendo, minando, hortando ut fugerent *à facie arcus,* jam in nubibus dispositi. Hæc verò concio non viginti solùm aut triginta annis, non septuaginta tantùm aut octoginta, sed ipsis centum viginti annis tenuit, aut ut Chrysostomus: *f* “à primis incunabulis per quingentos omnino quos vixit annos, omnibus qui tunc erant, Doctor calamitatum clamando exstitit. Idem sentit & consentit Magnus Basilius: *g Erat,* inquit, *facile vel absque ligno Noëmum salvare; sed ipsum primum constituit lentum arcæ ædificatorem.* Causam subdit: *ut vel ex visis concepta formidine, intuentes ad pœnitentiam traherentur. Erat & hoc divinum in hominum gratiam commentum, invitamento ad pœnitentiam.* Ab omni ævo in omne ævum, semper

a Amos. 3. *b* Hieron. in Amos. c. 3. *c* Amos. 3. *d* Hieron. cit.

e Rupert. in Genesin. l. 4.
f Chrysost. tom. 1. hom. 21. & 22. in Gen. *g* Basil. orat. 5.

per veriſſimum illud Hebræi vatis: *a miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Mirabilem prorſus ſe Juſtitia Dei exhibet, longè mirabiliorem longanimitas & miſericordia. Poſt tot annorum & olympiadum decurſus, nec dum impatiens Deus, necdum vi agere, & ſceleratos interimere, imò novam ſupremi termini dilationem conſtituere, & ita promulgari jubet: *b adhuc enim & poſt ſeptem dies ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Adhuc enim, adhuc unam do hebdomadam ad reſipiſcendum: properate, pœnitentiam agite, ad finem feſtinat clepſydra, vicinus eſt interitus, reſipiſcite. Nemo quidquam horum, quin imo alia omnia cogitabant, etiamnum ridebant & jocabantur, libidinis flamma aquarum minæ non reſtinguebant, vitiorum cœnum imminens diluvium eluere non valebat. Hæc miramur & indignamur, nec advertimus Noëmi tempora rediiſſe: nam *c ſicut in diebus Noë erant comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes,* ita modò vivitur. Non unum Noë, ſed quàm plurimos per omnes urbes divini verbi præcones ſubmiſit. verùm quid tot per quadraginta dies, & annos concionibus ac cohortationibus promovetur? Quoties hæc & ſimilia inculcantur: *d niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Divina hæc oracula ſunt, *e Non vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, ne penitus pereat.* Interim juſtiſſimè propheta queritur: *f dedit Deus homini locum pœnitentiæ, & ipſe abutitur eo ad ſuperbiam.* Alius abutitur ad temulentiam, alter ad laſciviam. Nihilominus noſtis quàm blandè Deus noſter *g longanimis & multùm miſericors* illis comminetur: ſignum non dabitur eis niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Ecquodnam illud? Signum hoc Dei miſerentis, patientis, longanimis ſuper malitiâ populi ſui. Signum hoc exſpectantis, excitantis, invitantis ad pœnitentiam. *Intendit*, inquit Cardinalis Cajetanus, *Ieſus dare verè ſignum futuræ eorum ruinæ, propter eorum obſtinationem.* Jonas Neptuno victima in aquas præcipitatus, & ab immani ceto in eſcam exceptus, triduum hoc vivo carcere latitavit, donec cetus bolum hunc indigeſtum in littus ejecit, ut Ninivitis concionaretur, & everſionem poſt quadraginta dies futuram prædiceret. quærit hic Chryſoſtomus: *h cujus rei gratia (ô Domine) quæ facturus es mala, prædicis? Vt non facias*, reponit Dominus, ut convertaris à viâ tuâ peſſimâ, ut revertaris ad Dominum Deum tuum. Ita olim per egregium illum proprio ſanguine purpuratum Eccleſiaſten *i B. Petrum Martyrem*, exclamavit, qui hoc uno argumento, hac inquam, Jonæ comminatione è ſuggeſtu fulminando, totam commovit Italiam, ut Mediolanum, Parmam, Cremonam, & urbes alias opulentiores aggreſſus, more Ninivitarum pœnitentiam, eamque publicè in conſpectu omnium, agere cives compulerit. O ſi quis

a Pſal. 144. *b* Gen. c. 7. *c* Matth. 24. *d* Luc. 13. *e* 2 Reg. 14. *f* Iob. 24.

g Pſal. 102. Matth. 12. *h* Chryſoſt. hom. 1. de pœnit. & hom. de Jona. *i* Sur. in vita. Uvvenus in Jonam c. 3. lect. 5. n. 4.

nunc

nunc ſpiritus tanti viri & virtutis hæres, hanc cathedram occuparet, & primarias Belgii, civitates affatus, quâ olim ratione Niniven Jonas, & Mediolanum Petrus, eos quoque, quos illi, facere poſſet motus animorũ! *a* Ad hoc Deus bellorum claſſicum canit, ad hoc fundamenta terræ concutit, ad hoc per præcones ſuos clamat, ut ingenti fragore ac motu peccatores percellat. *b Immortali ingenio* Origenes, de Ninivitis loquens: *noluit*, inquit, *cum ſilentio punire damnatos; ſed dans eis locum pœnitentiæ & conventionis, miſit ad gentes Prophetam, ut dicente illo, adhuc qaudraginta dies ut qui condemnati fuerant, non perirent, ſed agentes pœnitentiam, impetrarent miſericordiam Dei.* Expende illud: *noluit cum ſilentio punire.* Ecquis unquam hoſtem feriet, ſi priùs clamet ut fugiat? quis prætor furem comprehendet, ſi præconem præmittat, qui hunc advenire nuntiet? quis jaculator avem dejiciat, ſi ſummo ſtrepitu & clamore ſylvam compleat? quis præceptor diſcipulos tumultuantes deprehendat, ſi vocis ſono, aliove ſigno adventum declaret? Vnde Baſilius: *c Clementiæ Dei peculiare hoc eſt, non clam aut ſilenter ingerit ſupplicia, ſed per comminationes ea prædicit adfore. Per hoc peccatores invitans ad pœnitentiam.*

Noluit cum ſilentio Dominus primum parentem noſtrum deprehendere; ſed adventum ſuum ingerit, ſtrepitu, & concuſſione arborum, ac vocis ſono terribili manifeſtare, ut ſacræ paginæ teſtantur, *d cùm audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo.* Pererius hic „ ait fuiſſe ingentem quendam terrificumque ſonitum ac fragorem, quo Deus adventum ſuum Adamo, præſignificare voluit. Subdit enim: quòd Deus qui antea pacatè & blandè conſueverat Adamo apparere, tunc ei ſe repræſentarit formidabilem & terribilem, & quaſi peregrè advenientem, ac velut irâ tumentem tuentemque, & ſuo ingreſſu concutientem terram, ipſaſque Paradiſi arbores preſſis veſtigiis tremefacientem. Quorſum hæc? *cauſam hanc reddit:* ut confiterentur, deique miſericordiam & veniam implorarent. Hinc dum vociferatur: *Adam ubi es*, non ſunt verba ignorantis, ſed invitantis; ſunt patris quærentis filium perditum; ſunt medici quærentis ægrotum. "

Ezechiel Deum vindicem non ligneo ſed igneo curru vehi depingit; ſic tamen ut à longè edat ſigna adventus ſui, quaſi fugam agreſtium per tubas, & exercitus appropinquantis denuntiaret. *e Audiebam*, inquit Propheta, *ſonum alarum, quaſi ſonum aquarum multarum* (ad littora allidentium) *quaſi ſonum ſublimis Dei: cùm ambularent, quaſi ſonus erat multitudinis, ut ſonus caſtrorum*, id eſt, ut interpretes *f* exponunt „ quaſi ſonum tubæ clangentis, quæ erat ſignum & inſigne adventus Dei in caſtra. *g Dedit timentibus ſe ſignificationem, ut fugiant à facie arcus*, quem quidem *teten-*

a Hieron. de ſcript. Eccl. *b* Orig. hom. 1. in Hierem. vide hic Lanuza hom. 13. §. 1. n. 3.
c Baſil. in c. 5. Iſa.

d Gen. 3. *e* Ezech. c. 1. *f* V. Cornel. hic. *g* Pſal. 7.

dit,

dit, sed necdum adducit ut sagittam evibret: *hæc verba, arcum suum tetendit, non vindictæ sunt*, inquit Theodoretus, *sed comminationis; gladium suum vibrabit, non percutit: tetendit, non emittit sagittam.*

Ita Hierosolymam destructurus: *a tetendit funiculum.* Et alibi: *b extenditur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum; & perpendiculum in desolationem.* Ecquis umquam murum aut domum ad perpendiculum non minus lentè destrui, quàm exædificari conspexit? *c Multo in tempore ædificia extruuntur, subitò destruuntur; è converso fit in Deo; velox Deus struens, tardè destruens.* Civitatem Jericho eversurus, hæc mandat dominus Filiis Israël: circuite urbem cuncti bellatores semel per diem; sic facietis sex diebus, septimo autem die sacerdotes tollant septem buccinas, & conclamabit omnis populus vociferatione maximâ. Videtis quàm non latenter, non in silentio, non statim primo die, aut momento obruat. Singularem Dei clementiam extollit Chrysostomus: *d sex diebus Deus cælum terramque fecit, montes, flumina, paradisum, omnem hunc visibilem mundum, & qui in eo est ornatum, sex in diebus consummavit. Hic igitur tam velox in construendo, cùm cœperit unius urbis demoliendæ consilium, inventus est bonitate tardus. Vult Hiericho demoliri & dicit ad Israël: circuite eam septem diebus, & octava die cadet murus. Mundum universum sex in diebus construis, & unam urbem septem in diebus solvis.* Causam hic ex rei naturâ petitam adducit Serrarius in illud Jeremiæ: *e Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis:* quæ obsecro architecto, ex eorum quæ construxit ædificiorum ruinâ, voluptas? Quæ figulo ex eorum quæ finxit vasorum confractione? *f Deus*, ait Sapiens, *mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum.* Si quis Dominus, proprium castrum aut ædes demoliri, mercator in tempestate merces præcipitare, parens prædilectis liberis suis manus inferre cogatur, quàm cunctanter ac reluctanter id peraget? Threnorum 2. *cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion.* Emphasim habet illud *cogitavit.* Quasi antequam plectat, secum deliberando expendat, & auscultet si fortè sit qui resipiscat, aut intercedat. Intonat ac fulgurat: *nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit.* Vbi observandum, inter Christi patientis Symbola, *auriculam super gladium*, passim exhiberi; nostis quo sensu disertissimus Belgii Ecclesiastes eo usus sit? Deum inquiebat aurem gladio applicare, & auscultare priusquam feriat, si vocem, si gemitum pœnitentis percipiat.

Quòd si divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnant, meminerint, quò diutiùs arcus tenditur, & adducitur, eò validiùs sagittam emittere. *Videte*, inquit Augustinus, *g quid sit in arcu; nonne sagitta in priora mittenda est, nervus tamen retro retenditur in contrarium, quà illa mittenda est, & quantò plus erit ejus*

a Thren. 2. *b* Isa. 34. *c* Chrys. hom. 5. de pœnit.
d Chrys. cit.

e Jerem. 29. *f* Sap. 1.
g Aug. in Ps. 59.

extensio

extensio retrorsum, tanto majore impetu illa currit in priora. Quid est quod dixi? Quantò magis differtur judicium, tantò majore impetu venturum est. Quantò magis justa numinis vindicta differtur, graviore pœnâ languidas pensat moras: *a sicut enim est aliquando misericordia puniens, ita est crudelitas parcens.* Hoc luculentis testimoniis, & tragicis historiis comprobare possem, eos qui frequentes Dei commonitiones, comminationes, terriculamenta, surdâ aure exceperunt, tandem repentino interitu ad æterna inferorum supplicia abreptos fuisse; è quibus, ne longior sim, unum ad terrorem omnium induxisse sufficiet. *b* Sacerdos Anglus vir in paucis doctus ac Religiosus, adeoque fide dignus, retulit mihi, inquit Historicus, in Provincia Lancastrensi notum sibi hominem, cujus nomini parcendum duxit, ut & familiæ parceret. Alebat hic domi pellicem, cujus amoribus adeò implicitus erat, ut vix expediri posse videretur. Submisit benignus Deus opportunos monitores amicos, aliosque, ut se expediret dæmone illo familiari atque domestico: non expediit tamen, nec vivos bene monentes audiit. Ad mortuos igitur ventum est: affuit enim ex orbe altero ad hunc missus monitor, anima scilicet pii parentis jam vitâ functi, qui in amœnâ noctis imagine, sese filio spectandum præbuit, & hæc illi paucis pro paterno in eum affectu:

Redde te fili acceptis à patre legibus atque institutis; redde conscientiæ; redde Deo; & domesticum illud malum, pellicem, inquam, è domo, ex oculis, ex venis depelle: hæc ubi dixit, abiit è conspectu; at non abiit adolescens à viis suis pessimis, sed iis magis ac magis visus est insistisse: cumque Moysen & Prophetas per divini verbi præcones non audierit, *c neque si quis ex mortuis resurrexerit credet*, ut eventus docuit. Rursus etenim nocte alterâ sopito adfuit parens, & ad monita minas addidit, adjecitque in signum fatale ac mali prognosticum, futurum ut ipsâ Divi Martini die è vivis excederet, & daretur inferis, nisi vitam mutaret in melius. Non mutavit tamen, nec verba monentis audiit; nec minas aliquo loco habuit; imò petulanti joco jactare cœpit, ea esse somnia Papistica, & puerorum terriculamenta. Adeo miser & miserabilis hic adolescens mortui monentis, ac minantis, jamque destinatum æterno exitio diem denuntiantis portenta, temerarius contemptor elusit. Porrò ut se ipse ac suos falleret, ipso D. Martini Episcopi festo, convivium apparari jussit insano sumptu, & inter pocula, ebriasque mensas explodere cœpit objecta sibi in somnis spectra. Sic dissimulante cœlo, hilaris & multo vino madidus abiit D. Martini dies: imò & nox impuris amoribus data, solitæque veneri. Vbi primùm illucescere visa subsequens dies, & sol surgere, è strato surrexit ille, non ut à solutiore vitâ, ad arctiorem se reciperet, sed ut in cœlum, impias jactaret voces: ecce jam ut in

a Aug. ep. 52. ad Maced.
b Lobbetius in Quadr. Dom. 1. q. 9.
c Luc. 16.

aperto

aperto sunt somnia illa Papistica, ut dies, ut nox, quæ mihi debuit esse decretoria, & fatalis, non solùm innoxia effluxit, sed & hilaris atque amœna inter delicias, amoresque meos. Vix hæc dixerat, cùm in libidines præceps, in pellicis amplexus ruit & oscula, quæ dum incautus carpit, de repente solutis quasi totius corporis, nervorumque compagibus, averso capite mortuus concidit, & infelicem animam expuit; & quidem ut illi ostento sua fides esset atque authoritas, ipsâ die D. Martino Pontifici & Martyri sacrâ, quam ante prævidere potuisset, si Calendarium tam sedulò percurrisset, atque chartas lusorias: in eo enim legisset D. Martino Episcopo Turonensi, ipso dierum ordine supparem D. Martinum alterum, eumque Pontificem simul & Martyrem, qui pedo graviore feriret, mactaretque superis ac Deo rebelle caput. A quo velim posteros omnes probè monitos, ut sapere discant, monitores audire, & non temnere divos, denique, ut a *quorum facta imitantur, exitus perhorrescant.*

a Cic. Philipp. 2.



EMBLE-

EMBLEMA II.

Ioannes in Vinculis. Matth. XI.



[a] VINCULA SERTIS

DOMINICA II. ADVENTUS.

Immarcessibilis corona, adversitatis vinculis contexenda est.

§. I. *Quinam* vincti in Domino, *ferreis sibi vinculis corollam nexuerunt.*

§. II. [b] *Morborum, aliarumque afflictionum vinculis astricti, coronam texuerant.*

§. III. *Vinculis Religionis, nec non vinculo conjugali, corona gloriæ adaptanda.*

a Virg. Eclog. 6. b Eph. 4.

Ioan-

Ioannes in vinculis. Matth. 11.

CUm *a* Arcades olim inspectante Rege decertarent, confluxerant, ut fit, è Græcia, Perside, aliisq; Regionibus non pauci: quos inter unus aliquis percunctatus, quid rerum Arcades agerent? ubi olympia, ac certamina gymnica institui percepit; denuò quærenti: quodnam victori præmium obtingeret? Coronam oleaginam responderunt. Hic Tigranes Artabani filius, solertissimum illud epiphonema subjecit: in quos viros nos ad pugnandum congredimur, quos non pecuniarum, non auri; sed gloriæ, & honoris corolla, in generosissima certamina concitare solet. Etenim ut scitè Festus: *corona*, sic dictæ, quasi *cohonorent*. Quod ubi gentium Doctor expendit, sic paucis Christi athletas exhortatur: *b & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Coronam quisquis hanc amat, & ambit immarcessibilem in cœlis, eam sibi ipse hîc in terris, variis funiculis & vinculis nectat, aut plectat necessum est. Hanc nonnulli captivitatis vinculis; alii infirmitatis vinculis; alii tentationis vinculis; alii paupertatis, ac cujusvis adversitatis vinculis; complures vinculis Religionis; quidam vinculis matrimonii ac mandatorum Dei præclarè contexuêre.

a Herodot. l.8. Paschalius de corona l. 5. c. 6, *b* 1 Cor. 9.

§. I.

c Quinam vincti in Domino, ferreis sibi vinculis corollam nexuerunt?

PRimum quidem suo, eoque maximè luculento exemplo Principes Ecclesiæ comprobarunt: quorum vincula Orator aureus nimium quantum commendat exponens illud ad Epheseos 3. *Ego Paulus vinctus Christi Iesu*; & ad Ephes. 4. *obsecro vos ego vinctus in Domino*. ubi ait: *d magna dignitas hac, & regno quovis, ac consulatu major.* Vis eorum pretium appendere? expende quid addat, quàm supra tertium cœlum hæc vincula extollat: *quod si quis mihi vel universi cœli, vel hujus catenæ copiam, & optionem largitus esset, catenam hanc ego planè elegissem; si mihi cum Angelis, & iis qui prope thronum Dei sunt, standum fuisset sursum, aut cum Paulo vincto; carcerem utique praeoptassem. Nihil hac catena beatius; non ita beatum dico Paulum, quod in Paradisum raptus, atque quod vincula sustinuit: neque enim dicit, hortor ego vos, qui ineffabilia verba audivi; sed hortor vos, ego vinctus in Domino.* Vnde exclamat: *O beata vincula! ô beatas manus quas catena illa exornavit!* Fatebor equidem ingentis pretii fuisse catenam auream, *e* quam Huayna Peruanorum Rex sibi fieri curavit, longam septingentis pedibus: annulis connexam, quorum crassities brachiale, sive carpium adæquabat: tanti ponderis, ut ducenti juvenes eam movere non valerent. at unus annulus è vinculis Pauli, aut limatura catenarum Petri, hanc longè antecellit. Pergit porrò idem Doctor, Petri vincula deprædicare, cùm ait: *f Sic Petrus vinctus fuit, & ab Angelo solutus.*

c Ephes. 4.

d Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephes. 3.
e Nieremb. hist. naturæ pag. 140.
f Chrysost. suprà cit.

hic si mihi quispiam dixisset, elige, utrum velis? vis esse Angelus Petrum solvens, an Petrus vinctus; Petrus utique esse maluissem: majus hoc vinculorum donum est, quàm solem sistere, aut mundum movere, aut dominari dæmonibus eósque expellere. Ejusmodi præconia divinus Augustinus congerit, ex quo hæc delibasse sufficiat: *a meritò per omnes Christi Ecclesias, auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum* &c. *b* Anno 1272. 10. Martii obiit Boloniæ Princeps Henricus, Filius Frederici II. Imp. sepultus in templo S. Dominici, postquam 22. annos à parente detentus fuisset in carcere: peculiaris amicus Henrici, multùm egerat apud Imperatorem ut filium liberum dimitteret; imò promisit Imperatori in litrum, catenam auream tantæ capacitatis, quæ totum ambitum murorum urbis Boloniensis complecteretur. plus dico, sit quæ orbem ambiat, nihil ad compedes Pauli, nihil ad vincula Petri, pretii conferret. Quorsum hæc tam prolixa vinculorum encomia? ut quid compedes libertati, Regno, dominatui omni antistare, ferrum auro præcellere, sanctissimi Patres pronuntiarunt? norunt hi periti, rerum æstimatores, vincula sertis nectendis adhiberi: his necti coronam immortalitatis, quovis diademate præstantiorem, dum hanc laudum suarum caussam subjungunt. Antiochenus quidem Præsul: *c non enim caput ita splendidum reddit corona margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ propter Christum fertur.* Quid, quod ipsum Pauli gladium, ex Ibero chalybe sibi flecti optet in coronam: *sit mihi*, inquit, *gladius ille pro corona, & clavi Petri pro gemmis in diademate!* Hipponensis verò Antistes, in rem nostram non minus diserte: *d Felices illi nexus, qui de manicis & compedibus in coronam mutandi.* confirmat idipsum Cyprianus Martyr, dicens: *e non sunt vincula, sed ornamenta, quibus Sanctorum pedes non copulantur ad infamiam, sed clarificantur ad coronam.* Ac hodiernâ quidem die, felices ac fortunatas magni Baptistæ manus dicere possumus, quibus Messiam reparatorem universi, fontem gratiæ, baptismi lymphâ tingere datum est; feliciores quibus digito notare, signareque agnum, qui mundi peccatum tolleret; at longè felicissimas, quæ Dei caussâ vinculis, quasi murenulis aureis redimitæ sint. Doctrinæ nec non discursui servit, quàm variè varii Patrum in illud Canticorum luserint: *f murenulas aureas faciemus tibi.* Primò, quòd *g* catena sit, quæ significet connexionem omnium scientiarum: Secundò, per hanc catenam intelligi beneficia Dei catenata, juxta illud:

Munera corda ligant, animos hominumque, Deique.

quibus sunt obligati mortales, & devincti, vulgò *verbonden.* Fingunt Poëtæ, Herculem ex ore suo catenas aureas emittere ad aures adstantium, atque his trahere quò collibitum est; divinus Alcides Christus monstrorum domitor, non modò aures, sed & omnia mem-

a Augustin. Serm. de SS. 29. in festo Petri & Pauli serm. 5. *b* Perard. Dom. 2. Advent.
c Chrysost. cit.
d Aug. de SS. serm. 28.
e Cyprian. epist. ad Nemesium.
f Cant. 1. *g* Novarini Schediasm. pag. 83.

membra nostra, sibi obstricta, & devincta habet; dum unum quodque singulari beneficii vinculo sibi colligavit, ut nos totos ad se traheret, dum gratias creationis, conservationis, redemptionis, aliasque innumeras contulit, vermiculatas donis naturæ. *a* Philo Judæus per has murenulas, intelligit connexionem, & vinculum omnium virtutum: Stoici quippè asserebant, omnes inter se virtutes colligatas esse, juxta illud Tullii: *b omnes virtutes germanitate quadam inter se, & quasi quodam cognationis vinculo continentur.* quod Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 65. ar. 1. confirmat. Alias complures expositiones videre est, apud Cornelium, Salazarium, Gisslerium, aliosque. Suffecerit ad propositum nostrum, notare sensum Philonis Carpathii, qui per murenulas, accipit Martyria & „Martyres, qui catenati fuêre o„lim catenis ferreis, nunc aureis „in cœlo; suntque aurei ob cha„ritatis soliditatem, stigmatibus „flagellorum, clavorum, & tor„mentorum dispuncti. *c* Hinc Sanctissimus Patriarcha noster Ignatius, gloriatur *vinctus in Domino*, suasque manicas ac pedicas, omni torque pretiosiores ducens, exclamat non tot compedes, nedum Salmanticæ, at ne in universâ Hispaniâ, imo orbe toto reperiri, quin plures amore Jesu sui expetat: ubi enim Christum arctissimis vinculis constrictum, tibi spinis redimitum, intrasse in gloriam suam contemplatus est, non aliam sibi coronam nectere studuit, quàm sacro oraculo didicerat: *d coronans coronabit te tribulatione. e* Hinc Babylas Antiochiæ Episcopus & Martyr, jussit discipulos, ut catenas quibus corpore constricto, animus jam liber evolabat, quasi victoriæ insignia, & triumphi coronam, secum ad gloriam immortalem transituro, sepulchro conderent; nec injuriâ, cum de ejusmodi Christi athletâ Chrysostomus scribat: *f inviti eum coronabant catena.* Quid porrò Magnus Athanasius, de vinctis in Domino tradat, edisseram, ubi qui vir, & quantus in vinculis exstiterit, brevi elogio exposuero: Athanasii virtus senilis in puero; puerile nil umquam habuit, præter ætatem. Antonii magni discipulus, sub Chirone altero Christianus Achilles; æquè infensus Ario, ac Arius Christo: in omnibus ab eodem dissentiens, in hoc uno consensit, quòd uterque Athanasium nollet Episcopum, utroque tamen invito, tractus ad Infulas. Sed & *g habent redimicula mitra*, & sacræ tiaræ vinculis exornatæ fuêre; qui satis amari non poterat, incurrit in odia, ab hospitibus delatus ad hostes, nunquam non agnitus innocens, damnatus ut nocens. Sedem maluit mutare, quàm syllabam. sed hostes suos ideo in Athanasium Deus allisit, ut frangeret; invisum invidis lumen, ne extingueretur, abscondit; alto diu clausus in puteo, eum implesset lacrymis, nisi desiccasset ardoribus: sub Valente petitus ad necem, quatuor menses in patris sepul-

a Cornel in Cant. c. 1. v. 10.
b Cic. 2. Tuscul.
c Ribadin. in vita.

d Isa. 22. *e* Surius 24. Jan.
f Chrysost. hom. 10 epist. 1. ad Coloss. 4.
g. Virg. l. 9. Æneid.

chro

chro delituit, malens cum mortuis, quàm cum perditis vivere. quadraginta ſex Arianorum, ac totius propè orbis perſecutiones perpeſſus. vel ſic homine major, quòd omnes conſtanter pati poſſet. hic poſt tot certamina, vincula & carceres, ſic vinctos, ſibi hîc coronam nectentes hortatur: *a ſcio præmium, hîc qui ſuſtinent, retribuendum eſſe à Salvatore; & quòd vos, ubi ſuſtinueritis, habebitis gloriam, qua dicere licebit: fidem ſervavi. recipietis autem coronam vitæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe. b* Quare afflictionem Sancta Gertrudis, verè annulum deſponſationis vocitavit. Franciſcus Aſſiſias adverſitates ſorores ſuas, alter verò Franciſcus Borgias, amicos ac neceſſarios ſuos appellarunt. & ex ſexu fragili, Agnes agno nupta, inter vincula & tormenta, hiſce verbis, teſte Ambroſio, ornatum ſuum deprædicat: *c collum meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas, induit me cyclade aurea, immenſis monilibus ornavit me.* ego cum Propheta compedes, funes, catenas, dixero vincula charitatis, & à Deo nobis immitti, ut quædam divini amoris philtra, ſeu *minne-ſtrixkens*, quæ præſtigiatores, nodos veneris dixêre: *d necte Amarylli modo, & veneris dic vincula necto.* quibus devinctus amans ut amens, numquam non de amato cogitat, nec umquam abeſſe, aut divelli poteſt. Haud ſecus amator hominum *e in funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis.* ubi Villalpandus: *f in funiculis Adam traham eos, nempè doloribus & afflictionibus traham, quæ ſunt mei erga illos amoris pignora, propterea addidit: in vinculis charitatis.* hiſce vinculis à Domino, & in Domino vincti ſunt, qui morborum, tentationum, aliarumque afflictionum funibus conſtricti ſunt.

a Athan. orat. 1. contra Arian.
b V. Novarini Adagia num. 467. in vita.
c Ambr. de Virgin. l. 1.
d Virg. Eccl. 8. *e* Oſeæ 11.

f Villalp. in Ezech. c 6. Cornel. in Oſeæ c. 11.

§. II.

Ex hiſce vinculis corona texenda.

FErrea iſthæc generoſorum pugilum, qui in carcere bojam trivêre, gravia quibuſdam nimis, ac ponderoſa videntur; qui tamen ne coronam amittant, vinculis morborum à Deo captivantur, & ex infirmitatibus ſuis, quaſi lemniſcis ſerta contexunt. quæ ne longius petita dicantur, recens eſt *g* illud Virginis Lydwinæ: quæ ut formam integritati obeſſe vidit, dignum virgine rata eſt votum, deformitatem cœlo petere: audiit hoc, & omnia morborum examina miſit: iis ita gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere. ſed ſic illa demum formoſa Chriſto viſa eſt; & cum morborum funibus adſtricta, ne pedem efferre valeret, ipſum ſponſum cum Virgine matre ad ſe traxit. ſed & hæc *h vincula ſertis* ſerviiſſe cognoſcas: cum vigeſimum octavum in ſuâ infirmitate annum ageret (paſſa eſt autem cruciatus ſuprà quàm dici aut credi poteſt, graves, annos octo & triginta) ardens deſiderio Martyrii, in ecſtaſi vidit coronam

g Surius in vita Cornel. in epiſt. Jacobi c. 20. pag. 21. *h* Virg. Eclog. 6.

elegan-

elegantissimam quidem, ast imperfectam, nec dum in orbem penitus absolutam. quam ut compleret, obnixè Deum efflagitavit, plura morborum & adversitatum vincula suppeditaret. annuit divina bonitas, misitque milites, qui eam convitiis & verberibus malè mulctarent. ac tum demum cœlestis genius mirâ luce coruscans ad eam visit, hæc paucis enuntians: *Salve charissima soror, ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti.* hanc sibi corollam contexuit variis injuriarum ac morborum vinculis, 38. annis non pedem domo, nec cubili efferendo. ô novam captivitatem! quâ Deus arcanis nodis dilectos sibi obstringit. *a* celebre symbolum est, quod parthenii sodales, Collegii Rom. Societatis Jesu sibi delegerunt, dum virgini matri obtulerunt Magnetem, ex quo annuli arcanâ amoris vi, & secreto complexu sibi innexi, catenam referebant, subjecto lemmate: *arcanis nodis.* ad rem nostram. Fuit qui morbum Magnetem finxit, quo Deus ægrorum animos velut annulos, instar catenæ sibi colligavit, quam catenam ingeniosissimè D. Augustinus describit: *b magnetem lapidem*, inquit, *novimus mirabilem ferri esse raptorem: quod cùm vidi, vehementer inhorrui: quippè cernebam à lapide ferreum annulum raptum, atque suspensum. deinde tanquam ferro, quod rapuerat, vim dedisset suam communemque fecisset: idem annulus admotus est alteri, eúmque suspendit; atque ut ille prior lapidi, sic alter annulus priori lapidi cohærebat. Accessit eodem modo tertius, accessit & quartus: jamque sibi per mutua connexis circulis, non implicatorũ intrinsecus, sed extrinsecus adhærentium, quasi catena pependerat annulorum. Quis istam vim lapidis non stuperet? quæ illi non solùm inerat, verùm etiam per tot suspensa transibat, & invisibilibus ea vinculis subligabat.* Ita hominem quantumvis validum ac robustum, nullis extrinsecus funibus constrictum, cernis manibus, pedibus, cunctisque membris velut vinctum, ubi *invisibilibus* dumtaxat morbi cujusdam vinculis distinetur. Amabo vos captivum mihi in cyppo & compede, ac unà hominem apoplexiâ, podagrâ, aliâve gravi infirmitate dejectum contemplamini: uter horum expeditius se movere, longius procurrere gestiet? Inducit hic *c* M. Gregorius mendicum nomine Servulum, qui à primâ ætate usque ad finem vitæ paralyticus jacuerat, nec in lecticâ consedere, nec manum ad os deducere, numquam se in aliud latus convertere, nec omninò se commovere valebat; semper tamen dolore ingravescente, Deo laudes concinebat. ac tandem hisce morborum vinculis solutus, coronam adeptus est, ad quam texendam, hic manus expeditas habuit: addit enim S. Doctor: *longus languor brachia tenuit, sed tamen à bono opere non ligavit.* Alterum vobis in hac palæstra exercitatum, testem Jobum invoco, qui cap. 13. illud apud altissimum gravissimè queritur: *posuisti in nervo pedem meum.* S. Isidorus

a P. Sylv. Petra Sancta, in Symb. heroic. p. 400. *b* Aug. l. 21. de civit. c. 4.

c S. Greg. l. 4. dial. c. 14. & hom. 15. in Euang.

lib. 4.

lib. 4. orig. nervum propriè vinculum ferreum, Festus & Plautus passim compedes & bojam „ interpretantur. P. Sanctius hîc „ appositè nervum pro impedi„ mento sumit, quod hominem „ constringit & ligat, neque va„ gari sinit libero incessu; qualis, „ inquit, est podagra, quæ juxta „ suam notationem vinculum „ sonat, aut captivitatem pedum: nam secundum etymon ποδάγρα pedica vocatur, quia hac laborans, nihilo magis incedere valet; quàm si vinculis adstrictus esset. unde, inquit Chrysostomus, talis cum Paulo liberè exclamare potest: *a ego vinctus in Domino*, quandoquidem eum non secus ac Martyrem, corona maneat Martyrii: *Dic, quæso, cùm ardens febris te intus vexat & urit, & aliorum suadentium excutis incantationem, an non es redimitus coronâ Martyrii?* quam sibi texi visus est *b* S. Guilielmus Roschildensis in Dania Abbas, eximiæ vir sanctitatis: hic octo & triginta annos natus, cum lecto, supremo ex morbo affigeretur, per noctis quietem Angelos vidit, & coronam auro gemmisque distinctam apparere. petit cui illa destinetur? tibi inquiunt Angeli. quærit Guilielmus: quando perficienda sit? ajunt illi, dum passus fueris satis. quasi dicant, dolorum spinas nobis cœlo transmittendas, quæ à divinâ manu acceptatæ in flores, imò in gemmas, aurumque convertantur, ex quibus corona nobis gloriæ contexatur. Aureè Chrysostomus: *c quantò magis ingravescunt calamitates, tantò magis exuberant coronæ.* Quantò magis ingravescunt morbi, miseriæ, cruciatus; tantò uberiori copia cornu, flores exuberant, qui in coronam nectantur. Quòd si olim, ut piè *d* Franciscus de Sales adnotavit, sponsæ nullas die nuptiarum coronas florum gestare potuerunt, nisi quas ipsæ manibus suis legissent, & aptè in corollam colligassent; quantò potiori jure cœlestis sponsus, sponsas suas id æmulari desiderat? quas quidem invitat ad coronam, sed non aliam, quam propriis sibi manibus texuerunt.

Ita alios colligatos invenies *vinculo improperii*, *e* Job. 39. alios *vinctos in mendicitate*. Psal. 106. qui ut alter Propheta ait: *vinciantur funibus paupertatis*, quibus cum regnum cœlorum promissum sit, longè ditiores sunt *f* Glycerâ illâ, quæ plectendo & colligendo vinculis corollas, *sustentaverat paupertatem*. nec quisquam demirabitur, horum quempiam sibi nectere coronam in cœlis, qui his funiculis, unum *g vinculum perfectionis* contexuit in terris. Hoc qui volet, ex illo probet Chrysostomi, quòd hisce funibus, passiones ut rabidæ feræ alligentur. *h quemadmodum*, inquit, *alligatam bestiam non ita timemus, ut emissam, ita etiam vitium non timendum in afflictione; tunc enim alligatum est animi ægritudine, & aliis vinculis.* millus seu vinculum, quod collum molossi cingit eundem tuetur, & lupos arcet. unde *i* Nicolaus Ursinus Pitiliani comes,

a Chrysost. hom. 3. in epist. 1. ad Thess. c. 3.
b In vita.
c Chrysost. ep. 3. & 4. ad Olymp.

d Sales directeur spirituel c. 38.
e Job 36. *f* Plin. l. 35. c. 11. *g* Ad Coloss. 3. *h* Chrysost. in Psal. 9.
i Silv. Petra S. in symb. pag. 41.

&

& ſupremus Dux militiæ Venetorum, ſpondens fore ut Remp. defenderet, & ut ſimul convulneraret eos qui armis infeſtis auderent eam invadere, millum ſeu collare moloſſi ex corio, munitum claviculis capitatis pro ſymbolo extulit, epigraphe adjecta: *ſauciat, & defendit.* millus enim moloſſum defendit, & lupum præterea conſauciat, ſi ore hianti collum canis interſtringere voluerit. Scipio Æmilianus ita populum Romanum allocutus aliquando fuiſſe perhibetur: *nobis Reique publicæ præſidio eritis, quaſi millus canis.* Longè plus efficaciæ habere cenſenda ſunt adverſitatis vincula, ut tartareum lupum arceant, animamque tueantur; ut meritò hiſce B. Agnes, quaſi *pretioſiſſimis monilibus* ornata glorietur. ubi illud obiter obſervandum occurrit, *monile* dictum eſſe à moneo, quòd omnis, qui eo donabatur, moneretur fidelitatis, & amoris mutui. vel ut alii à verbo *munio*, quòd hoc quaſi munirentur contra illicitos amores, alioſque pudicitiæ inſidiantes procos. Ita & amator hominum Chriſtus, adverſitatis vinculis ſuos optimè commonuit ac communivit.

Cudit & divinus amor alia vincula, quæ non manui ſed menti, non corpori ſed animo injicit, graves nempè tentationum, infeſtationum, ac diabolicarum inſidiarum catenas, quibus implicitos Apoſtolus monet, velut torque aureâ condecoratos, exultare debere, dum ait: *a omne gaudium æſtimate, cùm in tentationes varias incideritis,* Quod ne cuipiam paradoxum videatur, ſubdit Bernardus: *b quoties reſtiteris, toties coronaris.* ut manifeſtè comprobat Ruffinus in vitis Patrum lib. 3. nu. 104. ubi refert quemdam fratrem exagitatum fuiſſe à cogitationibus ſuis per annos novem, ita ut metu ipſo deſponderet de ſalute ſuâ, & adjudicaret ſemetipſum dicens: perdidi animam meam: jam quia perii vadam ad ſæculum. qui cum abiret, venit ei vox in viâ dicens: tentationes, quas in novem annis ſuſtinuiſti, *coronæ tuæ erunt*, revertere ergo in locum tuum. Id ipſum & nobis ſtimulo eſſe voluit S. Auguſtinus, ut cum alacritate hæc vincula geſtemus, nec diſſolvi poſtulemus: Etenim *c cùm reluctamur*, inquit, *concupiſcentiæ, non peccamus ſed coronamur.* Propheta regius variis interioris animi anguſtiis, ac doloribus oppreſſus, nihilominus in iis gloriatur, & cantat: *d funes ceciderunt mihi in præclaris.* ubi Caſſiodorus, funes ait eſſe triſtitias & afflictiones, quibus mens ejus conſtringebatur; convertebantur verò in præclara, *perducendo ad reſurrectionis æterna munera. e* Edocuit hoc diſcipulus cujuſdam Anachoretæ, cui is ſurripiebat, quidquid bonus ſenex labore manuum corrogabat: quin & jam viribus deſtitutum, & graviſſimo morbo divexatum neglexit, ſprevit, nec quidquam officii deferre voluit. Cum interea ſenex eum ne leviſſimè umquam reprehendit, ſed ad finem vitæ, apud ſe commorari paſſus eſt. &

a Jacobi c. 1.

b Bern. ſerm. 5. de Quad. *c* Aug. l. 2. Gen. c. 14. *d* Pſal. 15.
e In vitis Patrum. Ponnequin Amour divin part. 3. c. 27.

ecce jam moribundus, illius pervicacis discipuli manum exosculatus est dicens: *hæ manus mihi coronam texuerunt.* Alii illud Psalmi: *funes ceciderunt mihi in præclaris*, ad votorum vincula, quibus Religiosi arctissimè se Deo obstringunt, referre non dubitarunt. quæ vincula extollens Hieron. *a Christi*, inquit, *vincula voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus.*

a Hieron. epist. 127.

§. III.

Vinculis Religionis, nec non vinculo conjugali, coronam gloriæ contexendam.

Religionem Doctor Angelicus, suffragante Augustino, à religando deducit, sic enim docet: *b ut Religionis naturam cognoscere valeamus, hujus nominis originem inquiramus. nomen igitur Religionis, ut Augustinus in libro de vera Religione innuere videtur, à religando sumptum est. Illud autem propriè ligari dicitur, quod ita uni adstringitur, quo ei ad alia divertendi libertas tollatur. sed religatio iteratam ligationem importans, ostendit ad illud, aliquem ligari, cui primò conjunctus fuerat, & ab eodem distare incœpit. & quia omnis creatura, priùs in Deo existit, quàm in seipsa, & à Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens secundum essentiam per creationem, ideo rationabilis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primò conjuncta fuerat: & ideo Augustinus dicit in libro de vera Religione: religet nos Religio uni omnipotenti Deo.* Quod fit per tria votorum vincula, quibus dum liberè corpus & animam captivamus, necessitatem nobis gravissimam inducimus, ne unquam à Christo, cui obligati sumus, recedamus, neve *funiculus* ille *triplex* disrumpatur. Similitudinem Platus *c* à vitibus desumit; vites enim aliæque teneriores arbusculæ vinciri solent ad stipites firmiores, à quibus sustinentur, sic homines si naturæ instabilitatem, & levitatem agnoscunt, quam agnoscere omnes debent, facilè intelligent, nihil salubrius esse posse; quàm si hanc adeò instabilem & incertam voluntatem defigant in Deo, votique sponsione stabiliant, quâ ejus numini in perpetuum obligentur. Quod ne cui fortassè grave videretur, præclarè Bernardus toto passionis tractu, Christum viti comparavit: *d Quis vincula*, inquit, *nostra vitis non videat? videamus tamen hoc vinculum; primum obedientia fuit, obedivit enim patri, usque ad mortem; obedivit matri & Ioseph, secundum vinculum uterus virginis, tertium in præsepio fuit, juxta illud: vagit infans inter arcta conditus præsepia, membra pannis involuta, virgo mater alligat, pedes, manusque, crura, stricta cingit fascia.* ubi quis non videat, tria Religionis vincula obedientiæ, castitatis, & paupertatis perfectissimè contineri?

Legimus Gen. 22. cum Isaac immolandus esset, pedes ac manus vinctum fuisse; nec dubium quin ipsius consensu: nullæ enim patris jam grandævi vires id potuissent in filium ætate & robore florentem. Igitur cum ita animo paratus esset, ut hic ipse consensus testatur, quæ fuit causa, cur vel pater

b S. Thom. opusc. 19. c. contra impugnantes Dei cultum & Religion.

c Platus de statu relig. l. 1. c. 30.

d Bern. vitis myst. seu tract. de Pass. c. 4

pater filio, vel ipse quoque filius, sibi vincula adhibenda judicaret? nimirum ut illa bona & recta voluntas, iisdem quasi nexibus Deo devinciretur, ne ullo deinde casu aut perturbatione elaberetur, aut diffugeret. *a nectit filio*, inquit Ambrosius, *manibus suis vincula Pater, ne refugiendo filius, & vi ignis exustus peccatum incurreret.* huic consentit Augustinus: *b vincitur innocens hostia, ne offerentis devotio putaret se minus aliquid exhibere, si impatientia doloris, victima recalcitraret.* Quare non timidè sed fortiter egit Isaac, dum hanc sibi necessitatem induxit, quâ semper vellet, nec posset non velle, Deo obtemperare. quod de omni Religioso Augustinus: *c Felix necessitas quæ ad meliora compellit.* Rem in simili dilucidè exponit D. Anselmus: *sæpe*, inquit *d evenire videmus, ut cùm secandus est aliquis, alligari se prius velit: insuper etiam contestetur, nolle se solvi, etiamsi petat. Itaque si postea accidat, ut dolore adactus clamet, ut solvatur; sector tamen pergit, donec curatione peracta, ipse quoque ægrotus gaudet se non auditum, proficitq; ei sectio, quanquam invito animo admissa, & tamen in ipso quoque ejulatu non tam medicinam, quàm medicinæ asperitatem recusabat. simillimè igitur is, qui initio Religiosum jugum spontè subiit, seque aliena potestati quasi medicandum tradidit, etiamsi deinde quædam incidant à quibus voluntas abhorrere videatur; perfert quia vinctus est, & illud ipsum medicamentum, quanquam non adeò libenti animo receptum, prodest tamen & sanitatem adfert, quam fortasse solutus refugisset: ut denique depulso morbo gaudeat etiam, sibi non aliter licuisse.* hactenus Anselmus. Cùm igitur ad obstringendam fidem nostram, quam Deo debemus, nullum sit vinculum majus & arctius, quàm voti, manifestum est, quod *e non oportet solvi à vinculo isto*, ullo umquam tempore, aut ullo tentationis impetu illud confringi, nosque dissolvi ab eo, cui tam arctè obstricti sumus: nam si quis columnæ alligetur, non tam is columnæ, quàm etiam columna ipsi alligatur: sic qui se Deo adstringit, vicissim etiam sibi, quodammodo Deum obstringit, ac devinctum habet. Hinc est quòd Petrus Blesensis Alexandrum Monachum Carthusiensem, à Religione divortium meditantem perstringit: *unde hoc tibi ut recedas à loco cui te Religionis voto, & stabilitatis vinculo obligasti?* non ultra tempus abeundi, *nunc voti vinculo adstrictus, & ipsi Christo crucifixo obligatus es.* meritò igitur ad hæc saluberrima vincula etiam ultrò induenda, nos hortatur Spiritus sanctus, & invitat his verbis: *f injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris in vinculis ejus.* quibus religiosi omnes devincti, *equites torquati* redduntur. unde non minùs ingeniosè, quàm religiosè unus aliquis hæc vocabula: *paupertas, castitas, obedientia*, hoc Anagrammate commutavit: *hu reoptanda est ea captivitas. g* Imò

a V. Fernand. in Gen. c. 22. b Aug. serm. 72. c Aug. epist. 45. ad Armentarium.
d Ansel. lib. similit.

e Luc. 13. f Eccl. 6.
g Lancicius opusc. spirit. 11. c. 30.

centies, & millies, ut testatur P. Jacobus Gerrutus Italus, qui quo se arctiùs Deo adstringeret, ter millies per diem vota renovabat. Symbolicè verò tria hæc votorum vincula depicta vidi; vinculum paupertatis, per sarcinam byssi, quæ viii cannabi ac stuppeis funibus colligatur, epigraphe: *a quæque latent meliora puta.* vinculum castitatis, per uniones, quos genius filo aureo adunabat. Epigr. *b*

His addunt vincla decorem.

vinculum obedientiæ, per cymbam Myoparoni alligatam Epig. *c usque sequar te.* His vinctos in Domino, animando alloquitur Ambrosius: *c qui fers jugum Christi erige cervicem; redimicula geris, non vincula.* Graviora longè pro nobis sustinuit Christus, pergit ea enumerare Bernardus: *d quartum vinculum fuit funis, quo ligabatur, cùm caperetur ita enim habes: tunc injecerunt manus in Iesum, & vinxerunt eum.* prorumpit hîc in amarissimas querelas Doctor mellifluus: *ô Rex regum & Dominus dominantium! quid tibi & vinculis? e bene quidam Rex, cùm percussus sagitta, peteretur ut se ligari permitteret, donec excinderetur, quia levissimo motu mortem posset incurrere: non decet, inquit, vinciri regem. libera sit regis & semper salva potestas. O Deus Deorum! quantum ergo derogatum fuit libertati, & potentiæ tuæ! tot adeò ligaris vinculis qui solus ligandi & solvendi potestatem habes. video oculis mentis te Domine Iesu, tam duris nexibus adstrictum, tamquam latronem trahi ad Iudicium principis sacerdotum, & inde ad Pilatum: video & perhorresco, & admiror: & admirando deficerem, nisi quod liquidè cognosco, te priùs in corde, charitatis nexibus fuisse constrictum, qui ad deteriora vincula sufferenda te leviter attrahere potuerunt.* Et hæc nos attrahere non poterunt, ut vincula religionis, quæ Christus nobis in torques, & diademata commutavit, induamus? Hisce vinctus in Domino nos hortatur idem Bernardus: *f vinciamur ergo vinculis passionis bone Iesu, ut etiam vinculis charitatis, cum illo vinciri possimus. ipse vel vinculis charitatis devinctus, ad suscipienda vincula passionis, de cœlo tractus in terras; nos è contrario qui de terris trahi desideramus ad cœlum, priùs passionis vinculum nostro capiti colligemus, ut per hoc, ad charitatis vincula pertinentes, unum efficiamur cum ipso, secundùm quod oravit patrem dicens: rogo pater ut quos dedisti mihi, sint unum in nobis, sicut & tu & ego, unum sumus: Est enim*, ut alibi docet: *g spiritus ipse indissolubile vinculum charitatis. Quid hac unitate gloriosius? unum cum sponso tu eris. Hac unitate se Apostolus Christi vinctum sentiebat, cùm dixit: quis separabit nos à charitate Christi &c.? optemus totis desideriis, hujus charitatis vinculis, sponso & Domino nostro colligari.* ut quemadmodum *h* Batavi scitè in numismate expresserunt, vincula nodis constricta, hoc lemmate subjecto: *nec viribus ullis:* ita Religiosum Deo triplici funiculo, arctisque nodis obstrictum, nec tribulatio,

a Ovid. Metam. l. 1. *b* Horat. l. 1. Sat. 9. *c* Ambr. in Psal. 118.
d Bern. vitis mystica tract. de Pass. c. 4.
e De Alexandro M. Curtius l. c. 11. de Cajo Mario Plut. in Apoph.

f Bern. cit. *g* Bern. ser. 1. in oct. Paschæ. *h* Lukius lib. Numism.

nec tentatio, nec humiliatio, nec afflictio ullis viribus valeat separare. Quo fiet ut supremus cœli Imperator, Religiosorum collo, velut aureolam singularem, torquem aureum pretiosissimis virtutum gemmis distinctum injiciat: quod Magnus Gregorius innuere videtur, alludens ad illud Psalmi: *ut audiret gemitus compeditorum.* cui alterum versum connectens, dicit: *a sanctissimi viri non incongruè compediti dicuntur, quia ligati vinculis disciplinæ Dei, nequaquam ad ea quæ exteriora sunt vagantur. de his namque compedibus scriptum est. injice pedes tuos in compedes ejus, & in torques illius collum tuum: quia profectò, cujus à pravitate gressus compescitur, ejus fides sanctarum varietate virtutum adornatur.*

Tandem ad alia Conjugatorum vincula veniamus, cùm hac tempestate non unum reperire sit, *b cui vincla jugalia curæ.* quem sciscitari juvat: *quid est duorum vita conjugum? jugum.* Quo jugo Eheu! adeò duro multi onerati sunt, ut S. Chrysostomus virum & uxorem comparare audeat duobus servis fugitivis, qui sunt inter se catenâ colligati: ut etiamsi hero suo se eripiant, alter tamen alterum sequi cogatur, nec ab invicem sejungi possint. Hoc vinculum innuit Paulus: *c alligatus es uxori? noli quærere solutionem.* unde sanctissimus Doctor sic scribit: *videsne rei necessitatem & inexorabilem servitutem? vides utrumq; funiculis constrictum? est enim connubii necessitudo instar vinculorum.* Cui consonat illud Basilii: *d quicumque à mundi vinculis liber esse desiderat, conjugium velut compedes fugiat.* Norunt impliciti, & *vinculo conjugali* adstricti, quàm durum, quàm ferreum, quàm adamantinum hoc matrimonii vinculum sit, nullâ vi humanâ dissolvendum, mortis dumtaxat falce dissecandum. sic tamen, ut has quantumvis graves catenas, charitas ac amor mutuus in funiculos byssinos, hæc vincula ferrea, si inconcussa, si infracta, inviolata æquanimiter ac hilariter secundum Dei legem tolerentur, in coronas ac diademata convertat. Hæc Ambrosii Doctrina est: *e quodam enim vir & mulier nexu inter se amatorio copulantur, & quibusdam invicem sibi habenis amoris adstricti sunt, bona igitur vincula nuptiarum, sed tamen vincula, etsi vincula, tamen vincula charitatis.* Quò referri potest illud Augustini: *f ferrea vincula sunt, ament & aurea erunt.* sic ut numquam per mutuas rixas & jurgia, horum vinculorum strepitus, harumque catenarum stridor audiatur: sic ut numquam per incontinentiam, infidelitatem, adulterium, hoc vinculum violetur: sic ut numquam legem Dei prævaricando, cui *g vivente viro alligata est,* hos nexus infami divortio rescindere nitatur. Atque ita fiet ut corona quæ initio nuptiarum fuit florea, per charitatem in fine vitæ, laurea imò aurea reddatur.

Denique ut funem abrumpam, mortales omnes vinculis mandatorum Dei adstricti sunt, quorum vel unicum confregisse, coronam immortalitatis violasse est. ob-

a Greg. in Psal. 101. *b* 4. Æneid.
c 1 Cor. 7. *d* S Basil. constit. monast. c. 1. Rufh. c. 1.

e Amb. l. 3. de Virg. *f* Aug. in Psal. 150. *g* Ad Rom. 7. 1 Cor. 7.

servastis, ut opinor, plus vice simplici, apud pharmacopolas unguenta pretiosa, aromata, aliaque exquisita pharmaca, probè desuper clausa ac funiculis constricta, ne quis odor exhalet, subtilior spiritus evaporet, aut etiam ne qua pulveres aut sordes inficiant. Ita Numerorum 19. *vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, erit immundum.* ligaturam desuper non inconcinnè præclarus Ecclesiastes, *a* mandatum Dei, quod nos arctissimè obstringit, interpretatur; *Lex* enim, ut inquit Tullius, *b vinculum est.* hac quisquis ligaturâ caret, immundus est, ac ilicò omnem virtutum fragrantiam, ac gratiæ succum, quæ vinculis attinetur, amittit. Testatur ipse, de quo inpræsentiarum agimus *Ioannes* (id est gratia) *in vinculis* quæ nisi concludatur, ac funiculis mandatorum Dei vinciatur, evanescit. divinum hoc studium est, non laxare habenas ad libertatem carnis, sed potius restringere, & amabilem inducere servitutem. pedes, inquit *Iansenius c* ille Gaudensis, constringuntur, cum pravi affectus cohibentur, collum, cum superbia incurvatur; manus, cum à malis Dei timore arcemus. alacriter denique hæc divinorum præceptorum vincula gestando, *d ne acedieris vinculis ejus.*

Hoc vinculo colligatæ sint manus, ne ad aliena extendantur, ne tactu impudico contaminentur. Hoc vinculo constricti sint pedes, ne ad popinas, ad prostibula, ad effundendum sanguinem procurrant. sed sint *e pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad Paradisum dirigantur.* de quibus purpuratus Martyr exclamat: *ô pedes! ad præsens in sæculo ligati, ut sint semper in cælis apud Deum liberi.*

Hoc *f fune ligabis linguam*, ne in verba lasciva, calumniosa, detractoria, liberè evibretur, omnia denique membra ita constricta sint, ne ullum mandatorum Dei vinculum rumpendo, à Christo in æternum separetur. Quod Jeremias olim gravissimè questus est: *g scito & vide quia malum est & amarum, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. à sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non serviam.*

Quin potius in hæc vincula, colla & manus ultro inseramus, in has compedes spontè pedes conjiciamus, quo æternis Christi amplexibus devinciri possimus: ad quos Licentium sic paucis Augustinus hortatur: *h Deus quos primò alligaverit, & exercitatoriis quibusdam laboribus edomuerit, solvit postea liberatisque sese donat ad fruendum: & quos primo temporalibus nexibus erudierit, postea æternis amplexibus alligabit. Quo vinculo nec jucundius nec solidius cogitari quidquam potest. Prima hæc aliquantulum dura esse confiteor, illa vero ultima, nec dura dixerim, quia dulcissima sunt, nec mollia quia firmissima.* Hæc vincula induamus, non sunt tam gravia, quàm vincula Petri; non sunt tam ponderosa,

a Pise tom 1. Dom. 2. Adv. *b* Cicero l. 3. de finib. *c* Iansen in Eccl. c. 6. v. 26. *d* Eccl. 6.

e Cyprian. epist. 72. ad Nemesian. *f* Iob 40. *g* Ierem. 2. *h* Aug. epist. 39. ad Licent.

ut catenæ Dominici Loricati, non tam molesta, ut catenæ Eusebii, quæ ducentis libris ferri ponderabant, eas tamen noctu diuque gestabat.

Exosculemur hæc cum Loiolâ, deprædicemus illa cum Paulo, moriamur in illis cum Babyla. illis nos ad se attrahet sponsus cœlestis, & imponet nobis coronam gloriæ, quam hisce vinculis contexuimus. *a Veniamus ô dilecti*(invitat orator aureus) *ad vinculorum horum zelum & æmulationem. quæcumque mulieres aurea induistis monilia, Pauli desiderate vincula. non sic vobis circa collum fulget collare, ut in ejus animâ fulget ornamentum ferreorum vinculorum. si quispiam illa desiderat, hæc odio habeat. Illa vincula reverentur Angeli, hæc vero etiam ludificantur. illa vincula solent à terrâ ad cœlum tollere, hæc vincula à cœlo deducunt ad terram.* Quod ne cui mirum videatur, hominem compeditum è carcere ad solium, è vinculis ad coronam conscendere, illud Ecclesiastis pro conclusione documento sit: *b quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum. c* Michaelem Balbum Leo Imperator indecorè, & magno despectui habebat, utpote carcere opaco clausum, & vinculis ferreis constrictum; ipse verò Leo, rerum apicem nactus, impiè vitam agens, impunè regnabat, singulis quibusque probis injurius, imò & Deo, de fide Christiana perversè sentiens. Tandem superis, & hominibus exosus, à sicariis trucidatur, & æmulus ejus Michael Balbus, eductus è carcere; & catenis adhuc pedes constrictus (si quidem earum claves Leo asservabat) solio imponitur, & etiamnum ferro vinctus, Imperator salutatur. Res profectò insolens, videre coronam, sceptrum & vincula concordare; caput diademate redimitum fuit dum adhuc vincula manus & pedes constringerent. *d* Insolens & illud, Agrippam à Tiberio, Romæ in vincula conjectum, & vestigio mortuo Tiberio à Cajo vinculis exutum, Judææ & Samariæ Regem coronatum, insuper pretiosissimo munere ab Imperatore donatum, catenâ nempè aureâ, quæ pondo æquabat ferream, quâ pridem vinctus fuerat. Ludum hunc insolentem fortuna interdum, & perquam raro ludit, ut è vinculis ad coronam educat; at divinæ providentiæ hîc frequentissimus non nisi vinctos, adversitatis, Religionis, mandatorum Dei vinculis, ad regnum evocare: sic ut numquam non, per hæc vincula ad coronam perveniatur, teste Doctore gentium: *e si compatimur, & conregnabimus.* Quam viam ad coronam certissimam demonstravit re & nomine Sapiens dictus, *f Carolus V. Galliarum Rex:* qui ut indolem filii sui Caroli exploraret, in unâ mensâ collocari jussit coronam auream & sceptrum, in aliâ gladium & galeam, filio alterutrum in electionem proponens. Hic juvenis Princeps singulari & supra puериles annos sapientiâ, ad gladium accurrit, galeamque prensavit. Causam rogatus, non minus sapienter

a Chrysost. ad Colosſ.4. hom.10.
b Eccl.4. *c* Baron.an.Christ.820.

d Josephus antiq. Iud.l.18.c.8. & l.19.c.5. *e* Ad Rom. 6.
f Corrozetus de dictis & factis memorab.

pienter respondit: *per hæc ad illa perveniri.* Ita plane sentiendum est, per vincula ad coronas perveniri: rectè quippè Tertullianus de corona militis cap. 5. *in capite quis sapor floris, quis coronæ sensus, nisi vinculi tantùm?* Quare neminem captivitatis suæ pigeat, neminem vinculorum suorum pudeat, quia a *vincula illius alligatura salutis.* nemini denique illud Augustini excidat. b *floribus Ecclesiæ cœlestis nec rosæ, nec lilia desunt. Certemus nunc charissimi, singuli ad utrosque honores, amplissimas accipere dignitatum coronas, sive de virginitate candidas, sive de passione purpureas, vel de doctrinâ laureas.* Sive de vinculis mandatorum Dei, variis floribus distinctas.

a Eccl. 6.

b Aug. serm. 37. de sanctis.



EMBLE-

EMBLEMA III.

Vox Clamantis. Joan. 1.



RESPONDENT ULTIMA PRIMIS.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Mors argutè satis, & acutè, Echo vitæ appellatur, juxta tritum illud.

§. I. *Qualis* vita *finis* ita.

§. II. *Quibus in vita insuevimus, ea in morte placent & obversantur: quemadmodum quæ diurnis agitamus curis, recursant nocturnis.*

§. III. *Proborum somnia eorumque exitus felices.*

DOMINICA III. ADVENTUS.

Vox clamantis. Joan. 1.

CONsilium Silii Italici, non ignobilis poëtæ, fuit: ingenioso commendationis genere, Marci Tullii laudes explicare, dum eum à voce commendavit:

Tullius aratas raptabat in agmina turmas,
Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto,
Indole prô quanta juvenis, quantumque daturus
Ausoniæ populis, ventura in sæcula civem!
Ille super Gangem, super exaudi tus & Indos;
Implevit terras voce.

Vbi Romanæ eloquentiæ principem, laudare potuisset à Consulatu feliciter gesto, ab administratâ provinciâ, à vindicatâ ab interitu patriâ, aliisque permultis; his omnibus silentio pressis (fortasse quia hæc cum aliis habebat communia) eo solùm nomine commendatur, quod terras voce complevit.

Non absimili exornandi genere, Rupertus omnes Joannis laudes in angustias syllabæ collegit, dum dixit: *magnum est hoc præconium Ioannis, quia vox est. Hoc est quod dicere molitur Euangelista: quia sicut verbum cujusque nostrûm clarâ, vel sonorâ voce indiget, ut meliùs audiatur; ita Verbum Dei Caro factum, testificante Ioanne indiguit.* Cujus vocis vim, virtutem, energiam, clangorem, non humanæ facundiæ est enarrare! *a*

Non mihi si linguæ centum sint oraque centum,
Ferrea vox.

Quare ipsam vocem, sui (quo nemo major) decet esse præconem. Desertum disertum, ipsæ sylvæ, & antra encomium vocis *clamantis, amantis* resonabunt. Vbi non vulgaris nuper plaudente populo Ecclesiastes observavit, Joannem aptè Echonem nuncupari, qui etiam dum materno clausus in utero Christum *clamavit, amavit*: imò quod à Christo *factum, actum* à se voluit: Christus quippe venit *Saliens in montibus, transiliens colles*, atque adeò saltans describitur, dum cum matre per montana festinante, accessit Joannem: qui reipsa saltum exhibuit in utero; imitabatur nempe vox verbum. Vt verò illa echo amavit amantem, ita iniquitatem odio habuit, & ad ultimum spiritum uxorem fratris ducere cupienti, respondit *Herodi, odi.* Scilicet *b dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. Tibi plaudo, laudo.* Olim Q. Horatius Flaccus, cum vox repercussa, nomen amici ad aures adstantium reflexisset, exclamasse legitur: *c*

Quem virum! cujus recinet jocosa nomen imago?

Quem virum Joannem dixero? *ut eum utcumque exprimam*, inquit Clemens ille Alexandrinus: *d liceat dicere: vox est verbi. e* Quam

a Virg. Geor. l. 2. *b* Hebr. 1. *c* Hor. Carm. l. 1. ode 12. *d* Clem. Alexand. in exhortat. ad gent. *e* Boterus de origine urb. l. 1. c. 6. p. 796.

ut

ut altius, & sæpius resonantem audiatis, juvat viam Appiam inambulare, è qua prospectatur in colle turris rotundâ, ex pario marmore, eo artificio exædificata, ut si quis integrum hunc versum, a

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Pronuntiarit: Echo admiranda, eundem reddat integrum, & articulatim, octies ut minimum.

Semper honos, nomenque tuum &c. Nusquam gentium ejusmodi Echo auditur; quæ eo fine, tanto artificio excitata dicitur, ut in funere Cæciliæ Metellæ, plorantium ejulatus, *clamores*, & *amores* in immensum multiplicarentur. Hæc si modò ad mores referamus, hac longè argutior Echo resonabit, dum uti concentui virtutum, quem per omnem vitam Joannes gratissimum concitavit, mors velut suavissima Echo respondit ita vestrûm omnium mortem, Echonis instar, vitæ antea actæ respondere comprobaro, juxta tritum illud:

a Virg. Ecl. 5.

§. I.

Qualis vita, *finis* ita.

FVit olim in Scholis ventilata illa quæstio, quid sit mors? In qua itum est in varias sententias. Sophocles ad eam respondit: *mors ultimus est morborum medicus.* Et verò rectè; multis enim malis, & morbi molestiis finem afferre consuevit: & medendi, quam non docuit Galeni, aut Hippocratis schola, eam re ipsa probè edocet una mortis palæstra. Sotades aliter censuit: dixit enim *mortem esse mortalium omnium portum.* Credit ille, nos vita, seu turbido mari jactari, adversisque turbinibus, ac procellis concuti, tempestatibus ac naufragiis obrui; à quibus tuto esse non liceat, nisi in ipso vitæ portu, id est, in morte consistas. Socrates mortem dixit esse *somnum aut longinquam peregrinationem*, in qua animus à corpore liber, ac solutus peregrinatur. Ab eo vix dissentit poëta, cui *somnus frater est*, *& gelida mortis imago.* Tertullianus pro eâ, quâ fuit ingenitæ mentis solertiâ, styloque altiore, pronuntiavit: mortem esse *ultimam quæstionum omnium.* Digna tanto viro sententia; existimavit ille vitam hanc mortalem, scholam esse, lycæum, palæstram, in quâ variæ proponi, discuti, agitare soleant quæstiones. Has inter, omnium quæstionum ultima, & difficillima est mors; quia ejusmodi cui satisfacere ne unus potest, nec ullus Grammaticus declinare, quin succumbat; Philosophi omnes rediguntur *ad metam non loqui.* Dici etiam fortasse potest, mors omnium quæstionum ultima; quia in vita quæruntur multa: Quæritur enim, divesne quisquam, *& prisco natus Inacho?* Quæritur an multis titulis, & imaginibus illustris? An multâ armorum gloriâ celebris? An vario disciplinarum genere, doctrinæque supellectile probè instructus? Et alia ejus generis, quæruntur in omni vita: at à morte, silent omnes illæ quæstiones; ideoque mors quæstionum omnium ultima dicitur. Vbi enim contexta totius vitæ series, longiorque cursus; pro coronide, pro conclusione additur illud lem-

ma: *a & mortuus est*. Tum altum fit silentium. Dixit unus alius, & fortè veriùs, *mortem esse naturæ malum*, imò somnum malorum omnium. Quod Aristoteles expressit, cum ait: *b omnium terribilium terribilissima est mors*. Contra quem pugnat verissima illa Augustini sententia: *c mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit*: cui subscribit ille, & in rem nostram appositè, qui docuit, *d* quòd mors dicatur, & verè etiam sit, *Echo vitæ*. Vt enim Echo voci, ita mors vitæ respondet; si blandè vox insonuit, *e* si ad artis & musicæ numeros, & ipsa quoque blanda, & musica resonabit Echo. Sin autem absona, insulsa, aspera, hiulca, horrida vox intonuit; & ipsa quoque absonum quidpiam, insulsum, asperum, horridum, & triste reddet Echo. *f* Qualis Ticini juxta arcem Civitatis, ex ostio ter & decies responsare, vocibus, quæ reflectuntur, sensim emorientibus, auditur; interjectionem autem eheu, inquit, historicus; adeò languenti, & sensim deficiente remittit sono, ut extremus morientis gemitus esse videatur: *plangentis angentis*.

Quod in voce, ut Echone audis, hoc in vita, morteque audies. Si ad virtutis, cœli, Deique numeros vita sonuit, eundem virtutum concentum mors resonabit, sin autem horridum aliquid, à bonis moribus, & honestate absonum, vitiosum, triste, furibundum, molle, funestum intonuit: & illud ipsa mors intonabit, & quasi fidelis Echo, eandem vitæ vocem, eosdem seu vitii, seu virtutis numeros, ac modulos reddet. Adeoque cujusvis vox, per omnem vitam *clamantis*, in morte resonabit, *Amantis*, Asmodæum, vel Deum; carnem vel spiritum, juxta illud,

Qualis vita, finis ita.

Principis Philosophorum pronunciatum est: *g qualis unusquisque est, talis finis sibi videtur*. Sunt, qui fila serica in glomum convolvunt: qualis totius fili ductus, talis & finis est. Ipsis quoque mercatoribus hoc familiare est, pannum è lanâ, aut bysso discernere; æstimare, coëmere, solo ejusdem fine, in specimen diligenter inspecto; cum probè norint, qualis extimus margo est, talem ejusdem panni contextum esse consuevisse. Hoc enim verò in humanæ vitæ decursu, verissimum comprobavit Bernardus: *h omninò*, inquit, *necesse est, vitæ præsentis finem, futuræ cohærere principio; nec ibi tolerabilis dissimilitudo est*, cujus doctrinæ veritatem, luculentis historiis confirmare aggredior.

Ac primum, qualis vita, finis ita, in iis innotescit, qui hîc perversè vitam instituentes, eandem funesto exitu conclusêre. Atque hæc *lamentabilis Echo*, à sacrilego lenone, cum morte luctante, quondam audita; cui cum per vitam omnem lascivire libuisset, audiit funestam illam vocem: *i abstine à ludo, Vdo. ô lamentabilis Echo!* Consimilem vitæ clausu-

a Gen. cap. 5. *b* Arist. Ethic. 3. c.6. *c* Aug. l. 1. de civitate c. 11. *d* Vide Lobbet. de peccato l. 1. prop. 17 §. 1. *e* Barrii solit. die 4 in dissertat. *f* Cardan. de subtilitate l. 18. Cæsius de Mineral. pag. 452.

g Arist. l. 3. Ethic. c.4. *h* S. Bern. ser. 2. in festo SS. Petri & Pauli. *i* Fulgos. l. 9. Exempl. c. 12.

lam

lam imposuere, qui supremo spiritu infames suas *a Helenas, lenas:* & nostro sæculo *Bolenas, lenas:* occinuêre. Tuque in Veneris grege Antesignane, extremo halitu qui *Cynthias hias.* Hîc quæso, date brevem hanc operam mihi, ut ad lectulum impurissimi ganionis, jam in morbo cubantis, animamque agentis, vos deducam: cognoscetis quantum in homine, inveterati per vitam mores potuerint, & quas demum ii, extremas morientis vocis syllabas extorserint.

b Georgius Bucchananus, quàm non plebejus poëta, tam nobilis scurra, pastus in hara Calvini, aut è Priapi pascuis eductus scropha. Is, inquam, tenebrio, cum vana, profanaque, & impia per vitam scripsisset, atque effutiisset multa: demum aquâ inter cutem diffusâ, molestè graviterque vexatus, cœpit foras spectare. Igitur prius aliquantò, quàm expiraret, caper illum Calvini, vocatus invisere, & conspicatus res hominis in angusto esse, moriturum hortari, ut in ea necessitate positus, precem Dominicam conceptis verbis pronuntiaret. Hic homo semianimis, quem jussio insolens excitarat, resumit vires, & collectis animæ reliquiis: quas mihi tu preces, ait, qualesque imperes, nescio; nam annis eas quadraginta, quod meminerim, feci numquam; sed quas unas in Propertii sinu condidici, ac noctu diuque cantavi, eæ nunc occursant, ac facilè lingua resonat:

c Cynthia prima suis miserum me cœpit ocellis.

a Delrio Disq. Mag l.2.q.26. sect.5. *b* Garass. doctrin. curieus. l.6. sect. 13. Biderman. acroamat. l.2. acroam 4. n.67. *c* Propert, lib. 1. Eleg. 1.

Quâ voce prolatâ, ad suum Propertium recto itinere concessit. fidem vestram! Si adhuc dubitatis quid flagrio hic obscœnus, cum domi, cum foris degeret, inclamaverit: hanc vitæ clausulam attendite, & vitæ omnis ephemeridem legistis.

Epitaphium Buchanani.

Hîc jacet Veneris *procus*, anagrammate *porcus*
Tenebrio noctu diuque *ebrio* similis.
Cui in vita virtus invita.
Sola *Volupia pia*
Et in *amoribus moribus* fuit.
Huic cœlum, libidinum *obscœnum cœnum*,
Et *pollutum lutum*.
Sed quæ *misero serò* sors *obvenit venit?*
Quæ mors *insecuta, secuta* hunc porcum orcum
Inquietis. Quietis enim illius locum focum
Insignem ignem
Non in pace, sed in pice esse *creditis ditis*.
Hæc sors mors ei *debita est, ita est.*

Neque diversos aliorum exitus exspectate, quos meministis iisdem spurcitiis operatos semper fuisse; nam quas alias Præsides, Præstitesque Batavorum *d Trossulus* habere potuit, à quo pœnas improbæ juventæ Oceanus exegit? An aliud ejus animo simulachrum obversatum fuisse creditis, quàm *Triphanas*, *Eumolpos*, & quidquid olim propudiorum ex *Arbitri* stabulo, in suum sibi scholion congesserat? Certè cùm naufragus mediis in fluctibus nataret,

d Biderman. cit. n. 68.

suus

fuus illi potuit *Lycas*, & omne laudatæ tempestatis choragium occurrere. Potuit de se ipso tunc dicere: *En homo quemadmodum natat!* potuit memor,

Centum æquoreas Nero genitore puellas

advocare, ut familiares

lasso supponere brachia collo

properarent, nisi Oceanus ad preces, querelasque surdus, peragere suum officium fluctus jussisset & stantem adhuc, plorantemque, tortâ vertigine circumactum, ad Petronii sui musæum amandasset. Verùm his omissis, alium adhuc adolescentem illis nihilo feliciorem, vobis produco: in quo adolescente, Deum ego immortalem obtestor, precorque, ut serii vobiscum cogitetis, quanti referat, bene aut malè à pueris vitam instituisse: quando quidquid assuetudine invalescit, id omne postremò morienti difficillimo tempore, ac sæpe cum æternitatis dispendio recurret. Testis mihi est, inquit Bidermannus, *a* vir gravis, qui annis abhinc paucis recensuit: in urbe quadam literis, atque ingeniis florenti, rem unam in raris memorabilem, verissimè se propemodum inspectante, sic contigisse. Adolescens ibi cum aliis contubernalibus, vitam aliquamdiu degebat, qui omnes ad studia liberalia, non illiberali nec sumptu, nec Mæcenate utebantur. Is longâ consuetudine inde ab ultimâ pueritiâ, ad flagitium, nescio quale secum occultè consciscendum, assiduè trahebatur: & quamvis per statas exhomologeses, identidem lustraretur, tamen sui oblitus, continuò in morem naturamque regrediebatur. Sæpe data consilia, sæpe remedia tentata, additique terrores, minùs minimo profecêre. Novissimè gravi corporis morbo conflictatus, & ope medicâ destitutus, ubi vitâ migrandum sibi sensit, cœpit seriò omnem juventæ lasciviam mutare: atque tum demum rectè velle vivere, cum vivere porrò non liceret. Vocatur Sacerdos, expiatur ægrotus, mortemque sui securus operitur. Appetit interea nox, & paulò pòst adolescens ex morbo decedit, spei plenus, quam de salute æternitateque conceperat. Manè cùm primum vulgata mors est, exequiale pro mortuo sacrum apparatur: quod facere Sacerdos commodum incœperat, cum vestis ei talaris, ad infima pedum vellitur. Id ille fortuito fieri ratus, insuper habet, inque re cœptâ pergere pergit. Non diu factum, atque ad poplitem, femurque idem monitor obturbat. Mirari tum quidem Sacerdos, sed quòd neminem videret, negligendum & illud putat. Brevi dein impatientior umbra circum latera instat, vellicatque. At ille ne sic quidem movetur, ut solicitè requirat. Denique ecce tibi ab aræ angulo sinistro, deformem fumantemque nebulam; atque è nebulâ vocem: cessaret facere, cessaret operam impensam perdere, numquam litaturus. Hic perturbatior, nec injuriâ Sacerdos; ecquid ergo id umbræ sit, percunctatur. Audit eum adolescentem esse, qui pridie lustratus piacularibus sacris decessisset. Jam hæc mali ominis exordia non placebant. Instat tamen,

a Bidermanni acroamat. lib. 2. acroam. 4.

men, & quid illo factum fuerit, perquirit. Ille rauco murmure, suppliciis æternis addictum sese, & omni salute privatum confitetur. Meliora Deus inquit: an ego te ritè non expiavi? Tu verò rectè, inquit, integrèque omnia: nec mihi tum aliquid reliquum culpæ, sed inter Dei filios jam jam adoptatus, eheu! improvisò ex hæredor. subjecit æquo Dei judicio factum, ut inter ipsum luctantis animæ egressum, veteris consuetudinis illecebrâ percelleretur, de qua si triumphasset, ævum æternum porrò felix degeret. Jam eheu! victum sese, & ex more delectatum, simul è corpore excessisse, simul ad infernos cruciatus, irrevocabili judicis sententiâ condemnatum fuisse. Verissimè Propheta: *a ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Similem historiam narrat Valadier, *b* de uno, qui Comi in Italiâ meretrici consueverat. *c* Perstringat nunc jure meritissimo S. Eligius Noviodunensis antistes, eas gentes, quæ ab Echone auguria, & omina capiebant; infallibilior ex hactenus auditis, omnium auribus Echo insonet, neminem quemquam reperiri, qui hic oculos obscœnis tabulis, Nasonis, Catulli, aut Propertii cantilenis, animum fœdis cogitationibus oblectat, totamque vitam lascivis sermonibus, & actibus, carni & sanguini immersus transigit, quin similes in morte imagines occursuræ, lingua hos amores & cupidines decantatura sit. dum moribundi lectulo sacerdos affusus, cœlites de more invocare occœperit: *succurrite Angeli Domini, jubilantium te virginum chorus excipiat:* Maria mater Dei, memento mei: inconditè hic Veneris procus, Amasiam insonabit; quemadmodum Sabaudus ille nobilis, novissimis verbis, suam quam deperierat, compellabat: *d O meum corculum! ô animula mea! siccine separat amara mors?* Alii quas opes vivi, validique, avarè corraserant, easdem non solum delirante mente, sed emoriente etiam manu numerare, congerere, coacervare perseverant. adeò ut repertus sit, non unus, qui dum ab assidente sibi presbytero in aures susurrari percepit: animum fluxis ac perituris subduceret, in cœlis, quo fur non appropiat, repositum nos habere *thesaurum;* moribundus *aurum aurum, aurum* continuò reclamarit. Ejusmodi Euclriones S. Bonaventura perstringens, quibus vita tam sordida fuit, mortem pretiosam, & finem bonum esse non posse edicit: *e hoc,* inquit, *teneo hoc verum puto, quod ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita. f* Humbertus in medium producit, virum prædivitem, qui extremo jam in agone constitutus, ad fatalem lectulum deferri jussit omnia vasa aurea, & argentea omnesque thesauros quibus abundabat: quos oculis in morte natantibus contemplatus, in has voces prorupit: ô anima mea hæc omnia tibi dabo, his omnibus frui licebit, si à

a Job c.20. *b* Valadier feria 5. hebd. Passion. *c* Novarin. Schediasm. l.9. c. 60.

d Barrii solit. in differt. die 4.
e Bonav. to.1. opusc. in collat. de contemptu sæculi in fine.
f Niereemb. differentia temporalis & æterni. l.2. c. 1. §. 2.

corpore

corpore hoc meo non decesseris; aliaque plurima libens munera condico, modò hoc amicum corpus non destitueris. At morbo invalescente, cùm jam omnibus convasatis, sibi migrandum esse vidit, in rabiem actus, horrendum vociferari cœpit: quandoquidem ô anima abeundum sit, & hæc omnia deserenda, te in æternum diabolo cruciandum dabo. quo velut signo dato, Cacodæmones involarunt. supputatis hinc, ut opinor, justo rationis calculo, illud Salviani, *divitiis & vitiis* commercium esse maximum. Compello vos hîc Euclíones qui totos dies, & noctes expungendis, annotandis, computandis, duplicandis, contrahendis rationibus accepti, & expensi insumitis, quàm comparati eritis, dum magnus ille Paterfamilias interioris domus vestræ rationem exegerit? qui hic assiduò nummis volvendis, ac expendendis toti distinemini, ubi morte præventi, eisdem oculos, ac animum saturare satagetis, & inter febrium ardores, auri sitis exclamare coget, hic aureus scrupo levior est, hoc vas argenteum non minùs ab arte, quàm à materiâ pretii habet. Non abs re erit quod narrat *a* Drexelius, Aurifabrum fuisse, cui etjam in ipsâ fati lineâ, libuit esse negligentem salutis, & plus curare argentum, quàm cœlum. Huic argentea Christi crucifixi statua, veneranda atque osculanda porrigebatur, monebaturque mortem illius cogitaret, qui humanam gentem ab interitu revocasset, tam acerbo lethi genere. At ille inferorum ac cœli, ille sui ac Dei, ille omnium sanctiorum cogitationum oblitus: & quæso, ajebat, quot pondo argenti censetis esse hanc imaginem? ô aurifex miserrime! qui non aliam fortunam tibi fabricas, non sanctiora cogitas, in illo æternæ salutis punctistitio, in illo, quo vita & mors distinguitur momento! ita prorsus quod in vitâ agimus, in morte, cùm agimus animam, raro agere desinimus. *b* An non hos tales, vulpi similes esse dixeris, quæ cum ad patibulum duceretur, ultimum adhuc plateam ansetum transire cupiebat? ita qui aurum amant, qui terrenis toti immersi sunt, oculis jam morte pressis, & spiritu supremos anhelitus reddente, etiamnum auro, etiamnum terræ inhiant. hoc spectavit prælatus ille, quem P. Paulus *c* Barrii optimè notat, qui omnem supellectilem argenteam, tremulis manibus avidissimè contrectans, & totus in illâ expiravit. *d* Ita exitum vitæ suæ parem nactus, abhinc aliquot annos usurarius, qui de expiatione scelerum commonitus, hoc solum reposuit, atque hanc ultimam quæstionem movit, quanti frumentum, & vinum veniret, num magna earum mercium foret abundantia? ita denique, ne longior sim, *e Opimius*, homo non modò tenax, sed edepol pertinax: cum gravi lethargo correptus esset, nec ullis convulsionibus, usticnibus, nullâ arte, vel vi expergisci posset, atque ad omnes obtundentium clamores totus obsurdesceret: consilio medici factum

a Drexel. prodrom. c. 3. §. 17.

b Drex. ibid. *c* Barrii. cit.
d Legaul. Quaresme premier Mardie pag. 165. *e* Ibid.

est,

est, ut codices accepti, & expensi, unà cum ingenti vi auri & argenti, moribundi lectulo imponerentur: cumque altâ voce domestici supputarent, ac summo tinnitu saccos effunderent, nummosque quaterent, ecce tibi lethargicus expergiscitur, vociferatur fures, latrones, aurum suum surripi; & eheu cœlum eripi, non occurrebat. Funestiora longè, quæ Robertus de Licio, Vincentius Belluacensis, & S. Bernardinus apud Nierenbergium *a* commemorant, quos qui velit consulat.

Quid verò vos Helluones existimatis, quem portum vobis, navarcho de sede mentis deturbato, præfigitis? an non dum sacerdos cohortabitur, animum ab illecebris humanis appellendum esse ad *divina, vina, vina, vina*, ilicò inclamabitis? an non tum congios & diotas, massica & falerna, Rhenana & Rubella deposcetis? uti hominem novi, qui labris in morte natantibus, nil aliud proferebat: quàm sex pocula, sex pocula, adhuc duo lota &c. de aliis, qui vitam bibendo finierunt, alibi *b* uberiùs dictum est. Quid homo vanitati similis factus, in morte concrepabit? in filium natu maximum se titulum & feuda conferre, minori genito de beneficio Ecclesiastico prospiciendum. filiam vulgari nobili non tradendam; pompam funebrem tanto splendore apparandam, urbis prætorem ac præsulem adhibendum, panegyrim funebrem per archidiaconum aptè instituendam, insignia super valvas, & in æde summâ reponenda, & hæ morientium supremæ voces, vitæ anteactæ respondentes. ô *lamentabilis Echo!* hos inter, annumerandi scioli, nec non Politici, qui inani studio se totos consecrarunt, & ut nomen suum æternitati transcribant, jam morituri potissimùm oracula fundere gestiunt. quorum mortem & vitam, non malè syllogismo comparem: syllogismi quippe finis conclusio est; vitæ verò mors. at verò conclusio vera est, aut falsa, pro antecedentium naturâ: sic omnino mors bona, vel mala est, prout antecesserit bona vel mala vivendi ratio. In uno Macchiavello vitæ antecedentia perspecta sunt, conclusionem præmissis non absimilem infert Binet, tractatu suo, quem Gallicè inscripsit *l'Origine sauvé*, qui cum multis ad magnum sit, supersedeo, & alteram huic non absimilem tragœdiam exhibeo. *c* Anno salutis humanæ 1596. Londini morbo lethali correptus est Baro de Hounsden, Reginæ Elizabethæ à consiliis. hic paucis ante obitum diebus terrificum vidit spectaculum: complures ejusdem consilii Anglicani senatores, jam pridem vitâ functos, cubile per noctem subintrantes, & ante oculos suos obversari conspexit. primum se in conspectum dedit Robertus Dudlæus, Comes Licestriæ, flammis undique circumdatus. Huic successit totus quoque igneus, Franciscus Walsingamus Secretarius. Tertius prodiit Pouckerinus Lord, supremus Angliæ Judex,

a V. Nierenb. different. temporal. & ætern. l. 2. c. 1. §. 2.
b V. part. 1. Dom. 2. post. Epiph.

c Pedag. Chrestien. p. 1. c. 8. §. 8. Extractum Catholicum interrog. 33.

qui

qui frigore adeò acuto constrictus erat, ut ægroti manu dumtaxat arreptâ, eundem propè frigore exanimarit. Quartus subingressus Hattonus, regni Cancellarius; quintus Thomas Heddinge Consiliarius. sextus Franciscus Knoul, & ipse Consiliarius: qui pariter cum aliis duobus, igneâ in togâ conspicui, horrendùm lamentabantur, ac moribundo ferale hoc decretum denuntiabant, dispone domui tuæ, brevî enim apud nos eris. quod ipsum jubent ut denuntiet Guilielmo Cæcilio, Thesaurario, propediē eum ad inferos secuturum, ubi ei locus paratus est. Hæc uti peracta sunt, Baro de Hounsden ad se visentibus, cùm tremore summo enarravit; atque illius, ac Cæcilii mors, visionem non inanem, aut ludicram comprobavit. Interea evenit ut nobilis fœmina Baronem conveniret, ac multis super hoc viso rogitaret. cui ille omnia verissima esse affirmavit, ac de salute suâ conclamatum dictitavit. cumque hæc instaret, nihilne spei, aut remedii superesset? respondit aliud non suppetere, nisi ut modus, & via excogitetur, quâ sacerdos orthodoxæ fidei, ad se accessum habeat, Conscientiâ dictante neminem extra Ecclesiam salvari posse. Hæc prolocutus horrendum vociferabatur, sed nihil dum sanè pœnitentiæ, ac contritionis præferebat. ortus clamor magnus, similis *a* Ægyptiis post interfectos primogenitos, sed non revertebantur ad Dominum. atque ita & sui, & Dei, quemadmodum per totam vitam, & in morte oblitus, execrandam animam ad cruciatus æternos dimisit: edicta enim publica à consilio, aliisque ministris Puritanis condita, januam omni viro Ecclesiastico, ac Catholico administro occluserant. Ne & nos audiamus cum fatuis: *b clausa est janua*, omnem procrastinationem, ac melioris vitæ dilationem evitare studeamus, quod pluribus Dominicâ in Albis inculcabimus.

a Exod 12. v. 29.

b Matth. 25.

§. II.

Quibus in vitâ insuevimus, ea in morte placent, & obversantur; quemadmodum quæ diurnis agitamus curis, recursant nocturnis.

PHilosophos inter & medicos præfervidè disceptari solet, quæ somniorum causa, & origo sit? quî fiat nonnullis tam anxia, tam perturbata, tam horrenda obversari somnia? nunc onus Æthnâ gravius incumbere, nunc fauces perstringi. nunc vastâ in solitudine se inter feras, nunc inter sicas & gladios, nunc in præruptâ rupe, nunc in præcelso eoque angustissimo tramite, se constitutos plurimi cum angore & sudore vivacissimè imaginentur? Alii è contrà placidissimè indormiscant, & uno, ut ajunt æstu, velificentur. si quæ per somnium se imagines, ingerunt, eæ amœnæ, gratæ adeò ut quoque dormientibus plausum ac risum eliciant. *c* Hujus tam disparis effectus causam, Hippocrates in hominis temperamentum rejicit, dicens: *somnium naturale est, quod ex affectione & tem-*

c V. Conimbricen. de somniis.

peramento ipsius dormientis, & causis in eo latentibus, ortum habet; quo fit ut phlegmatici, & sanguinei, placidissimo alveo, sibi tempe adnavigare, aut hortos inambulare, aut lepidas comœdias spectare, aut etiam per aëra ferri, videantur; melancholicis verò ac cholericis, omnia funesta ac cruenta obversentur: Unde Aristoteles: *Medici ægrotantium somnia inquirunt.* & nos morientium, quibus passim eæ passiones occursant, & prædominantur, quæ in anteactâ vitâ, vivaces quàm maximè, & effrænes fuêre.

Alteram somniorum causam, & veriorem idem Princeps Philosophorum assignat: ea passim in somnis occurrere, quibus per diem maximè occupamur, quod divino edocti sumus oraculo: *a multas curas sequuntur somnia.* Causidicus lites & codicillos somniat. literatus libros volvit, & argumenta instituit, aut ut D. Thomas ait: *b etiam somnians syllogismos efformat.* Novi Magistrum, qui integra poëmata velut in Parnasso somniaret, dormiens effingeret, & declamaret. unde rectè Claudianus: *c*

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies
Venator defessa toro dum membra reponit;
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit.

An non similiter virum illum prædivitem, dum

d Dura quies, & ferreus urget
Somnus, ad sylvas, ad lustra, ad hortos suos

visere lubuit? quibus excolendis omne vitæ tempus, Deo ac animo neglecto insumpserat: novi, inquit Tollenaer, *e* in Belgio exstitisse virum quendam copiosum, qui cum hortos cultissimos in urbis pomœrio haberet, salute à medicis depositâ, per hortum sellâ se gestatoriâ deferri curavit. & eheu! crudele fatum, inquit, quod à tantâ me amœnitate divellit! ô Deus! numquam à te cœlum petii; cur mihi invides hanc terram? sed frustra ille voces blasphemas jactabat: neque terram impetravit, quam perditè cupiebat. an autem cœlum, quod minimè cupiebat, obtinuerit, non injuriâ quis dubitare potest. Disputat non minus floridè, quàm solidè in amœnissimo suo viridario Mendoza *f* noster, *utrum dormientes, propria vigilantium opera moliantur*? ubi exempla inducit, quæ probant dormientes operari etiam per artem, dirigentem actionem externam. nam *Marianus g* testatur, habuisse se puellam viginti annorum, quæ dormiens è lecto surgebat, panemque faciebat, non minori dexteritate, quàm si omnino vigilaret. Ecquis non alteram illam filiam demiratur, quæ ut interdiu mundum muliebrem versabat & cogitabat, ita noctu se è strato proripiens, ad speculum se beneficio lunæ, bene diu contemplari, tum nudipes ut erat, per pavimentum omnino consopita, tripudiare visa est. de ejusmodi aptè Hugo

a Eccl. 5. *b* S. Thom. 1. p. q. 84. ar. 8. ad 2. *c* Claudian. præf. ad 4. Honorii consulat. *d* Virg. l. 10.

e Tollenaer in Eccl. c. 2. sect. 3. pag. 91. *f* Mendoza in viridario l. 4. problem. 16. *g* Cap. ad audientiam.

Victorinus *a* pronuntiavit: *somnium est, cùm id quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti.* Nunc verò si vita mortalium vigilia est, & mors à Socrate rectè *somnus* indigitatus sit, quale fore exstimatis postremum puellarum somnium, quæ omnes sensus, cogitationes, industriam omnem, novis modis, normis vestium, crinium, cimeliorum consecrarunt? unam hîc ad terrorem aliarum induxisse sufficiat. *b* Spoleti in Italia puella fuit, in corporis cultu exquisitissima, vivum vanitatis simulachrum, quam insolenti vestium luxu ostentabat, dum tandem lethali morbo correpta, citra dissimulationem monetur mortis imminentis, & per sacram exhomologesim, quâ unicè egebat, conscientiæ noxas expiaret. ad hæc monita, illa obsurdescere, matrem instanter rogare, cum moriendum jam sit, vestas suas, quas habebat elegantissimas, monilia, ac omnem muliebrem ornatum ad se deferret, iis se indui, inque iis fatalem somnum operiri velle. nec destitit importunis precibus se & matrem miserè conficiendo, donec votis potita, pallidum, ac lethali frigore tremulum corpus, his vanitatis exuviis induit. Atque iis tandem exornata, seque circumspiciens, horrendùm inclamare cœpit: ergo moriendum est! ergo in ætatis flore, ætatis vigore, hæc omnia deserenda? quò flos ille, quò forma, quò splendor ille vestium? propinqui lectulo affusi, hortari cultum omnem corporis, ad animum referret, vana hæc omnia & fluxa detestaretur, brevì relinquenda. Deum redemptorem nostrum, vanitatem omnem exosa, supplex veniam postularet. hîc illa in blasphemas has voces erupit: quid mihi cum Deo, quicum nihil umquam fuit commercii; veniat diabolus, confestim advolet, ille me auferat, cui corpus, & animam dicavi.

Gulosus patinas, & ollas somniat. Iracundus etiam dormiens, sanguinem, & cædem spirat. Bartolus in l. *ut vim.* ff *de Iust. & jure*, tradit fuisse quemdam Pisanum, qui se noctu dormiens armabat, vagabaturque per urbem cantando. Tiraquellus tract. de pœnis temperandis, aut remittendis, causâ quintâ asseruit, Parisiis Anglum qui noctu dormiens à templo D. Benedicti, ad flumen Sequanam perrexit, ibique puerum interemit. nos, inquit, Mendoza *c* etiam hominem novimus, qui nocte intempestâ somno consopitus ex lectulo surrexit, gladium, & clypeum sibi aptavit, portam aperuit, foras exilivit, viam capessivit, urbem peragravit. quid plura? ecce tibi domum revertens, incidit in Civitatis magistratus, ingenti satellitum numero stipatos, & quasi hostes appeteret, evaginat gladium, rotat clypeum punctim, cæsim nititur ferire, donec aliquod post tempus, à satellite lethaliter saucius, à somno suo tandem excitatus est. quæ omnia verissimum probant illud Tullii, libro de divinatione: *Somnia sunt cognitionum, & negotiorum diurnorum reliquiæ.*

a Hugo Victorin. de spiritu & anima.
b Robertus de Licio opere de pœnit. ser. 10. c. 3. P. Alard. le Roy Pere de famile pag. 168.

c Mendoza c it.

Ut

Ut rectè cecinit Religiosus pariter, ac ingeniosus Poëta: *a*

Al licht den dronckaert t'huys, en rust op sijnen nest,
Noch droomt hy van het bier, vvelck datter vvas het best.
Een kloecken Capiteyn, als hy gaet oorlogh voeren,
Hem dunckt in sijnen slaep, dat al de trommels roeren.

Haud aliter dum in *b æternam clauduntur lumina noctem*, qui per omnem vitam sanguinem, & cædem inimici anhelavit, etiam moribundus, iras odiaque in æmulos concepta, in eo statu pertinaciter fovere, ad ferrum & cædem quandoque prosilire visus est.

Sed nunc ad alia feliciora dormientium, & morientium somnia transeamus, qui in vitia & flagitia, dormientes & morientes acerrimè decertarunt, sicut vigilantes & vivi ea insectari solebant.

a Imago sæculi Soc. pag. 512.
b Virg. l. 10.

§ III.

Proborum somnia, eorumque exitus felices.

c UT fortè paucis diebus, quàm in Indiam Xaverius solveret, de viâ fessus condormierat; cœpere lemurum imagines, quas orcus intempestivas effinxerat, somno præludere: atque in his feralis nescio quæ lamiæ species, quietem hominis insolentius perturbare. Franciscus re novâ molestâque offensus, cùm arma manu capere, telumque stringere non posset; unum hoc, cætera inermis, habuit, ut animi contentione quâ summâ poterat, in hostem sese inferret, hostemque armis omnibus victor exueret. Nam etsi dormientibus libertas non constat, ipse tamen, ut si maximè tunc liber esset, pugnare prius non destitit, quàm sanguinis imbre per nares erumpente hostis impudentiam erubescere cogeret, & palmam ab insultante lamiâ, quamvis non incruentam reportaret, in quo conflictu quiddam, quàm ego dignum observatu, tam utile vos memoratu, imitatuque comperietis. Ajo itaque ex hoc somnio confirmatam divini viri, irroboratamque consuetudinem, nos divinare posse; quâ se per omnem priorem vitam, adversus has orci harpyjas vigilans solicitè, cautèque semper munierat. Hic illi usus, exemplis assiduis auctus, in naturam denique vertit; ut quod interdiu, semper fecerat, simul atque obscœni hi alites ex erebi nido emersi, obstrepebant, id ipsum deinde etiam noctu cùm maximè dormiebat, velut usu quodam constanter retineret. quid facturum hunc pugilem existimatis, si vigilanti talis Sirenum intemperies objecisset? illasne belluas oberrare impunè, & vel ad horæ momentum consistere pateretur? Superi boni! cujus exempli spectaculum in illo non vidissemus? utique seu Franciscum videre in nivibus suis libuisset; alterum Xaverius Franciscum in nivibus exhiberet; seu mirari Benedictum placuisset, cum vepribus luctantem, Benedictum monstrari nobis in Xaverio crederemus. sive Bernardum denique inter undas hybernantem, aut Ephebum

c Tursellin. in vita. Biderman. l. 2. acroam. 4.

Ephebum Aquinatem titione velitantem, aut Nicetam in linguæ suæ dispendio triumphantem, fallor ego vel uno in Xaverio hos revixisse videremus. Ex quibus non obscurè conjiciendum est, quantopere tartareus hostis formidarit Xaverium vigilantem, quem non nisi somniantem, inermemque ausus sit lacessere. Quare si rectè Zeno: *è suis quemque insomniis posse deprehendere, quantum in Philosophiâ profecerit*, quis nos potiori jure conficiet, quantum Xaverius in virtute profecerit, cùm Aristoteles disserte asserat: *virtutis esse, de virtute somniare.* quod in virgine matre Rupertus, Ambrosius, Bernardus, Anselmus, Epiphanius, aliique patres communiter affirmant, cùm dormiret, cor ejus ad dilectum evigilasse, illum corde, ac ore suspirasse. sic ut teste Ambrosio: *a cùm quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somniis lecta repetebat.* Quod ipsum doctissimus Suarez ex Augustino observat lib. 5. contra Julianum cap. 9. ubi de hominibus in statu innocentiæ ait: *tam felicia erant somnia dormientium, quàm vita vigilantium.*

b Aulicus Oeniponti graviter decumbens, jam rationes cum sacerdote putarat; cùm usu venit, ut siti levandæ, frigidam posceret. datur: & cum porrecto poculo, dicis causâ, jubetur ei quem amicissimum haberet, propinare. lectulum fortè aulica turba coronabat. tum ille circumferre oculos, & ex adverso Christi patientis iconem contemplatus, atque Christo, inquit propino, charissimo meo, qui me ab inferis vindicavit. occursabat siquidem Christi patientis amor, quem alto pectore dudum foverat. Non sic impii, non sic, non sic helluones, lenones non sic; qui scortum suum hîc circumspicerent. In morte scilicet, *vox sua quemque sonat:* hic Mariam, hic Jesum somniat, & dormiendo, & moriendo sonat. *c* quid miramini os Doctoris gentium corpore recisum, ter nomen Jesu inclamasse, si legeritis nomen Jesu, in paucis & parvis quatuordecim epistolis suis, ducenties, decies novies; Christi verò quadringenties, & semel ingeminasse. *d* Cameraci in cœnobio S. Ursulæ, Monialis semestri ultimo, identidem hos pios affectus B. Victoriæ ingeminabat:

Iesus mon cher Amant, je n'ayme rien que vous;
Mon ame est vostre espouse, & vous mon cher espous.

atque eadem sæpius iterando, in complexum sponsi evolavit. Aliter profectò, quàm nobilis ille, de quo Beda, qui cùm dæmonem assiduò in ore haberet, hæc moriturus novissima verba protulit: *le diable m'emporte.* Suavior profectò Echo, & argutior in morte eorum resonat, quorum voces Dei laudibus, noctu diuque concinendis exercitatæ sunt. Franciscus Seraphicus, & Conradus discipulus S. Dominici, in hæc verba expirarunt: *e educ de custodia animam meam.* B. Petrus Alcantara hæc novissimè modulatus est.

a Ambr. l. 2. de virgin. Suarez part. 3. de vita Christ. disput. 18. sect. 2.
b Drexelii prodrom, c. 5. §. 17.
c Corn. in ep. ad Ephes. c. 1. v. 10.
d Barrii solit. in differt. dic. 4.
e Psal. 141.

a lætatus

a lætatus sum in his quæ dicta sint mihi; in domum Domini ibimus. S. Edmundus os lateri crucifixi apprimens, hoc ultimum effatus est: *b A modò haurietis aquas cum gaudio, de fontibus salvatoris.* c Gerardus & genere, & Religione Bernardi frater, in illud Davidicum erupit: *laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.* „ accitus sum ego, inquit Bernardus, ad id miraculi, videre „ exultantem in morte hominem, & insultantem morti: ubi „ est mors victoria tua? ubi est „ mors stimulus tuus? jam non „ stimulus, sed jubilus. jam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Musico, eoque suavissimo concentu, sex ante obitum menses, à cœlestibus choraulis Nicolaus ille Tolentinas ita delinitus fuit, ut exclamare cogeretur: *cupio dissolvi, & esse cum Christo.* dumque hæc moribundus caneret, & gestiret, exultationis causam rogatus: Dominus, inquit, meus Jesus, benignissimæ matri, & S. Augustino innixus, mihi dicit: *d Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* quisquis sic *moritur, oritur. non potest malè mori, qui bene vixerit.* quam veritatem etiam Ethnici penetrarunt; si quidem ut Auctor est Laërtius *e* rogatus quadam vice Aristippus, quomodo Socrates vitam finiisset? respondit: *Utinam sic ego; quia Socrates bene obiit.* hæc optima caus̄lis est.

Verissimè igitur vulgari parœmiâ fertur: *qualis vita, finis ita.*

a Psal. 121. *b* Isa. 12. *c* Bern. serm. 26. in Cant. *d* Matth. 25. Aug. tom. 9. de discipl. Christ. c. 2. *e* Laërt. in vita Philosoph.

quibus per omnem vitam studiis, occupationibus, negotiis distinemur, in iis propè nos ultimus sopor, id est mors obruit. Nautam in mari, causidicum in curiâ, mercatorem inter sarcinas, & merces in officinâ, potatorem in popinâ; mœchum in prostibulo, studiosum in museo; Monachum in cellâ, vel choro, orationi, piæ commentationi, operi charitatis intentum. hunc navigantem, illum clamantem, alium desudantem, alterum potantem, istum fornicantem, fatalis morbus invadit. & ubi vos Auditores, ubi vos Adolescentes, ubi vos puellas, ubi vos Mercatores hic somnus sepeliet? utinam legentes, orantes, jejunantes, lachrymantes inveniat! *f* fuit qui repentinâ morte obrutus inventus est in musæo mortuus, apertum codicem ante se habens; in quem digito intento, hæc verba signabat: *g Iustus autem si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* S. Ambrosius in ultimâ ægritudine, commentans in scripturis, dum ad illud Psalmi 47. pervenisset: *magnus Dominus, & laudabilis nimis*, immortuus est. Doctor Angelicus exponens suis scripturarum Cantica, ad illa verba: *h veni dilecte mi, veni egrediamur in agrum*, vivis excessit.

Verissimè Beda, cùm sacras literas prope omnes illustrasset, in ultimo morbo scribam accersens: ubi illud Joannis protulisset: *consummatum est*, cygneâ voce expiravit. Sanctus Vincentius Ordinis Sancti Dominici, cum socio laudes persolvens, dum pervenisset ad illa verba: *omnis spiritus laudet*

f Drex. prod. c. 3. §. 16. *g* Sap. 4. *h* Cant. 7.

Dominum,

Dominum, multoties ea iterando emisit spiritum. Quis hîc non exclamet: *a moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia.* hoc olim, quantumvis impius Baalam exoptabat: qui filum vitæ, ac fusum pessimum duxerat; finem tamen optimum spectabat. perinde ut ille, qui olim interrogatus uter esse mallet, Crœsus an Socrates? in vitâ, inquit, Crœsus, in morte Socrates. in vitâ Nero, in morte Cato. in vitâ lupus, in morte agnus. in vitâ diabolus, in morte angelus. hoc potator, scortator omnis solet exoptare: *moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima* (id est finis meus inquit Lorinus) *horum similia.* sed rectè Cornelius: *b vivat prius anima vitâ justorum.* ubi in exemplum adducit, ætate suâ Principem hæreticum, aut potiùs politicum, rogatum, quid sentiret de Catholicis, & Calvinistis? respondisse, malle se vivere cum Calvinistis, sed mori cum Catholicis: quòd horum sit lætior securiorque finis; vita illorum licentior, ac voluptuosior. sed & mali Catholici ait Augustinus, *c volunt gaudere cum sanctis, & tribulationes mundi nolunt sustinere cum illis.* tale *desiderium peccatorum peribit.* econtra verò: *d anima cujusque in vitâ ipsius benedicetur.*

a Num. 23.

b Cornel. à Lapide in Num. c. 23.
c Aug. ser. 47. de Sanctis.
d Psal. 111. Psal. 48.



EMBLE-

EMBLEMA IV.

Factum est verbum Domini in deserto. Luc. 3.



DESERTUM FACIT ESSE DISERTUM.

DOMINICA IV. ADVENTUS.


Solitudo orationi aptiſſima, ut homo Deo, & Deus homini loquatur. ſic tamen, ut & ſolitudo in urbe, ac interiori cordis receſſu ædificari queat.

§. I. [a] *Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine.*
§. II. [b] *Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.*
§. III. [c] *Adhibe tibi in urbe ſolitudinem, & remota (ô anima) pauliſper ab hominibus, propiùs Deo jungere.*

a Pſal.54. b Oſeæ 2. c Hieron. epiſtol. ad Demetriad.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Factum est verbum Domini in deserto. Luc. 3.



SACRUM Ecclesiasten pro concione narrantem audivi, virum nobilem ac præpotentem per omnem anteactam vitam gravissimis negotiis distentum, ac forensibus turbis implicitum, aliquando ut animum relaxeret, à consobrino suo in suburbanum invitatum: quo dum bene manè jam curis solutus contenderet, densum fortè nemus, quà rectà in prædium iter, pertransiens Philomelam argutissimè modulantem audiit, & ut musicæ peritus erat, hoc tam suavi illicio, totus stupore defixus hæret, miraturque ex hoc tam tenui corpusculo, & exili gutture, tam varium, tam dulce melos, hactenus illi inauditum prodire. Ardescit ergo ut hanc sibi psaltriam comparet; dum ecce paulum progressus, in hominem ligna cædentem incidit, quem non levi pretio inducit, ut captam sibi Philomelam, domum deferat. delatam postridie concinnæ caveæ inclusam è tholo atrii appendit, ut noctes atque dies, quemadmodum putabat, se concentu suavissimo oblectaret. Sed vox aviculæ velut interclusa, & pisce magis muta, inter domesticas turbas desidebat. Quid agat? causam silentii assequitur, Philomelam, nusquam gentium, quàm in deserto desertam ac vocalem esse. Amplum itaq; ac perelegans ornithothrophium exædificari jubet eo artificio, ut plantatis in eo variis arbusculis, sylvam quandam atque amœnissimum viridarium referret; quod ut libera avis subintravit, ilico quasi solum ac cœlum patrium nacta, garrire & cantillare accœpit, posthac domesticorum, ac *Domini jucunda voluptas.*

Ubi duo nobis potissimùm consideranda occurrunt: primum quòd sicut Philomelam cantando, ita & animam orando, *desertum facit esse disertam.* Alterum ut quemadmodum avicula hæc inter urbanos strepitus, & domesticas turbas nec canere nec audiri queat, ita internam Dei vocem non nisi solitudine ad nos dirigi ac percipi posse. Adeò solitudo invitat & confert ut homo per orationem attentiùs cum Deo, & Deus cum homine colloquatur, tum demum solitudinem etiam in urbe, ipso in cordis interiori recessu ædificari posse comprobabo.

§. I.

Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Ps. 45.

NOn oblectamento dumtaxat, sed & emolumento maximo futurum confido, paucis exponere, quid varios homines in desertum & solitudinem compulerit: quosdam enim scientiæ appetitus, alios venandi studium, complures ipsa ruris quies, & à negotiis & curis remissio, animique relaxatio ex urbibus peregrè invitavit.

Æneas Silvius qui ante Pontificatum maximum, inter auli-

cos

cos tumultus, literis ac studiis obstrepentes diu versatus fuerat, hæc tandem cedro digna locutus: *a est magnorum virorum recreatio mentis secessus; cùm se aliquis retrahit in solitarium locum, ac vel meditatur, vel legit, vel scribit, totumque se musis præbet.* Hinc ortæ illæ studiosorum poëtarum voces: *b*

Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit urbes.

Et alius: *c*

Carmina secessus scribentis & otia quærunt. Præclarum hoc quoque discipulis à Quintiliano datum præceptum: *d denique ut semel quod est potentissimum dicam: secretum (quod dictando perit) atque liberum arbitris locum, & quàm altissimum silentium, scribentibus maximè convenit.* factis anteverterunt horum præcepta viri celeberrimi. Multorum stilo laudatus est D. Demosthenis secessus in locum subterraneum, ubi mediâ parte capitis rasâ (ut publico abstinere cogeretur) ad lucernam scribebat, & orationes suas elucubrabat. Quis Tullii Tusculanum ignorat? *e abdimus nos*, inquit, *quantum licet, & sæpe soli sumus.*

Post oratorem, Philosophum Romanum audiamus: *f in hoc me recondidi & fores clausi, ut prodesse pluribus possim; nullus mihi per otium dies exit: partem noctium studiis vindico, non vaco somno sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentesque, in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed etiam à rebus, & primùm à meis. posterorum negotia ago, illis aliqua quæ possint prodesse, conscribo.*

Atque hi quidem à spiritu ducti in desertum, si non prorsus à maligno, at spiritu vanitatis, ut futilem scientiam conquirant, ut vanam dicendi artem condiscant, ut posteris famam, & eheu! sibi flammam comparent sempiternam. Nos verò ut divinam illam cum Deo orandi ac perorandi Rhetoricam hauriamus, ut cœlestem illam de cœlo & animâ Philosophiam, ubi Christus Magister est, in silentio audiamus, à turbis & strepitu nos subducere, detrectamus. Schola Christi non in publico, sed in deserto, non in commotione Dominus, sed in sibilo auræ tenuis, aurem præbet: sic Regum fasti memorant, quod *g audivit Samuel omnia verba populi, & locutus est ea in auribus Domini;* Etenim ut solitudinis lumen ac columen: *h solitaria vita, cœlestis doctrinæ schola est & divinarum artium disciplina, illic namque Deus est, totum quod discitur.*

i Fuit qui scholam sibi in deserto construxit, & per triginta omnino annos in hoc solummodo incubuit, ut assequi valeret quo artificio apes favos, quâ solertiâ mella conficiant. Eò secum alveare è vitro asportarat, quod dum apes cerâ undique obducerent, fine suo frustratus fuit. Mittamus nos apum examina, & vitrea alvearia; aliam scientiam, aliam theoriam, solitudinis schola proponit, in quâ duæ fenestræ, quarum unâ prospectus in domum æternitatis sursum, in domum non manu factam, ubi tor-

a Pii II. epist. 166. *b* Horat. l. 2. ep. ult. *c* Ovid. Trist. l. 1. eleg. 1.
d Quint. l. 10. c. 3. *e* Cic. l. 3. offic.
f Seneca epist. 8.

g 1 Reg. 8. *h* S. Basil. de laude vitæ solit. *i* Sanchez Royaume de Dieu l. 5. c. 4 §. 1.

rente voluptatis & liquidissimi mellis potabimur, & millia millium aligerorum contemplaturi; subtus verò inferorum ergastulum, ubi vespæ infernales & fellis ac amaritudinis dolia, mente liceat prælibare. Hæc studia totum, ut ajunt, hominem requirunt, quibus se abdiderat S. Afer Tullensis Episcopus, de quo D. Paulinus: *a familiare secretum taciti ruris petebat salubri consilio, instructioni sanctæ vacans, & intentus studiis spiritualibus.* Si quis verò ipsum Antistitem Nolanum percunctetur, quî secessum hunc nuncupare, consueverit? reponet *b cœlestem esse officinam.* Si ulteriùs disquiras quid operis ac laboris totos dies insumendum, quid artis & industriæ elocandum? *formare*, inquit, *in se Christum*, videlicet Sanctæ vitæ imitatione. Quo motivo S. Augustinus Nebridum ad pium secessum à tumultu rerum sæcularium invitat, dum præclarè illud pronuntiavit: *c Deificari in otio licere.* Quod nemo quisquam demirabitur, qui illud ethnici expenderit: Pyrrho Philosophus, ut *Laërtius refert*, deprehensus solus & tamē loquens, rogatus quid ageret? *meditor*, inquit, *probus esse.* Hoc enim verò Christianus in solitudine meditetur, ut probus sit, & erit. Testis Franciscus ille Seraphicus, *d vir Dei solitarius*, ut Bonaventura loquitur, *nemora complebat gemitibus, loca spargebat lachrymis: & quasi occultius secretarium nactus confabulabatur cum Domino suo. Ibi respondebat judici, ibi supplicabat patri, ibi colloquebatur amico.* Ut meritò ille Eremi cultor Hieronymus exclamet: *e O eremus familiariùs Deo gaudens! quid agis?* (Heliodore) *quamdiu te tectorum umbra premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? crede mihi nescio quid plus lucis aspicio. libet sarcinâ corporis abjectâ ad purum ætheris evolare fulgorem.* Hoc siquidem sanctissimi vatis oraculum. *f Sedebit solitarius & tacebit, & levabit se supra se.* Volabit supra aureos montium vertices, supra excelsos honorum apices, supra omnia regnorum cacumina, & sibi ac Deo vacans excelso animo humana omnia ex alto despiciet. Huc anhelans regius Psaltes, pennas sibi, non tuas Perseu, Dedale sive tuas sed columbinas postulabat: *g Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam?* ubi Cassiodorus observat, Davidem quandoque in locum desertum se recepisse ad orandum, ut requiesceret ab aulæ strepitu à tumultu bellorum, à turbis sæculi.

Sanctissimi Regis æmulus, invictissimus Imperator Carolus V. qui quo securiùs, sibi ac Deo vacaret, regno ac mundo spreto, inaudito hactenus exemplo secessum delegit, ubi ut annales referunt: *h major fuit in suâ eremo, quàm in imperio*, unde per appositum in panegyricâ ejus funebri, thema noster Franciscus Borgias assumsit: *i Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* cur non sequimur: querimur nos negotiorum mole obrui, cur non alas postulamus? pulchrè Augustinus in Psal.

a S. Paulin. ep. 29. *b* Paulin. *c* Aug. epist. 116. *d* Bonav. in vita.

e Hieron. epist. 1. ad Heliod. *f* Thren. 3. *g* Psal. 54. *h* V. Barrii pratique de la perfection. entretien 25. *i* Psal. 54. Beyerlinc. apopht. sacra. tit. *Solitudo.*

54. *Ecce elongavi fugiens.* sic disserit: *sed plerumque ita ligantur ut volare non possint, fortè enim non ligantur visco, sed officio:* hìc officio Præsulis, ille Prætoris, alter Consulis. alii ligantur affectu rerum caducarum, uxoris, liberorum, nec se turbis valent expedire. Ad quod invitat Romanus Sapiens, crebras & serias præceptiones ingerens: *a quid tibi vitandum præcipuè existimem quæris? turbam. Ego certè confiteor imbecillitatem meam, numquam mores, quos extuli, refero, aliquid ex eo quod composui, turbatur. aliquid ex his quæ fugavi, redit. inimica multorum est conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat aut imprimit, aut nescientibus allinit.* idem repetitis monitis inculcans: *Sic est,* inquit, *non muto sententiam: fuge in solitudinem, fuge paucitatem,* fuge etiam unum. Non invenio cum quo *te malim esse, quàm tecum. recede in teipsum quantùm potes.* Hæc ethnicus, hæc Stoicus, hæc politicæ quietis & auræ liberioris amans, quid si illud sapuisset, quod Claravallensis apis: *b Cella siquidem & cœli habitatio cognatæ sunt: quia sicut cœlum & cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cœlum & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis. Quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quid nam est hoc? vacare Deo, frui Deo; quod cùm secundum ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, Sancti angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis ac in cœlis. Ac in cellâ in cœlum sæpe ascenditur.* & paulò pòst: *Cella terra sancta, & locus sanctus est, in qua Dominus & servus ejus colloquuntur sicut vir ad amicum suum. In quâ crebrò fidelis anima verbo Dei conjungitur, sponsa sponso sociatur,* & velut in paradiso voluptatis delectatur. Alii sylvas ac saltus petunt ut feras pervestigent & venentur. in sylvas vos hodie ae lustra deducere peroptarem uti feras sanè ferocissimas, & immanissimas belluas, ipsas, inquam, animi Passiones subdere ac subjugare possetis. quemadmodum Conimbricæ accidisse legimus, c quâ in urbe vulgus sparserat, iis qui apud Patres Societatis ad secessum in loco ab arbitris remoto invitarentur, nescio quas ferales, belluas & visa objici. calumniæ fidem adstruebat, quam detrahere debuerat, ut repentina, ita ingens & creba morum mutatio. Denique adeò invaluit hæc fabula, ut Cardinalis Henricus fidei quæsitor de re totâ cognoscendum censuerit. Hoc dum ejus imperio dissimulanter facit Jacobus de Murcia Academiæ Rector, fratresque nostros de belluis ac objectis visis legitimè interrogat, unus apertè fatetur se feras immanes & Belluam unam maximè terrificam conspexisse. & quænam illa, inquit Rector? ille verò: memetipsum, atque animi feras maximè truculentas, & turpius mihique magis formidandum monstrum numquam occurrerit: quod olim inter Africæ monstra degens Augustinus, præ cæteris maximè terrificum, oculis si non corporis, at cordis fre-

a Seneca ep. 7. b Bern. ep. ad fratres de monte Dei. de vita Solitaria.

c Hist. Soc. part. 1. l. 5. imago primi sæculi l. 3. c. 10.

quenter obversari exoptabat, dicens: *a O si jam faciem nunc peccatricis animæ liceret oculis corporis intueri, & conscientiæ nostræ vultum in oculorum præsentiam permitteremur adducere! quod si liceret, nec dici potest quanto studio, quanto metu urgeremur fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare. Ideoque quia non possumus oculis corporis, inspiciamus nos in quantum possumus oculis cordis, & unusquisque conscientiam suam ante conspectum inferioris hominis constituat:* Ut belluas illas frænare & domare valeat. Sed de his alibi *b* prolixius egimus. Ad aliam prædam S. Eucherius nos invitat, libello „de laudibus Eremi: ferunt „quemdam sciscitanti alteri, quo „in loco Deum esse crederet, re„spondisse ut quò se duceret, im„piger sequeretur. tum comi„tante eodem, ad latè patentis „eremi secreta venisse. atque „istic ostendens solitudinis vastæ „recessum: & inquit, ibi Deus est. nec immeritò ibi esse facilius creditur, ubi frequentiùs invenitur. Jactavit olim *c* potentissimus ille Hispaniarum Rex Philippus II. ubi in venatione Fratrem Joannem Austriacum agnovit, se numquam meliorem prædam retulisse, (ut fusè suprà diximus) nos fratrem nostrum sugentem ubera matris in recessu Bethlemitico per hanc hebdomadam indagari, ac venari studebimus. ut illum factitasse legimus, de quo Theodoretus *d* commemorat: cùm potentissimus militiæ Dux ingenti nobilium comitatu & magnâ canum copiâ per nemus feras insectaretur, tandem in præcelsum montem cum suis conscendit, cujus in vertice venerandum senem Macedonium conspicatus, ex equo ad pedes viri affluxit, ac perbenignè rogavit quid in hac tantâ solitudine ageret? tu verò, inquit Macedonius, cujus rei gratiâ huc venisti? ut feras venarer ait ille; *& ego*, respondet Senex, *hic Deum meum venor, nec desistam donec hac prædâ potitus fuero.* Solus erat Moyses quando vidit rubum incombustum, qui virginis sine virginitatis damno, Deum pariturae figura erat. Quisquis hoc mysterium penitiùs contemplari desiderat, cum Moyse à turbis secedat; quisquis nasciturum Deum complecti & deosculari festinat, urbes deserat & cum Paulâ desertum Palæstinæ, & antra Bethlemitica petat. Ad hoc ardentissimis desideriis suspirabat cœlestis sponsa dicens: *e quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te.* alii legunt non foris, sed in agro, seu ruri positâ majestate: nam sicut rex inquit Gislerius, foris in agro, cum innocuâ rusticorum turbâ versatur, & familiarissimè conversatur, ita & Deus infans pastoribus ac abjectissimis hominibus se communicavit. unde his verbis ardens desiderium incarnationis indicatur teste Athanasio, Ambros. Theodoret. Cassiod. Greg. Beda. ut hominem factum, qui intus erat Deus, cùm in sinu majestatis æternæ lateret, foris in antro

a Aug. serm. 181. de temp. in vigil. Pent. serm. 1. *b* V. part. 1. Dom. 20. post Pent. *c* Strada l. 10. an. 1578. V. dicta p. 1. Dom. 1. post Epiph. §. 1. *d* In vita Macedonii.

e Cant. 8.

Beth-

Bethlemitico inventum, deoſculari, & facie ad faciem videre liceret. Hugo Cardinalis legit: *ut inveniam te foris ſolum.* addens, hæc moraliter eſſe verba fidelis animæ, quæ omnes ſenſus ac facultates ſuas à mundi curis, & turbâ phantaſmatum avocat, ut hunc principem infantem deoſculari, cum eo ſe oblectare valeat, qui ſuas non niſi ſoli delicias impertit. Hoc Amantibus familiare eſt, ſaltus & lucos quærere, ut liberiùs amori indulgeant: qui in deſertum ducuntur à ſpiritu, ſed maligno, à ſpiritu tenebrarum, à ſpiritu fornicationis. qualis ille extitit, quit cecinit:

a Hæc loca lucis habent nimium, & cum luce pudoris,
Si ſecreta magis ducis ad antra, ſequar.

Atque utinam non plurimis tragœdiis comprobatum eſſet illud Senecæ: *b*

Peccare noſter novit in ſylvis amor:

c qui deſertum ac lucos luce carentes, ſceleris ſui latebras quærunt. Pudeat profectò *d* nobilem Francum inſano fœminæ amore æſtuantem, opibus, familiâ, patria, mundo ſpreto, vitam anachoreticam, Antonii inſtar, aut Paphnutii in eremo tranſigere, cum Amaſiæ dumtaxat mutâ imagine dies & noctes confabulari, & nos beatam illam ſolitudinem non expetere, ubi non in imagine, ſed facie ad faciem ſpecioſum præ filiis hominum contemplari, ac familiariſſimè liceat confabulari.

Hæc inſana & profana ad divinum traduxit amorem, qui exponens verba illa ſponſæ ſuprà citata: *e Ut inveniam te foris.* "quoniam urbes & ipſa hominum ſocietas multas quotidie affert cauſas quæ amantibus quò minùs ſine interpellatione ſe ament, ſolent eſſe impedimento. unde concludit" Ambroſius: *f bona igitur anima quæ foris eſt, ut verbum intus ſit;* illa extra corpus ſit, à ſe, ac ſenſibus remota, *ut verbum habitet in nobis.* Hunc hoſpitem ſolitudinis amantem quiſquis exceperit, vitam benedictam, vitam beatam in terris duxerit, dum habitatorem Deum, id eſt cœlum ipſum intra ſe concluſerit, ut veriſſimè expertus clamet; *g unum pro certo ſcio ô vita benedicta! quia quiſquis in amoris tui deſiderio perſeverare ſtuduerit, ipſe quidem habitator eſt tuus, ſed ejus habitator eſt Deus.*

a Ovid.l.6. Faſt. *b* Senec. Hippolyt. Act.1. *c* Zehetner promont. malæ ſpei.l.2. §.3. *d* V. hiſt. par.1. Dom. 17. poſt Pent. §. 3.

e Giſlerius in Cant.c. 8. *f* Amb. de Iſaae c. 8. *g* B. Damian. opuſc.11. c. 19.

§. II.

Ducam eam in ſolitudinem, & ibi loquar ad cor ejus. Oſeæ 2.

Nemini non perſpectum eſt, volupe ac perjucundum homini eſſe, procul à ſtrepitu & tumultu populari, ſepoſitis curis ac negotiis, ruri vitam ſolitariam ac tranquillam ducere, quæ Nobilium ac virorum Principum deliciæ, quandoque animi relaxandi causâ in ſuburbanum ſecedere. Etenim vita *h*

Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Quàm quæ relictis mœnibus, ſylvas amat.

h Seneca in Hippol.

Hoc familiari suo suasit Seneca Philosophus: *a excerpe te vulgo, & in tranquilliorem portum tandem recede. Satis jam per laboriosa & inquieta documenta exhibita virtus est: experire quid in otio faciat. Major pars ætatis, certè melior Reipublicæ data sit, aliquid temporis tibi sume. Invenies majora quæ sepositus & securus agites: istum animi vigorem, rerum maximarum capacissimum ad te revoca.*

In hac animi quiete, & mentis relaxatione quâ cœli deliciis reficitur ac recreatur, inest illud otium negotiosum atque utile, tantopere in Scipione Africano *b* à M. Tullio, Plutarcho, atque ipso S. Ambrosio commendatum: solitus quippe erat dicere: *numquam se minus otiosum esse quàm cùm otiosus; nec minus solum, quàm cum solus esset.* Additque Cicero, duabus illum rebus, quæ languorem afferunt cæteris, acui consuevisse, *otio & solitudine. ille* enim, inquit, *requiescens à pulcherrimis Reipublicæ muneribus, otium sibi sumebat aliquando, & à cœtu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum se in solitudinem recipiebat.* Pergit ipse explicare quid vir bellicosus & Senatorius in secessu ageret, qui nihil literis mandavit, cùm ait: *ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione, investigationeque earum rerum quas cogitando consequebatur, nec otiosum nec solum unquam fuisse.*

Sed quænam illæ, quæso, erant Scipionis cogitationes, quæ commentationes? arbitror de Rep. fuisse: secum attentè agitare consuevisse; quî statui politico prodesset, quî gloriam nominis Romani & famam amplificare posset. Hujusmodi plenus salutaribus consiliis urbem, remque publicam repetebat. Quòd si unico ille magnus bellicâ laude, prudentiaque civili clarus, fidei radio perstrictus fuisset, næ ille longè meliori in otio tempus insumpsisset, næ ille altiora longè mente agitasset. Interim quod nostrum est ô Christiani, hoc ethnici apophtegma cordibus insculpamus: *numquam minus solus, quàm cùm solus*; quia in solitudine non ut gentiles inane studium, doctas fabulas, & vanitatem sectamur, sed negotium æternitatis, veritatem, Deum ipsum in quo omnia: nam ut rectè Ambrosius, *c non est solus, cui Deus præsens est*, qui cum Deo familiarissimè confabulatur; nisi ille solus censendus est, qui prolixa in interiori conclavi colloquia cum rege instituit, qui thesauros scientiæ ac magnificentiæ suæ, non nisi soli & in solitudine manifestat. *d gloriam suam*, inquit Tertullianus, *discipulis in solitudine demonstravit.* Inducit huc Hieronym. Bonosum monachum qui in desertam Insulam penetrarat, *e ubi*, inquit, *quasi quidam novi Paradisi colonus incedit; solus ibi, imò jam Christo comitante non solus, videt gloriam Dei, quam & Apostoli nisi in deserto non viderunt.*

Monuit olim Deus Abraham ut urbem & familiam relinqueret, dicens: *f egredere de terrâ tua & de cognatione tuâ, & de do-*

a Seneca lib. de brevit. vitæ c. 18. & 19. *b* Cic. l. 3. offic. Plut. in Scipion. Amb. l. 3. off. c. 1.

c Ambr. in Psal. 38. *d* Tertul. lib. ad Mart. c. 2. *e* Hieron. ep. 41. ad Ruffinum. *f* Gen. 12.

mo

ma patris tui. foris verò & in solitudine, ad colloquium & conspectum admittitur: *apparuit autem Dominus Abraham & dixit ei* &c. æquum enim videbatur ut qui turbas sæculares propter Deum deseruerat, Dei consuetudine frueretur: ut rectè Philo Hebr. observat: *a postquam*, inquit, *Abram totam domum egressus est, ait textus visum ei Deum.* & addit: *qui manifestè apparet extricato rebus mortalibus.* Quin & ipsi Patriarchæ Jacob à Patriis sedibus exulanti, domui Dei & porta cœli recluditur. dignus in domum Dei induci qui luteas domos deseruerat, ut ait *b* Athanasius.

Ea propter rectè Mediolanensis Antistes pronuntiavit: *c non primus Scipio scivit solus non esse, cùm solus esset. Scivit ante ipsum Moyses, qui cùm taceret, clamabat; cùm otiosus staret, præliabatur. Cujus autem majora negotia, quàm hujus otia? qui quadraginta diebus positus in monte, totam legem complexus est. Quando ergo justus solus est, qui cum Deo* (in quo omnia) *semper est? quando solitarius, qui à Christo numquam separatus est?* Solus profectò non est, qui quoties vult, meliore sui parte cœlum *obambulat*; *tantò facundior cum Deo & angelis*, *quantò* inter homines taciturnior. Nam ut sacræ literæ testantur, in eam familiaritatem à Deo admissus est, ut loqueretur cum eo *d facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* & ubi, quæso, eam gratiam inivit? ubi intimam illam familiaritatem contraxit? semotus à turbis, longè à strepitu aulæ, à tumultu castrorum. *e Solus erat Moyses, quando Dominus apparuit ei.*

Ubi existimatis esse *factum verbum Domini ad Ioannem?* numquid in paternâ domo? in aulâ Herodis? in foro? in frequentiâ populi? minimè gentium. Sed *in deserto*: ut enim quis Philomelam argutè modulantem audiat in sylvis, in solitudine, in silentio eam auscultet necesse est; haud aliter ut Deum quis sibi loquentem, & intus canentem audiat, solitudo quærenda est; hoc suos Sapiens ille Augustini discipulus Thomas Campensis edocuit, *f* qui quoties in monasterio occupatus, sensit per interiorem inspirationem se à cœlesti sponso, quasi ad colloquium sevocari, mox sermonem aut negotium abrumpens dicebat: Charissimi fratres, oportet me secedere, est enim qui affatum petat, qui me in cella expectet; ac cellam ingressus, summâ submissione illud Samuelis usurpabat: *g loquere Domine, quia audit servus tuus.* Idemque solitus dicere: *quoties inter homines fui, minor homo redii*, minor gratiâ, minor modestiâ, minor interiori compunctione, minor passionum moderatione.

Errat Adolescens qui putat se auditurū quid in se loquatur Dominus, quem vivendi modū perfunctis studiis amplecti debeat, dum inter consodales talos jacit, inter pocula bacchatur & helluatur: errat puella quæ arbitratur se audituram quid sponsus virginum

a Philo lib. . *b* Athan. in Apolog. de fuga sua. Hieron. in Psal. 133.
c Amb. l. 3. offic. c. 1. *d* Exod. c. 33.

e Rich. à S. Laur. l. 1. c. 6.
f Fabri Dom. 4. Advent. con. 8.
g 1 Reg. 3. de imit. Christ. l. 1. c. 10.

intus loquatur, dum cum lascivo proco sermones miscet, & amatoria serit colloquia; observat quippe Bernardus, cœlestem sponsum zelotypum esse dicens: *a ô Sancta anima! sola esto ut soli omnium serves teipsam; fuge publicum, fuge & ipsos domesticos; secede ab amicis & intimis, etiam ab eo qui tibi ministrat,* (Serviteurs.) *An nescis te verecundum habere sponsum; & qui nequaquam suam velit tibi indulgere præsentiam præsentibus cæteris?* Hoc expertus de se testatur Augustinus, *b* qui vocem Domini ab altissimo veterno se excitantem audivit, non Carthagine ubi circumstrepebat *Sartago flagitiosorum amorum:* non Romæ inter ludos Circenses: non in paternâ domo: sed cùm inter horti vireta solus deambularet, relicto etiam unico sodali suo Alipio: *c ubi oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lachrymarum; & ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio: solitudo enim mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur, & secessi remotiùs, quàm ut posset mihi onerosa esse etiam ejus præsentia. Ego sub quadam fici arbore stravi me nescio quomodo, & dimisi habenas lachrymis. & ecce audio vocem: Tolle, lege, Tolle, lege.* atque mox alius à solitudine reversus est Augustinus, & fluctuantem animum, ad portum salutis appulit. Verum enim verò quisq; vestrûm hoc de se potiori jure, quàm olim Bernardus fateri posset: *d quamdiu in exterioribus occupatus fui, vocem tuam Domine intra audire non potui.* Hinc cœlesti

a Bern. ser. 41. in Cant. *b* Aug. l.3. conf. c.1. *c* Lib.8. conf. c.12. *d* Bern. de interiori dom. c.66.

oraculo Arsenius admonitus: *Arseni fuge tumultus, & salutem assequeris,* ilico aulâ spretâ, in eremum concessit. Abiit & Christus in desertum *f non quod ipse secessione opus habebat,* sed ut Maldonatus observat: *g* ut nos " exemplo doceret, cùm de vitæ " rationibus, vel de re aliâ gravi " deliberamus, turbam homi- " num relinquamus, & nos in so- " litudinē colligamus, ubi Deum " audire, & nostra concilia com- " municare valeamus. Exempla " eorum in promptu sunt, qui priusquam rem arduam, aut novam dignitatem aut officium, aliudve majoris momenti negotium aggrediebantur, etiam in urbibus sibi solitudinem, ac per dies aliquot secessum quærebant, Deum quasi Moyses consulturi. uti videre est in imagine Societatis primi sæculi, lib. 3. cap. 10. Quos quemadmodum Mercatores, Senatores, Principes, occupatissimi quique mortalium æmulari, & in urbe sibi solitudinem ædificare valeant, videamus.

e Surius 19. Julii. *f* Greg. Naz. orat. 28. *g* Maldon in Matth. c.4.§.1.

§. III.

Adhibe tibi in urbe solitudinem, & remota (ô anima) *paulisper ab hominibus, propiùs Deo jungere.* Hieron. ep. ad Demetr.

IUstus Lipsius commendans Lovanium suum, *habemus*, inquit, *rus in urbe*, intra mœnia, campos & agros, si lubet exspatiari, hîc datur; Chamberlinus verò virtute, ac generis nobilitate clarissimus

mus Antistes, in urbe suâ Iprensi, ad palatium, amœnissimum viridarium adjecit. in cujus recessu eleganti opere (ut etiamnum videre est) spelæum erexit, hoc suo gentilitio symbolo inscriptum; *In solitudine solatium.* Complures viros potentes ac nobiles recensere est, qui *a ædificant sibi solitudines*, qui intra urbis mœnia, saltus, sylvas & amœnissima vireta miro artificio extruxta habent. Sed frustrà has sibi solitudines exstruunt, & corpore incolunt, si mens in turbis sit: *quid prodest*, inquit Gregorius, *solitudo corporis, si solitudo defuerit cordis?* Frustra quis in desertum Palæstinæ vel Arabiæ, aut in ultimos orbis angulos sese penetrarit, *b si corpore in choro, corde in foro*, si animo urbes & orbem pervagatur, *si*, ut cum Chrysostomo loquar, *c corpore humi prostrato, mens totam domum & forum circumeat.* Quare necessum non est inaccessa hominibus lustra lustrare, ferarum tesqua, ac horridam solitudinem inhabitare, quandoquidem solitudo animum non faciat solitarium, ut viri sanctissimi de se fassi sunt, quos inter hæc de seipso dimissè Basilius sentiens: *d equidem scribere ad te non sustineo præ pudore, quæ in hoc extremorum finium recessu interdiu noctuque agito; tametsi enim urbicas occupationes pro derelicto habui, ut sexcentorum malorum causas, me tamen ipsum etiam nondum pro derelicto habere nequivi.* Nec Hieronymus *e* diffitetur, in vastâ illâ solitudine, ubi socius erat fe-

a Job c.3. *b* S.Thomas opusc.59. c.8. *c* Chrys.ho.79. ad pop. *d* Basil. ep.1. ad Gregor. Naz. de vita in solitu. agenda. *e* Hieron. ad Eustoch. de virgin.

rarum & scorpionum, se animo non semel urbem Rom. perambulasse, & matronarum interfuisse tripudiis. *f Ceterùm quas libet quis quærat solitudinis latebras, & quocumque quis fugerit, desertum tecum alii* (cogitatus variique affectus) *petent; affectabunt vitam tuam; repellere non poteris societatem, miscebuntur etiam mali, & exerceberis.*

Alias ergo nobis solitudines ædificare jubet Sanctus Gregorius in medio cordis nostri, ut illud omnibus curis ac occupationibus sepositis in desertum commutemus, atque illic cum solo Deo soli commoremur: *g solitudines*, inquit, *ædificare, est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere. An non cunctos cogitationum à se expulerat, qui dicebat, unam petii à Domino? à frequentiâ quippe terrenorum desideriorum fugerat, & ad magnam videlicet solitudinem semetipsum recceperat; à tumultu rerum corporalium magnum quemdam secessum petierat quietam mentem, in quâ tantò puriùs Deum cerneret, quantò huic cum se solo solum inveniret.*

Familiam tuam Arcæ Noë, fluctibus ac tempestatibus jactatæ, non absimilem contemplare, in quâ insuper omne genus animantium, vario ac incondito tumultu perstrepentium. Inter hæc tamen recordare quòd dicit Dominus ad Noë: *h intra tu, & omnis domus tua.* Quod divinæ Scripturæ oraculum mirificè illustrat Ambrosius: *i Hoc dicit Dominus Iusto, intra tu: hoc est, intra teipsum, intra tuam mentem, in tua animæ principale; ibi salus est, ibi*

f Aug. in Psal.34. *g* Greg.l.4. Moral. c.28. *h* Gen.7. *i* Amb. de Noë c.13.

anima gubernaculum. Foris diluvium, foris periculum. O si ad hanc cordis solitudinem se mater ac paterfamilias quandoque per diem, per mensem, per annum à turbis domesticis reciperet! quàm arca hæc familiæ inter omnes negotiorum & tentationum fluctus pacificè ac tranquillè dirigeretur, & ut cum Gregorio loquar: *a Si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput*, securus inter pereuntium turbas portum prospiciet.

Ad ejusmodi solitudines exstruendas hortatur nos Hipponensis Præsul, dicens: *b Ædificemus & nosmetipsi in corde nostro* (solitudinem) *& faciamus domum, quò veniat Iesus, & nos doceat, & colloquatur nobis.* Vtinam cum Seraphico Francisco intra domus tuæ penitius cubile nascituro parvulo cunas exstruas, & cum ipso solo solus sermocineris! Vtinam æmuleris virginem illam, *c* quæ post enormia admissa flagitia, se intra Religiosæ vitæ septa recepit, ut jugi lacrymarum imbre scelus expiaret; sed conscientiæ stimulis exagitata, incassum sibi flere & pœnitere videbatur: etenim si oculos in cœlum attolleret, occursabat animo, nihil coinquinatum intrare in regnum cœlorum, nec nisi mundo corde quemquam, Deum intueri. Quod si Redemptoris nostri cruciatus, & acerbissimam mortem mente volveret impudentem suam illi ingratitudinem opponendo exclamabat: *Quid retribuam Domino?* eundem verò Judicem ac justissimum scelerum vindicem recogitando, tota in desperationem agebatur. *d Mens itaque hæc* (etiam in claustro) *quasi quemdam populum patiebatur, quæ insolenti cogationum tumultu vastabatur.* Quid agat? dies fortè puerulo Jesu natalis aderat: hîc illa in Palæstinæ solitudinem ad antrum Bethlemiticum à se & sensibus rapta, attento animo Deum Majestate positâ, parvulum pannis involutum suavissimè contemplari, nihilque pumilionem hunc irarum aut minarum spirare, quia sibi risum & basia deferre, animadvertens, sperare ac respirare occœpit; jamque animo resumpto has fiduciæ plenas ad Christum sinu matris ludentem, preces cum lachrymis fudit: per benignissimam infantiam dulcissime Jesu, quâ venisti peccatores salvos facere, sui quoque misereri vellet. Atque extemplo *Verbum infans* disertâ voce hanc cœlestis consolationis plenam protulit sententiam: *ob infantiam*, quam illa singulari religione venerabatur, omnia peccata penitus remissa esse, nec multò pòst ad æterna gaudia evolavit. Huc & tu, ô peccator, animo peregrinare; aut si mavis, intra domus parietes, per diem quandoque ad pedes Christi cum Magdalena *e* te recipias; Magister tuus hîc adest, & vocat te: intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito. Sanctus Augustinus *f* sensu mystico, illud cubiculum ait esse cordis nostri secretum. Divus Basilius *g* ex

a Chrysost. in orat. ad S. Philogon.
b Augustin. tr. 7. in Ioan. *c* Pelbart. ser. 18. de Nat. Paracelsus puerorum part. 1. c 8. §. 10.
d Greg. l. 4. Mor. c. 28. *e* Matth. c. 6. *f* Aug. serm. 59. de temp. *g* Basil. in Psal. 28.

mente

mente pii Vatis vocat *Aulam Sanctam*. Cui Leo magnus maximum orbis oraculum consentit, dum suadet: *a in aulâ mentis divina vacare sapientia; ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, & in delitiis lætetur æternis.* Hanc aulam in culinâ, hoc sponso suo concubiculum ædificarat in medio cordis sui, & circumferebat *Catharina* Virgo *Senensis*; *b* in quod etiam inter culinæ ministeria, & domestici operis labores, se abdebat: ubi se sibi furabatur, Deoque fruebatur. Quis vestrûm adolescentes? quis vestrûm fœminæ? quis vestrûm opifices, mercatores, causidici, Senatores, viri nobiles cubiculum circumfert? *c Intra te vide*, ait Augustinus, *si habes aliquod secretarium dulce conscientiæ tuæ, ubi non perstrepas, ubi non litiges, aut lites pares.* Quod vel Ethnicus declamator inculcat, dicens: *d etiam in turbâ, etiam in convivio faciat tibi cogitatio ipsa secretum.*

Conformiter Chrysostomus, Theophylactus in caput 6. Matthæi, verum ac materiale *cubiculum* volunt, ut domus non sit, quæ non habeat suum oratorium, seu orationis locum, ad quem te per diem recipere, aut certè mane & vesperi tecum & cum Deo colloqui, intra conscientiæ latebras abditus, interiora cuncta rimari valeas. Hoc Angelici Doctoris votum est, ut quisque usurpet, qui expendens illa verba: *e intra in cubiculum*, sic ait: *per diem mille te circumdederunt causæ, & non permiserunt te esse secretum orationi; sed quando ad lectum perveneris, dic animæ tuæ: Anima quomodo expendimus diem? quid boni vel mali fecimus? Roga Deum prius, sic anima tua soporari permitte. Sic faciebat f Judith, g sic Petrus, h sic Tobias.*

Denique ut concludam; Virgo Mater in urbe Nazareth solitudinem suam habebat, in penetrale domus cubiculum se abdebat, ardentissimo cordis desiderio adventum Salvatoris expectans, atque in ejus misericordiæ abysso, mente defixa hærebat. In hac solitudine cœlestis paranymphus Virginem convenit: *i Sola*, inquit Ambrosius, *in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret; sola sine comite, sola sine teste.* Quod ipsum confirmat Sanctus Eucherius: *k Ingressus est Angelus ad eam; non enim virgo in plateis erat, non in publico morabatur. Intus erat in penetralibus, sola sedebat; nec tamen sola, tanto virtutum exercitu stipata.* Tacitè vos commonens, si cum Virgine Deum intra cordis sinum recipere studeatis, in silentio ac solitudine ei hospitium præparatis, ubi Maria eum intra viscera sua complexa est: *l quando in solitudine contemplatur Virgo Maria, tunc venisti, & in eâ, & de eâ carnem assumpsisti, ô bone Iesu.*

Quare à sponso suo eleganti similitudine *m Hortus conclusus* nuncupatur, ubi cum sponsâ suâ solus se oblectet. Talē se præbeat Eustochium hortatur Hierony-

a Leo serm. 8. de Jejunio. *b* Surius in vita. *c* Aug. serm. 63. de temp.
d Quintil. L. lib. 8. declamat.
e Thomas in Matth. c. 6. v. 6.

f Judith. 8. *g* Act. 10. *h* Tob. 3.
i Ambr. in illa verba: Ingressus Angelus. *k* Super missus. *l* Bernard. de negotiatore. *m* Cant. 4.

mus:

mus: a *Semper*, inquit, *te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Nolo te sponsum quærere per plateas; nolo te circumire angulos civitatis, zelotypus est Iesus, non vult ab aliis videri faciem suam.* Ac tandem subjungit: *Foris vagantur Virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso.*

Sed ô tempora! ô mores! non quinque dumtaxat, verùm supra quinquaginta, supra quingentas ejusmodi fatuas ac vagas virgines in hac urbe numerare est, quæ per fora & plateas discursitant. b *Non est Christus circumforaneus*, inquit Ambrosius, ut eum in foro, in triviis, in turbis quæratis, aut invenire credatis. Mariam æmulamini, *domicellæ* estis, nomen vos admoneat, *domi cellam* ædificare. Adeò ut fuerit qui puellas tertiò dumtaxat in vitâ domo exire voluerit: primò ad Baptismum, secundò ad matrimonium, tertiò ad sepulchrum. Optima quæque latent. pulcherrimus flos non in prato sed concluso in horto nascitur. Richardus à Sancto Laurentio lib. 5. advertit, quòd Esther, quæ formâ prorsus eleganti fuisse describitur, interpretetur *absconditа*. In quo moraliter edocetur Christi sponsa & omnis honesta filia, pulchritudinem suam corporis & animæ occultare, quemadmodum pretiosæ ac artificiosæ tabulæ sipario passim obvelatæ sunt. Quò spectat Sinarum solertia ne filiæ vulgares fiant: tradit enim P. Trigautius, c Sinas omnes elegantiam ponere in eo, ut puellæ exiguos pedes habeant, atque ideò à teneris fasciis ita constringunt, ut incedere nequeant. *Id videtur*, inquit, *sapientis alicujus inventum fuisse, ut eas domi continerent*. Et æternæ sapientiæ monitum non poterit Christianam filiam à plateis, à fenestris, à choreis, congressibus intra domi parietes, intra cubiculi secreta continere? ut tandem ex hoc deserto sicut virgula fumi cum Angelorum Reginâ ascendere valeat, orbe universo mirante & acclamante: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto?* Vbi Rupertus Abbas sic Mariam alloquitur; d *Talis ascendisti per desertum, id est, animam habens solitariam, quemadmodum Esther cùm esset Regina, veraciter tum dicebat: e Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam.* Ac tandem epiphonematis loco subjungit: *Digna exclamatio, digna admiratio! quæ est ista, quæ talis ascendit per desertum.*

a Hieron. ep. 22. ad Eust. b Ambr. l. 3. de virg.

c Trig. de exped. Christ. apud Sinas, l. 1. c. 6. d Rup. in illud Cant. 3. e Esth. c. 14.

EMBLEMA V.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2.



a REGINA JUBES RENOVARE DOLOREM.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Horologium afflictissimæ Matris, in quo gladius doloris acerbissimos cordis ejus cruciatus signat.

§. I. *Gladius doloris, Sanctissimæ Matris pectori perpetuò infixus.*
§. II. *Horologium Matris dolorosæ.*
§. III. *Matri dolorosæ condolendum, eoque praxes adductæ.*

a Virg. l. 2. Æneid.

DOMI-

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. Luc. 2.

TImanthes pictor celeberrimus, *a* non minùs manu ad exprimendum, quàm mente ad inveniendum expeditâ, Iphigeniam Regis Agamemnonis filiam, ætatis flore, formæ venustate, ad miraculum præcellentem, jam sub fatali ferro, Dianæ Tauricæ immolandam, in tabulâ aptè depingere susceperat. Cùmque familiam omnem, adstantes propinquos, & ut Plinius ait, *a* præcipuè *patruum*, dolore ac lachrymis obrutum scitè depinxisset; adeò ut omnem in his artem se insumpsisse fateretur: nil excogitare, ne efformare aut valuit, quo parentum in hujus prædilectæ filiæ acerbissimâ morte, luctum vivis colorum lineamentis dignè effingeret. Quare hoc ingenioso commento usus, eorum vultus inducto sipario obvelavit. Vel sic fassus, tam impotentes animi corporisque motus, nullâ arte vel industriâ posse adumbrari. Consimilem non vulgares Auditores causam asseverant, cur sacri Euangelii præcones in luctuosissimâ illâ Christi patientis tragœdiâ, quemdam rerum omnium creatarum sensum expresserint, petras scissas, monumenta aperta, totius terræ tremorem, solis ac lunæ defectum, mulierum ac propinquorum lachrymas, qui *b flebant & lamentabantur eum*, orbemque denique universum, lugubri schemate tenebris suis, quasi pallâ veste, parenti suo parentasse; at verò afflictissimæ Matris lachrymas, ac planctus non enarrasse, quòd inenarrabiles essent, atque adeò silentii velo involvisse. nam ut Ambrosius ait: *c Mariam stantem legi, flentem non legi:* vel quòd in atrocissimo luctu fieri consuevit, ut dolor omnis ita cordi inclusus æstuet, ut lachrymas neget, quod Psamnitus Rex Ægypti, à Cambyse Persarum Rege captus comprobavit: *d* qui siccis oculis vidit filiam ancillæ in morem, cum hydriâ mitti ad hauriendam aquam, & filium suum mancipii instar, collo in ferreum annulum inserto, ante se trahi: ad quæ ille, gementibus aliis immotus perstitit; at viso amico jam grandævo, olim beato, nunc mendico; hic nec gemitus, nec lachrymas continere valuit. Rogatus facti tam insolentis causam; propria, inquit, & meorum mala tanta sunt ut lachrymas prohibeant, & stupore ac dolore nimio velut in saxum faciant obdurescere; in malis mitioribus, quæ cerno, sensum humanitatis retineo. Ita *strangulat inclusus dolor*, qui ne per oculos efflueret, materno pectori assiduo conclusum cogitemus. quemadmodum Herodotus de Reginâ illâ testatur, quæ Regis sponsi mortem in stadio, repentino casu obtriti, ne lachrymis prosecuta est: quod matronæ

a Plin. l. 53. c. 10. *b* Luc. 23.

c Ambr. de Instit. virg. c. 7.
d Herod. Sal. ann. Eccl. an mundi 3527. Cambysis. 4.

cuidam

cuidam demiranti, ac sensum animi ejus pertentanti, respondit. *a Non illachrymor, ne integrum semper servatura dolorem, imminuam.*

Vel certè Matris lachrymas, Euangelistæ non expresserunt, *b* quòd cùm per omnem vitam, per horas singulas, dilectissimi filii cruciatus animo volvisset, & sponsus ille sanguinis semper oculis oberrans, tot lachrymas expressisset, ut postquam, teste S. *Germano*, etiam sanguineas fudisset, tandem lachrymæ defuerint: etenim si sacer historicus refert, Davidem, sociosque ejus, direptam Siceleg plorasse, *c donec deficerent in eis lachrymæ.* In Heb. Et *non erant vires ad plorandum.* Virgo Mater, cujus dolori, ut infrà videbimus, nullus valet adæquari, fontes lachrymarum effudisse censenda est, ut jure illud Tullii oratione secundâ in Antonium usurpare posse videatur: *Hei mihi! consumptis lachrymis, infixus tamen pectori hæret dolor.*

a Herod. l. 3. *b* V. Mallon. in Christi stigmat. c. 13. Barry Pan. 5. p. 1. devot. 46. *c* 1 Reg. 30.

§. I.

Gladius doloris Sanctißimæ Matris pectori perpetuò infixus.

INnumeri mortales arbitrantur, Virginem Matrem Christo dilectissimo Filio sub Cruce dumtaxat compassam, ac tum temporis vaticinium illud Simeonis tandem completum: *d Tuam ipsius animam per transibit gladius*; cùm gravissimorum Doctorum testimoniis, ac divinâ revelatione manifestum sit, Mariam à primo instanti quo Dei Mater exstitit, id est ab anno decimo quinto ætatis suæ, usque ad septuagesimum secundum, quo in cœlos assumpta, acerbissimos Filii sui cruciatus, semper animo, quasi præsentes spectasse: atque hunc doloris gladium, non sine tenerrimo sensu cordi semper infixum gestasse, idque ex perfectissimâ cognitione passionis futuræ, & scientiâ Theologicâ infusâ mysteriorum, supra omnes Prophetas, ut Suarez *e* SS. Patrum auctoritate confirmat, ex quibus unum Ambrosium adduxisse sufficiat: *f Istum gladium cor & anima Virginis profundè immersum habuit, quia Dei mysteria cæteris profundius penetravit, & verba Dei de Christi passione, ac cæteris operibus semper in corde medullitus portavit, juxta illud: Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Vbi minimè prætereundum censeo, quæ eximiæ cultrici ac familiæ suæ, significavit Sanctissima Mater: *g* videlicet legationem Gabrielis Archangeli, tenuisse ad novem omnino horas, atque eò loci ac temporis cœlestem hunc nuncium sibi narrasse tristitiam, labores, passionem, mortem: atque ex acerbissimâ illâ Filii è Virgine nascituri lanienâ, gravissimos cruciatus perpetiendos esse. Eâque narratione magnopere se affectam nihilominus consensisse, ut Mater fieret Filii, qui *vir* tantorum *dolorum* futurus erat, quo ei

d Luc. 2.

e Suarez p. 3. tom. 2. q 37. disp. 19. sect. 2. & 3. *f* Amb. super Luc. c 2.
g Corn. à Lapid. in Luc. c. 1. v. 38. Nierenb. de amore erga B. Virg. c. 15.

afflicto

afflicto adesset, atque ab omnibus relictum, sola ne destitueret. Quod ut sublimi mentis contemplatione expendit Sanctus Bernardinus, asserere non dubitavit: *a Beatam Virginem cum Christo crucifixam esse in horâ ejus conceptionis: tum enim obtulit se, & prompta fuit ad exponendum se morti & Martyrio.*

Atque adeò ut piè ac eruditè de Servatore nostro, unus è Societate nostrâ *b* docuit, eum à primo conceptionis instanti, veluti in perpetuâ cruce distentum fuisse. Ita Deipara numquam non mater doloris extitit, quæ per annos quinquaginta septem, quasi perpetuò sub cruce stetit, id est per dies 10805. & horas 259320. quibus Filii cruciatus, perpetuum simulque acerbissimum Matri martyrium pepererunt. Jesum quippe suum perpetuò atque adeò omni parte vitæ, veluti crucifixum ante se habuit. Hunc & tu tam prodigè tui amantem, assiduò contemplare: adamantem perpetuò redama. Ita Marchio Badensis lapidem pretiosum habuisse memoratur, *c* à quodam rustico in agris repertum, qui exquisito naturæ miraculo, quacumque sui parte inspiceretur, Christi crucifixi accuratam imaginem distinctè referret. At longè hoc expressiùs cor adamantis Matris Filii cruciatus vivâ mentis cogitatione, ubi ubi se verteret, expresserat. Nec unum dumtaxat diem naturalem Christi passionis, ac tres horas Crucis ad calculum revocabat, sed ut minimùm *duodecies mille & quinquaginta tres dies* quibus est passus; *horas verò ducenties octogesies novies mille ducentas & septuaginta octo*, quibus quasi perpetua pependit in Cruce.

Quod disertè docuit, non minùs eruditione, quàm sanctimoniâ vitæ conspicuus Rupertus Abbas in libro tertio, cap. quarto Cant. v. 1. *Capilli tui, &c.* ubi ait, *tu quoque* (ô Maria) *longum in cogitationibus tuis, præscia futura passionis Filii, pertulisti Martyrium.* Longum enim verò Martyrium, quod tot dies, tot menses, tot annos materna viscera excruciavit: quod ex revelationibus Divæ Brigittæ luculentiùs patet, quæ non tantùm gravissimorum auctoritate Doctorum, verùm etiam Summorum Pontificum Urbani Sexti, Bonifacii Noni, Martini Quinti, & Conciliorum Constantiensis & Basiliensis calculo approbatæ, omnique veritate ac sanctitate conspicuæ habentur, in quibus hæc piâ commentatione ruminanda occurrunt: *d Ego plena fui tribulatione à nativitate Filii mei, usque ad mortem ejus; tribulationem & dolorem cordis supra omnem creaturam patiebar.* Causam subdit: *Melius quàm Propheta præscivit sui Filii passionem; ideo eum lactans cogitabat, quòd felle & aceto esset potandus in Cruce; quando eum manibus gestabat, videbatur illi, quòd Crucis brachiis esset confixus; quando dormiebat, cogitabat mortuum ex Cruce depositum; quando osculabatur, Iudæ osculum cogitabat; quando fasciis involvebat, funes cogitabat quibus ligandus ab impiis carnificibus; quando manu ducebat, ducendum ad tribunalia,*

a S. Bernard. Senens to. 3. serm. 6 a. 2. c. de miro Martyr. Virg. in concept.
b Libello *Crux perpetua.* *c* Spondan. an. 1415. Ex Nider. formic. l. 4. c. 6.

d Revel. S. Brigit. l. 6. c. 24.

[f]unalia, ut impiis judicibus sisteretur. Tenerrimos matris affectus, hîc secum quisque attentâ mente expendat; immane quantùm differat osculum Matris, ab osculo proditoris; fasciæ quibus omnipotentes manus Maria involvit, à funibus & catenis Judæorum, ut vel tum illud sponsæ Maria usurpare potuerit: *a Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur;* omnes Christi cruciatus, velut in manipulum collectos, pectori semper infixos gestando. Vnde apud eundem Rupertum nos Virgo commonet. *b Nolite solam attendere horam, vel diem illam, in quâ vidi talem dilectum ab impiis comprehensum male tractari, illudi, spinis coronari, flagellari, crucifigi, felle & aceto potari, lanciari, mori & sepeliri: nam tunc quidem gladius animam meam pertransivit; sed antequam hic pertransiret, longum per me transitum fecit: Prophetissa namque eram, & ex quo Mater ejus facta sum; scivi eum ista passurum. Cùm igitur talem Filium in sinu meo foverem, ulnis gestarem, uberibus lactarem, & talem ejus futuram mortem præ oculis haberem: qualem quantam, quàmque prolixam me putatis Matrem doloris pertulisse passionem? Hoc est quod dicit: fasculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur.* ,,Quid ni hinc rectè Re-,,ligiosissimus vir inferre non ,,dubitavit: *c* graviora passam ,,Deiparam, dum in stabulo ,,Bethlemitico parvulo suo Jesu ,,ubera virginea præberet, quàm ,,in extremis suppliciis Martyres: præsentiebat enim singulas ,,guttas lactis materni, quas divi-,,nus infantulus duceret, in sa-,,cratissimum ejus sanguinem ,,convertendas, qui flagellis, spi-,,nis, clavis, aliisque intolerandis ,,cruciatibus, ex venis omnibus ,,illi exprimeretur, ut ne guttula ,,superesset, etiam mortuo, lan-,,ceâ latus aperiendum. Quantus ,,itaque hic Matris optimæ fuit dolor! quantus in nos amor! dum recogitaret se mundi Redemptorem lactare, *d ut divinum illud lac nobis scaturiret; quod ex proprio latere profudit, nihil enim aliud est lac, quàm sanguis albus.* Accedit, Virginis dolores ab hoc die, quo Simeon ei vaticinatus est, incrementum sumpsisse, quemadmodum dilectissimæ filiæ suæ manifestavit dicens: *e Tali etiam die sicut hodie, dolor meus augmentatus est: nam licet sciebam filium meum ex inspiratione divinâ passurum, tamen ex verbis Simeonis, quibus dixit gladium pertransiturum animam meam, & Filium meum positum in signum cui contradicetur, gravius perforabat cor meum dolor iste, qui usque dum assumpta fui corpore & animâ in cœlum, numquam defuit à corde meo. Scire etiam te volo, quòd ab isto die dolor meus sextuplex fuit.* Quem potiùs meditandum, quàm obiter legendum propono. *Primò, inquit, fuit dolor in cogitatione meâ; nam quoties aspiciebam Filium meum, quoties involvebam pannis, quoties videbam ejus manus & pedes, toties animus meus, quasi novo dolore absorptus est; quia cogitabam quomodo crucifigeretur. Secundò fuit dolor in auditu meo:*

a Cant. 1. Rup. l. 1, in Cant c. 1.
b Sainct Iure l. des estus c. 6. sect. 2. Nierenb.

d S. Athan. V. Baez. to. 1. l. 1. c. 12.
e Revel. Bri. l. 6. c. 57.

nam quoties audivi opprobria Filii mei & mendacia, & insidias ei positas, toties animus meus motus est dolore, ita quòd vix se tenere poterat. Tertiò fuit dolor meus in visu; nam quando vidi Filium meum ligari & flagellari, & in ligno suspendi; corrui quasi exanimis: sed reassumpto spiritu, steti dolens. Quartò fuit dolor meus in tactu: ego enim cum aliis deposui Filium meum de Cruce, & involvi eum, & posui in tumulum, & sic tunc augebatur dolor meus, ut vix manus & pedes mei haberent robur ad subsistendum. Quintò patiebar ex vehementi desiderio perveniendi ad Filium meum, postquam ipse ascendit in cœlum: quia longa mora, quam habui in mundo, post Ascensionem ejus, dolorem meum augmentabat. Sextò patiebar dolorem ex tribulatione Apostolorum, & amicorum Dei, quorum dolor erat dolor meus, timens semper & dolens.

Ab hac ergo die, usque ad finem vitæ dolores materni non modò perpetui fuêre, sed juxta incrementum ætatis invaluerunt; quod eleganti similitudine Angelus S. Brigittam edocuit: *a congruè hac virgo nuncupari potest florens rosa: nam sicut rosa crescere solet inter spinas, ita hac venerabilis Virgo in hoc mundo crevit inter tribulationes: & quemadmodum quantò rosa in crescendo se plus dilatat, tantò fortior & acutior spina efficitur; ita & hac electissima rosa Maria quantò plus ætate crescebat, tanto fortiorum tribulationum spinis acutiùs pungebatur. Cùm autem ad illam ætatem ipsa pervenit, quâ Filius Dei factus fuit Filius suus, tunc plenissima illa rosa in suâ pulchritudine magis dilatari, ac crescere videbatur: ac tribulationum spinæ, ipsam acriter stimulantes, fortiores & acutiores indies efficiebantur!*

Vultis hujus rosæ inter spinas incrementum cernere, & ingravescentes dolorum aculeos considerare? aptissimè hos expressit Canisius; *b* quem Cardinalis *Hosius* Hæreticorum malleum, *Aubertus Mireus*, sæculi sui Hieronymum nuncupavit hic l. 4. de Deiparâ c. 25. nomine gladii, existimat Simeonem comprehendisse omnes angustias & dolores, quos Beata Virgo Deipara effecta, pertulit. Primùm, inquit, quomodo " pia Mater non mœreret, & cùm " partui proxima, summam ho- " minum inhumanitatem in " Bethlehem aspexit, omnium " ædibus exclusa, omnium o- " pe & subsidio destituta, ut ad " solum stabulum & commu- " ne bestiarum præsepe fuerit " confugiendum: si se suumque " puerperium & tenerrimum in- " fantulum à noctis, frigoris, & " hyemis asperitate, variisque in- " juriis, utcumque tueri vellet. " Deinde non affligeretur ma- " ternum pectus, cùm suavissi- " mum parvulum vix dies octo " natum, legi durissimæ subjice- " ret, atque ex more gentis cir- " cumcidendum traderet? Haud " ignara certè innocentissimum " puerum, hac sacri sanguinis ef- " fusione, quasi præludere & " præsignificare, quâ viâ, & ratio- " ne, tandem nostrorum crimi- " num, adeoque totius mundi " sordes, & maculas gravissimas " deleturus esset. Vbi & filii & " matris dolorem, Doctor Seraphi-

a V. Lancicii. opusc. 9. c. 1.

b In elog. scriptor. Belg.

cus

cus expendit. *a Hodie incepit Dominus Iesus suum sacratissimum Sanguinem pro nobis effundere, & hodie fortiter ploravit, sed eo plorante, credisne quod mater potuerit lachrymas continere? Ploravit ergo & illa, &c.*

„ Adhæc triste vaticinium, quod „ partim de filio, partim de Matre ejus in templo dixit Simeon, tantò majorem dolorem illi creavit, quantò frequentiùs illud secum animo reputavit, ac in re ipsâ certius deprehendit. Quo autem mœrore, quantaq; commiseratione matres & infantes Bethlemiticos prosecuta est, & an illi ludus esse potuit, intempestâ, nocte, insalutatis amicis rebus malè compositis, domum & patriam deserere: Capitales filii quamvis infantis hostes, & in his Herodem sævientem fugere; tum apud impios, barbaros, ignotos Ægyptios, cum filiolo & Josepho, aliquot annis exulare, totque itinerum molestias devorare. Quod quàm molestum fuerit, ipsa testatur dicens: *b Ille dolor non erat minimus, quem habui, quando filium meum deferebam, fugiens in Ægyptum: Et quando audivi pueros occidi innocentes, & Herodem persequi filium meum*; In quo exilio, ut Ludolphus præmeditatur, in summâ paupertate vitam traduxit: *c Quin etiam*, inquit, *aliquando filius famem patiens, panem petiit, nec unde daret, mater habuit. Nonne in his, & similibus totaliter concutiebantur viscera ejus?* Nonne gladius hic famis, quam filius tolerabat, cor matris transfixit?

Pergit porrò Canisius: „dolens & anxia filium duodennem, delicium suum amissum triduo requisivit, de quo Bernardus: *d Tantum subtractus vel ad modicum, ineffabiles præsentiæ ejus delicias querebatur: tam enim dulcis est dominus Iesus gustantibus eum, tam speciosus ad videndum, tam suavis ad amplectendum, ut brevis ejus absentia, materia doloris maxima sit.* Tandem exclamat: ô graves, & nobis inexplicabiles animi cruciatus, quos illa cum filio, & propter filium annos triginta sæpe sustinuit, atque ut arbitror, pro suâ modestiâ, nulli mortalium patefecit. "

Concludo viri Ascetici, in unâ virginis afflictæ contemplatione defixi testimonio: *e* O Maria " gratiæ fons, præcipua martyrum omnium! non hoc initium est dolorum tuorum sub cruce, non hîc tua cœpit professio, non hæc prima est tui Deo obedientis abnegatio; sed sicut Christus filius tuus ab initio gratissimè se subdidit ad mortem usque, patris voluntati, & toto vitæ suæ spatio paupertatem, persecutiones, oblocutiones, & contemptus spontè sustinuit: sic & tu domina nostra dulcissima, totam te resignasti Deo, quando mater filii Dei esse consensisti. His accedit Hieronymus de Florentia, *f* non contemnendus auctor, cui Philippus III. Hispaniarum rex,

a Bonav. in medit. vitæ Christi. c.8.
b Revel. Brigittæ l.6. c. 56.
c Ludolph. de vita Christ. part.1. c.13. in fine.

d Bern. hom. infr. octav. Epiph.
e Taulerus exercit. vitæ Christ. c.18.
f Alegambe in Bibliot. Soc. P. Florentia in mariali tom. 2. serm.1. de purific. punct. 4.

cum

cum ad se verba faceret, confidendi copiam fecerat, nullo hactenus exemplo: sentit is, quemadmodum Christus primo suæ conceptionis instanti, crucis sacrificium acceptavit; ita pariter ejus matrem in eandem victimam consensisse. ubi in illo *fiat*, se paratam stitit ad universa perpetienda, quæ in filii futuris cruciatibus à matre tolerari debebant. Per quem actum docet ex Bernardino Senensi: *a* Virginem plus meritorum sibi comparasse, quàm Martyres universi in suis martyriis. Ex quibus omnibus patet, illud verissimum Anselmi pronuntiatum: *Tantum fuisse Mariæ dolorem, ut per singula momenta vitam ei ademisset, nisi peculiari eam miraculo Deus conservasset.*

Nunc,

Eja mater fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.

Audio te apud Jeremiam ingeminantem: *b posuit me desolatam totâ die mœrore confectam.* Si totâ die, quid in omni horâ recogitarit, quid ille dilectus, & unicus filius suus tormenti subiturus esset, *c* cum fateatur nullam horam sine tribulatione cordis, se in terris transegisse. Fac, ô Virgo, si non momentis omnibus, at horis singulis tecum flere, ac condolere possim, quod me tuus mellifluus docet Bernardus: *d Eum scilicet, qui sensum Christi habet, sat scire quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei & servum redemptoris deceat, unâ saltem aliquâ diei horâ paßionis ipsius attentè recolere beneficia.* Quas propter qui Christi patientis cruciatus populo ruminanda proponit, incredibile dictu quanto animorum motu, & pietatis fructu, lachrymas Matris, per singula mysteria, filii sanguini attemperarit.

a Bernard. in serm. 15. in festis.
b Thren. 1. *c* In revel. Brig.
d Bern. tract. de vita solit.

§. II.

Horologium matris dolorosæ vesperi horâ 7. valedixit filio.

Seraphicus Bonaventura docet, Christum prius quàm ad acerbissimam mortem subeundam pergeret, dilectissimæ matri vale extremum dixisse: *e Cœnâ igitur factâ,* inquit, *vadit Dominus Iesus ad matrem, & sedet seorsim colloquens cum eâ, & copiam ei suæ præsentiæ præbens, quam in brevi subtracturus erat ab eâ, dixitque ei: mater charißima voluntas patris est, & tempus redemptionis advenit, modo implebuntur omnia, quæ de me scripta sunt. Dixit igitur mater, vix valens verba formata proferre: fili mi, tota perculsa sum ad vocem istam, & cor meum dereliquit me;* quod velut acutissimo gladio transfixum, describit Hebronensis antistes dicens, *f doloris gladius cor ejus sacratißimum penetrabat,* cum filius *ad paßionem iturus, in Bethaniâ ei valedicens osculo dato, cum lachrymis ab eâ discedebat.* Addit S. Vincentius, *g* idem sentire peritiores doctores. Quis autem animo complectatur, quantus quamque amarus in hac filii separatione, ad gravissimam la-

e Bonav. medit. vitæ Christ. c. 12.
f Fornerus in paradiso malorum punic. tom. 2. conc. 23. *g* Vincent. in parasc.

nienam

nienam abeuntis, luctus ac comploratio matris exstiterit? hic omnium linguæ infantes, omnium calami muti; sed non tacebit pupilla oculi tui: etenim si cives Ephesini, tanto doloris sensu Paulum abiturientem, & vale sibi dicentem, prosecuti sint, ut sacer textus dicat: *a magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum.* Omnes flevêre & viri in lachrymas ubertim prorupêre, quia præsentia Pauli, hominis exteri, quicum exiguam consuetudinem habuerant, destituebantur; matrem verò siccis oculis talem filium, cujus vultus plenus gratiarum, cujus lingua verba vitæ æternæ formabat, in certam mortem abripiendum, spectare potuisse arbitramur? Quàm amarum à charis avelli, Davidis & Jonathæ amores satis loquuntur; qui cùm sibi supremum valedicerent, *b osculantes se alterutrum fleverunt pariter; David autem amplius:* quia *anima Jonathæ conglutinata erat animæ David, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* At virgo non quasi, sed supra animam suam, filium diligebat, eique tota conglutinata, tota confixa erat.

Benjamino suo avelli, sat erat ut Patriarchæ Jacob vitam præ dolore adimeret, cum sic lamentetur: *c Benjamin aufertis, in me hæc omnia mala reciderunt! si quid ei adversi acciderit in terrâ, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* Ecquid non malè tibi obveniet amantissime Jesu, quò jam properas? Siccine abis dilecte mi! ô gaudium meum! ô amor mi! ô vita mea! Siccine abis? ô dura divulsio! Irremediabilibus lachrymis flebat Anna decessum filii sui Tobiæ, qui Angelo comite ad nuptias properabat in Rages: *d Cumque profecti essent, cœpit mater ejus flere & dicere, baculum senectutis nostræ tulisti.*

Longum esset enarrare, quanto doloris sensu filius à parente, maritus ab uxore, in exteras partes, aut ad bellum, aut ad certam mortem abiturus separetur. Hoc dixisse sufficiat: Mariæ amorem in filium, quemadmodum omnium mortalium longè superavit, ita & dolorem in ejus separatione, nulli posse adæquari, attestante Hieronymo. *e Plus omnibus dilexit, propterea & plus doluit.*

Quanto amore Isabella in patriam, in propinquos ferebatur, ex dolore carentiæ eorumdem colligere est, *f* qui tantus fuit, ut cum Philippo II. Hispaniarum regi tradenda, suis valedicens, Galliæ finibus excederet, animo præ mœrore defecerit. Henricus verò III. Galliarum rex, *g* quem patriâ profugum, Poloni sibi præfecerant, adeò iis charus extitit ut in Galliâ reducem & avitum suum regnum capessentem præ cæteris, discessum regis tam benevoli, immoderatè ferens comes Tancinus, ipsum insecutus, inque genua provolutus: cum extremum valedicendum esset, in monumentum & pignus amoris perpetui, vel ligulam unam vestimenti, sibi impertiri ardentis-

a Act. 38. *b* 1 Reg. 20. 1 Reg. 18. *c* Gen. 42.

d Tobiæ 5. *e* Hieron. serm. de assumpt. *f* Andreas Favijn. in hist. Navarræ. an. 1559. *g* Pise tom. 1. in epiphan. Pise tom 2. pag. 416.

sime

ſimè poſtularit; quam vivæ, inquit, carni, tui in me affectus teſtem, queam inſerere. Attonitus rex tantum benevolentiæ in homine peregrino reperiri, regium annulum cum inſigni adamante in teſſeram affectus mutui donavit. O dilectiſſime Jeſu! non annuli, non gemmæ, non omnes mundi divitiæ, te uno ſublato, matris dolorem levare potuiſſent; niſi te ipſum, in S. Euchariſtiæ Sacramẽto, in prodigi ac prodigioſi amoris pignus reliquiſſes; quo ſe tibi intimè communicaret. Quis vobis hic animus, ô Virgines amantiſſimæ Jeſu ſponſæ? compellat vos virgo Mater: *a O filia Ieruſalem, ſponſa dilecta Dei! Unà mecum lachrymas fundite, donec vobis veſter ſponſus in ſuâ ſpecioſitate benignus appareat, vel occurrat. Recolite, recolite, & ſedulâ mente penſate, quàm ſit amarum ab ipſo ſeparari, cui vos promiſiſtis ac nupſiſtis, cui vos in omni ſanctitate faviſtis.*

Cùm Thomas Morus *b* jam læſæ majeſtatis reus pronuntiatus, captivus à ſatellitibus duceretur, Margareta filia ejus, per medias turbas, & ſatellitum arma, ad parentem penetravit: atque in patris chariſſimum collum irruens, arctiſſimo amplexu aliquamdiu ſtrinxit, nil aliud effata niſi hoc unum: *Ah mi Pater!* Alias voces dolor præcluſerat. *c*

Et vix ſuſtinuit dicere lingua, vale.

Quid Maria ad filium, jam, jam abripiendum ad vincula, ad flagra, ad acerbiſſimam mortem? Credibile eſt inter lachrymas, & ſuſpiria, cùm cætera dolor negaret, hoc ſolum protuliſſe: ô fili!

a Bernard. de lament. Virg. Mariæ.
b Stapleton. in vita. *c* Ovid epiſt. 5.

O longum formoſe vale, valedixit Ieſu.

Michaëlis Palæologi *d* Conſtantinopolitani Imp. tempore Turcæ Romanas Græcorum provincias ad amnem uſque vaſtarunt. In eâ direptione hoc accidit, ut commemoratione, ſic & commiſeratione digniſſimum. Sorores duæ adoleſcentulæ, cùm diverſis dominis ſorte obtigiſſent, jamque divellendæ eſſent; ad ultimum vale in mutuo amplexu expirarunt. Quantò arctiori amoris vinculo talis mater tali filio erat colligata, tantò acerbior præ illarum ſororum, eorum fuit ſeparatio, & vale amariſſimum.

Huc ô matres, huc quotquot tenet rerum caducarum amor, quibus omnibus vale aliquando, & brevî, vel ab invitis eſt dicendum; opes, honores, liberi, amici deſerendi ſunt, cave ne in æternum! dum tanto iis viſco adhæreſcitis, tanto liberos affectu deperitis, ut Chriſtum ad crucem comitari geſtientes, violentè in ſuam perniciem retineatis, nec avelli à vobis ullatenus patiamini; dum ſtultos veſtros, amori amantiſſimi Jeſu præponere non dubitatis; dum filiis hîc ad crucem Chriſti properantibus, vale denegatis, timendum ne in ſupremo mortis agone, dum terrenis omnibus, vale longum dicendum erit, benigniſſimus Redemptor, & filii veſtri, vobis ad æternos cruciatus abeuntibus, vale amariſſimum dicant in æternum.

ORATIO S. BERNARDI.

Heu, heu! quo abiit gaudium

d Conſtantinop. Belgica l. 5. c. ultimo.

meum?

meum? ubi latet amor meus? ubi est dulcedo mea? cur dereliquisti me salus mea? heu mihi domine! heu miserere animæ meæ! Recessisti consolator vitæ meæ, nec valedixisti mihi? quid faciam? ubi te unicum bonum meum requiram? Et quando te inveniam ego miserabilis. Renuit consolari anima mea, nisi in te dulcedo sancta mea. O Salvator meus! veniat obsecro tempus, quando revelatis oculis inspiciam, quem nunc à longè inclamo. Apprehendam quem desidero, & amplectar, in abysso amoris tui totus absorbear! nil mihi, quæso, sine te dulcescat, nil pretiosum arrideat mihi. (sed sincero corde, terrenis omnibus valedicam) *da mihi bone Iesu in te vivere, & pro amore tuo mori, qui pro me dignabaris amaræ mortis tormentum subire. Amen.*

Hora 8. *Nuntiatur matri captivitas filii.*

Fatalem hunc nuntium ad virginem matrem pervenisse, Albertus magnus commemorat, qui lunam illam candidissimam, non in lachrymas, sed in sanguinem conversam scribit: *a B. Virgo,* inquit, *conversa fuit in sanguinem, quando intellexit dulcissimum filium suum traditum, & captum.* Atque „ hic alter doloris gladius (ut lo„ quitur Fornerus) cor ejus trans„ figebat: quando filium captum, „ laqueis, catenisque latronis in„ star, vinctum rapi inaudivit. Quod confirmat Anselmus, qui arcana hæc ex SS. Dei matre audire meruit: *b Venerunt discipuli currentes, & lachrymabiliter clamantes: O charissima domina, dilectus filius tuus, magister noster captus est, & nescimus quo ducatur, vel quid fiat. Et tum, inquit propter maternum affectum, doloris gladius animam meam pertransivit.* His accedit D. Bonaventuræ. S. R. E. Cardinalis auctoritas docentis: *Cùm audisset virgo quòd filius ejus captus esset à Iudæis, & ad Annam duceretur, januis clausis sacrum pectus tundere, & lachrymas effundere non cessavit.* Et infrà:

Matutino tempore, Maria nuntiatur:
Quod à Iudæis perfidis, Christus captivatur,
Et toto corde tremuit, & male tractabatur.

Quando arca Dei capta fuit à Philistinis, *c* nuntius venit in Silo scissâ veste, & conspersus pulvere caput: quo audito ululavit universa civitas. Heli ut audivit, cecidit è sellâ, & corruit mortuus. Humanitas Christi, sacratissima arca est, ut ait Gregorius, Beda, Cyrillus, *d* è purissimâ carne, & sanguine virginis, artifice Deo concinnata: quæ non manna, sed divinitatem cœlabat. Hujus jacturam, una virgo uberioribus lachrymis, quàm universa civitas Silo, deploravit. Ubi nuntius de captâ Hierosolymâ à Sultano, Romam delatus, Urbanus Pontifex præ dolore expiravit. *e* Vbi captam à Turcis Constantinopolim, Nicolao V. denuntiatum est; jacturam adeò luxit, ut mortem oppetiverit. Benedictus I. stragem, Romanæ urbi à Longobardis illatam, vel morte suâ graviorem duxit. Verum enim vero omnium urbium, imò orbis

a Albertus M. serm. Dom. Advent. Forn. sup. cit. *b* Anselm. dial. de pass. Dom.

c L. 1. Reg. c. 4. *d* V. Interp. hic.
e Lobbet. de peccato pag. 134.

totius conditorem, ac gubernatorem captum esse, *a*

Spectaclum captâ, nec minus urbe fuit.

Ea propter nemo quisquam ita urbium, imò totius orbis ruinam, ac interitum luxerit, quemadmodum Maria unicum filium, quem præ mille mundis diligebat, captum deflevit. Quæ & quanta consternatio, totius Franciæ regnum occupavit, *b* ubi nuntius allatus, Franciscum regem suum captivum, in Hispanias abductum! quæ in castris perturbatio, ubi ducem aut regem suum in manus hostium devenisse narratur! ilicò omnes animo cadere, sibi diffidere, fugam circumspicere: *c*

Rege incolumi, mens omnibus una est;
Amisso fregere fidem.

Dux noster captus est, plorate & ululate: rex noster vinctus abducitur, actum est de milite, *d omnes relicto eo fugerunt.* Sed non deseruit filium in vinclis Maria: *Cùm enim*, ut piissimus Ludolphus ait, *e per omnes plateas Ierusalem diceretur, quod dominus Iesus captus esset: percipiens hos rumores terribiles dolorosa mater ejus (quæ tamen cùm primo caperetur hoc in spiritu, ut dicitur cognoverat) ducta est cum inæstimabili lamento, & venit ad videndum filium suum dilectum, plorans incessanter per civitatem Ierusalem, & dicens: ubi es dulcißime fili? ubi te inveniam:* Triginta te argenteis, thesaurum cordis mei, omne bonum meum, traditum ferunt: hos vel opere manuum, vel stipem rogando libens refundam, vel si quod mei pretium est, me in mancipium vendam ut litrum pro tui libertate annumerem. Etenim si tantus amor in pectore domini; si Panopionis servus, ut dominum hosti, ac præsentissimæ morti eriperet, dominum induerit, ejusque amore occubuerit; quid de amore Virginis matris, omnium mortalium longè excellentissimo cogitandum erit? Sed quis tibi animus ô peccator, dum vinctum dominum, non vano rumore, sed certâ fide audis denuntiari? *f Nam funes peccatorum tuorum circumplexi sunt* eum, hæc qui solverit, Christum libertati restituerit.

ORATIO S. BONAVENTURÆ.

g Propter terrores illius commotionis, quâ cor tuum contremuit virgo Beatißima, quando audivisti filium tuum dilectißimum ab impiis captum, ligatum, & ad supplicium tractum & traditum, adjuva nos, ut cor nostrum nunc pro delictis nostris terreatur, & moveatur ad pœnitentiam: ne mortis in horâ, ad occursum adversarii paveat, aut ad aspectum tremendi judicis, accusante conscientiâ, contremiscat; sed potiùs faciem tuam videns, in jubilo delectetur, ineffabiliterque lætetur præstante eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum patre &c.

Hora nonâ, *& totâ nocte, Maria lachrymis ac lamentis vacat.*

Ludovicus Blosius *h* ex Joanne Taulero, quem catholicæ fidei

a Propert. eleg. 9. *b* a. 1525. *c* Virg. 4. Georg. *d* Matth. 26. *e* Ludolph. vitæ Christ. part. 2, c. 61.

f Psal. 118. *g* Bonav. offic. de compass. B. Virg. *h* Blosius instit. spirit. appendix 4 c. 1.

culto rem

cultorem integerrimum, ac ea, quæ ſcripſit, ſana & planè divina aſſerit: Bellarminus verò de ſcriptoribus Eccl. *a* vocat Doctorem inſignem & piiſſimum, hæc tradit: *b cujus cor cogitare poſſit, quantam perpeſſa ſit crucem, & afflictionem, nocte illâ triſtiſſimâ, quâ dilectus filius ejus, manibus eſt traditus hominum impiorum, & à propriis relictus diſcipulis? ſatis quidem credibile eſt, eam (quoniam plena erat Spiritu ſancto) vidiſſe in ſpiritu omnem dolorem & cruciatum, quem unicus ejus, nocte illâ horribili expertus eſt.* ac tandem in has voces erumpit: *c ô Maria mœſtiſſima mater! quàm acerba, quàm triſtis nox iſta tibi fuit! ut gladius Simeonis ſæviit in corde tuo! quis cogitare queat, quàm ignita verba, quàm fervidas amoris ſcintillas, totâ illâ nocte (velut è fornace) ardentiſſimum cor totum emiſerit? forſitan enim hoc, ſimilive modo dicebas: ô Ieſu fili mi! fili mi dulciſſime Ieſu! quis te mihi eripuit? quis matrem à tam charo ſeparavit pignore? ut quid non video te lumen deſiderabile oculorum meorum? quis det mihi Ieſu fili mi, ut ego pro te patiar, pro te moriar? ô Ieſu unicum cordis mei ſolamen! cur non tecum ivi ad mortem? cur non confeſtim te ſecuta ſum abeuntem? ô dulcis Ieſu! bone fili, ubinam hodie pernoctas? in cujus es manibus? quidnam modò pateris? ô ſi furentes Iudæi ſuam in me crudelitatem evomere vellent! multò mihi dulcius eſſet mori, quàm in tantis anguſtiis videre te.* Hanc noctem acerbiſſimam filii, & matris, recogitent filii tenebrarum, qui laſciviunt in ſtratis eburneis: dumque ſuas brutas voluptates præferunt ludibriis, lachrymis, ac tormentis Jeſu & Mariæ, ad noctem æternam & tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium, ſe certò præcipitandos minimè reformidant. Quàm longam noctem ducit æger corpore, vel animo, qui vel morbi doloribus, vel bonorum jacturâ, aut ſpectris, aut etiam ſolo mortis metu excruciatur! quo vel unâ nocte, Oſorius incanuiſſe legitur, de quo exſtat illud:

O nox, quàm longa eſt, quæ facit una ſenem!

Hieronymus in cap. 26. Matth. docet *d* Chriſtum nocte hac, quâ principes ſacerdotum ſomno indulgebant, à ſacrilegis eorum miniſtris, & militibus, *e tam turpia, tam obſcœna, tam nefanda paſſum* (teſte Marco: *f fecerunt illi quæcumque voluerunt:*) ut ea ob turpitudinem, noluerint Euangeliſtæ exprimere, verbiſque apertis revelare; nec uſq; ad extremam judicii diem ait manifeſtanda. Quo animo id temporis, matrem fuiſſe exiſtimatis? *g cum ſubit illius triſtiſſima noctis imago,* quâ filii cruciatus omnes, mater velut præſens, animo intuita eſt; unde quod de Chriſto dicitur, quod vel animo dumtaxat, cruciatuum atrocitas objecta, ſanguineum ſudorem expreſſerit, & ad mortem contriſtarit: hoc de Mariâ S. Bernardinus ſenſiſſe videtur, dicens: *h tantus fuit dolor virginis, quòd ſi in omnes creaturas divideretur, omnes ſubitò interirent.* cujus doctrinæ

a Bellarm. deſcript. Eccl. *b* Taulerus exercit. de vita Chriſt. c. 19.
c Bloſius Margaritum ſpirit. part. 3. c. 6.

d Drex. Rogus Damn. c. 2. *e* Martial. l. 4. epig. 7. *f* Marc. 9. *g* Ovid. triſt. l. 1. eleg. 3. *h* S. Bernardin. tom. 1. ſerm. 61. art. 3. c. 2.

veritatem, ex vivâ & veluti intuitivâ cognitione, & apprehensione mali, quam virgo habebat, Salazarius noster asseverat: *a illud mihi exploratum est; dolorem internum ex apprehensione & cognitione mali proficisci; puto autem omnes simul creaturarum omnium cogitationes & apprehensiones, tunc cum majori vi mala animo comprehendunt, cognitioni & apprehensioni, quâ filii sui passionem Maria contemplata, imparem omninò esse. Si ergo nonnunquam mali alicujus apprehensio, & cognitio, tam fortis est in aliis creaturis, ut ipsas conceptus inde dolor enecet: cùm apprehensio Mariæ omnium simul creaturarum apprehensiones longè superet, fit ut dolor ejus, qui mensuram apprehensionis consequitur, inter omnes rationales creaturas distributus, omnes omninò perimeret, ac necaret.* Adde apprehensionem virginis, & cognitionem, non modò Christi dolores penetrasse; sed & unà ejus dignitatem, bonitatem, sapientiam, aliaque attributa expendisse. S. Hilarius exponens illud Matthæi 26. *transeat à me calix iste*, Deum quasi matri, ac amicis suis hunc propinasse docet: *b transeat oro mi pater hic calix à me, ad meos*; ut & ipsi haustum ad sanitatem, quem philothesia vocant, bibant. Hinc sunt, qui velint Angelum Gabrielem ad hanc afflictissimam matrem solandam missum fuisse: quod D. Bonaventura innuere videtur, dum matrem filii præsentiâ destitutam, sic Gabrielem Archangelum alloquentem inducit: *c Ave plena gratiâ, mihi pratulisti, nunc amaritudine sum repleta* &c. nec S. Antonius matrem hanc dolorosam audet, hoc festivo salutandi titulo compellare: *d* nam si dicat felix illud *Ave*, quod interpretatur sine væ doloris, musica erit importuna, quia amaritudine replevit eam altissimus. Aut quomodo dicet: *Dominus tecum?* cùm avulsus sit ab ea, meritoque usurpare possit illud: *e si Dominus mecum, quomodo invenerunt me mala hæc.* aut quis eam nunc audeat *benedictam* compellare? cujus filius in crucem rapitur; *f maledictus* autem sit *omnis qui pendet in ligno* nihilominus (mirare & imitare, quisquis in amaritudine es) ad hæc omnia, *g* quæ filio prospiciebat inferri, ac parari tormenta, quæ & in corde suo illa præsentiebat, hoc solum cœlestem patrem exoravit. *h non mea voluntas fiat, sed tua, exemplum filii imitata, hac nocte unica, sexcenties dixisse credi potest: veruntamen non mea voluntas fiat, sed tua.* quod & ille nobis ruminandum reliquit, qui dixit: *i sicut Christus non seipsum quæsivit, sed gratissimam patris voluntatem: ita & Maria unigenito filio suo non pepercit, sed & ipsa eum ultrò, ad omnem illam obtulit passionem, quam ab illo Deus pater exigebat tolerandam. nec attendit doloris gladium, quo cor suum scindendum erat; sed totam se in gratissimam resignavit Dei voluntatem: parata omnem ferre pressuram, tamquam & ipsa juxta filii sui spiritum diceret: si non potest à me transire calix iste, nisi bibam illum,*

a Salazar. tom. 1. in Prov. c. 8. v. 14. n. 86. *b* Hilar. can. 13. in Matth.
c Bonav. de compass. B. Virg. lect. 3.

d V. Carthag. de lament. B. Virg. l. 12. hom. 1. *e* Deut. c. 2. *f* Galat. 3.
g Revel. Brigittæ l. 1. c. 10. *h* Drexel. Christus patiens p. 2. c. 12. *i* Taulerus exercit. vitæ Christ. c. 18.

fiat

fiat Domine voluntas tua. unde Arnoldus Carno. a Erat una Christi, & matris voluntas, unumque holocaustum ambo pariter offerebant Deo; hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis.

ORATIO DEVOTI LANSPERGII.

b Eja ergo Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, dulcissima Maria: impetra mihi à dilecto filio tuo, qui te suam genetricem honorans, nihil negat umquam, continuam & indesinentem gratiam; ut beneplacitum ejus ubique, & in omnibus vigilanter observem, clarè cognoscam, fideliter, & indefatigabiliter impleam: quæcunque illi displicent peccata, & oblectamenta carnis averser; quæ verò placita ipsi sunt, ardentissimâ alacritate perficiam. omnia adversa de manu ejus gratanter suscipiam, ad laudem, & gloriam Dei. Amen.

Manè Hora 4. *Accurrit ad filium Ierosolymam.*

Cantuariensis Antistes, c hæc ab afflictissimâ matre divinitus edoctus, posteris consignavit: ipsum audiamus. *manè facto, eduxerunt eum de domo Annæ, ad Caipham. Tunc primò postquam captus fuerat, vidi eum: & accurrens videbam illam desiderabilem faciem, sputis Iudæorum maculatam; & volens illum amplecti, non fui permissa.* quot verò gemitibus, quod lachrymis iter illud susceperit, „ Taulerus prosequitur: d amor „ inquit ille, qui filium tuum accenderat (ô Maria) ut ultrò " pergeret ad locum illum, ubi " calix ei amaritudinis paratus erat, " te quoque movit, ut eò " properares; ubi gladius doloris " exacutus erat, qui virgineum " scinderet pectus. ô gloriosa " cœli regina! quàm lamentabiliter " per viam illam deducta es " ab amicis tuis? quàm omnes " illos, ceu mœstissima cantrix " lugubri voce tuâ, ad lachrymas " commovisti! quis æstimare possit, " quàm hoc triste tibi iter fuerit? " quò enim propiùs accedebas " ad urbem, eò altiùs tuis doloribus " mergebaris. Ambulasti " amantissima mater vias difficiles, & terram largo fletu humectasti, dum dilectum tuum Jesum, thesaurum cordis tui, amissum olim anxiè quæsivisti; sed eum inter Doctores repertum, hoc majori gaudio, & solatio tecum domum reduxisti. nunc verò mansuetissimum agnum, ferocissimis lupis, ad dilaniandum traditum, spectare poteris?

e Hîc virginis Clientes, vos omnes comites invito, Maria " Duce ad Christum accurrite: " contrito corde, & pœnitentiæ " lachrymis illum requirite: hæc " porrò venit ad videndum filium " suum dilectum, plorans " incessanter per civitatem Jerusalem, " dicens: heu me, ubi est " nunc amantissimus filius meus? " ubi es dulcissime fili? ubi te inveniam? "

ORATIO D. BONAVENTURÆ.

f Domine Iesu Christe, qui hora ma-

a Arnold. Carnoten. tract. de laud. Virg. b Lansp. Thren. 3. Mariæ precatio 4. c Anselm. dial. de Pass. Dom. d Taul. exercit. vitæ Christ. c. 19.

e Ludolph. de vita Christ. p. 2. c. 61.
f Bonav. officio de Pass. Dom. lect. 3.

tutina pro nobis conspui, alapis cædi voluisti, & cum gloria à mortuis resurrexisti: fac nos contumelias, & opprobria, pro tui nominis gloriâ portare; fac nos resurgere ad virtutes à vitiis, ut te videre possimus in Galilæâ cum discipulis, qui vivis & regnas, &c.

Hora 5. *Maria reperit Iesum in domo Caiphæ, ubi alapâ percutitur.*

Per disertissimum præconem suum Anselmum, hæc nos virgo mater edocere voluit: *a manè facto, eduxerunt eum de domo Annæ ad Caipham. tunc primò postquam captus fuerat, vidi eum; & accurrens, videbam illam desiderabilem faciem, sputis Iudæorum maculatam, & volens illum amplecti, non fui permissa.*

Ubi ut cætera sileam, immane, barbarum, & à sæculo inauditum facinus tacitus præterire non possum. Scelestissimi prædonis manu, ipse rex gloriæ, veluti perditissimus scurra, alapâ percutitur, in præmium æquitatis; idque armatâ manu, ictu tam valido, ut dentes concussi, sanguis ex ore; ac naribus profluens, ipse Dominus Majestatis ad terram allisus sit. *b* huic tam cruento spectaculo, se interfuisse, virgo mater mellifluo suo Bernardo aliquando exposuit dicens: *c ad Dominum meum veni plorans, cumque ipsum fuissem intuita pugnis percuti, alapis cædi &c. commota sunt omnia viscera mea, & defecit spiritus meus.* petulans nebulonum turba, matrem quidem longiùs à Jesu se moverat; non sic tamen, quin hujus dirissimæ alapæ fragor, aures & animum ejus inopinatò percusserit: ut piè queritur apud D. Brigittam dicens: *d ad maxillam percutitur ita fortiter, ut sonus percussionis ad aures meas perveniret. e obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* hic ecce, ô beatissima virgo mater! *f* „respice in faciem filii tui, intue„re vultum illum divinum, quem „tu tantoperè reverebaris & „coram quo, toties omni die ge„nua flectebas, ab indignissimo „flagrione indignissimè percus„sum, ac sanguine deturpatum. Mirantur Sancti Patres, omnia elementa hîc in vindictam se non armasse. Ignis de cœlo olim exarsit in derisores Eliæ. Ursi de sylva in pueros illudentes Elisæo prosilierunt. Terra devoravit contemptores Moysis. Manus Ieroboam exaruit, quam in prophetam extendere volebat. Manum quæ Sancto Thomæ Apostolo, alapam inflixerat, ingens molossus præmomordit. Potiori jure ad hanc Domini injuriam, exclamat Chrysostomus: *g exhorrescat cœlũ, & contremiscat terra! alapa Deus percuti potuit! ô Angeli, quomodo manus continere potestis?* quomodo non fulmen cœlo, & flammas ejaculamini? an attonitos vos tenet facti insolentia? an mansuetudo Domini, ignem intra spheram suam conclusit, aut matris lachrymæ vindices flammas restinxerunt? sed quid in hunc prostitutæ audaciæ scurram diras invocatis? non unus vestrûm benignissimo redemptori Mariâ pa-

a Anselm. dial. de Pass. *b* S. Vincent. Speranza de Passion punct. 8.
c Bern. de lament. B. Virg.

d Revel. l. 4. c. 70. *e* Ierem. 2.
f Forner. de Pass. conc. 89.
g Chrysost. hom. 80. in Ioan.

tronâ

tronâ vestrâ congeminante, alapam infligit; idque toties, quoties lascivis verbis, aut gestu liberiori, integerrimas puellas aut adolescentes, pudore, ore vestro impudenti suffunditis. hic siquidem est angelus ille Satanæ, qui in illis, aut etiam in vobis, qui fœdis imaginibus delectamini, Christum colaphizat.

Fertur cœlestis genius alapam impegisse juveni è prostibulo exeunti, quòd si hodierna die omnibus ex infami Veneris harâ prodeuntibus, aut huic turpi sceleri, vel sola cogitatione succumbentibus, diabolus aut angelus alapam infligeret, quot purpureis genis notatos reperire esset? non longè quærendus, non multis rogandus, *a prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?*

Hoc Origenis Adamantii judicium est: *b colaphis*, inquit, *cadit Christum, qui verbis, vel actibus suis turpibus & inhonestis, sub nomine Christiani, lascivis involuitur, & carnalibus concupiscentiis sepelitur:* quibus omnibus eluendis, ô Virgo mater! mihi indignissimo filio, ut lachrymas, & cor mundum impetrare digneris, ad te clamo:

ORATIO LANSPERGII.

c Heu mater mea dulcissima! heu dolorosa! ac mœstissima Domina, cur adeò ferreum ac lapideum cor habeo, quod compassione ac dolore non scinditur? cur præ dolore non tabescit anima mea, quandoquidem tam immanium dolorum causa, est pessima vita mea. ego alapis cacidi, ego colaphizavi, ego blasphemavi, conspui, & conculcavi filium tuum: cùm agnum immaculatum in tam immundum, & impræparatum cordis, & corporis hospitium suscipere toties præsumpsi. imò sordidis cogitationibus conscientiam meam, quam inhabitare cupit, polluendo in ejus faciem sæpius conspui, & per contumeliosa verba (& lasciva) alapis cacidi.

Hora 6. *Filium ad Herodem comitatur.*

Ita Bonaventura. *d* hæc eadem ex S. Doctore desumpsit Ludolphus à Saxonia, qui addit: *e intuere eum nunc bene, dum ducitur, & reducitur demisso vultu, & verecundè incedentem, & omnium clamores, convitia & subsannationes audientem: & fortè lapidum percussiones, & immunditiarum suscipientem. intuere etiam matrem, & suos cum incredibili mœrore, à longè stantes, & ipsum sequentes &c. dum mittitur* (à Pilato ad Herodem) *fit concursus magnus populorum eum sequentium. ô Domina qualiter ibas? exemplum doloris eras omnibus Christum amantibus.* Sedet superbo in solio Herodes, sistitur à petulanti turbâ, sannis & opprobriis saturatus, vinctus, mitissimus Dominus. *f & viso Iesu gavisus est Herodes:* ex multo enim tempore, scilicet à decollatione Joannis Baptistæ, *Iesum videre cupiebat;* quia multa de miraculis, & doctrinâ ejus *audierat, & sperabat signum aliquod videre ab eo.* panem & aquam adferri jubet, *g* ut hunc multiplicet, hanc in vinum commutet. *Anselmus* putat He-

a Matth. 26. *b* Orig. hom. 27. in c. 24. Num. *c* Lansp. Thren. B. Mariæ Virg. precatio 7.

d Bonav. medit. vitæ Christ. c. 70.
e Ludolph. vitæ Christ. p. 2. c. 61.
f Marci 23. *g* Drexel. Christus patiens c. 3. §. 3.

rodem, coronam sibi detraxisse, & Christo imposuisse, libertatem insuper promisisse, si miraculum aliquod illustre perpetraret. Vis signum majus, quàm verbum obmutescere, innocentiam damnari, omnipotentem vinciri, sapientiam illudi: vis signum majus, quam quod positum est ad sagittam? vis signum majus, quàm quod Simeon Mariæ ostentavit, *a signum cui contradicetur?* denique quod signum majus, quàm lunam mutari in sanguinem? quàm mulierem amictam sole, doloris nube ac lachrymarum nimbis involui? sprevit eum Herodes ut stultum, ac phanaticum, albâ veste indutum. ô Maria! aspice dilectum tuum candidum, brevî rubicundum, quàm despectus, quàm vilis hodie effectus David, *b accinctus Ephod lineo*, in oculis Michol!

ORATIO LVDOLPHI.
c Iesu qui ab Herode derisoriè multis interrogari sermonibus voluisti, nec ad ei ullum verbum respondere curasti: da mihi amore tuo, sermones derisorios patienter audire, meamque jactantiam, cum silentio declinare; qui regnas cum patre, &c.

Hora 7. *Audit filium accusari apud Pilatum.*

d Anselmus de excellentia Virgin. c. 5. *perpendat qui potest, quibus doloribus, quibus gemitibus, quibus suspiriis (virgo) cruciabatur quando ad subeundam mortem, judicio judicis iniqui, tribunali conspiceret sisti.*

„ Ioannes Lanspergius Car-
„ thusianus: *e* ubi verò ad Pilatum ventum est, unà eum om- „
nes falsò accusare (ô Maria) „
audisti, multa in eum menda- „
cia congerentes, &c. sed filius „
tuus, *f* velut ovis coram tondente se, obmutuit, nec habuit in ore suo redargutiones. nemo quisquam hic causam agit innocentis; quin Tecuitis hic nostra, Maria, non pro Absolone, sed pro innocentissimo filio suo, specioso præ filiis hominum, se patronam præbeat: omnium hæc mater, Tullii facundiam, gratia quâ pollet verbi, qui verbum peperit, & affectu quo in talem filium rapitur, disertissimè vel lachrymis, quæ pondera vocis habent, perorabit. Sed quid agat? à verbo æterno silere docta; & quid causam tueretur in eo judicio, ubi virtutem audacia, innocentiam perfidia, mansuetudinem sævitia obruebat: ubi non modo loquendi liberè, sed ne consistendi quidem, iniquissimi judices relinquunt potestatem?

Stupent superi silentium verbi: *g factum est silentium in cœlo:* omnis harmonia cœlestis conticescit. quod si quæsieris: *h concentum cœli quis dormire fecit:* respondet Bernardus: Taciturnitas verbi, in exemplum facta est, *i tacebat ore, sed instruebat opere.* Ediscamus & nos ab hoc cœlesti Magistro, ponere custodiam ori nostro; & potiori jure, quàm olim Bernardus clamemus ad Dominum: *k O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! parum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & jam silere non possum.*

a Luc. 2. *b* 2 Reg. 6. *c* Ludol. vitæ Christ. p. 2. c. 61. *d* Taul. exercit. vitæ Christ. c. 19. *e* Lansp. Thren. B. Mariæ 8.

f Isa. 53. *g* Apoc. 8. *h* Iob 38. *i* Bern. serm. 1. in Epiph. *k* Bern. ibid.

sum. Aristippus homo gentilis quondam rogatus quid in vita difficillimum esset? *a Tacere*, inquit, præsertim ubi opprobriis ac calumniis quis lacessitur. Certè Iob patientiæ miraculum, calumniis impetitus: *b quare*, inquit, *tacens consumor?* Hebr. *nunc si tacuero, moriar:* nescio enim quomodo omnibus propè malis acerbius sit maledicta tolerare, ut Chrysostomus diserte observavit, dicens: *c* omni lapide atque adamante tolerantior (Iob) cum patrimonium amitteret, malaque innumera toleraret; cumque subitò numerosa sobole esset orbatus; cùm quasi fontem quemdam vermium, toto videret corpore bullientem, supraque hæc uxorem sibi molestiùs imminentem, perfacilè omnia superavit: ubi verò exprobrare sibi amicos, atque insultare videt; & malignam illam de se existimationem fovere, & dicere, quod talia propter peccata pateretur, ac malitiæ suæ solveret ultionem; tum demum utique turbatus est vir ille maximus, ille fortissimus. Hinc est quod divinum illud animantissimo nostro Iesu silentium Pilatus adeò suspexerit: *d ita ut miraretur præses vehementer.*

ORATIO S. BERNARDI.

e O Domine Iesu vel jam nunc loquere; quousque siles? quousque dissimulas? diu tacuisti, & valde diu: loquere nunc Domine, quia audit servus tuus.

a Max. serm. 20; *b* Iob 13.
c Chrysost. hom. 15. in Matth.
d Matth. 27. *e* Bern. serm. Epiph.

Hora 8. *inspectante SS. Matre Iesu, Barabba postponitur.*

Exclamat hic sanctissimus Ecclesiæ Doctor: *f O gloriosa Domina, quæ tua cruciamina, cùm Barabbas dimittitur, & pœnas Christus patitur: cui ergò similem fecisti Deum? cui assimilasti, & adæquasti, & comparasti filium meum Iesum?*

Lansperg. sic: *g supra cor tuum virgineum constringebat dolor, quem ingens cæcitas, & insatiabilis Iudæorum ferocitas atque infelix illa permutatio incussit: dum lupum præ agno; scelestum ac odibilem nebulonem, præ justo ac innocenti filio tuo; impium denique, & latronem eligere, & filium tuum reprobare conspiceres & audires.* Consistebat hinc, inspectante matre, vetus sicarius, homo ferox & barbarus, supercilio elato, truculento vultu, ore pallido, obtutu audaci, habitu obsoleto & horrido, toto corpore cædem ac latrocinia spirare videbatur: illinc præceptor virtutum, ægrotantium medicus, mansuetissimus agnus: dimissis oculis, ore verecundo, vultu modesto, & si quam conjecturam adfert hominibus, tacita cujusquam figura, toto habitu, situque corporis, benignitatis, mansuetudinis, misericordiæ radios undique ejaculabatur; eoque magis hujus nefarii hominis vitia patebant, quo juxta illius virtutum fulgorem posita, manifestiora reddebantur. Celeberrimus Antistes Fornerus, hæc expendens, sic matrem solatur: *h* bono hîc te animo

f S. Bonav. off. de compass. B. Virg lect. 3. Isa. 40. & 46. *g* Lansp. Thren. 9. B. Mariæ. *h* Forn. de Pass. Dom. p. 2. conc. 102.

„ esse jubeo, ô afflictissima mater „ Domini Iesu: ecce quàm multi „ sunt in hac hominum catervâ, „ quos cæcos filius tuus illumi- „ navit, leprosos mundavit, in de- „ serto miraculosè pavit, verbi „ sui prædicatione refecit, ne- „ minem unquam læsit, omnibus „ benefecit. Impossibile videtur, „ ut filio tuo sanctissimo, inno- „ centissimo, integerrimo, virtu- „ tum omnium prototypo reje- „ cto, atque damnato, infamem „ latronem liberari exposcant. Quis enim hîc hæreat, quis hallucinetur, uter absolvendus sit? res pro se loquitur: Iudices sunt, qui ab isto damna, rapinas, vulnera passi sunt; qui ab hoc filio meo, sanitatem, salutem retulerunt; judices sunt, qui illius scelera experti, hujus beneficia agnoverunt, & palam prædicaverunt. Sed ô perturbatam rationem! ô effrænatam rabiem! ô plusquam belluinam barbariem! *a vos ô Iudæi virum sanctum & justum necastis, & petiistis virum homicidam donari vobis; authorem verò vitæ interfecistis.* insurgit in hos Hipponensis Antistes: *b ô cæcitas! ô furia phreneticorum! quid fuit hoc aliud dicere, quàm occidatur ille, qui suscitat mortuos: & dimittatur latro, ut iterum occidat vivos?*

c Verè *mendaces filii hominum in stateris!*

„ Primum hinc morale educit „ Ludolphus: *d* spiritualiter ho- „ mo vinctus est per peccatum, „ positus in carcere secundum „ corpus & animam; ita ut sint „ duo vincti, corpus & anima; sed de his unus, scilicet anima po- " terit liberari, si tamen corpus " pœnitentiæ, & flagellis expo- " natur; si verò corpus liberetur, " adhuc manebit vincta anima, & " suppliciis ac flammis exponetur " æternis: & ideo melius est, " quòd anima liberetur, quàm " corpus; quia si corpus suspendi- " tur in cruce pœnitentiæ, tunc " animam liberabit à morte. Un- " de Gregorius: *si magnæ mercedis est, eripere à morte carnem morituram, quanti meriti est liberare animam in cœlo sine fine victuram?* Alterum est: caveamus ne & nos, Barabbam Christo præferamus: caveamus obsecro & nos, nec judaicam impietatem sectando, simili sacrilegio contaminemur: Christo Barabbam præferunt, qui injustum lucrum, summo bono anteponunt. Christo Barabbam præferunt, qui carnis delicias præ cœli gaudiis requirunt; Christo Barabbam præferunt, qui peccato potiùs, quàm Deo servire malunt.

a Act. 3. b Aug. tract. 115. in Ioan. c Psal. 61. d Ludolph. vitæ Christ. p. 2. c. 62.

ORATIO LVDOLPHI A SAXONIA.

e Iesu, qui non dedignatus, à " Iudæis reprobari: petentibus sibi, " Barabbam latronem dimitti; te ve- " rò auctorem vitæ crucifigi: da mi- " hi te creatorem meum semper eli- " gere præ omnibus, & pro nullâ re " creatâ, te umquam reprobare, qui " vivis & regnas. "

Hora 9. *Videt filium flagellari.*

Huic cruento spectaculo afflictissimam matrem interfuisse, gravissimus Doctor Anselmus, aliique suffragantur. Cantuarien-

e Ludolph. cit.

sem

sem hunc præsulem sic virginem alloquentem audiamus: *a O Domina, quos fontes lachrymarum dicam erupisse, de pudicissimis oculis tuis, cum attenderes unicum filium tuum innocentem, coram te ligari, flagellari, & carnem de carne tuâ, ab impiis ita crudeliter dissecari?* Sancta illa vidua Brigitta, de filii cruciatu, de matris hunc spectantis luctu, mira prodidit; dum sic matrem, de filio lamentantem inducit: *b ductus ad columnam, personaliter se vestibus exuit, personaliter ad columnam manus applicuit, quas inimici sine misericordiâ ligaverunt. consurrexerunt autem inimici ejus, qui fugientibus amicis suis, undique adstabant & flagellabant corpus ejus, ab omni malo, & peccato mundum. Ad primum igitur ictum, ego quæ adstabam propinquiùs, cecidi quasi mortua: & resumpto spiritu, vidi corpus ejus verberatum, & flagellatum usque ad costas, ita ut costæ ejus viderentur: & quod amarius erat, cùm retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur. Cumque filius meus totus sanguinolentus, totus sic laceratus stabat, ut in eo non inveniretur sanitas, nec quid flagellaretur: tunc unus concitato in se spiritu quæsivit; numquid interficietis eum sic injudicatū? & statim secuit vincula ejus. Inde filius meus induit se vestibus suis; tunc locum, ubi stabant pedes filii mei, totum repletum vidi sanguine, & ex vestigiis filii mei cognoscebam incessum ejus: quò enim procedebat, apparebat terra infusa sanguine, nec ipsi patiebantur ut se indueret; sed compulerunt & traxerunt eum, ut accelararet.*

a Anselm. de compass. B. Virg.
b Revel. l. 1. c. 10.

Dum hoc rubro pretiosi sanguinis sui Oceano, filium tuum ô Virgo, innatantem cerneres: *c* verè *magna* fuit, *velut mare, contritio tua!* Vt meritò exclamet Anselmus: *d quis existimare potest, quantâ tristitiâ, & mœrore, & dolore vulnerabatur cor Mariæ, super unici & naturalis filii passione: quem tam castè concepit, tam gaudiosè peperit, tam dulciter aluit? Vidit eum ligatum & solvere non potuit: vidit corpus vulneratum, & vulnus ligare non valuit? vidit sanguinem in faciem fluere, & abstergere nequiit.*

Vehemens adeo Patriarchæ Iacob dolor exstitit, cùm filii tunicam dumtaxat, cruentam intueretur, ut Fernandius hîc asserat, *e* neminem aut verbis explicare, aut cogitatione comprehendere valere. Sed nihil iste ad Virginis dolorem habuit: ille tunicam, hæc filium suum sanguine tinctum, & toto corpore lacerum conspexit; Iacobo undecim etjamnum filii supererant, hæc Virginis unica, & super omnia charissima proles. Recole hîc illud, *f* ex magni Gregorii hymno, quem Divino Spiritu concinuisse perhibetur.

Pro peccatis suæ gentis.
Vidit Iesum in tormentis,
Et flagellis subditum.

Spectat Virgo irruere universam cohortem, quingentorum quinquaginta quinq; validissimorum militum; tot rabidi canes in teneram damulam: tot carnivoræ accipitres, in simplicem columbam: tot sanguinarii lupi, in innocentissimum agnum ungues ac dentes

c Thren. 2. *d* Anselm. de compass. B. Virg. *e* Fernand. in Gen. c. 37.
f Ita Philippus Bergomas in supplemento chori an. 1399.

exacuunt. Primo *a* illud Virgineum, ac tenerrimum corpus, virgis ſpineis cruentant. 20. loris nodoſis, ſtellulis implicitis, & uncis ferreis dilacerant. 2. catenis oſſa ipſa, & coſtas divellunt. Quos inter cruciatus amariſſimè ingeminat: *dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Pſal. 21. Quid mirum, ſi ut SS. PP. teſtimonio & certâ revelatione compertum eſt, *b* longè ſuprà 5000. verberum, ſuo corpore exceperit? *c* Quæ omnia, velut mœſtiſſima echo, in corde matris reſonabant: præclarè Hieronymus: *d quot læſiones in corpore filii tot vulnera in corde matris; nullum ictum recipiebat corpus, cui non triſtis echo reſponderet in corde matris.* Et tu ô homo! ad hanc tam funeſtam tragœdiam, ne quidem ingemiſcis? ſi feram aliquam ſic excarnificari cerneres, commiſeratione tangereris: ipſa ſaxa, & cavea ſanguine conſperſa inhorreſcere videntur.

e Ingemuere cavæ, ſonitumque dedére cavernæ;

Et cor noſtrum, ne gemitum edit. Quæ erant tunc cogitationes tuæ clementiſſime Ieſu, niſi ut me, in amorem tui pelliceres? niſi ut amorem tuum in me, per tot ora, quot vulnera loquereris? & non amabo te?

ORATIO S. BONAVENTVRÆ.

f Propter gemitus & lachrymas, quibus afficiebaris virgo dulciſſima, quando vidiſti filium tuum dulciſſimum judici præſentari, acriter flagellari, variis illuſionibus & opprobriis affici: impetra nobis dolorem pro peccatis noſtris, & lachrymas ſalutiferæ contritionis; & adjuva nos, ne nobis poſſit inimicus illudere, neque diverſis prohibitu ſuo tentationibus flagellare, devictoſque ſtatuere terribili judici; ſed magis ipſi accuſemus, & judicemus nos ipſos de exceſſibus noſtris, & vera pœnitentiæ diſciplinis flagellemus: ut veniam & gratiam in tempore neceſſitatis, tribulationis, & anguſtiæ inveniamus. Præſtante eodem Domino noſtro, &c.

Hora 10. *Chriſtus ſpinis coronatus, etiam matri exhibetur: Ecce homo.*

Venio nunc ad illud inſolens, & inuſitatum genus ſupplicii, non minùs infame ad ignominiam, quàm acerbum ad pœnam. Funeſtæ regis noſtri inaugurationi Mariam interfuiſſe, Metaphraſtes, aliique teſtantur: *g licet*, inquit, *conſiderare cujuſmodi illa* (Virgo) *eſſet, quæ hæc difficilia cernebat: illuſionem; flagella, alapas, purpureum amictum, coronæ impoſitionem.*

Spectabat illa, quemadmodum Barbari illi, ſine fronte in caput ſuum ſæviſſimè irruunt, per veneranda illa filii ſui tempora, denſiſſimam ſpinarum ſylvam crudeliſſimè adigunt, atque transfigunt. Verè dilecte mi, *h caput tuum plenum eſt rore. Vulneraſti me in uno crine colli tui*, aut potiùs recreaſti: unus enim tali rore pilus delibutus, ſufficeret ad univerſum etiam mortale genus inſtaurandum.

a V. Suarem. p. 3 tom. 2. quæſt. 46. a. 2. ſect. 2. *b* V Suarem. cit. *c* Ludolph. de vita Chriſt. 2. p. c. 58. Lanſperg. Speranſa pag. 298. *d* Hieron. de aſſumpt. B. Mariæ. *e* Virg. 2. Æneid. *f* Bonav. offic. de compaſſ. B. Virg.

g Metaph. de dormit. B. Virg.
h Cant. 4.

ſtaurandum. Refert S. Brigitta ſibi Hieroſolymis exiſtenti, *a* à „ Deo revelatum eſſe, oculos, au„ res atque os Domini, cruore è „ ſpinarum vulneribus oppleta „ fuiſſe, totumque vultum con„ tectum; ut cùm ſolatium, quod „ illi apud patrem non erat, à „ Matre quæreret, ex oculis ſan„ guinem expreſſerit, ut illam „ conſpiceret. Nunc amantiſſimam tuam Matrem hæc lamentantem audio: *b à planta pedis, uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas. pudeat ô homo! ſub ſpinoſo capite, membrum fieri delicatum. c* Pudeat nos coronari roſis, ubi rex noſter ſpinis redimitur, ut nobis (D. Hieronymo teſte) regni diadema compararet.

S. Ludwina, *d* rapta nonnunquam à Domino Ieroſolymam, atque edocta quos illic ſalvator pertulit cruciatus: inſuper ignominiam pervolvens, quam in hac coronatione paſſus fuerat, conſuetis lachrymis deficientibus, ſanguineas fundebat: atque ad omnem contemptum tolerandum, ſe promptam, paratamque offerebat. Egredere anima mea de terrâ tuâ, de terrenis tuis deſideriis, & vide regem tuum Salomonem in diademate.

B. Angelam de Fulgino deficiebat animus, *e* ac mortuæ inſtar corruebat, quando ſpinis coronatam Domini effigiem conſpiciebat. Et nos illam coronam ſiccis oculis, ac mente immotâ conſpicimus? Nec ceſſamus ambitioſis, vanis, avaris, vindictæ cupidis, impuris, impiis cogitationibus, ſpinis ſanè longè graviſſimis coronare Salvatorem, ejuſque dolores acerbiùs renovare?

Plura qui hîc volet, rara ac præclara reperiet in corona SS. Vulnerum IESU Chriſti, per R. P. Guil. de Wael piè juxta ac eruditè concinnata; *f* & quæ diximus parte lucis Euangel. Embl. 15. §. 4. At Matrem noſtram dororoſam reviſo, quæ & nos invitat ad inuſitatum hactenus ſeveritatis ſpectaculum. *g Adſtabat Maria, cùm eum Pilatus ad populum produceret dicens: Ecce Homo. Sed cujus poſſit animus capere, quis te dolor invaſerit, cùm eundem unicum tuum, tam dirè ligatum, tam ex verberibus ſputis, ſanguine miſerandum in modum deformem cerneres, ut penè hominis ſpeciem videretur amiſiſſe? Et quidem omninò veroſimile eſt, amabilem dominum, dulciſſimam matrem ſuam, quàm potuit placidiſſimè reſpexiſſe, quodque verbis nequivit, amicabili feciſſe aſpectu.*

Ecce homo, ſed eheu! jam verè exclamare poteris, quia *non novi hominem*: quia non eſt ei ſpecies, neque decor.

Ecce *caput*, in quo latent ſapientiæ theſauri, ſpinis coronatum.

Ecce *facies*, in quam deſiderant Angeli proſpicere, ſputis & alapis livida.

Ecce *oculi*, lucidiores ſole, qui contemplantur ubique bonos & malos, nunc in lachrymis & morte natantes.

Ecce *aures*, quæ cœleſtem illam harmoniam Sanctus, Sanctus, Sanctus, audire conſuerunt, nunc opprobriis

a l. 7. c. 25. *b* Iſa. 1.
c Bern. Ser. 5. de omnib. 55.
d In vita part. 2. c. 7. & p. 3. c. 3.
e In vita.

f Parte 2. concio. 1.
g Taulerus exercit. vitæ Chriſt. c. 19.

opprobriis & blasphemiis oppletæ.

Ecce *os & labia*, quæ dulciora super mel & favum, mox felle complenda.

Ecce *pedes*, quorum scabellum universus orbis est; clavis terebrandi.

Ecce *manus*, quæ tribus digitis suspendunt molem terræ, cruci configendæ.

Ecce *cor*, amoris fornax, lanceâ perforandum.

Ecce *corpus*, Virgineum, tenerrimum; innocentissimum, tam fœdè laniatum.

Ecce homo, ecce hic Deus tuus est: *quantum mutatus ab illo!* ô Pater æterne! *ecce homo*, hîc est Filius tuus dilectus; in quo tibi benè complacuit.

O Angeli pacis, *ecce homo*, quantum minoratus ab Angelis!

O Iudæi, *ecce homo*, ecce Rex vester; sed regnum ejus non est de hoc mundo.

O Maria! Hîc te compello, *a præsens enim eras.*

Ecce homo, quem tu de maternis visceribus sine dolore peperisti, vide an hæc, non tunica, sed caro filii tui sit, an non, an hic sanguis tuus? verè *fera pessima* devoravit eum. Sed ô rabiem Iudæorum! quæ nullo sanguine valet saturari. Clamant omnes: *crucifigatur*. Et in IESUM sententia mortis pronuntiatur; quam dum Virgo pronuntiari audivit, *b estne aliquis*, inquit Anselmus, *qui queat percipere qualitatem pectoris ejus?* ô anima Christiana! *ecce homo*, fera illa pessima, avaritia tua est, invidia tua est, luxuria tua est. Hæc clamant, *crucifige, crucifige eum.* Erubesce, & ingemisce ô homo! *c væ mihi misero, cùm venerit dies illa, & aperti fuerint libri, tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ stabo trepidus est anxius, cùm dicetur ecce homo, & opera ejus.*

ORATIO S. BONAVENTURÆ.

d Propter angustias, & cruciatus, quos cor tuum sustinuit Virgo beatissima, quando audivisti filium tuum dilectissimum adjudicatum morti, & crucis supplicio: succurre nobis tempore infirmitatis nostræ, quando corpus nostrum dolore infirmitatis cruciabitur, & spiritus noster, hinc propter insidias dæmonum, illinc propter terrorem districti judicis angustabitur; subveni, inquam, nobis domina tunc, ne damnationis æternæ contra nos proferatur sententia: aut ne flammis gehennalibus tradamur æternaliter cruciandi, præstante eodem Domino nostro, &c.

Hora II. *Occurrit bajulanti sibi crucem.*

e Mœstissimo filio, mœstissima Mater occurrit, ut tradit Adrichomius. Quem occursum D. Anselmus describit, dicens: *f Maria obvium habet filium, qui benignè inclinans se ad illam, dicebat: Ave Mater.* Quò referri potest illud Bonaventuræ: *g cùm autem Mater ejus, Ioannes, & sociæ ejus occurrerunt ei in bivio, & videntes eum sic vituperabiliter, & sic enormiter à tanta multitudine duci,*

a Fornerus de pass. Dom. part. 2. conc. 105. *b* Anselm. de excel. Virg. c. 5.

c Bern. in medit. c. 2. *d* Bonav. offic. de compas. lect. 3. *e* Adrichom. in descript. Ierus. n. 118. *f* Anselm. dial. de pass. Dom. *g* Bonav. medit. vitæ Christ. c. 76.

quanto

quanto repleti sunt dolore, dici non potest.

Addit Ludolphus, *a* cùm ob turbam accedere non posset, per aliam viam deflexisse, itaque occurrisse. Ah qualis erat mutuus ille aspectus, cùm in hoc schemate, filio Mater occurreret! cum ut Doctor mellifluus: *b non clarus imperio, sed plenus opprobrio, spinis coronatus, sputis illitus, flagellis afflictus, sibi crucem bajulans*, Matris in conspectum venit. Dum lunæ sol opponitur, Ecclipsis est, juxta illud: *cùm patitur* sol *luna laborat.* Sic etiam cum duo sibi specula objiciuntur, unum alteri transmittit imaginem. Aptè Laurentius Justinianus: *c cor Virginis fuit clarissimum speculum passionis Christi & perfecta mortis imago.* Quare si quis Virginis cor intueretur, in eo tamquam in speculo, omnes Christi dolores, injurias, vulnera omnia longè perfectiùs, quàm in sindone Veronicæ expressa cerneret: nam omnia, quæ ille in corpore, hæc in anima patiebatur: *vulnera Christi morientis*, inquit Bernardus, *d erant vulnera matris dolentis; talis in ipsâ relucebat effigies, qualis ab objecto corpore, scilicet filii, resultabat.*

Quemadmodum enim si quis saucius, aut sanguinolentus, se in speculo contemplatur, speculum effigiem ejus sauciam ac sanguinolentam refert; ita multò luculentiùs, totus sponsus sanguinum, in corde Virginis relucebat: *e quod ipse in corpore, tu in corde passa es; nec non singula vulnera, per corpus ejus dispersa, in tuo corde genialiter sunt unita: quia nempe tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.* Insistebat sanguinolentis filii vestigiis, atque illic diutiùs commorabatur, ubi sub onere crucis fatiscens (ut Adrichomius tradit) *f* largiorem sanguinis sui copiam effudisset. Christi Martyres subinde ad ambulandum coacti; sed prius calceos clavis introrsum actis, aut æneas easque ignitas crepidas induti; aut super aculeos, & ferri mucrones ad gradiendum protrusi, ambularunt vias difficiles; sed illud Servatoris, & Matris Virginis in Golgotheam rupem, multò difficilius iter fuit, & acerbius. Ubi tamen dux noster præit, miles alacriter subsequitur, nam *qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

ORATIO S. AVGVSTINI.

g Vide (Clementissime Pater) *immaculata vestigia, quæ non steterunt in viâ peccatorum, sed semper ambulaverunt in lege tuâ diris configenda clavis: & perfice gressus meos in semitis tuis: & fac me odio habere omnes vias iniquitatis: & fac me propitius viam veritatis eligere. Oro te Rex Sanctorum, per hunc Sanctum Sanctorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam spiritu uniri, qui meâ non horruit carne vestiri.*

a Ludolph. de vita Christ. part. 2, c. 62.
b Bernard. de lament. Virg. *c* Laur. Iustin. lib. de agone Christ. c. 12.
d Bern. de lament. B. V. Bonav. serm. 1. infra Dom. epiph. *e* Bonav. stimuli amoris, c. 4.

f Adrichom. cit.
g Aug. l. medit. c. 6.

Hora 12. *Videt crucifigi, & stat sub cruce.*

Piè quærit, & queritur Bonaventura: *a quæ Matris angustias possit lingua fari, cùm videret filium in cruce clavari?* Prosequitur uberiùs Laurent. Justinianus: *b nequaquam enim à diro spectaculo Mater aberat, quæ ob id ultra quàm credi potest, angebatur pro filio. Audiebat populorum perstrepentium sonitum, & confusas militum crucifigentium voces: audiebat malleorum clavos, infigentium ictus, toties que in corde suscipiebat doloris jacula, quoties super clavos resonabant percutientium verbera.*

Acerbissimos hos Virginis dolores, & amarissimos lachrymarum fluctus, longissimè perspiciens, simul & expavescens Propheta exclamat: *c cui comparabo te, vel cui assimulabo te filia Ierusalem? Cui æquabo te? Et consolabor te, Virgo filia Sion: magna est velut mare contritio tua.*

Liran. vertit: *non invenio aliquam ita afflictam, quam tibi possum in exemplum proponere, pro aliquâ tuâ consolatione.* Quam potest itaque aptissimam, à mari metaphoram deducit: quemadmodum enim omnia flumina currunt in mare, ita omnes dolorum fluctus in Mariam. Audi Bernardum: *d ô dolores inexplicabiles! ô ineffabilis reciprocatio sancti amoris! filius patitur, & intus validè compatitur Matri; Mater Dei verò compassa est patienti filio. Tantus nempe impetus passionis domini* JESU *fuit, ut quasi torrens ipsum impleret patientem: quia teste Psalmista, de torrente passionis in via bibit, ut sic Christo impleto, in Matrem flueret compatientem: qua similiter impleta, ad filium redundaret inundatio amaritudinis, & mœroris. Nimirum ad locum unde exeunt dolorum flumina, revertuntur ut iterum fluant.*

Aquæ fontium, ac fluviorum dulces sunt; maris verò aquæ amaræ: ita aliorum Martyrum cruciatus; inenarrabili dulcedine (ut multis probare possem) sæpè conditi fuêre, & suavissimi, comparatione Mariani doloris, de quo Arnoldus Carnoten: *quot dolorum flumina filium obruere videbantur, tot in viscera Matris intrasse feruntur:* & sicut in mari, nulla gutta est, quæ amara non sit, sic nullum vitæ Marianæ momentum, quod doloris & afflictionis, non imbuit amaritudo; quæ omnis, in uno corde Mariæ collecta fuit. Vbi amabo vos, expendite: si Deus parvo cyatho, omnem totius oceani (fingamus è felle, vel absynthio esse) amaritudinem concluderet: quàm amarum ille haustum propinaret, qui hunc calicem epotandum offerret?

O Maria! magna est velut mare contritio augustissimi cordis tui, Septuaginta legunt: *magnificatum est poculum contritionis tuæ.* Utinam ex hoc amaro mari, *intrent aquæ usque ad animam meam,* ut extinguere valeam sitim rerum mundanarum, & ardorem lubricæ voluptatis. Hoc Alberti magni votum est: *e Maria, inquit, interpretatur amarum mare, quia noxias delectationes nostras, ut amarum mare amaricat abundanter; terrenas nempe voluptates, carnisque illecebras, ac delectationes ita ama-*

a Bonav. offic. pass. b Laur. Iustin. de agone Christ. c. 16. c Thren. 2. d Bern. hom. Stabat.

e Albert. M. in c. 1. Lucæ.

ras reddit ut omnes ab illis abhorreamus. Vnde docet in hoc mare faces libidinis restinguendas, dum subdit: *si illecebra carnis te trahant, & superantes jam ad illicitas delectationes te propellant, baptiza te in amaritudine maris & nomina Mariam.*

Interea crux in altum sustollitur. Jam elevatus omnia trahet ad se; proximè certè, & fortissimè traxit Mariam, quam nec pudor, nec dolor, nec timor, nec injuriæ, nec opprobria, nec creatura ulla potuit à dilectissimo suo JESU separare. *a Stabat juxta crucem* JESU *Mater ejus.*

Iuvat hîc doctorem Seraphicum audire, sic Matrem compellantem? *b O Domina mea, ubi stas? Numquid juxta crucem? Imò in cruce, cum filio cruciaris: ibi enim crucifixa es secum. O dulcissima Domina, cur ivisti immolari pro nobis? Numquid non sufficiebat nobis Christi passio, nisi crucifigeretur & Mater?* Porrò, si ut rectè Apostolus docet, dum patitur unum membrum, compatiantur omnia membra, cùm hæc Mater supra se, supra omnia filium dilexerit, quid mirum sicut D. Amadeus loquitur: *c vicit sexum, vicit hominem, & passa est ultra humanitatem: torquebatur enim magis, quàm si torqueretur in se, quia suprà se incomparabiliter diligebat.* Plus enim anima patiebatur in eo, quem amabat, quàm in eo, quod animabat. Hoc naturæ quoddam sympaticæ prodigium videtur, duas cytharas adeo æqualiter tendi posse, ut teste Gregorio, *d* una tacta altera intacta, suavissimâ harmoniâ consonet: *Cythara,* inquit Bernardus, *e tibi factus est sponsus, cruce habente formam ligni, corpore autem suo vicem supplente chordarum, per ligni planitiem extensarum.* Cui consonat Maria, de qua dici potest: *f conversa est in luctum Cythara mea.* Rem miram sed à se compertam ac comprobatam refert Kirckerus noster: *g* Moguntiæ se observasse Chelys majoris, ad parietem odæi nostri appensæ chordas, organi fistulis scitè attemperatas, contactus organi adeò argutè resonasse, atque si plectro raderentur. Tanta rebus etiam inanimis vis inest sympathiæ: nec majorem Christi ac Mariæ cordis & viscerum concordiam ac sympathiam fuisse arbitrabimus? Maria sentiens hoc (inquit Bonaventura,) *h quod & in Christo* JESU: *in animo enim illi Martyri conmartyr, vulnerato convulnerata, crucifixo concrucifixa adstabat.* Vbi incredibilem mulieris fortitudinem, & constantiam omnes admirantur:

Stabat Mater dolorosa,
Iuxta crucem lachrymosa:
Dum penderet filius.

Quæri solet, inquit Labata, *i* cur dilectus Deo Apostolus fugerit & Dominum suum deseruerit, postea tamen reversus sub cruce constanter steterit. Nec aliam causam adfert, quàm exemplum SS. Matris summâ animi constantiâ sub cruce stantis: dicebat enim

a Ioan. 19.
b Bonav. stimul. amoris c. 4.
c D. Amad. hom. 5. de B. V. 29.

d Greg. in Mor. Calamato tit. Maria dolorosa. *e* Bern. de passione c. 8.
f Iob 38. *g* P. Kircker. ars magnetica magnetismo musicæ. *h* Bonav. serm. 1. post. Dom. epiph. *i* Labata tit. Maria prop. 39.

enim intra se, mulierem hanc fortem quis non imitetur? videt filium, vitam animæ suæ inter acerbissima opprobria & tormenta exspirantem, & tamen viriliter agit & stat, & ego recedam? Quin potiùs accedam, juxta crucem pariter stabo, & si opus fuerit, moriar pariter cum illa. Excitet & nos hæc invictissima heroina ad constantem in adversis omnibus sub cruce Domini nostri IESU famulatum.

Sint, qui Salomonam, Felicitatem aliasque inter sacras heroinas, & fortissimas mulieres recensent: quæ ante oculos, exquisitis tormentis, filiis lectissimis atque optimis vitam eripi, immotæ conspexerunt. Matrem illam suprà omnes Amazones alii extollant, quæ *a* *Melitsonem* suum cohortata est: tormenta fortiter toleraret, Christum regnantem ac spectantem intueretur; ipsum deinde suavissimum onus; in humeros sublatum, sociis martyribus, carpento, ut flammis traderetur adjunxit. Septem Machabæorum Matrem, Augustinus toties in corde martyrem vocet, quoties filii torquebantur in corpore: *b* *illa*, inquit, *videndo in omnibus passa est, facta Mater septem martyrum, septies martyr: à filiis non separata spectando, & filiis addita moriendo. Videbat omnes, amabat omnes, ferebat in corde, quod in carne omnes.* Sed super omnes longè, se fortissimam ac constantissimam præbuit Maria. *Stabat itaque*, inquit S. Antoninus, *c* *juxta crucem Maria, fide & animo constans: oculi quidem lachrymis pleni erant, & dolore ingenti cor ejus premebatur; sed sine querelis, sine murmuratione, sine ullo vindictæ sensu in eos, qui filium adeò crudeliter tractarent. Exhibebat se afflictissima quidem, sed & patientissima Matris exemplar.* Quæ uti ait Gerson, *d* si Deus jussisset (promptior quàm Abraham) propriis manibus filium crucifixisset. Stantis in cœlo solis maximum olim prodigium fuit; sed majus hic Matris juxta patibulum stantis. Pulchrè Augustinus nos stare jubet: *e* *fili si sub tuis afflictionibus plores, piè plora: noli cum indignatione, noli cum typho superbia, alios contemnendo, aut damnando plorare: unde plangis quod pateris? Medicina est, non pœna, castigatio non damnatio. Noli repellere flagellum, si non vis repelli ab hæreditate: noli attendere, quam pœnam habeas in dolore, sed quem locum in testamento.*

Hæc tu ô Virgo observabas, piè plorabas, nec Iudæos, nec peccatores incusabas. Sanguinem & vulnera filii tui, medicinam generis humani non ignorabas: flagella nec à te, nec ab illo indignanter repellebas, ut cum filio hæreditatem & nobis comparares. O stupenda patientia! in medio fluctuum stat rupes immota! aquæ intrant usque ad animam, nullo tamen impatientis animi motu agitatur.

ORATIO LANSPERGII.

f *O columba mansuetissima! ô Domina mœstissima? rogo te per amari-*

a In breviario Rom. 9. Martii.
b Aug. serm. 109. de diversis.
c Antonin. p. 4. tit. 15. c. 41.

d Gerson. tract. 2. super Magnificat ex S. Anselm. & Anton. *e* Aug. in Psal. 99. *f* Lansp. Thren. B. Mariæ precatio 14.

amaritudinem dulcissimi cordis tui, ut amodò de hoc mundo nihil mihi sapiat, nil me afficiat, nil alliceat, nil cor meum detineat, nisi filius tuus, & hic crucifixus: quo in vera devotione, & profunda cordis gratitudine, in amara contritione, & viscerosa compassione, sedulò rememorem miseriam Domini Dei mei, diem amaram, qua eum languor amoris nostri superavit, & usque ad mortem perduxit; ut amore ejus, per assiduam abnegationem, veterem meum & corruptum hominem, cum omnibus concupiscentiis, & vitiis suis crucifigam.

Hora I. *Latroni veniam impetrat.*

Moveri solet implexa quæstio, cur è duobus qui Christo confixi latera stipabant, latronibus, convertatur dumtaxat unus? cur repentè alius fit à seipso? cur cœli, Deique totus, qui prius mali dæmonis, erebique totus fuerat: ut etiam (si nonnullis credimus) ubi pendebat, in maledicas voces erumpens, hærentem lateri Christum impeteret.

Audio sanctos Patres elabi in diversas, pugnantesque sententias. D. Vincent. Ferrariensis *a* putat bono latroni mentem aliam, alia consilia, alia fidei, cœlique lumina, alios piarum cogitationum & amoris æstus injectos esse, & evibratos à cruce, ac crucis umbrâ; nimirum eo loci ac temporis, incurrebat in umbram Christi ac Crucis, eaque ad veniam, ad salutem, ad gratiam fuerit satis, juxta illud Oseæ: *b convertentur sedentes in umbra ejus.*

a Vinc. ferm. in parasc.
b Oseæ 14.

D. Anselmus credit *c* bono latroni datam esse scelerum veniam, quòd olim de Christo infante, deque virgine matre bene meritus fuerit. Exul ibat, & extorris bona virgo; pergebat in Ægyptum; quæ ad cætera exilii, torrentisque soli mala, hoc quoque adjecit. adversa prædonum turba in virginem innoxiam, in Deum infantulum occurrit, & pro eâ quâ erat immanitate, in utrumque sævire parabat; fortè hos inter adfuit noster ille latro, qui ut matrem, ut puerum vidit; majus aliquid humanâ specie ratus, & eorum manibus, & periculo eripuit: grata hujus beneficii memoria fecit, ut in extremâ illâ vitæ periodo, suus veniæ locus, suus fuerit miserationi.

d B. Petrus Damianus aliò sententiam, mentemque flectit; sic tamen ut ad virginem reflectat: censet enim latronem, qui Christo à dexteris erat, ideo sibi, Deoque redditum, quod inter crucem Christi ac latronis, interesset, mediaq; staret virgo, qua mediatrice vitam, salutemque hausit. unde Novarinus in umbrâ virgineâ, asserere non dubitavit, *e sub Mariæ umbra, ac tegmine, fuit bonus ille latro, qui cum Christo pendebat in cruce; nam,* inquit, *ut multorum sententia est, virginis præcipuè precibus, ad Christum conversus est.* Vt & vos exemplo benignissimæ matris vestræ, injurias ex animo remittatis, & pro inimicis vestris gratiam, ac omnem benevolentiam rependere valeatis. Motiva esse poterunt, quæ diximus par. I.

c V. Lobb. viam vitæ & mortis c. 6. §. 2.
d Damian. ferm. de Paff.
e Novarin, l. 4. excursu 72. n. 713.

Lucis Euang. Dom. 21. post Pent. Enim verò imitata fuit mater filium pro crucifigentibus se deprecantem; quem ipse velim æmulari, sed calamo & linguâ Bernardi:

ORATIO S. BERNARDI.

a *O fons misericordiæ Iesu, quem ad te diligendum non moveat, quod inter opprobria exprobrantium, inter mortis angustias, tuarum miseriarum oblitus, sed tuarum misericordiarum memor, tam piè, tam opportunè ad patrem pro tuis crucifixoribus interpellas? in ipsâ horâ incensi, cùm jam virtus holocausti cœlos aperiret, concuteret terram, inferos spoliaret, tu summus Pontifex introiens cum sanguine in sancta sanctorum, exaudiendus pro tuâ reverentia, clamabas: pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. quàm dulcis erit diligentibus se, qui odientes & occidentes se, tanta & indebita, tam gratuita & tam stupenda benignitate prævenit?* quare & amore tui, dimitto ex corde omnibus, qui in me deliquerunt, ac gratiam tuam illis mihiq; impertiri digneris. Amen.

Hora 2. *Ioannem matri commendat. Mulier ecce filius tuus.* Joan. 19.

Quæ verba omnia gladio ancipiti, cor matris acriùs penetrasse expendit Bernardus: b *an non tibi* (ô virgo inquit) *plusquam gladius fuit sermo ille, revera pertransiens animam tuam: mulier ecce filius tuus? ô commutationem! Ioannes tibi pro Iesu traditur, servus pro Domino, discipulus pro magistro: filius Zebedæi, pro filio Dei: homo purus, pro Deo vero!*

Ludolphus c *vir in SS. voluminibus studiosissimus, & fervidis affectibus amabilis*, exclamat: d "ô Domina, qui precor cogitatus, in te succedebant, cùm tam inæstimabilem mutationem ab ipso, quem super omnia diligebas, tibi fieri audiebas? verè tunc animam pertransivit gladius doloris. ubi in exemplum adducit virum religiosum (sunt, qui Ludolphum fuisse volunt) cujus animum hæc verba: e *mulier ecce filius tuus*, tanto pietatis sensu afficiebant, ut per 20. annos, hæc attenta mente pervolvens, se à lachrymis continere nequiverit. totam quippe Christi passionem, secum sæpius recolens, ubi ad novissima illa filii matrem alloquentis verba devenisset, totus in lamenta, & lachrymas solutus colliquescebat. Sed alium, imò f

Infandum regina jubes renovare dolorem:

dum tuum, quem ex hoc mœstissimo colloquio concepi, enarrare aggredior. mitigasse hunc fortè censendus est filius, dum non *matrem sed mulierem vocitavit.* quâ super re Chrysostomum disceptantem audiamus: g *ô bone Iesu, ait, quid matrem tuam erubuisti, quæ te tam diligenter enutrivit? tam reverenter tractavit? tam dulciter lactavit? cur ei tam durè loqueris, mulierem velut increpans?* & sibimet respondet sanctissimus ille Doctor: *ideò factum id esse arbitror, ne materno nomine, amplius dolorem excitaret:*

a Bern. l. 3. de amore Dei c. 26.
b Bern. serm. 1. super Signum magnum.

c Sixt. Senen. in Bibliot. l. 4.
d Ludolph. p. 2. c. 63.
e Ioan 19. f Virg. l. 2. Æneid.
g Chrysost. hom. 84. in Ioan.

excitaret: non enim tempus tunc erat matrem dulciter alloquendi, nec nomen matris exprimendi. quam Chrysostomi sententiam, eleganti versu complectitur Joannes Baptista Mantuanus:

Talibus admonuit matrem sine nomine matris,
Ne materna pium laceraret visce-ra nomen.

Verùm in hoc tanto Mariæ dolore & planctu, nobis hoc solatio maximo esse potest, quòd dum Joannem dedit filium Mariæ, illam simul omnibus nobis matrem præfecerit, quæ nos omnes in filios adoptaret: ita Dominus ad D. Brigittam: *a Maria mater mea*, inquit, *propter compassionem & charitatem, facta est mater omnium, in cœlis, & in terris.* Origenes in 2. Joan. *omnis verè Christianus, filius est Mariæ.* Planè peccatoribus mater effecta, quia sub cruce illos, quasi filios doloris parturivit: *b sub arbore mali suscitavi te, ibi in doloribus peperit te mater tua, quia* inquit Rupertus, *c dolores ut parturientis sustinuit in passione unigeniti sui, omnium nostrûm salutem B. Virgo peperit, & facta planè omnium nostrûm mater est.* quò spectat illud Damasceni: *d dolores, quos in partu effugisti, sub cruce stans, abundanter, & copiosè sustinuisti.*

O peccator, ô fili prodige! ô „ fili perditionis: *e ecce mater* „ *tua.* quis desperet? ô verbum „ dulce: ipsa enim est mater Dei „ & hominis, mater rei & judi- „ cis. Non decet, ut inter filios, „ discordiam esse permittat: si enim] ô peccator! Mariâ est « mater tua, ergo & Jesus est fra- « ter tuus, & pater ejus, pater « tuus; ergo & regnum & hære- « ditas tua; ergo gratia Mariæ, « quam invenit apud Deum, est « thesaurus tuus; ergo dilige eam, « & venerare, & ab hac horâ ac- « cipe illam in tuam, & cur ad « hanc matrem peccator vereatur accedere? *ad patrem*, inquit Bernardus, *f verebaris accedere: solo auditu territus ad folia fugiebas: Iesum tibi dedit Mediatorem. quid non ad talem patrem, filius talis obtineat? exaudietur utique pro reverentia sua: pater enim diligit filium. An verò trepidas & ad ipsum? frater tuus est, & caro tua. hunc tibi fratrem Maria dedit; sed forsitan & in ipso majestatem vereare divinam, quod licet factus sit homo, manserit tamen Deus. Ad vocatum habere vis & ad ipsum, ad Mariam recurre*, &c. hæc mater tua, & illius est, nos fratres effecit: *g & ex illa hora, accepit eam discipulus in suam.* quæ verba suavissimè pertractat, & devotione practica adornat P. Franciscus de la Croix in hortulo Mariano areola 2. cap. 3. *O beata ergo fiducia!* (clamat Doctor mellifluus) *h O tutum refugium! mater Dei, est mater nostra! mater ejus, in quo solo speramus, & quem solum timemus est mater nostra. Quàm magnum, quàm admirabile est, quod video per te evenire nobis? quod videns gaudeo; quod gaudeo dicere non audeo; si enim tu Domina, es mater ejus, nónne & alii filii tui, sunt fratres ejus? sed qui fratres, & cujus ejus, loquar unde jucundatur cor meum? sed quod credo amando, cur*

a Lib. 8. Revel. c. 12. *b* Cant. 8.
c Rupert. ad illud: mulier cum parit.
d Damasc. l. 4. fidei orth.
e Ludolph. cit.

f Bern. ser. 2. Super. Signum magnum.
g Ioan. 19. *h* Bern. cit.

non confiteor laudando? dicam igitur non superbiendo, sed gratias agendo: judex noster, est frater noster: denique Deus noster est factus per Mariam frater noster. Quâ igitur certitudine debemus sperare, quâ desolatione possumus timere, quorum sive salus, sive damnatio, de boni fratris & piæ matris pendet arbitrio? quo etiam affectu hunc fratrem, & hanc matrem amare debemus? quâ securitate ad illos confugiemus.

„ *a* Christus patri ostendit latus & vulnera: Maria Christo pectus & ubera. nec potest omnino esse repulsa, ubi concurrunt, & orant omni linguâ disertius, hæc clementiæ monumenta.

ORATIO PIISSIMI LVDOLPHI.

b Iesu, qui in cruce, materna compaßioni compatiens, ipsam tuo dilecto discipulo, & ei discipulum commendare curasti: commendo me tibi in illa fide & dilectione, qua eos ad invicem commendasti, & supplico tibi, ut per tantæ dilectionis pignora facias me ad amorem tuum veraciter pervenire, & me eorum commenda custodiæ, ut inter hujus vitæ discrimina, ab omni adversitate, & in omni sanctitate, ac puritate, & castitate mentis & corporis, vitam meam custodiant, post hujus vitæ exitum ad te, te miserante perducant.

Hora 3. *Videt filium in cruce exspirantem.*

Bonaventura: *c Regina clementiæ, Virgo mater Christi, cùm videres filium tuum in cruce mori, nullus dolor similis tuo dolori.* Taulerus: *d* certè multò illi fuisset jucundius unà cum ipso mori, quàm sine ipso vivere, & mortem illius acerbissimam coram intueri. „

Agar ne filium in deserto, præ fame morientem, summo animi sui mœrore cernere cogeretur, ab eo se divellens, dixit: *e Non videbo puerum morientem.* At sanctissima Virgo Maria:

Vidit suum dulcem natum,
Morientem desolatum:
Dum emisit spiritum.

Acutè observat Chrysostomus, ad illa verba: *f Et inclusit eum dominus deforis.* Causam nostis? *Ne posset videre justus* (Noë) *generalem interitum:* Tantus enim ex hoc hominum, & jumentorum interitu, dolor animum ejus occupasset, ut omni morte longè acerbiorem vitam ducere debuisset. Ubi expende, omnes hos filios mortis fuisse, & unum virginis amorem in filium suum Jesum, in auctorem vitæ, & omnium creatorem, longè hunc Noëmi in omnes creaturas exsuperasse, ac consequenter luctum omnium mortalium, Mariæ minimè adæquasse. Nec est, quod mulierem quis Sunamitidem Mariæ conferat, quæ tanto dolore oppressa, ut nullam consolationem admitteret, dum filium super sinum suum respirantem cerneret. Vnde Elizæus ad Giezi dixit: *g Dimitte eam, anima enim ejus in amaritudine est:* Nam quis non videat, minùs vehementer animum maternum excruciari

a Arnold. Cornot. de B. Virg.
b Ludolph. cit. part. 2, c. 63.
c Bonav. cit.

d Taul. c. 18. *e* Gen. c. 21.
f Chrysost. hom. 24. & 25. in Gen.
g 4 Reg. 4.

morte

morte filii naturali, quàm violentâ? Non adeò lugere filium in sinu, quàm in infami patibulo, inter latrones exspirantem. Testem habeo oculatum sacrum Ecclesiasten Baptistam de Lanuza: *a* in Hispaniâ matrem, ubi filii caput lictoris manu decussum nacta fuit ut oscularetur, super exangue os, animam suam exhalasse. Et credimus hanc præ Dei Matre filium suum adamasse?

David auditâ nece Absolonis, quamvis perduellis ac sceleſtissimi filii, præ dolore caput operuit, & vitâ suâ mortem ejus redimere volens, exclamabat: *b Fili mi Absolon, Absolon fili mi, quis mihi det, ut ego moriar pro te! c Mariam verò quoties capite cooperto ingemuisse putas lugendo filium, & dicendo: Fili mi Iesu, Iesu fili mi! quis mihi det ut tecum & propter te moriar, fili mi dulcis Iesu!* Vberiores etenim flendi fontes Maria habuit: David nuntium duntaxat, de morte filii, tribus lanceis confossi acceperat, Maria dilectissimum suum Jesum, ante oculos suos tribus clavis confixum, toto corpore lacerum ac cruentum, cernit extremum spiritum exhalantem.

Graviorem dolendi causam fortè David habuisse in morte Jonathæ censeri posset, quam hisce verbis deploravit: *d Doleo super te frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum: sicut mater unicum amat filium, ita ego te diligebam.*

Ejusmodi amoris glutine, conjuncti videbantur Hieronymus & Nepotianus, qui dum per mortem ab eo avulsus est: *e Mihi,* inquit, *invito & reluctanti, lachrymæ adsunt, & inter spem resurrectionis credulum, mentem desiderii tangit affectus. O mors, quæ fratres dividis, & amore sociatos crudelis ac dura nimiùm dissocias!* Luctum suum hoc longè acerbiorem, in morte amici Augustinus fatetur dicens: *f Mirabar cæteros mortales vivere, quia ille quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat; & me magis, quia illi alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo: g dimidium animæ meæ; nam ego sensi animam meam, & animam illius, unam fuisse animam de duobus corporibus. Et ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaveram.*

Sed quis interitum amici, cum morte filii Dei audeat comparare? fateor nullam acerbiorem separationem esse, quàm animæ à corpore, ut ille ingeminabat: *h siccine separat amara mors!* verum hic filius, & hæc mater, plus se amarunt, quàm corpus & anima; ex quo necesse fuit, ubi hunc ab illâ, mors separavit, Mariæ viscera adeò commota fuisse, ut Divus Bernardus asseveret: *i nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ. nunc solvis virgo cum usura, quod in partu non habuisti à natura. dolorem pariendo filium non sensisti, quem millies replicatum, filio moriente passa fuisti.*

a Lannuza hom. 47. §. 4.
b 1 Reg. 18. *c* Bern. de pass. vitis myst. c.10. *d* 2 Reg. 1.

e Hieron epist. 3. in obitu Nepotiani.
f Aug. l. 4. conf. c. 6.
g Hor. t. 1. carm. ode 3.
h 1 Reg. 15. *i* Bern. in lament. B. Virg.

a Carolus

a Carolus Borromæus Senator purpuratus Mediolanensis præsul sanctissimus, in extremis hanc sibi gratiam ardentissimè precabatur; Sanctissime & vigilantissime custos Angele, constituo te procuratorem testamenti, ultimæque voluntatis meæ, ad impetrandam mihi à Domino hanc gratiam, ut donet mihi unum solum lachrymosum suspirium, ex infinitis illis, quæ habuit ipse, dum per tres horas vivus pependit in cruce, quorum efficaciâ & virtute mitigentur lachrymabiles illi singultus, cordisque pressuræ & angustiæ, quibus in horâ mortis affligar: & ut gloriosissima Dei mater dignetur vel unico etiam aspectu ex iis, quos ipsa sub cruce stans habuit, virgineos oculos in filium unicum defigendo. Hoc si & tu ô homo rogaris & impetraris in extremo vitæ tuæ agone, in spiritu Domini JESU respirabis, quo in æternum illi vivas. Quod ut fiat dic cum Bernardo:

ORATIO S. BERNARDI.

b Utinam (virgo dolorum) *dolor ille quem tunc passa es, sic nunc inhæreat visceribus meis, sicut inhæsit tunc tuis! utinam die quâ assumpta fuisti in cœlum, ut in æternum gauderes cum filio tuo, mihi indicares lachrymas tuas, ut per illas cognoscerem, quantum tibi amaritudinis fuerit, cùm Iesum dilectum tibi, heu, heu, & parum dilectum mihi, clavis in ligno crucifixum, capite inclinato, suum exhalare spiritum videres! mihi obsecro lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti, dum stares sub cruce: ut & ego tibi, ac filio possim condolere, Amen.*

Hora 4. *Lancea animam matris pertransivit.*

c Melliflue Bernardus: *postea quam emisit spiritum, tuus ille Iesus, ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, sed tuam utique animam pertransivit: ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat avelli. tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plusquam martyrem te non immeritò prædicemus. in quâ corporeæ passionis sensum excessit compassionis affectus.* An non Martyr, quæ plus passa in corde, quàm Christus in carne? quo sensu illud Bonaventuræ accipiendum: *d hæc majorem dolorem habuit, quàm Salvator,* si nempe solum corporeum Christi dolorem spectes. Nam ex communi SS. Patrum doctrinâ, omnes flagellorum, malleorum ictus, spinarum aculei cor virginis penetrarunt: *e Hæc omnino,* inquit Metaphrastes, *illam transverberabant profundiùs, quàm ulli clavi. Et pro unâ filii plagâ, innumeris ipsa plagis sauciabatur.* Quid, quod Christi dolor desiit in morte, matris verò recrudescebat, & lancea, quæ mortui latus percussit, vivacissimo sensu cor matris sauciavit. Vnde *Cornelius* noster, *f* de latere Christi, illam plus passam fuisse probat: nam passio Christi ait, desiit in morte; tunc autem B. Virginis passio, & compassio non desiit, sed crevit. Vt ex sequentibus fusiùs patebit. Verissimè igitur dilectus virgini *Ildephonsus* scripsit;

a Drex. Christus moriens c. 10. §. 4.
b Bern. ibid.

c Bern. serm. 1. Signum magnum.
d Bonav. de compass. Virg. lect. 1.
e Hom. de dormit. Virg.
f Cornel. in Ioan. c. 19. v. 26.

ſcripſit: *Tunc plus quàm martyr fuit, quia in animo non minus amoris, quàm mœroris gladio intus vulnerata fuit.* Voluit quippe & filius hac laureâ, quam martyribus ſingulari amoris prærogativâ impertivit, etiam matrem condecorare, ut benè Richardus à S. Laurentio obſervavit: *a Gladius doloris*, inquit, *qui pertranſiit animam ejus in unigeniti paſſione, pro amariſſimo ei martyrio computabatur: voluit ſiquidem filius, ut omnium ſanctorum ſpecioſitati participaret mater ſua, imò univerſam ſanctorum pulchritudinem excederet: & ſicut appellatur virgo virginum, ita & martyr martyrum* (imò Regina martyrum) *debet appellari.* quod exaggerans D. Anſelmus ait: *b quidquid enim crudelitatis inflictum eſt corporibus martyrum, leve fuit, aut potiùs nihil, comparatione tua paſſionis. nec crediderim te potuiſſe ſtimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, ſuſtinere: niſi ipſe ſpiritus vita, ſpiritus conſolationis, ſpiritus ſcilicet dulciſſimi filii tui te confortaret.*

Vnum nunc ſupereſt, ut Mariam columbam illam candidiſſimam, in latere Chriſti nidificantem æmulare velitis, ubi tuti ab accipitre eritis, & nidos dulces, imò theſaurum longè pretioſiſſimum, cor Chriſti reperietis, ut fusè diximus part. 1. Dom. Quinq. unam hîc vobis in exemplum adduxiſſe ſufficiat, de quâ Ludovicus Granatenſis: *c* Eleonora d'Inchoſa, Domini ac magiſtri Joannis de Avila. viri religioſiſſimi ac doctiſſimi diſcipula, rejectis ac contemptis illuſtriſſimæ familiæ ſuæ titulis & nomine, non alio voluit compellari, quàm *Eleonora de latere Ieſu*, omnem dignitatem, nobilitatem, ac felicitatem in hoc ſitam exiſtimans. Potiori quidem jure mater Chriſti, *Maria de latere Ieſu* nuncupanda; ſed & hoc titulo quiſque veſtrûm inſignis eſſe poterit, & ſi illic nidificare inceperis, Joannes de latere Chriſti, Paulus de latere Chriſti, Catharina de latere Chriſti poteris appellari.

a Rich. à S. Laur. l. 3. de laud. Virg.
b Anſelm. de excellent. Virg. c. 5.
c Lud. Granat. in vita Mag. Avilæ. c. 4. §. 6.

ORATIO S. AVGVSTINI.

d Deus amore venit ad homines, venit in homines, factus eſt homo, amore Deus inviſibilis, ſervis ſuis factus eſt ſimilis: amore vulneratus eſt propter delicta noſtra. tuta & firma requies eſt infirmis & peccatoribus, in vulneribus Salvatoris. ſecuriùs illic habito; patent mihi viſcera, per vulnera: quidquid ex me mihi deeſt, uſurpo mihi ex viſceribus Domini mei: quoniam miſericordiâ affluunt; nec deſunt foramina, qua affluant. Per foramina corporis, patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis Sacramentum: patent viſcera miſericordia Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. foderunt manus ejus & pedes ejus, & latus ejus lanceâ perforarunt: per has rimas, licet mihi guſtare, quàm ſuavis eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate.

Hora 5. *Depoſitum è cruce ſinu excipit.*

e Sanctus Anſelmus divinitus ſe edoctum affirmat, Joſephum ab Arimathiâ inter cæteras rationes, quas propoſuit Pilato, ut acciperet

d Aug. in manuali c. 21.
e Anſel. dial. de paſſ. Domini.

ciperet corpus Iesu, unam fuisse, quòd Mater Christi præ dolore moriebatur: cui hoc solatii postulabat, ut corpus saucium, & exangue deosculari, lachrymis rigare, & tumulo condere liceret: unde renuit consolari anima ejus, donec hoc pretiosum depositum sinu excepit; quemadmodum B. Brigittæ familiariter declaravit, dicens: *a Iam quasi consolata sum, quòd corpus ejus de cruce depositum contingere potui, & in sinum recipere, vulnera explorare, & extergere.* Quod ipsum Divus Bonaventura nobis considerandum proponit, dum planctum, & ejulatus commemorat, *b quos Virgo castissima abscondere non valebat, quando in amplexus ruebat exanimis corporis Filii sui de cruce depositi.* Hoc Cornelius noster confirmat: nam Christi corpus mortuum de Cruce depositum ipsa excepit cum redivivo dolore.

Narrat Plutarchus mœstitiam matris in morte Regis Achis, qui propter justitiam à suis occisus, dum effrænatos civium mores & perditam Remp. ad meliorem frugem revocare tentasset; ejus cadaver ad matrem delatum, quod illa sinu excipiens, horrendo ejulatu exclamavit: *Heu me! fili mi! nimia bonitas tua, nimia mansuetudo & humanitas, te simul & nos perdidit.* Consimiles Virgini Matri Sanctus Germanus voces accommodat, *c* dum narrat eam exsatiari non potuisse in contemplando filio è Cruce deposito: plusque mille vicibus illum exosculatam fuisse, lachrymis vulnera rigasse, & plorando explorasse singula, longitudinem, latitudinem, altitudinem & profundum. Vt autem aliquid de magnitudine doloris (quem mater hinc hausit) animæ devotæ sentiant: *d* exemplum, inquit Ludovicus Granatensis proferam, non admodum antiquum. Ante paucos dies, per ministros justitiæ juvenis quidam capite truncatus est, ipsumque caput hastæ suffixum, publico loco expositum. Habebat hic juvenis matrem, quæ doloris victa impatientiâ in publicum prodiit, ut filii caput spectaret lachrymans, cœlumque gemitibus, suspiriis, & querimoniis implens. Quod cùm vidisset, domum reversa, tanto dolore correpta, oppressaque est, ut eo ipso die spiritum, doloris magnitudine præfocatum, exhalarit. Tanta vis est amoris materni, in filium improbum etiam & flagitiosum. Quantò ergo major Virginis exstiterit, necesse est, dum non modò caput talis filii, spinis cruentum, sed & totum corpus miserrimè dilaniatum conspexit? Theoclia Sancti Calliopii Martyris mater, in amplexu filii crucifixi mortua est. O quàm libenter ac cupidè hæc quoque Mater in amplexu Filii sui Iesu Crucifixi, ex ejus amore mortem obiisset! nisi hoc solatio suos, & Ecclesiam novellam Christus dignatus fuisset, ut Matrem superstitem sibi relinqueret.

e Nobilis Francus, Dominus

a L. 4. c. 7. & l. 7. c. 15.
b Bonav. off. de comp. B. Virg. sub finem.
c S. Germ. in Fragmento Theoriæ.

d V. Mechiov. Lit. Lau. tit. Regina Martyrum pag. 600.
e Spond. to. 3. an. Christi, 1522. fo. 36.

de Liladam ad suos rediit totâ classe lacerâ, uno dumtaxat vexillo expanso, in quo Virgo Mater Christum mortuum gremio tenens, scitè depicta erat, cum hac epigraphe:

Afflictis tu spes unica rebus.

Hoc velo, vos ô afflictissimæ matres! sive in morte filiorum, sive jacturâ bonorum, supra omnes fluctus dolorum, animo tranquillo & sereno velificari potestis: in hoc velum oculos intendite, & attendite: si est dolor vester, sicut dolor Mariæ, & ilicò solatium ab afflictissimâ matre experiemini.

ORATIO S. BONAVENTURÆ.

a Propter planctum acerbi ejulatus, quem profundo pectoris fonte manante abscondere non valebas Virgo castissima, quando in amplexus ruebas exanimis corporis Filii tui de Cruce depositi, cujus genas ante nitentes; & ora rutilantia mortis conspiciebas perfundi palloribus, ipsumque totum concussum cernebas, lividum, ac concisum vulnere super vulnus, auxiliare nobis; ut nunc sic nostra plangamus facinora, &c. ex emplastris pœnitentiæ, peccatorum curemus vulnera: dum corpus nostrum morte deformatur, nostra tunc rutilet anima candore innocentiæ; quatenus dignissimi frui mellifluis osculis, constringamurque amorosis amplexibus, super omnia dulcissimi Filii tui domini nostri Iesu Christi, qui &c.

Hora 6. *Maria Filium sepulturæ mandat.*

Hos aliquando cum sponsâ suâ, in paucis dilectâ, familiares Virgo Mater sermones instituit: *b Fuit dolor meus in tactu* (per alios enim sensus enumerârat,) *cum aliis quippe deposui Filium meum de Cruce, & involvi eum, & posui in tumulum: & sic tunc augebatur dolor meus, ut vix manus & pedes mei haberent robur ad subsistendum.* Et subdit: *O quàm libenter tunc fuissem sepulta cum Filio meo!*

c Mausoli mariti sui cineres, uxor in se tumulavit, filium suum Iesum Virgo Maria in sinu cordis sui consepultum, nunquam animâ excidere passa est; sed *omni tempore*, inquit, *d quo post Ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca in quibus ipse passus est: sic quoque passio ejus in corde meo fixa erat, quòd sive comedebam, sive laborabam, quasi recens erat in memoriâ meâ.* Et alibi: *e in sepulchro Filii mei semper cogitatio, & cor meum versabatur.* Quem continuum Virginis dolorem, etiam dum Filio supervixit, scitè expressit Hailgrinus Cardinalis, qui cogitationes Virginis, comis purpureis conferre non dubitavit: exponens enim illud Cant. *f Coma capitis tui sicut purpura Regis*, inquit, *cogitationes tuæ tinctæ in sanguine Dominicæ passionis, sic affectæ semper fuêre, quasi recenter viderent sanguinem de vulneribus profluentem.* Hinc factum, ut quoties sacrosanctis Sacrificijs interesset, quoties Eucharisticæ mensæ accumberet, ubi filius cruentè paulò antè, se coram oblatus, jam incruentè immolabatur, tenerrimo sensu, jam non corporis, sed cor-

a Bonav. de compass. B. Virginis.

b Rev. Brig. l. 6. c. 57.
c Roder. in Mart. lib. Spectac. ep. 1.
d L. 6. rev. c. 21. *e* L. 2. rev. c. 21.
f Cant. 7.

dis sinu exciperet. Ut amabat, ut dolebat, ut stupebat, ut viva moriebatur, mortuaque vivebat! istis nimirum liturgicis ritibus, doloris vulnera recrudescebant, & tragœdiæ peractæ acerbitas, menti altiùs imprimebatur, præsertim cùm eo essent consilio divinitus instituti, ut fierent in sui commemorationem. Et quis mortalium, potiori jure debebat, & volebat hoc ipsum studiosissimè præstare ac dicere: *a memoria memor ero, & tabescet in me anima mea!* Facta denique mira tristitiæ accessio, dum toties totiesque sacra loca, Filii sudore, lachrymis, sanguine irrigata peragraret: piissimam quippe Matrem hoc pro more habuisse Sanctus Ildephonsus testatur: *b Si scire volumus*, ait, *quid Dei Genetrix post Resurrectionem Domini, antequam ipsa cœlos ascenderet agebat, sine dubio loca Dominicæ Nativitatis, Paßionis, Sepulturæ, & Resurrectionis frequenter circumiens, invisere cupiebat, in iisque etiam locis lachrymas fundebat, & sanctißimi oris sui oscula dulcißima imprimebat:* eâ religione, eâ cordis compunctione, dolore & amore tanto, ut Alberto Magno contestante, *c* mortem ei non semel intulisset, nisi Deus miraculo sustentasset: etenim si cives ille Dionantensis orbi celeberrimus est, qui anno circiter 1216. *d* in terram sanctam profectus, ubi omnia quæ Redemptor noster præsentiâ suâ loca sacrarat, veneratus fuisset; tandem in Calvariæ monte vi amoris & doloris exspirarit: quid de affectu talis matris acerbissimos proprii Filii, & talis Filii cruciatus recolentis, & etiamnum velut intuentis, sentiendum est? Sed prôh pudor & dolor! hæc cruenta Christi mysteria in te, ô anima! altè sepulta, & oblita jacent. O utinam, afflictissima mortalium Maria interioris animi mei sepulchrum pretiosissimis lachrymis tuis, ita omni sorde, & eluvie expiare valeam, ut mundissimum sanctissimi corporis thesaurum, illic recondere, & jugi meditatione recolere queam.

a Thren. 3
b Ildeph. ser. 5. de assumt. B.V.
c Alb. M. Super missus.
d Cantiprat. l. c.25. n. 5.

ORATIO.

Sepeliaris, Domine in corde meo: ibi invenies quod quæritur marmor, & marmor novum. Siquidem in tuis, Matrisque doloribus petræ scissæ sunt, marmorea sepulchra adaperta sunt. Et eheu cor meum, novâ suâ duritie mansit immotum. Da cor illud carneum, quod compunctione scindatur, lachrymis molliatur, minis cedat, flagellis emendetur. Da mihi cor illud carneum, quod tuo ac Matris dolore liquefiat, quod utriusque amore moriatur. Amen.

§. III.

Matri dolorosæ condolendum, eoque praxes adductæ.

SAncta Brigitta mirum in modum doloribus Sanctissimæ Matris compatiebatur, hisce ejus querelis permota: *e Ego habui oculos meos plenos lachrymis, quando considerabam in membris Filii mei loca clavorum, & paßionem ejus futuram. Sed nunc respicio omnes qui in mundo sunt, si fortè sunt aliqui, qui compatiantur mihi, & recogi-*

e L.2. rev. c. 24.

tant

tant dolorem meum, & valde paucos invenio: ideo filia mea, licet à multis oblita & neglecta sum; tu tamen non obliviscaris me: vide dolorem, & imitare quantùm potes; considera meas lachrymas, & dole.

Tu quoque adolescens, tu filia, tu conjugata, tu peccator non obliviscaris me. Cui ex corde condoluisse, æterna gaudia prælibasse est. Eluxit hæc singularis prærogativa Matris dolorosæ in viro nobili, sed admodum perverso: *a* qui pacto cum cacodæmone inito, insuper per sexaginta & amplius annos, scelera sceleribus accumulando, nunquam animum sacrâ exomologesi expiârat, divinitus tamen Presbyter admonitus, qui jam lethali morbo dejectum inviseret, ad verum peccatorum dolorem excitaret, & confessionem exciperet: quam ut multis lachrymis & ferventissimâ contritione, uno die quater instituisset, Sanctissimi Corpori Christi viatico munitus, salutem suam consecutus est. Idque ut certâ revelatione comprobatum est, quod *consuetudinem haberet compati doloribus Mariæ*. Vt quisque hoc sibi signum prædestinationis certissimum præfigere posse videatur, afflictissimæ Matri „ compassum fuisse. *b* „ Ferunt „ enim B. Virgini concessum „ fuisse à Christo Domino, ut „ dolores ejus maternos animo „ evolventi, quemvis favorem „ ad salutem animæ ejus impe„ traret, & præcipuè ante mor„ tem, veram de peccatis pœnitentiam. Dicti veritatem confirmat Sacerdos ille, qui Deiparæ dolores perpendens, ut illam solerareturs, hanc brevem precatiunculam recitare consuêrat:

c Gaude Maria, quia gaudium ab Angelo suscepisti, & mundo peperisti: Gaude Maria, quia Dei Mater & Virgo es: Gaude Maria, quia omnis creatura in cœlo & in terra te collaudat.

d Contigit illum gravi morbo affectum ad extrema deduci, & in salutis desperationem à Dæmone conjici: adfuit confestim Deipara: Et tu, inquit, fili mi, cur mœrore conficeris, qui in mœrore meo me toties solatus es? animos resume. lætus mecum veni, intra in gaudium Domini tui.

e Et adhuc *tu sine lachrymis, amantissimæ Dominæ tuæ lachrymas videbis? tu siccis manes oculis, & ejus animam pertransibit gladius doloris? tu sine singultu audies dicentem: Mulier, ecce Filius tuus!*

O Domina mea!

Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere:
Pœnas mecum divide.

Atque hæc praxis prima, vehemens desiderium compatiendi, & in se experiendi Sanctissimæ Matris dolores. *f* Vt sicut ipsa Christi, ita & nos simus communicantes Virginis passionibus: quemadmodum ardentissimè expetiit, & voti compos facta fuit Beata Margareta, quæ eam gratiam multis precibus consecuta est, ut cruciatus ac dolores Marianos in se experta, omnibus

a Rev. Brig. l. 6. c. 97.
b Carthag. de Lament. B. Virg. l. 12. hom. 1. Pom. l. 3. p. 4. prax. 3. & act. revelat. S. Brig.

c Barry Med. 16. Apr.
d Raz. l. 1. B. Virg.
e Ansf. de excel. Virg. c. 3.
f Tauchius Mater dolorof. p. 538.

corporis membris debilitatis, tantùm non mortua conciderit. Eosdem experta Sancta Brigitta, a quæ fatetur *cor suum ex compassione Matris penetrasse acutissimam sagittam doloris immensi.*

Praxis secunda: quasvis afflictiones, ac morbos immissos patienter ferre, ex peculiari affectu in Matrem dolorosam. b Franciscus Binas Ordinis Minimorum, ut Christo & Mariæ compateretur, cultello supra cor nomen Iesu & Mariæ bene altè insculpsit. Quod ut mirandum magis, quàm imitandum sit; hoc tamen usui esse potest, ut quosvis dolores, ac morbos immissos, intuitu amoris, quo Virgo Mater filio suo compassa fuit, patienter feramus.

Praxis tertia: c aliam pietatem brevem, sed efficacem, Deipara Beatam Ioannam, filiam Ludovici Vndecimi, Galliæ Regis edocuit: nempe ut singulis diebus recitaret quinies Pater & Ave, in honorem quinque Vulnerum Christi, & eâ mentis attentione & pietate, quâ & aspexit, & salutavit illa Mater dolorosa filium sub Cruce.

Praxis quarta: d per diem ter salutare Matrem dolorosam. Invaluit piissimus usus, ter per diem, manè, meridiè, & vesperi, signo dato Virginem Matrem consalutandi. Hæc pietas ad Matrem dolorosam, à quâ initium sumpsit, dirigenda est: nam anno 1423. sub Theodorico Coloniensi Archiepiscopo celebrata est Synodus, cui interfuêre Episcopi Leodiensis, Osnaburgensis, Monasteriensis, Mindensis & Vltrajectensis, cum aliis Ecclesiasticis Diœcesis Coloniensis. In hac Synodo 22. Aprilis decretum est, ac mandatum, ut in omnibus hisce Episcopatibus, eorumque templis collegiatis & Parochialibus, intra & extra urbes, quotidiè manè ante solis ortum signum ter campanis daretur, in memoriam ac venerationem dolorum & compassionis maternæ, gloriosissimæ Virginis Mariæ. Quæ devotio, quàm piissimæ huic Matri grata sit, unum illud (ut infinita alia omittam) argumento sit.

e Conimbriæ quidam sero vespere in insidiis capitalem hostem operiebatur: animus erat transeuntem glande ferreâ salutare, & sclopo trajicere incautum; sed fefellit destinatio: nam alter recepti moris retinens, audito horæ pulsu constitit hîc oraturus; nec ad illud loci punctum pervenit, quod insidiatores occulti, sibi designarant. Atque ita hic interitum effugit. Complures reperire est, qui per diem & in extremo vitæ agone, ad horæ signum Matrem dolorosam salutantes, tela ignea tartarei hostis effugerunt.

Praxis quinta: officium Matri dolorosæ indies persolvere ex Sancto Anselmo, vel Sancto Bonaventurâ, quod passim exstat, & ad manum est.

Praxis sexta: peculiare sibi festum per annum, aut potiùs per singulas hebdomadas Matri dolorosæ instituere, Christi cruciatibus recolendis, Ecclesia quotannis diem, imò hebdomadam consecravit; insuper omnes dies Veneris,

a L. 7. rev. c. 15.
b Barry Pan. S. de Matre dolorosa.
c Tausch. pag. 698.
d Tauch. Mater dolorosa, pag. 502.

e Balingem de orat. jac. l. 3. c. 6.

neris, Christo passo jam pius Catholicorum usus dicavit. At Matris afflictæ ac dolentis, nullus hactenus Pontificum aut Ecclesiæ authoritas, per universum orbem festum celebrandum proposuit. Non defuêre tamen, nec desunt etiamnum, qui peculiari sibi devotione certum Matris dolorosæ festum delegerunt, ac celebrarunt. Vt manifestè videre est apud P. Spinellum de Deiparâ, tractatu de Festis, ubi ait: *a* Festum dolorum Deiparæ, quos cùm puerum Iesum sisteret in templo, Simeon ei vaticinatus est: à Cisterciensibus (quemadmodum ex eorum Breviario colligitur) die decimâ sextâ Aprilis, ab aliis verò plurimis in locis, præsertim in Atrebatensi Diœcesi feriâ sextâ ante Dominicam Palmarum solemni ritu celebratur. Statuitque Synodus Coloniensis (de quâ suprà egimus ut festum compassionis, seu commemorationis præfatæ, ac angustiæ & doloris Beatissimæ Virginis, deinceps singulis annis feriâ sextâ post Dominicam *Iubilate* celebretur.

Nos quoque Sabbatho, Matris dolores recolamus, & exemplo Virginis triste Sabbathum celebremus, cùm de eâ Bernardus: *b Paßionis tempore omnes relicto eo fugerunt, sola illa, quæ benedicta est in mulieribus, per illud triste Sabbathum stetit in fide, & salvata fuit Ecclesia in ipsâ solâ: propter quod aptißimè S. Ecclesia in laudem & gloriam ejusdem Virginis, diem Sabbathi per totius anni circulum celebrare consuevit.*

Causam hujus cultus Mariani, adfert Author sermonum Discipuli serm. 164. Optimo ordine, inquit, sequitur, ut cùm die Veneris mortem Filii planxerimus, die insequenti Matris lugeamus solitudinem: ut sicuti alii Martyres dies sibi dicatos habent; ita & Reginæ Martyrum hunc peculiari devotione dedicemus.

Praxis septima. *Sodalitium Matris dolorosæ sedulò frequentare, imò instaurare.*

Serenissima Magdalena Ducissa Bavariæ, *c* congregationem Virginis dolorosæ in suâ aulâ erexit: ex quâ, præter alium egregiæ pietatis fructum, hunc quoque cœpit, ut in gravi & diuturnâ tredecim mensium ægritudine eam à Matre dolorosâ animi fortitudinem ac patientiam consecuta sit, ut nullum pusilli animi signum, aut querentis vocem emiserit. *d* Vultis stupenda non in unum hominem, sed in nationes & gentes integras, ubi hæc sodalitia erecta sunt, beneficia commemorem? Sub annum 1482. cùm civilibus bellis Belgium arderet, & passim inter primates ac plebem intestina odia grassarentur, neque porrò spes ulla rem deploratam instaurandi affulgeret: Philippus Pulcher, Hispaniarum Rex, annorum circiter quatuordecim, Sodalitium in honorem septem Virginis dolorum tam Bruxellis, quàm Antverpiæ, atque Mechliniæ instituit, cui deinceps aggregati plurimi; ex secularibus Maximi-

a Barry Pan. S. 2. die Jovis post Pascha dev. 4.
b Barn. de pas. c. 2.

c In orat. Funeb. an. 1628.
d Lyræus in Trisag. Mariano. l. 2. pausa 9. pag. 214.

lianus, & Carolus Quintus, invictissimi Cæsares: Philippus & Christiernus potentissimi Reges: Albertus & Isabella Belgarum Serenissimi Principes. Ex Ecclesiasticis verò; Eminentissimi, Guilielmus Croiacus, Laurentius Campegius, aliique S. R. E. Cardinales.

Petrus Vorstius & Guido Bentivolus Apostolici Nuntii: Illustrissimi, Matthias Hovius, & Jacobus Boonen Archiepiscopi. Reverendissimi Antonius Triestius, & Dionysius Christophorus Episcopi, aliique Gravissimi Præsules, atque omnis ordinis & ætatis, innumeri homines utriusque sexus. Eadem porrò pietas non modò jam olim viginti quatuor Episcoporum calculo & authoritate firmata est, verùm etiam ab Apostolicâ Sede per Alexandrum Sextum, Leonem Decimum, Paulum Quintum, & Gregorium Decimum-quintum confirmata. Accesit suffragium cœli, dum ilicò in primâ institutione, seditionum per Belgium flagrans incendium, cum omnium stupore prorsus exstinctum est, & mores urbium miraculo commutati: deinde quamplurima facta miracula, quæ supra ducenta ante annos centum, legitimè consignata, triplici idiomate prodierunt.

Vtinam consimilem Marianum cœtum aut collapsum instaurare, aut denuò erigere, aut saltem sedulò frequentare, hisce calamitosis bellorum temporibus studeremus!

Præiverat annis aliquot antè, laudatissimæ memoriæ Theodoricus Coloniensium Archiepiscopus, qui anno 1423. in suâ Ecclesiâ dolentis Virginis erecto Sodalitio communem pietatem non parum in Germaniâ excitarat, dum Hussitarum armatæ acies supremum isthic: Christiano nomini exitium minabantur. Nec pio consilio felix defuit successus: mox enim reddita sibi tranquillitate, imperium, perduellium subacta proterviâ, visum est respirare. Quo domestico permotus exemplo Serenissimus Elector, idemque Archiepiscopus Coloniensis Ferdinandus, anno 1633. cùm ex Barbaro Aquilone Transmarini Regis, gentiumque immanium progressa tempestas, tot Dynastarum ac populorum fœderatis armis potentior, omnia vastaret, edomitisque Danubio, Mæno, Visurgi, Albi ac Rheno, extremum Ubiis naufragium instaret, publicis datis literis hortatus est omnes, ut quod unum solandæ patriæ, offensoque Numini demulcendo superesse consilium videretur, ad colendos secum Deiparæ dolores confugere, inchoatamque olim Religionem ac studium piæ Sodalitatis restaurare vellent. Interim ipse præire, quem alii Principes, Præsules, ac omnis populus summo pietatis sensu secuti sunt. Quo factum, ut quæ inter tot naufragantium Provinciarum exitia, dudum Colonia fluctuabat, hactenus Dei ac Matris dolorosæ beneficio, incolumis fuerit conservata.

Et quoniam de Austriacis agimus, *a*

Insignem pietate virum

Serenissimum Archiducem LEO-

a Virg. l. 1. Æneid.

POLDUM,

POLDUM, vitæ ſuæ pro Patriâ prodigum, prodigialiter non ſemel à Virgine Matre ſervatum, tacitus præterire non poſſum, qui ut omnes magnæ Matris ſtatuas prodigioſis beneficiis venerandas, typis excudi, & coloribus auroque illuſtrari curarit; *Matri* tamen *doloroſæ* in publicis Belgii calamitatibus tenerius affici videtur: cujus iſtud ingenioſo non minus quàm Religioſo in afflictam Virginem affectu, Chronicon ab eo ſuperiori anno adinventum eſt:

Mater ChrIstI DoLoroſa.

Vtque Sacer Euangeliſta cum Filii Dei cruciatus exprimere non poſſet, hoc ſolum conſiderandum reliquit. *Sic Deus dilexit mundum.* Ita Piiſsimus Princeps alterum illud Chronicon mentis oculis ſubjecit:

sIC DoLet MarIa.

Nunc verò, ut nulla propè eſt familia, vel illuſtris, vel obſcura, cui non ſubinde triſte aliquid ac acerbum accidit, ita optandum, ut ſi quid ſolatii aliunde præſtolentur, ſeſe in ſinum Matris doloroſæ, quæ novit compati infirmitatibus noſtris, ſe effundant.

Hunc Matris doloroſæ cultum *a* mirum in modum auxit celeberrimus ac integerrimus Ordo Servitarum Sanctæ Mariæ: nam anno 1231. ſeptem Mariani Sodales in eâ quæ tum Florentiæ florebat Sodalitate, magnâ cum virtutis, ac pietatis laude, Deiparæ ſerviebant. Ii dum ipsâ aſſumptæ in cœlos Virgini ſacrâ luce, ejus præconia pro ſe quiſque inſigni cum animi ſenſu celebrarent, vox cœlo delapſa ad ſingulos quantumvis ſubſelliis ac locis in æde ſacrâ disjunctos, eoſque ſolos (nam alii qui aderant, nihil audiebant) eadem pervenit, quâ ad perfectius vitæ genus, & Deiparæ famulatum vocabantur. Die deinde Paraſceves, cum Chriſti cruciatus, unáque Matris ejus dolores piè recolerent, apparuit illis Deipara Angelis ſtipata, qui Paſsionis inſtrumenta præferebant; illa verò veſtem nigram, quam in ſuorum memoriam dolorum lugubrem geſtarent, iiſque colendis totos ſe conſecrarent, hortabatur: *Et his*, inquit, *veſter erit habitus, & ſervi Mariæ Virginis vocabimini.* Qui exinde ſe Matris doloroſæ ſervos, adeoque dolorum ejus, ex inſtituto, cultores profitebantur. Quam autem, ut initio ejus paragraphi monui, certam ſalutis teſſeram, hi ſervi Matris afflictæ conſecuti ſint, ex eo colligere eſt, quòd B. Bonfilius, unus ex his ſeptem ſociis, poſt decantatas mediâ nocte laudes, vocem de cœlo ad ſe delapſam audivit: *Bonfili centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis.* Septimo pòſt anno ſecutus primogenitus ejus Filius Amatus, ſorte non diſpari: uterque mirâ corporis fragrantiâ à morte relictâ. Aliorumque feliciſſimum obitum videre eſt apud Tauſchii matrem doloroſam pag. 600.

Quare ut concludam, age quiſquis es, ſpecta Reginam Martyrum, uberibus lachrymis merſam, mille cruciatibus ſauciam, & miſereſce. Specta Mariam amaritudine plenam, & ingemiſce. Specta Matrem ſuper Vnigeniti, & talis Vnigeniti morte plangentem, & contabeſce.

a Baron. to. 13. an. Chriſt. 1231.

EMBLEMA VI.

Erat subditus illis. Luc. 2.



NUTU *PENDEMUS AB UNO.* a

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

De promptâ filiorum obedientiâ erga parentes exemplo Christi. Quo fiet ut hîc pueri sint Angeli, & cœlum sit in terris.

§. I. *Erat subditus illis.* Luc. 2.

§. II. *Quinam pueri singulari in parentes obedientiâ ac observantiâ præcelluerint.*

§. III. *Filii obedientes Angeli, & familia quam inhabitant meritò cœlum nuncupatur.*

a Lucan. l. 5.

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Erat subditus illis. Luc. 2.

NON pauci hoc desiderio sciendi flagrant, quid ab anno ætatis suæ duodecimo, ad usque trigesimum, intra maternæ habitationis angustias delitescens Christus Servator noster factitarit, cujusmodi illic vitam traduxerit? Et divinant illi quidem, quæ probabilia videantur, quòd de illâ serie annorum, & divinis occupationibus, nihil quidquam in sacro codice sit memoriæ literisque mandatum. At S. Lucas brevi sed inaudito elogio totius vitæ Servatoris breviarium complexus est, cùm ait:

§. I.

Et erat subditus illis.

HUc cogitationes omnes suas, curas quotidianas, vigiliasque referebat, ut nihil diceret, aut moliretur, non pedem, non manum, non nutum oculi moveret, qui à Parentum voluntate ullâ ratione dissideret. Quod specimen inauditæ subjectionis, vehementer suspicit Religiosissimus Bernardus, & miraculum vocat stupore dignissimum: ERAT, inquit, SUBDITUS ILLIS. *a Quis, quibus? Deus hominibus; Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt: subditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, sed etiam Ioseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, & elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrimque stupor, utrimque miraculum.* Sed quæramus & nos cum mellifluo Bernardo: QUIS ILLE SUBDITUS? respondet Isaias: *b Princeps pacis, admirabilis, magni consilii Angelus, qui appendit tribus digitis molem terræ. Quis ille subditus?* respondet Michæas: *c cujus egressus à diebus æternitatis. Quis ille subditus?* respondet David: *d Cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi qui habitant in eo, Rex gloriæ & Dominus virtutum, Dominus fortis & potens. Quis ille subditus?* respondet Daniel: *e Cui ministrant millia millium, & decies centena millia assistunt ei. Quis ille subditus?* Quid censetis legis novæ præcones? respondet Joannes: *f Qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti. Quis ille subditus?* Respondet Pater è Cœlo: *g Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.*

Quis ille subditus? Respondet Angelus: *h Qui Filius Altissimi vocabitur, & regnabit in domo Iacob in æternum, cujus regni non erit finis.* Quis non totus stupore defixus hæreat, si Regis filium ancillæ cuiquam ac famulo, in omnibus obsequentem, abjecta quæque eorum nutu exequentem, idque spontaneè,

a Bern. hom. 1. super missus.

b Isa. 6. Isa. 40. *c* Mich. 5. *d* Psal. 23. *e* Daniel. 7. *f* Ioan. 1. *g* Luc. 9. *h* Luc. 2.

ſpontaneè, promptè, alacriter, conſpexerit? *Mirare ergo* Altiſſimi Filium, Mariæ ac Joſepho ſubditum, iis manibus domum everrere, lectulum ſternere, ligna dolare: patri qui faber erat, iis manibus collaborare, quibus fabricatus eſt auroram & ſolem, & univerſam hujus orbis machinam concinnavit. Seleucienſem Antiſtitem audite: a *Cùm primâ ſuâ ætate parentum ſuorum imperio ſubjectus eſſet, & labores corporis omnes, æquo unà cum ipſis animo, illis obediens toleravit, veriſimile eſt enim cùm homines illi eſſent* ſcilicet Maria & Joſeph) *& juſtitiæ, & pietatis cultores, tenues tamen, neque neceſſariis ad vivendum copiis ſatis instructi* (quod ex præſepi intelligi poteſt, in quo venerabilis ille fotus eſt fœtus) *ſolitos eos in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hac ratione quotidianum ſibi victum quæritare. Porrò Ieſus, cùm his (ut divinæ litteræ prædicant) eſſet ſubjectus, ſine dubio in perferendis etiam unà cum ipſis laboribus, morigeram declarabat ſuam obedientiam.* Longè certè promptiorem, quàm tyro muſices ſub phonaſco exercere condiſcit, dum ejus nutu vocem tollere, dimittere, altum vel baſſum, ut jubetur canere: nutu ſolo inchoare, nutu deſinere ſolet. Haud aliter illis in omnibus, eorumque nutui obtemperando, jam aquam deferebat, jam menſæ miniſtrabat, jam operi fabrili inſtabat, ut præclari auctores teſtantur. Sanctus Vincentius, cujus verbis vel apicem detrahere, religioni ducerem, ſic ſcribit: b *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* c Dicam vobis " unum ſervitium, ut Magiſter " hiſtoriarum expreſsè dicit, " quòd Chriſtus cum aliis pueris " ibat ad portandum aquam, & " adhuc in Nazareth fons eſt, " de quo puer Jeſus hauriebat aquam, & miniſtrabat matri. " Præceptum parentum ex intimâ animi obſervantiâ etiam " præveniendo, ſubdit enim: Virgo de mane volebat recipere " amphoram, ut portaret aquam. " Videns *Ioſeph, quòd Virgo &* " *Ioſeph, veniebat Chriſtus*, & " recipiebat amphoram, dicens, " ego ibo. O ſi quis dixiſſet ſibi, " quando redibat de fonte: O " Domine, quare facitis hoc? quare non facitis vos Michael, Gabriel? Et reſpondiſſent Angeli, " nos ſumus parati, ſed ipſe vult " facere. O Domine, quare facitis hoc? reſpondiſſet, ut quando filii Chriſtianorum audient " hoc ſervitium, quod ego facio " parentibus meis, hujuſmodi " exemplo ipſi ſerviant, & miniſtrent parentibus ſuis: qui non " aquam, ſed vel vinum parentibus ſuis fundere, ac menſæ miniſtrare erubeſcunt. Bernardinus de Buſto: d quanta erat " teneritudo, inquit, ipſius Ioſeph, quando audiebat benignum Dei filium, eum appellare patrem, *& ſibi in menſâ ſervire volentem.* O utinam ego, vel " unum de fragmentis illius convivii habere poſſem! e Denique " *laborat manibus*, & ut Hieronymus f loquitur, uſque ad 30. an-

a S. Baſil. Conſt. Monaſt. c. 5.
b Matth. 20. S. Vincent. Dom. infra Oct. Epiph. conc. 4.
c Pelb. ibid. ſerm. 3.
d Serm. 12. de deſpon. Mariæ.
e Revel. Brigittæ l. 6.
f Hier. epiſt. 22. ad Euſtoch.

nos,

nos, parentum paupertate contentus fuit. *a* Patriarcha Ioseph gloriatur, se vidisse solem & lunam adorare se; Ioseph noster vidit solem Christum, & lunam Mariam sibi obsequentes, & quòd magis est, subditos. *b* Stetit ad vocem Iosue sol, sed semel: ad vocem Iosephi, ô quoties solis creator, operis cœpti cursum stitit, ad libitum ejus eundem instituit. unde rectè Poëta.

Cuncta Deo parent, Ioseph tua gloria crescit,
Crescit honos: paret nam Deus ipse tibi.

Vidit & Maria hunc solem adorare se, sic enim Rupertus l. 6. in Cant. ad illa verba: *Electa ut sol.* Et quidem naturâ, inquit, non tu idem es, quòd ille sol, sed nihilominus ista es, ut te honoret „ ipse sol, honore, quo decet filios honorare parentes suos: „ Qui enim dixit, *honora patrem „ tuum, & matrem*, non dubium, „ quin ipse honoret, & ab omnibus velit honorari matrem. „ Cumque ipse legem tulerit filiis, ut honorent parentes, illis „ exemplo esse voluit. Vnde „ S. Damasc. oratione 1. de „ dorm. ô bonum legislatorem, „ cùm legi minimè subjectus sit, „ legem tamen eam implet, quam „ ipse sanxit: Itaque si quæsieris, quid Dei filius inter homines anno ætatis 13. 20. 25. aliisque, dum in virum evasit, imò quid vitâ omni, usque ad extremum spiritum, quò exclamavit, *consummatum est?* egerit? hoc unum in promptu est: *Obedivit.* Iuvat in hanc rem ex ore Leonis favum mellis legere; *c* obedientiam *Dominus Iesus ab utero matris, usque ad supplicium crucis, animi fortitudine elegit, & docuit.* Etenim si ab hac virtute Ioannem nondum natum commendet Ambrosius: *d Ad vocem Mariæ exsultavit infantulus, obsecutus, antequam genitus.*

Iure longè meritissimo cum Suare nostro probabiliter adstruendum est; *e* filium Mariæ in utero matris, *primo instanti conceptionis suæ, se voto consecrasse Deo, ad redimendos homines:* Et in hunc finem omnes actiones, ac passiones vitæ suæ, voto obtulisse. Iuxta illud: *Sicut juravit domino, votum vovit Deo Iacob.* Psal. 131. nec prius voluisse videre lucem, quàm obedientiam: neque enim natus est domi suæ, atque in familiâ, quæ augustâ sanctimoniâ & dignitate par cœlo fuit, sed cum virgo sanctissima, & sponsus charissimus, ex edicto Imperatoris se Bethleem contulissent, in ipsâ obediendi actione, primum inter homines videri voluit, & quasi mundum consalutare. Quo in natali & partu virginis, non alia obstetrix fuit, quàm obedientia. Quod ipse de se profitetur: *f In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus; volui & legem tuam in medio cordis mei.* Sacri codices, prophetarum aut Euangelistarum manu conscripti, & lex Mosaica pretioso certè scrinio asservabatur. At liberator generis humani, nutus omnes Dei, atque volunta-

a Gen. 37.
b Iosue 10.

c S. Leo. epist. ad Diosco.
d Amb. l. de virginis institut.
e Suarez. 3. p. tom. 2. de vita Christi. disp. 28. sect. 2. & de statu Relig. tom. 6. lib. 3. de voto c. 1. *f* Psal. 39.

tes,

tes, in sacratissimo animæ penetrali, in fundo sanctissimarum affectionum, in centro ipsius cordis & medio semper tulit. O loculamentum honoratum! O arcam legis augustam! O Scrinium pretiosissimum! Rex Macedo, Darii Scrinium longè opulentissimum atque pulcherrimum Homeri versibus conservandis, cum singulari laudis elogio devovit; Christus autem Rex Angelorum, cor suum, quo scrinio nihil potuit esse præstantius, asservandæ legi Dei, in quo & parentum continetur, attribuit. Quâ in re, quàm inexplicabilem suum amorem erga obedientiæ virtutem declarit, præclarè ostendit Velasques noster dicens; *a* Christum non priùs vitam quàm obedientiam accepisse, à primoque vivendi instanti obsequentissimum se exhibuisse: nec non etiam idem in Christo esse vivere ac obedire, & æquè illi charam fuisse obedientiam ac vitam; facit huc, inquit, istud Psalmi 39. *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* ubi ideo patris præceptum in medio cordis infixum se habere affirmat, ut ostendat ab ipso, non secus ac à corde, quod vitæ principium est, vivendi initium, vitamque ipsam indesinenter haurire, nec respirare nisi per legem velle; & quoties systole fieret in corde, atque diastole, toties votum de obediendo renovaret. hæc Christi obedientia ad omnia se extendit: servorum quisque certò destinatur officio, ille amanuensem agit, iste pincernam, alius œconomum, hic musicum: illi à cubiculis, isti à secretis aut auriculis sunt, alii à pedibus: hi equos curant, illi hortos colunt; Christus diversissima obivit munia, infantem egit in præsepio. 2. discipulum in synagogâ. 3. fabrum in patris officinâ, idque ad annum trigesimum. 4. eremicolam in locis desertis. 5. medicum in viis & vicis. 6. Ecclesiasten in templo, in campis, in montibus, in ipsis aquis. 7. peregrinum è loco in locum divertendo. 8. piscatorem hominum, quod & alios exercere docuit. 9. exorcistam dæmonum. 10. convivam. 11. annonæ præfectum, qui multa millia paucis panibus saturavit. 12. egit & captivum in horto. 13. egit fatuum in aulâ Herodis. 14. malefactorem & latronem in cruce. 15. olitorem & hortulanum à Resurrectione.

Hîc centum ora, totidemque linguas mihi optem, ut possim eloqui, quàm ea quæ pater jussit, ardenter filius adimplêrit: quot personas egerit, nec ullis incommodis, aut ullius personæ vilitate, à patris obsequio potuerit absterreri. Quo apertissimè professus est ipse: *b descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Ah quàm nos longè aliter personas agere volumus, sed nemo viles; ampla munia, amplas habitationes, ampla omnia ambimus.

Est illud S. Ambrosii, piæ venerationis de obedientiâ Christi, acroama: *c Potestatis auctor, obedientiæ Magister, ac præceptor virtutis suo nos informat exemplo.* ausim

a Velasques in epist. ad Philipp. c. 2. v. 8. 4. morali.

b Ioan. 6. *c* Amb. in c. 6. Luc

dicere

dicere in vitâ hac mortali, nullam fuisse Christi actionem, quam obedientia, ut anima, non informarit. etiamnum vagiens in præsepio, non caput attollere, non labia virgineis uberibus admovere, citra matris propensam voluntatem, non lachrymis, aut quovis signo reniti aut reluctari norat. aptâ similitudine Novarinus *a* obedientiam infantis expressit, luce virginis matris, velut umbræ delitescentis, juxta illud Poëtæ:

Parva sub ingenti matris se subjicit umbra:

Sicut enim umbra, corporis motus, nutusque æmulatur, & in omnibus se ei conformat: ita humanitas Christi, quam S. Thomas de Villa nova *b deitatis umbram* nuncupavit, in omnibus non modò Patri cœlesti; sed & matri, ac Iosepho obsecutus est: *c Deferebat homini, deferebat ancillæ*; Ad matris nutum primum omnium prodigium in terris ostendit, aquam in vinum commutando. Adeo ut si mater jussisset in cruce emori morte turpissimâ omniaque opprobria ac tormenta, quæ patris cœlestis imperio pertulit, in omnibus matri obediens ad mortem usque crucis fuisset. Incrementum vitæ ejus requiris? totum hoc ab obedientiâ fuit: sicut eum totius vitæ conservatio, & incrementum ab alimento pendet, ita & vivere, & crescere ab unius obedientiæ succo, Christus sibi elicere solebat, ut aliquando testatus est, cum dixit: *d Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*. Hæc virtus illi propheticum mel & butyrum, hæc succus dulcissimi lactis, hæc vinum in sacro epithalamio celebratum; hæc nectar & ambrosia fuit. Sine hac, nec in sensu vigor, nec in venis cruor, nec in corde calor, ac ne vita quidem ipsa vitalis fuit. Est mirabilis hominum varietas in cibis appetendis. *e* Hercules bovinis carnibus impensè delectabatur, Achilles leonum medullis, Latona porro, Tiberius Cæsar cucumere, Plato nihil suavius palato suo esse ducebat, quàm ficus: Archesilaus Philosophus, quàm uvas: Publ. Syrus Mimographus, quàm sumen. Philippus Macedo, & Alexander ejus filius, cognomen invenerunt à pomis, quibus summâ voluptate reficiebantur: unde sunt dicti Philomeli; ut Philoxenus Cytherus nominatus Philichtiis, à piscibus, quos sitientissimè appetebat. Iason Maynus Iuris consultus clarissimus, rubro melone sic delectabatur, ut ejus fruendi causâ, terrestem ipsum paradisum recusaturus videretur. At meus Rex, & mundi sospitator Iesus, non alium cibum, quàm obedientiam appetit, hujus unius habet cœlestem orexim, hac unâ pascitur & recreatur, in has summas delicias & inexplicabilem suam collocat voluptatem, ac peculiarem vitæ suæ sanctitatem.

Hæc attentius subtili ac sublimi mente Leonardus Lessius contemplatus est, obedientiam Iesu promptam, & humilem illum obscurumque vitæ modum, quem usque ad annum 30. ætatis suæ tenuit.

a Novarin. umbra virg. l. 4. c. 13. n. 446.
b Conc. in Annunt.
c Ambros. l. 2. in Lucam.
d Ioan. 4.

e Chresolius auth. port. 2. p. 679.

tenuit, expendens: a erat in-
„ quit, ipse plenus sapientiâ, imò
„ sapientia ipsa gubernans, & dis-
„ ponens omnia. & tamen, tan-
„ quam insipiens, & directione
„ humanâ egens, subjicit se pa-
„ rentibus pauperculis, simplici-
„ bus, eorum imperium & du-
„ ctum sequitur, in obscuro il-
„ lo vitæ modo, tanquam ali-
„ quis è vulgo ignotus & inglo-
„ rius se continens, & parentem
„ putatitium in arte fabrili, rebus-
„ que externis, ad victum vesti-
„ tumque conquirendum adju-
„ vans: non enim credibile est,
„ tanto tempore otiosum vixisse,
„ sed voluisse liberis dare exem-
„ plum, quo modo parentibus
„ suis obedire, & auxilio esse
„ debeant. Quàm mirabile erat,
„ mundi fabrum & conditorem,
„ homini fabro servire, instru-
„ menta fabrilia porrigere, ex
„ ejus præscripto ligna secare,
„ dolare, aptare, serram ex adver-
„ so reciprocare, trabes machinis
„ attollere, locare, componere, &
„ alia more famuli vel discentis
„ fabrilia, obedire. Quâ putas
„ modestiâ, quâ promptitudine,
„ quâ mansuetudine? nimirum
„ instar obedientissimi filii & fa-
„ muli. Hæc omnia faciebat, di-
„ vinitatis suæ majestatem obte-
„ gens, servi formam duntaxat
„ præferens, in eâque humiliter
„ homini plebejo inserviens, &
„ obedientiæ documenta profe-
„ rens, ut omnem virtutem priùs
„ ostenderet exemplo, quàm
„ doceret verbo, *factus obediens*
„ *usque ad mortem*. Quod Gre-
gorius attendens, *ne perderet*, in-
quit, *obedientiam, perdidit vitam.*

Quare & vos filii, exemplo filii Dei, b *Obedite parentibus vestris per omnia:* Et qui Religiosæ vitæ rigorem, vigilias, jejunia, orationes suspicitis, & æmulari non potestis, unâ in parentes observantiâ, filio Dei simillimi esse enitamini: Quodque à Religiosis suis filiis, fundator noster Ignatius deposcit; c *Ab aliis Religiosis ordinibus faciliùs patiamur superari nos jejuniis, vigiliis, & cætera victus cultusque asperitate. At verâ ac perfectâ obedientiâ, maximè vult suos esse conspicuos:* hoc & à vobis ô filii, supremus legislator Deus deposcit, ut præ cæteris virtutibus obedientiâ conspicui esse studeatis. Brevem ad hoc parenesim subdit Bernardus in illa verba, *Et erat subditus illis.* d *Attende,* inquit, *quid fecerit magni consilii Angelus, quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris unius, Beatæ virginis loquor, & fabri pauperis.* Ac paucis interjectis: *Bonum erat consilium Christi, qui ait, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse; sed mutavit illud consilium, ut nos mundaret ab eâ leprâ, quæ proprii consilii est. Descendit, & erat subditus illis.* Ita Bernardus, qui antè hæc exclamaverat: *Quis jam non erubescat obstinatus esse in consilio suo?* Exaggerat id ipsum serm. 19. in Cant. *Formam obediendi, puer Iesus, pueris sanctis tradidit, sequi illos in Nazareth non despexit, Magister discipulos, Deus homines, verbum & sapientia, fabrum & fœminam.*

e Confluxit olim universa Ro-

a Lessius de perfect. divinis. l. 12. c. 17. n. 136.

b Ad Coloss. 3.
c In epist. S. Ignatii de obed. n. 3.
d Bernard. serm. 3. de resurrect.
e Lauzedan, tit. filii erga parentes.

ma

ma ad prodigium, quo virgo ingentem navem cingulo suo traxit, quam ingens virorum multitudo nequibat movere; At magis stupendum à virgine eum, qui portat orbem, vel nutu moveri. Nunc pueros, qui hâc obediendi formâ excelluerint, inducamus.

§. II.

Quinam filii singulari in parentes obedientiâ ac observantiâ præcelluerint.

PRincipem hîc sese, & in monte orbi conspicuum præbet Isaacus, de quo Augustinus: *Abraham, quando Isaac filium obtulit, typum habuit Dei patris, Isaac verò typum gessit Domini Salvatoris.*

Isaac risus, gaudium, & patris corculum, paternâ domo, intempestâ nocte (ut Bernardus *a* ait) educitur, nihil patrem interpellans, toto triduo, quò pergat, ignorat. Quibus interim cogitationibus filii pectus credimus in omnem eventum obarmatum, quanto in parentem obsequio obfirmatum. Tandem cùm in conspectum loci à Deo designati venissent, jussis ad radicem montis subsistere famulis, Isaaci humeris ligna holocausti pater imposuit, ipse manibus ignem gladiumque gestavit; cum soli sic absque arbitris proficiscerentur, *b dixit Isaac Patri suo, pater mi. At ille respondit, quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* Nam ut Zeno testatur: *c Lætatus est puer, patre fideli, ipse quoque fidelior, nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat.* Quasi & se ultro immolandum offerret. Nec mora, ut ad locum sacrificio designatum venêre, extructo altari, lignisque compositis, arripuit filium suum Isaac, eumque funibus constrictum, cùm jam facilè viginti quinque esset annorum, aut ut alii supputant 37. nihil reluctantem, quod facilè potuisset, imposuit supra struem lignorum, arreptumque gladium in ictum libravit, ut filium immolaret. Utrum admirer exclamat hîc Chrysostomus: *Utrum admirer & obstupescam justiùs? fortémne spiritum Patriarchæ, an pueri obedientiam? quod nec reluctatus est, nec factum ægrè tulit, sed cessit & obtemperavit.*

Quantò perditissimi filii, obedientiâ vestrâ ab hac Isaaci intervallo dissita est! quàm leniora ac leviora multùm parentum vestrorum præcepta, illo Abrahami esse consueverunt? commodiùs profectò manus & pedes ad negotia parentis conficienda, quàm eos cum Isaaco vinculis constrictos habere. Tutius sub vesperam intra paternas ædes delitescere, neque noctu grassari, quàm intempestâ nocte iter arduum auspicari. Lenius verbum patris, & justam reprehensionem tolerare, quàm cervicem stricto gladio subjicere. Hoc vobis interim perfectissimum obedientiæ exemplar in monte monstratum est. Quod unicuique è præscripto divinæ legis ita imitari convenit, ut nusquam non parentibus obtemperandum sit; adeò ut si filii honorum insignibus præluceant, etiam tum à summo gloriæ fastigio, sese etiam ad eorum pedes, & obsequia

a Bernard. de gradibus obed.
b Genes. 22.
c Zeno hom. 2. de Abrahamo.

quia submittere debeant. Quod illustri exemplo sacri Annales declarant: *a* Joseph non obscuro somnio, sed divino oraculo cœlitus didicerat, sese à sole, lunâ, & undecim astris summo honore colendum, & paternam familiam suo quasi imperio subjiciendam; nihilominus se ad ima, & omnia parentum obsequia submisit: ac patris jussu missus ad fratres, qui pascebant oves, nihil hîc tergiversatus, non longitudinem itineris, non fratrum invidiam, non locum incognitum, nihil horum prætexuit.

Ambrosius: *b Ioseph, inquit, cùm somniasset, quòd sol & luna & stellæ adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri*, Patris jussa exequebatur & matris. Quò manifestò docentur filii, nullo se status, aut dignitatis amplitudine eximi, quò minùs debitam parentibus observantiam ac honorem exhibeant, ne umquam filios exuant. Ita Salomon omni in veneratione habuit matrem suam Bethsabæam, Constantinus Helenam, Alexander Severus Mammeam, Coriolanus Veturiam, cujus nutu obsidionem solvit, quam nullæ legatorum preces, aut sacerdotum reverentia, valuerant impetrare. Longè verò præclarissimum, quod hac in re apud Valerium Maximum legitur: cùm Decius Imperator, Decium filium in locum suum sufficere vellet, renuit ille, dicens: Vereor, ne si purpuram induam, filium exuam, & Imperator existens, obedire dediscam: quare malo non esse Imperator, sed obsequens filius, quàm Imperator, & filius indevotus: imperet pater, meum est parere imperanti.

Hic subesse gaudebat, & imperium patris non modò non excutere, sed supra omnes sibi oblatos honores avidissimè ambiebat; contrà ac filii hujus seculi, quos ubi fortuna evexit, vel sola ætas maturior provexit, quasi relatio filii esse desierit, parentes suos erubescere consueverunt. *c* Inoleverat propè in Anglia, insolens hic filiorum mos, quem Morus censuit esse exstirpandum; nam quod domi fieri moris erat, ut filii positis genibus coram parentibus, ut sibi benè precari vellent, obsecrarent, id ipse quamquam magnus regni Cancellarius, in ipsâ Westmonasteriensi aulâ celeberrimâ, in mediâ deducentium, atque exspectantium turbâ, publicè præstitit: visoque parente, posito genu, omnium cum admiratione, sibi bene parentem petiit apprecari. At quotusquisque nunc, ubi adultior, jam sui juris factus, primum hoc erga parentes officium studet æmulari? Quin potiùs jugum illud naturæ excussum gaudet, & gestit, ac silicernii jussis obtemperare erubescit.

Arduum procul dubio præceptum erat, quo Iacob jubetur excedere è paternâ domo, deserere parentes, propinquos, patriam, & in Mesopotamiam exulare: *d Vade*, inquit Pater, *& proficiscere in Mesopotamiam*, in regionem longinquam; ille ilicò benedictione acceptâ, se in viam dedit, non moras traxit, non difficultates & excusationes mille objecit, sed

a Gen. 37. *b* Amb. l. 1. offic. c. 17.

c P. Rho. variæ virtutum hist. l. 4. c. 4. n. 3. *d* Gen. 28.

promptè

promptè obedivit, cumque per 20. annos Socero suo Laban exactissimam, difficillimamque exhibuisset obedientiam, reduci *a Ecce fuerunt ei obviam Angeli:* Rupertus hîc angelicam obedientiam extollit, dicens: *b Iacob, postquam patris præceptum peregit, revertenti obviam fuerunt Angeli Dei: ut sciamus, quia post obedientiæ laborem, superest cœlestium spirituum crebra visitatione, etiam in hac vitâ, remunerari:* Habent & amant hanc sibi, ut ita dicam, quarto modo propriam virtutem Angeli, lubentes se eis socios ac comites præbent, qui ad omnem legitimè imperantis nutum, velut alis instructi, alacriter evolant. Obedientia quippe Angelos facit. sicut inobedientia hominem Angelis inferiorem reddit, ut scitè observat Chrysost: *c Minuisti eum paulò minus ab Angelis, atque hoc ipsum paulò minus, inobedientiæ peccatum introduxit.*

a Gen. 28. *b* Rupert. l. 8. in Gen. c. 3. *c* Chrysost. hom. 6. in Gen.

§. III.

Filii obedientes, Angeli, & familia, quam illi inhabitant, meritò cœlum nuncupatur.

MAgnæ sunt & præstantes Angelorum dotes, ac dona prorsus singularia, ob quæ maximè gloriari videantur: mens ab omni colluvione terrenâ libera, ingenii vigor, mentisque acies, omnia, quæ cœlo terraque continentur, mirâ perspicacitate pervadens; vis & potentia in agendo, supra omnem humanam, stupenda; omnis incorruptionis ac immortalitatis honor perpetuus; cœlestium gratiarum ubertas; denique quod in sinu, & intimâ numinis familiaritate, liquida lætitiâ delibuti versentur. Hoc uno tamen præ cæteris gloriari, ad quod toti facti, videntur, & quo uno secluso, cœlum illis in barathrum verteretur: quod supremo omnium parenti Deo, quàm promptissimè obediant, ejusq; nutus avidi præstolentur. quod verè & eloquenter notavit Lactantius lib. 2. cap. 17. *quorum,* inquit, *unum solumque officium est, servire nutibus Dei, nec omnino quidquam, nisi ejus jussa facere.* quæ ea animi alacritate, ea pernicitate exequuntur, ut nutu percepto, præceptum prævertere omni studio nitantur. Unde Propheta: *d Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.* Facientes, inquit Lorinus, antequam audiant, quasi præceptum præveniendo: juxta illud Bernardi: *e fidelis obediens, præripit præcipientem.* promptitudinem hanc, quam filii parentibus debent, exponit propheta similitudine sagittæ: *f Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.*

Vbi Guil. Peraldus vult significari filiorũ obedientiam, ut parentes velut in pharetra sagittas, filios in disciplina contineant, & quò volunt dirigant. Hi verò se dirigi ac regi sinant, jussaque celerrimè exequantur, non modò adhuc sub patris disciplina conclusi, sed etjam excussi, ac ex ephebis excedentes, quo tempore solent excutere jugum, quasi manumissi.

g Magna quidem fuit illa & ex-

d Psal. 102. *e* Bern. serm. 41. in Cant. *f* Psal. 126. *g* Barrii solitud. pag. 192.

pedita Mahometis in Dominum ſuum promptitudo, dum fortè Solimanno in ſuperiore conclavi literas legenti adſtaret, & neſcio quo eventu, literis è feneſtra vento abreptis, cæteris curriculo alia atque alia via dilapſis, Mahometes, ut omnes præverteret, è feneſtra ſe præcipitem dedit; quo obſequio adeò etiam hominis barbari animos ſibi devinxit, ut inter primos regni proceres adſcriptus ſit.

Alia longè beatarum mentium pernicitas eſt, quam magnus Areopagita, typo nobis adumbrari ſignificat, dum nudæ atque ab omni impedimento liberæ, à pedum velocitate, atque alarum celeritate, commendantur. Cerne tabulas, videbis ubique pictos Angelos, tamquam nuncios humeris pedibuſque alatis; quam picturam S. Paulinus *a* ad ſignificandum velociſſimum volatum, famulatumque refert.

b Non deſunt ex Theologis, qui arbitrentur punctulo temporis ſtrictè ſumpto, poſſe Angelum ab Oriente in Occidentem ſe transferre. qui id non poſſe momento fieri, autumant, docent tamen tantum illos conficere poſſe ſpatium breviſſimo tempore, *c* imò illâ morulâ, quâ ictus fit oculi.

Quid non darent vel ſponderent homines, ſi quando aut de mercibus ad ſocios eſt referendum, aut de rebus graviſſimis ſcribendum ad Principes, Tabellarium nanciſcerentur, qui veredarios omnes Dromedarioſque præverteret, ac Euris ocyor, punctulo temporis epiſtolam in manus daret? talis quotidie nobis ad manum eſt Angelus, id eſt nuntius, Deo quidpiam mittere volentibus, qui *d offerat preces Sanctorum.*

Promiſit dum vixit Abbas Trithemius, ſe artem explicaturum, quâ inter viginti quatuor horas de abſente quolibet, quantumcumque longè diſſito, ſciri poſſet, quodcumque amicus aperire vellet, ac ſcripſit librum titulo *ſteganographica*: ars per occultam ſcripturam animi ſui ſenſa abſentibus aperiendi. quid præſtiterit non eſt hujus loci enarrare: aſſeverare tamen illud poſſum, neminem hactenus fuiſſe, qui momentaneam tabellarii celeritatem præſtare potuerit, quam in Angelis agnoſcimus. Veredarii quidem per diſpoſitos equos longiſſima itinera breviſſimo tempore conficiunt; ut quàm citiſſimè literæ deferantur negotiis urgentibus. Pegaſum vellent eſſe nuntium homines, adeò anhelant, ut deferatur, quod ſcriptum eſt. hinc illud literis hoc tempore inſcribi ſolitum: *citò, citò, citiſſimè.* Citiſſimi cœleſtes bajuli, de quibus acutum exſtat Tertulliani dictum: *e omnis ſpiritus ales eſt: hoc Angeli. igitur momento ubique ſunt, totus orbis illis locus unus eſt, velocitas, divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.*

At dum hanc Angelorum velocitatem ad ſtuporem commendari audiunt ſodales noſtri Angelici, ſibi diffidere penitus videntur, ut in eâ Angelos æmulentur, nedum aſpirare auſi, ut

a S. Paulin. nat. 8. S. Felicis.
b Albertus 1. diſt. 37.
c S. Thom. 1. p. q. 53.

d Tob. 12. *e* Tertull. Apolog. c. 22.

Angeli & habeantur & nuncupentur.

Scire vultis filii, quâ arte alas vobis conquirere, quo remigio volare possitis, verbo tradam unico: si ad omnia parentum mandata hoc quisque vestrûm responderit: *volo*; hæc volendo, quæ ipsi volunt, jam volat, jam Angelis non modò simillimus, sed ipse Angelus effectus est. si pater dicat, harum literarum binas copias exarabis. Respondeat *volo*. Has ilicò ad tabellarium deferto: *volo*. Hospitibus in prandio te pincernam præbeto: *volo*. *a* In usu quibusdam fuit, literas non fidere hominibus, quos corporis moles prægravabat, sed alitibus, quarum ungulis epistolam alligabant, quam volantes perferrent. Ita Hirficus Consul, & Sultanus Turcarum Imperator eas collo columbarum alligabant; alius, de quo Paradinus, *b* telo infixas, in urbem obsessam ejaculabatur. Alites vestræ fidelissimæ tabellariæ, nuncii celeberrimi cœlestes genii, quos non usitatâ pennâ Sapiens describit: *c* *Aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sententiam.* Quod ad Angelos SS. referunt D. Hieronymus, Olympiodorus, Carensis, Arboreus, Neocæsariensis. *Magno enim & diviti unico regi*, inquit ille, *Angeli veloces & alati spirituali simul & rationali fungentes ministerio, omnia deferunt*. Luculentior S. Hieronymus: *Angeli, qui terram circumeunt, & sunt administratorii spiritus, ad instar avium, nostra verba & cogitationes ad Deum perferunt.*

a Petrus Messiæ l. 1. c. 37.
b Sabellicus. *c* Eccl. 10.

Videtis (ut opinor) cœlestes illas mentes, quarum excellentem præstantiam humanus animus nullâ cogitatione complecti valet, summo Numine, ejusque imperio abjectissimis hominibus famulantes, æquè ad pauperum casas, ac Regum palatia divertere, latus nostrum assiduò stipare, etiam dormientibus nobis numquam non vigiles excubare, nullo gloriæ aut meriti incremento, solâ obedientiæ excellentiâ spectatâ. Quo unico parendi desiderio omnes incensi, ejusque se exercitio beatos arbitrantur. Animadvertit illud Chrysostomus, & exponit in hunc modum: *d* *quid præcipuum in Angelis, & magnificum videmus? profectò, quod cum omni cura obediant Deo*. Quam virtutem in eis David admirando collaudat: *e* *potentes virtute facientes verbum illius*. Amabo vos, *quid præcipuum* in filiis, in sodalibus angelicis *& magnificum videmus*? quod in studia diligenter incumbant, quod globulos marianos manu volvant, quod sæpius S. Synaxi se reficiant; At nisi & hoc accedat, *quod cum omni curâ obediant parentibus*, numquam in Angelos evadent. Accedit, Angelos non modò ut ex ethymo patet, summi regis nuntios ac tabellarios esse, sed & *f* *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium*, quantumvis humile & abjectum *missi*. Angelus ministrat Danieli in lacu leonum.

Angelus ministrat Eliæ, & cibos, quos corvi deferre solebant, hic dapifer portat.

d Chrysost. serm. 39. de divit.
e Psal. 102.
f Hebr. 1.

Angelus Tobiæ se comitem præbet.

Angelus Domini descendebat de cœlo, & movebatur aqua &c. unde rectè Athanas. *a Angeli sursum, deorsum commeantes, ministros se præbent.* Nec ullum, cujuscumque ordinis aut dignitatis, à ministerio vacare contendit. *Ad ministerium* enim inquit, *non unus, sed ex omnibus plures ad manus præsto sunt, quos Dominus si velit, amandet. Multi enim Archangeli, multi throni, multæ potestates, & dominationes, millies millia & decies millies centena millia ministrorum assistunt & apparent, qui se promptos offerunt ut emittantur.*

Ad quod probandum Suarez *b* noster, varia è sacris literis exempla inducit, quem consule. Quid ad hæc filii hominum, qui cœlestis aulæ Principes, nobilissimas illas intelligentias ex Dei nutu, sibi noctu diuque famulantes habent? quid indies Deum precamini, quid toties exoptatis, *c fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terrâ?* quod quid est aliud, quàm cœlum sibi in terris struere, & homines ad omnia promptos Angelos æmulari? ut scitè Chrysostomus exponit: *jubet Deus hîc degentes, conversationem cum cœli habitatoribus habere communem, & antequam superna illa præstetur habitatio, cœlum quodammodo vult fieri in terrâ, aliosque nobis Angelos terram monstrare:* quos Angelos non alios Doctor Angelicus describit, quàm eos qui voluntatem in terris faciunt, sicut Angeli in cœlis, hilariter, promptè, integrè, constanter, amanter voluntatem Dei, quæ per parentes innotescit, explendo: *d sicut*, inquit, *Angeli faciunt voluntatem in cœlo, sic nos terreni faciamus in terrâ.* Ad quod conducet plurimum, ut parentes à teneris liberos sibi tamquam ad numeros musicos concinere, & ad virgæ nutum obedire condoceant: ut enim ex eâdem cera angelum, ita & dæmonculum effinxeris.

Quam materiam luculenter complexus est B. Petrus Damiani S R.E. Cardinalis, *e* dum sic Albertum quemdam matri minùs deferentem, in eoque omnes filios parentibus immorigeros, ac rebelles perstringit his verbis: divinæ legis mandata procul- " dubio despicit, qui deferre pa- " rentibus parvipendit: qui suis " genitoribus non obedit, *sortis* " *funiculum in terrâ viventium non* " *admittit.* Quà contrà per Moysen divinâ voce præcipitur: *f honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus supra terram.* vir etiam Sapiens ait: *g qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore, & qui obedit matri, refrigerabit patrem*; moxque subjungit, *qui timet Dominum, honorat parentem, & quasi Dominis, servit his, qui se genuerunt, & in opere & in sermone, & in omni patientiâ*; nutus parentis omnes, velut numeros musicos observando. Quo concentu è variis obedientiæ actibus, tot veluti tonis composito, gratissimum Deo canticum modulatur, & mille benedictionibus repletur.

Econtrà verò qui parenti obstrepit,

a Athan. ser 2. cont. Arianos. Serm. 3.
b Suarez de Angelis, l, 6. c. 9.
c Matth. c. 6.
d S. Thom. in Matth. c. 6.
e Damian. l. 8. epist. 4.
f Exod, 20. *g* Eccl. 3.

strepit, aures occludit, nec instar pueri Musici, ad imperantis voces attendit, non universæ familiæ dumtaxat musicam turbat, sed & instar cacodæmonis omnia diris, blasphemiis & maledictis replet, domum in infernum commutat, cumque *a sortis funiculum in terrâ viventium non admittat* consequenter in terrâ mortuorum, æternam maledictionem accersit. Audiamus hac in re Dei sententiam: *b maledictus qui non honorat patrem suum, & matrem, & dicet omnis populus, Amen.*

Quæres fortasse, quandonam hanc filius maledictionem incurrere censendus sit, & graviùs deliquisse? respondent Doctores *c* certum esse, lethaliter ab eo delinqui, qui parentes aut ceciderit, aut atrociter & injuriosè illis sit comminatus. Item qui prudens volens maledixerit, aut mortem optaverit. *d* Ad hæc qui eos vehementi irâ accenderit: qui ad judicem detulerit: qui in rebus ad familiæ regimen spectantibus (quæ quidem momenti alicujus sint) non obediverit, vel maximè, si contemptus aliquis, vel obstinatio accesserit: qui tandem gravi aliquâ necessitate laborantibus, opem non tulerit. E quorum numero S. Bernardinus *e* Adolescentem duos de viginti annos natum inducit, qui cùm in patibulum actus esset, derepente inspectante populo, in capularem senem mutatus est, atque omnibus capratâ rugis fronte, barbæ ac capitis canitie spectandus fuit. Quo prodigio Deus omnibus manifestum esse voluit, ad quam ætatem Adolescens, ni parentibus immorigerus vixisset, fuisset perventurus.

Recentis omninò memoriæ est quod subjungo, ut more meo inter legendum cuivis quid deligendum suppeditem.

f Fidem facit quod ab oculato teste Societatis JESU P. Henrico Campegio Auctor se accepisse commemoret, de Adolescente nobili Flexiæ in Gallia nato: hic cum à parentibus tantum pecuniæ, quantum petierat, non accepisset, literas ad eos dedit, diris contumeliis, ac maledictis plenas: sed eas vix miserat, cùm subitò is qui parentibus aures occluserat, ita omni audiendi facultate spoliatus est, ut ne vel tormenti bellici fragorem perciperet. Malo isti diu quæsita per Galliam remedia, sed frustra; statuit ergo Adolescens è cœlo petere, quod in terra negabatur. Eam ob rem Lauretum ad Misericordiæ Matrem properat; ubi positis ritè anteactæ vitæ maculis, indictisque sibi novendialibus in sacra B. Virginis æde precibus, Deum per Matrem placare aggreditur. Proximè aderat dies, quo ejusdem sacræ Virginis in cœlos assumptæ memoria solenniter colitur, cùm in ejus diei pervigilio, secundum quietem nocte videre sibi visus est Matronam augusta specie, cum utroque parente, cubiculum ingredientem, & ab his percunctantem, essetne iste eorum

a Damian. cit. *b* Deut. 27.
c Toletus. l. 5. instruct. sacerd. c. 1. S. Thom. 2. 2. q. 101. ar. 4.
d Sylvester verbo filius. Navarrus c. 14. n. 11.
e S. Bernardin. tom. 2. serm. 17. Dom. 2. Quad. Lud. de Ponte, in cant. l. 5. exhort. 21. §. 2.

f P. Philip. d'Oultreman. Ped. Christ. p. 1. c. 6. §. 3. de peccatis puerorum.

rum filius? & an ei ſanitatem reddi vellent? quibus, annuentibus, acceſſiſſe ad lectum immiſſoque in aurem digito, chartam maledictis veluti tot notis nigris refertam eduxiſſe, & explicatam legendam propoſuiſſe; legiſſe verò ipſa illa impietatis ſuæ carmina, quæ nuper parentibus exaraſſet. Super quæ evaneſcente viſo, expergefactus Adoleſcens, reſtituto in integrum auditu, ad P. Campegium ſibi à confeſſionibus accurrit, & in ipſa ſacra Virginis Matris æde jurejurando rem ita ſibi eveniſſe teſtatur anno 1613.

Ejuſmodi ut non ſemper vindex Deus, atque longè graviores pœnas commeritis infligat, non ideo ſibi impunè parentes deſpectui ac ludibrio habendos filii arbitrentur, cùm æternæ illos ut plurimum maledictioni reſervet, quam ut evadere atque hîc benedictione vitæ longioris ac deinde nunquam finiendæ in cœlis ubi ad nutus altiſſimi ſuaviſſimè modulari licebit, potiri valeatis, filios vos morigeros & obſequentes præbete.



EMBLE-

EMBLEMA VII.

Nuptiæ factæ sunt. Joan. 2.



NUBE PARI. a

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

In omni connubio contrahendo, inter conjuges paritas potissimùm spectanda est.

§. I. *Nuptias aut matrimonium non obesse sanctitati & saluti æternæ consequendæ: imò plurimis ad sanctitatem profuisse.*

§. II. *Ad hunc finem conducit primariò, ut sit paritas Religionis, pietatis, & par studium virtutis.*

§ III. *Non tam formæ & fortunarum, quàm morum & animorum æqualitas spectanda.*

a Ovid. Epist. 9.

DOMINICA SECUNDA POST EPIPHANIAM.

Nuptiæ factæ sunt. Joan. 2.



Llibatum Virginis florem, nuptiarum solemniis nimium quantum antecellere, ipsius Ecclesiæ sensus, omnium SS. Patrum consensus est, nec non ipsius primæ & infallibilis veritatis, adeoque de fide est: quemadmodum doctor gentium disertè tradidit, dicens: *a qui matrimonio jungit Virginem suam, benefacit; & qui non jungit, meliùs facit.* Et infrà: *beatior autem erit, si sic permanserit.* Optat denique omnes sibi similes, id est, Virgines esse. Unde tanti magistri magnus discipulus S. Ignatius, sic filias Philadelphenses instituit: *b Virgines Christo subdita sint in puritate, non abominantes nuptias; sed id, quod perfectius est amplectentes.* Ambrosius verò epist. 81. *jure laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur;* caussam subdit ab Apostolo petitam: *hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi.* Hinc nullum dubium relinquit Augustinus, Virginitatem matrimonio præcellere: *c si paria, inquit, sint cætera, continentem conjugato præferre, quis ambigat?* Porrò scire vultis, quantùm hic altero antistet? Hoc ex certissimo, utpote divino, nos oraculo edocuit S. Aldhelmus Saxonum Episcopus, *d qui virginitatem auro, viduitatem argento, matrimonium plumbo* conferre non dubitavit; cùm tres sint status in Ecclesia, inquit, virginitas, cœlibatus, & matrimonium, ex revelatione Angelicâ didicimus: si meritorum ratio habenda est, eum constituendum esse ordinem, ut sit virginitas aurum, cœlibatus argentum, conjugium æramentum. Virginitas divitiæ, cœlibatus mediocritas, conjugium paupertas: virginitas pax; cœlibatus redemptio (præsidii) conjugium captivitas. Virginitas sol, cœlibatus lucerna, conjugium tenebræ. Virginitas regina, cœlibatus dux, jugalitas ancilla. Quantum verò stilo suo aureo, hanc præ illo Chrysostomus extollat, audite: *e bonum est connubium; est verò ob eam caussam virginitas admirabilis, quæ eo, quod bonum est, melior existit, tantóque melior quantò remigibus gubernator, quantò est militibus dux præstantior.* Ubi nemo non facilè advertit, quantò sors navarchi seu gubernatoris ad clavum considentis, melior est sorte remigum seu mancipiorum, ad sudorem & defatigationem laborantium: quanto milite gregario, inediâ, siti, æstu, gelu, miseriis, periculis vitam traducenti, longè dux præstantior. Consimilem quamvis à re dissimili comparationem instituit Hieronymus, *f qui Virgines ob puritatis candorem, liliis; conjugatos ob tribulationem carnis, spinis simillimos esse dictavit.*

a 1 Cor. 7. *b* Epist. ad Philad.
c Aug. l. 16. de civ. c. 36.
d S. Aldhel. in Bibl. PP. tom. 3. de laud. Virg.
e Chrysost. lib. de Virgin.
f Hieron. de laude virgin.

Alii

Alii in illum locum: *vinum germinans virgines*, *a* virginitatem vino, matrimonium aquæ, & quidem marinæ, salsæ & amaræ contulerunt. Fuerunt denique, qui virgines panno aureo, viduitatem argenteo, matrimonium corio, seu bubalo compararunt.

Verùm enim verò cum hodiernâ die nuptiarum excellentiam, matrimonii dignitatem (quod Apostolus *b Sacramentum magnum*, & *honorabile conjugium* compellat) mihi deprædicandam susceperim, fieri posse comprobabo, ut matrimonii vinculo colligati, sanctitate vitæ, meritis in terris, & gloriâ in cœlis, virginibus longè antecellant. Quod est spinas in rosas, aquam in vinum, plumbum in aurum (quod humana industria fieri recusavit) singulari metamorphosi, cooperante Sacramenti gratiâ, commutare; ipsumque corium, arte omni phrygiâ nobiliore, ita acu pingere, ac bonorum operum unionibus exornare, ut telam omnem argenteam aureamque, infinito pretio exsuperet.

a Zachar. 9. *b* Ephes. 5. Heb. 13.

§. I.

Nuptias aut matrimonium non obesse sanctitati, & saluti æternæ consequendæ.

AB orbe condito, primus nuptiarum conditor ipse Deus exstitit: ut attestante Geraldo, *c* si merito Religiosi ordines, Carmelitæ Eliam, Augustiniani Augustinum, Cistercienses Benedictum, Claravallenses Bernardum, Prædicatores Dominicum, Minoritæ Franciscum, Jesuitæ Ignatium fundatores suos in cœlum extollunt, illis gloriantur ac ordinis sui splendorem, ab illis in se derivent; potiori jure gloriandi materiam ab ipso fundatorum omnium principe, conjugati, sibi vindicare posse videantur: nec ullum cuiquam dubium relinquitur, quin quod à tali fundatore institutum est, adeò non vitæ sanctitati adversari, aut ad salutem consequendam obicem existere, ut ad eam consequendam plurimis adjumento fuerit. Libet hîc veteres Patriarchas in exemplum adducere: dicitur Henoch genuisse Mathusalem. Et statim subditur: *c & ambulavit Henoch cum Deo.* Ac iterum dicitur genuisse filios ac filias, nec multò pòst, rursum subjicitur: *ambulavitque cum Deo, & non apparuit.* In quem locum S. Chrysostomus: *e Audiant*, inquit, *viri & mulieres, & discant justi virtutem: nec putent nuptias in causa esse, quo minus quis Deo placeat. Nam idcirco divina scriptura semel & iterum id significavit*, dicens: *genuit Mathusalem, & tunc placuit, & idem ingeminat, ac repetit dicens: & placuit postquam genuit, ne quis arbitraretur obstaculum virtutis esse conjugium:* ea propter gravissimè illos conjuges arguit sanctissimus Præsul, qui matrimonium quasi impedimentum ad perfectionem, ad sanctitatem, ad cœlestes nuptias prætexunt, dicentes: *f uxorem duxi, & ideò non possum venire.* S. Synaxis in refrigerium fidelium defunctorum frequentanda est, *non*

c Geraldus summa virt. de temp. tom. 1. c. 15.

d Gen. 5. *e* Hom. 21.
f Lucæ 14.

possum venire; indulgentiæ tali loco lucrandæ sunt: *uxorem duxi, non possum venire.* Et ut verbis ipsius utar: *a quoties dicimus, cur non rectè vivis? Quî possum*, inquiunt, *alligatus uxori, liberis, negotiis? Id Religiosorum est.* Quasi verò conjugium studio perfectionis repugnaret, & ab oratione & contemplatione cœlestium, animum avocaret, & omnem cum Deo familiaritatem præscinderet: ad hæc sic respondentem audite: Isaias conjugatus fuit, acutissimâ tamen mentis acie Deum contemplatus est, dicens: *b Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, &c. quis*, inquit Chrysostomus, *c hæc loquitur? Isaias ille speculator cœlestium Seraphim, qui cum conjugio commercium habuit; nec tamen exstinxit gratiam.* Et paulò pòst perstringit eos, qui matrimonium ut obicem virtutis causantur: *d Adjutrix tibi data est, non insidiatrix. An non habebat uxorem Propheta? Neque tamen spiritui gratiæ obstabat conjugium. Moyses nonne uxorem habuit? & tamen is petram disrupit, aërem immutavit; cum Deo loquebatur, Divinam iram cohibuit. Abraham, nonne habebat uxorem? Et tamen Pater factus est gentium, & Ecclesiæ. Demum omnes Prophetæ, & uxores habebant, & domos, ut Isaias, Ezechiel, & magnus Moyses, & inde nihil ad virtutem lædebantur.*

Quid? quod multi conjuges, morũ integritate, vitæ sanctitate, gratiâ ac gloriâ, in cœlis complures Virgines, anachoretas ac viros Religiosos superarint. Notum illud Paphnutii, quem omni suo rigore duo conjuges pacificè victitantes meritis adæquabant. Testis hic mihi irrefragabilis Hipponensis Antistes lib. de bono conjugali 21. ubi Abrahamum matrimonii vinculo obstrictum, nihil Joanni castimoniâ conspicuo, concedere affirmavit, dicens: *Non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. Illius enim cœlibatus, & illius connubium, pro temporum distributione Christo militarunt.* Quid ad hæc ô conjuges? Vos Apostolo, & quidem Christo ob virginitatis prærogativam prædilecto, pares esse valetis. Vndè nulli mirum videbitur, si magnus ille Ignatius, tertius à principe Apostolorum in cathedrâ Antiochenâ successor, optet sibi locum in cœlo ad pedes SS. conjugum; qui cùm virgines aliquot enumerasset, sic ait: *e Non quod vituperem reliquos Divos, quod rei uxoriæ se dederint: opto enim ut dignus sim in regno cœlorum, ad horum pedes locum mihi dari, ut Abrahæ, Isaac, Iacob, ut Ioseph, Isaiæ, & aliorum Prophetarum, qui nuptiis operam dederunt.* Optarent & cum magno Ignatio complures viri Ecclesiastici & Religiosi, ad pedes sanctorum conjugum in cœlis considere, quorum familia hîc in terris, Monasterio ac Ecclesiæ simillima exstitit.

Quid sanctius, quid Religiosius esse potest, quàm Ecclesia? Paulus tamen conjugum familiam Ecclesiam indigitavit, ad Romanos 16. *Salutate Priscam & Aquilam,*

a Chrysost. hom. 4. in Isaiam.
b Isa. 6. *c* Chrysost. cit.
d Chrysost. hom. 57. ad pop.

e Epist. ad Philad.

lam, & domesticam Ecclesiam eorũ. Et rursum 1 Cor.16. *Salutant vos in Domino multùm, Aquila & Priscilla, cum domesticâ sua Ecclesia.* Quærit Mendosa noster, *a* quorsum profanæ domui, tam sacrum, tam augustum nomen imposuit? optimè Theophylactus: *quia ubi multa pietas est & virtus, domus illa Ecclesia dicitur: proinde matrimonio juncti hîc audiant, quòd matrimonii nomine, ad virtutem neque impediantur, neque lædantur.* Ejusmodi familias Ecclesiis ac Monasteriis simillimas, ut veteres illas Abrahami, Tobiæ, aliasque omittam, in novâ lege exstiterunt, illa Paulæ Romanæ, Pipini, illa Delphinæ & Elzearii comitis, qui quàm religiosè familiam instituerit, ex regulis, quas domesticis præscripsit, discere potestis: primò, ut omnes domestici indies missæ sacrificio intersint. Secundò, ut vivant castè & purè; qui secus fecerit, domo suâ exturbandum: neq; enim ullum peccato mortali infectum, pane suo vesci volebat. Tertiò, quot hebdomadis peccata confiteantur, & sacram Eucharistiam frequentent. Quartò, abstineant à blasphemiis, perjuriis, verbis lascivis. Quintò, diem ab oratione auspicentur, & omnia opera Deo offerant; nec domi nostræ otium locum habeat. Sextò, nulli fas sit ludere tesseris, alióve lusu vetito. Septimò, ad pacem & concordiam fovendam, nemo alterum verbo factove lædat: quin mox cum offenso in gratiam redeat &c. Eratque in ejus domo tanta omnium charitas, tanta morũ maturitas & honestas, tanta pax, pietas, benignitas, puritas, ut dempto habitu, potiùs ibi benè institutum Monasterium, quàm aula comitis videretur: & quod mireris, ipsa aula Theodosii, jure sancta nuncupata; de quâ Baronius: *b ejus regia non dissimilis fuit Monasterio.* Nunc verò si familia Ecclesiæ aut cœnobio rectè comparetur & nuncupetur, nonne conjuges ac inhabitantes non injuriâ Religiosis conferre potero? Quod quo manifestius fiat, parallelas Religiosorum ac conjugatorum, ad quorum nuptias non Venus & Adonis, sed ut hodiè, JESUS & Maria vocantur & commorantur, instituere aggredior. In admirationem, imò in stuporem vos inducere videretur, qui probaret, statum matrimonii exsuperare vitæ austeritate omnem cujusvis Religiosi ordinis rigorem, ipsosque conjuges plus tædii, afflictionis, doloris, mortificationis, vigiliarum, pœnitentiarum subire, quàm ullus Monachorum, aut Anachoretarum. Ac primum quidem, gravissima hæc Religiosorum disciplina censetur, in omnibus à nutu superioris pendere: sic tamen ut si rigidum satellitem, severum Rhadamantum nacti sint, hoc solatio sit, post triennium mutandum. In quo conjuges certè longè molestiorem servitutem, eamque perpetuam serviunt: *c dominetur,* ait Dominus, *vir uxori*; sed quæ utilitas in eo dominatu, cum rursus ejusdem, quæ subjecta est, subjiciatur mutuæ servituti, nec suo corpori alteruter habeat potestatem? Vel-

a Mendosa tom. 1. in l. 1. Reg. c. 1. annot. 5. n. 7.

b Baron. an. Christ. 415.
c Gen. 2.

let quandoque uxor paululum exspatiari, liberiorem auram captare: jubetur à viro domi per hebdomadas, per menses totos desidere. Hæc palato suo vellet elixa, ille frixa jubet apparari. Illa delectatur frigidis, hic calidis vult vesci. Vxor pro numerosâ prole educandâ, convivas execratur, omnesque sumptus superfluos; maritus quot hebdomadis nunc hos, nunc illos mensæ adhibet. Sero vespere somnus ad quietem invitat, absens maritus cogit in multam noctem excubias agere, redux verò ebrius & temulentus debacchatur, verbis, & verberibus, oculis cum somno, lachrymas excutit. Arduas quis meritò duxerit in Religiosis vigilias, intempestâ nocte somnum abrumpere, & ad laudes Deo concinnendas ora laxare; sed amabo vos conjuges, an non plus vigiliarum, vagientes, lachrymantes, & quasi alternis choris vobiscum cantantes, nocturnum non unum, infantes transigunt: imò & matutinum & vesperas insumunt? Deinde ait Hieronymus: *a per noctes totas (uxorum) garrulæ conquestiones: illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratior ab omnibus, ego in Conventu fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancilla loquebaris? de foro veniens quid attulisti?* Doctè & verè gentilis Poëta: *b*

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet, minimùm dormitur in illo.
Tum gravis illa viro, tunc omni tigride pejor,
Cum simulat gemitus, occulti conscia facti,
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.

Alii, qui probè sciunt, hominem naturâ suâ animal sociabile esse, solitudinem, vitamque illam anachoreticam, feras inter, durissimam arbitrantur. Sed hanc profectò solitudinem non unus conjugum prælegerit, quàm habitare cum muliere turbulenta. Hoc primæ veritatis documentum est: *c melius est habitare in terrâ desertâ, quàm cum muliere rixosâ,* quæ tigridis instar desævit; cujusmodi plures reperire est, suffragante Ecclesiaste: *d virum* (probum) *de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni.* Similiter in altam eremum, non una mulier sese abdere mallet, quàm sub eodem tecto habitare cum viro, qui est *e sicut leo in domo sua, evertens domesticos suos.* Quæ uberiùs Salazar noster prosequitur: *f* ipsum audite: commemorare libet deserti molestias, & cum his conferre eas, quas talis uxor, marito suo facessit. Primò igitur in deserto est horrida solitudo, ab omni hominum consortio remota, hæc tamen turbarum ac contentionis nihil, quietis & tranquillitatis plurimum habet: contra ac in hoc conjugatorum contubernio, ubi omnia plena litibus jurgiis ac innumeris difficultatibus: Secundò, qui desertum incolit feras inter, ac immanes belluas, vitam ducit; at nihilò melior aut tranquillior horum conjugum conditio: mulier enim

a Hieron. lib. 1. cont. Iovin.
b Iuven. Sat. 6.
c Prov. 21. *d* Eccl. 7. *e* Eccl. 4.
f Salazar. in Prov. c. 21. v. 19.

enim istiusmodi, Leones & Dracones sævitiâ excedit: Eccl. 25. *Non est caput nequius super caput colubri, non est ira super iram mulieris. Commorari Leoni & Draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam:* ad quæ verba audi Chrysostomum: *a equidem*, inquit, *ego existimo, nullam esse in hoc mundo bestiam comparabilem mulieri malæ. Quid inter quadrupedia animalia leone sævius? sed nihil ad hanc: aut in serpentibus, quid dracone atrocius? sed neque hic quidem juxta mulierem malam & litigiosam conferri potest: nam & leo & draco in malo inferiores sunt. Adstipulatur huic sermoni meo Salomon, dicens: commorari Leoni & Draconi placebit, quàm cum muliere nequam.*

Tertiò, habitatores deserti, ventorum turbinibus, pluviis, tonitruis, fulminibus, omnique cœli injuriæ expositi sunt; at omnibus his graviùs vapulat conjux à conjuge, quorum tempestates, scitè depingit Salazar, & Cornel. in Prov. cap. 21. vers. 19. Et in illud Prov. 19. *b tecta jugiter perstillantia, litigiosa mulier.*

Alterum est Religiosos tribus votis sese Deo ac Religioni obligare, perpetuam paupertatem, castitatem, obedientiam vovendo. At hæc longè arctiùs conjugatis servanda; quis credat? Paupertas iis plerumque est non voluntaria, sed necessaria, & in amplissimis familiis etiam pro statu, & honore servando, ingens penuria: *c Nam si corpus proprium habere non licet, multò minus pecunias.* Mitto jam quod Theologi

a Chrysost. hom. 15. de variis in Matth. locis.
b Prov. 19.
c Chrysost. in 1. cor. 7. hom. 19.

tradunt *d* uxorem citra voluntatem viri, nullam summam notabilem posse pro arbitrio elargiri. Castitatem conjugalem inculcat Apostolus, dicens: *e honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.* Et alibi: *f sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Vbi verò 2 Cor. 11. dixit: *g despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Chrysostomus ad conjugum etiam castimoniam extendit, dum ait: *h non solis dicebat virginibus, sed ad diversam Ecclesiæ plenitudinem loquebatur: anima quippe incorrupta virgo est, etiamsi virum habeat, virgo est virginitate verâ atque mirabili.*

Et Franciscus de Sales ad illud Pauli: Pacem amate, & sancti- " moniam, sine quâ nullus Deum " videbit. Per sanctimoniam, in- " quit, *i* castitas, intelligitur, teste " Chrysostomo & Hieronymo. " Ergo si solus castus Deum videbit, conjugati casti esse debent, & possunt. Potissimùm citra alienas, & oculos & animos, absque omni concupiscentiâ, immaculatos servando, in quo gravior quandoque illis lucta, quàm voto castitatis Deo obstrictis. Valet hîc illud Augustini: *k multi quidem faciliùs se abstinent, ut non utantur nuptiis, quàm ut temperanter, & benè utantur. Ego vero faciliùs non utor nuptiis, quibus usus est Abraham, quàm sic utor nuptiis, quemadmodum usus est Abraham.* Quod aptâ similitudine Franciscus de

d V. Sanchez de matrim.
e Hebr. 13. *f* 1 Thessal. 4.
g 2 Cor. 11. *h* Chrysost. ad Hebr. 11. hom. 28. *i* Sales praxi spir. part. 3. c. 12.
k Aug. lib. 6. de bono conjug.

Sales confirmabat, dicens: *a* facilius esse rustico, carere divitiis, quàm iis inopinatò repertis aut oblatis, moderatè uti. Quo fit, ut plures conjugatos, idem Religiosissimus auctor per visionem quandam, æternis ignibus addictos, compertum asseveret.

Chrysostomus verò, l. 3. contra monasticæ vitæ vituperatores, positâ quæstione, sitne pronior lapsus inter conjuges, quàm inter cœlibes? His verbis respondet: *Longè plures videas lapsos ex conjugatorum, quàm Monachorum ordine: neq; enim tam multi ex Monasteriis ad matrimonia accedunt, quàm ex conjugati toro ad scorta*, adulteria, aliaque carnis flagitia) *se recipiunt.*

Obedientia ex præcepto Domini conjugatis imposita est; ad Ephes. 5. *mulieres viris sint subditæ sicut Domino.* Et vicissim vir mulieri, cum hic sui corporis potestatẽ non habeat; quod vel ethnici vidêre. Unde Mario interroganti, cur filiam suam dote divitẽ, formâ præstantem, genere illustrem Metellus ducere recusaret? Ita respondisse fertur: probo quidem hæc omnia; *sed malo esse meus, quàm suus.* Quantum vero, & quàm immane, hæc conjugatorum vincula, à Religiosorum differant, operæ pretium videre est apud Platum de statu Religionis lib. 1. cap. 9. 10. &c. ubi concludit ex Apostolo: *b* quoniam *tribulationem carnis habebunt hujusmodi:* expendens non solùm tribulationem habere, sed *tribulationem carnis*; nam laborare, inquit, pro rebus spiritualibus, pro salute suâ, pro Dei obsequio, magnam habet admixtam consolationem, & ingens habet paratum præmium; at verò cruciari in terrenis, carnalibusque negotiis, si nil aliud spectetur, omni prorsus caret & condimento consolationis & spe etiam remunerationis. Quocirca sapienter & verè Chrysostomus in eum Psalmi locum: *c adducentur Regi Virgines post eam: afferentur in lætitiâ & exultatione.* Vide hîc, inquit, Apostoli dictum resplendescere, *Tribulationem carnis habebunt, qui nubunt. Quemadmodum autem illæ afflictionem, ita hæ lætitiam & exultationem habent. Illæ enim filios & maritos, & domum, & famulos, & cognatos, & generos, & socros, & nepotes, & liberorum multitudinem, eorumque vel defectum vel orbitatem deflere coguntur. Virgo autem crucifixa, & à præsentibus libera, & curis hujus sæculi superior effecta, ut Euripo trajecto, in cœlum quotidie suspiciens, fruitur gaudio spiritus, perfunditur exultatione.* Atque utinam attenderemus in conjugatis, non *unctiones* quæ patent, *d* sed *punctiones* quæ latent; contraria vero in Religiosis, ut rectè Bernardus. Quare cùm Apostolus prædixisset conjugatis, *tribulationem carnis*, subdit: *ego autem vobis parco.* Ubi Apostoli mentem ingeniosè interpretatur Augustinus: *e* quod dicit se eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quàm eum noluisse aperire, & explicare verbis eamdem ipsam carnis tribulationem, quam prænuntiavit eis, qui eligunt nuptias. Hæc August. quasi timeret Apostolus, ut Fernandez noster sentit,

a Sales cit. *b* 1 Cor. 7.

c Psal. 44. *d* Bern. serm. in dedic.
e Aug. de virg. c. 16.

tit, *a* ne si tribulationes conjugii patefaceret, nullus esset, qui se conjugio copularet. Ex quo alterum illis malum imminet, Religiosis etenim hoc passim privilegium concessum, ut de unâ Religione ad alteram strictioris observantiæ, se recipere possint; matrimonii verò septis concluso, ad nullum, quantumvis austerum ordinem, alterutra conjugum parte invitâ, licet confugere. Nullus illis insuper annus probationis est: timendum enim ne Parochi plus in dissolvendis, quàm copulandis laborarent. *b Domum vitiosam* ait Chrysostomus, *& servum, si ineptus videatur, reddere venditori licet; uxorem verò ductam, reddere his, qui duxerunt, non licet.* Concessum quidem equum vitiosum, morbidum, intractabilem abigere, vendere, aut cum alio commutare, uxorem à te amoliri non vales: *c addo quod* nulla est *uxoris electio, sed qualiscumque advenerit habenda, si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida: quodcumque vitii est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis & vilissima mancipia, vestes quoque & lebetes, sedile ligneum, calix & urceolus fictilis probantur prius, & sic emuntur. Sola uxor non ostenditur, ne antea displiceat, quàm ducatur.* Atque hinc innumera, eaque gravissima incommoda exoriri, omninò necessum est, Denique ut ex his multa paucis concludam, cruces & multas & magnas, Religiosi omnes amplexi sunt; at non pauciores, nec leviores ipsi conjuges, ut quotidianæ eorum querelæ, in arcanas aures repositæ, & immixtæ lachrymæ satis loquuntur. Adeò ut nulla domus, nulla familia, quam si introspicias, non plena sit infinitis curis, molestiis, ac gravissimis crucibus. Quas Hieronymus ad septendecim contrahit: *d cruces* in uxore paupere, cruces in divite: *hanc alere difficile, istam ferre tormentum.* Cruces in fœda, cruces in formosâ: *nam pulchra citò amatur, fœda facilè despicitur.* Cruces noctu, à querulâ muliere, cruces à viro temulento, cruces à liberorum ejulatu & vociferatione, cruces de die ab innumeris curis. Si divitiæ suppetant, ad eas gubernandas, amplificandas, asservandas. Si inopia premat, ad eam propulsandam. Si sint filii, ad eos alendos: si filiæ ad eas collocandas. Cruces denique sunt, detrimenta rei familiaris, lites, æmulationes propinquorum, invidiæ corrivalium, calumniæ vicinorum: liberorum casus, morbi, mortes, & his omnibus gravior orbitas, & carentia. Quæ graphicè Seleuciensis Antistes describit, virgines adhortando: *e Si virum bonum*, inquit, *nacta fuerit, perpetuò, ne moriatur, metu viduitatis, incommoda cruciatusque sustinet. Sin vero contrà, duro & immiti fuerit conjuncta, tota quidem vita illi cruciatus. Inde ubi filios edidit, aut ad bonam frugem illi evaserunt, & majores ex illorũ absentiâ jugiter dolores tolerat, quàm parturiens habuerat; aut malos evasisse considerat, & majus ex eâ procreatione liberorum, quàm si permansisset sterilis opprobrium, sustinet.* Adeo ut quot li-

a Fernandez in Gen. c. 2. sect. 11. pag. 194. *b* Chrysost. hom. de pulch. & uxore. *c* Hieron. ex Theoph.

d Hieronym. l. 1. cont. Iovin.
e Basil. de vera Virgin.

beros enixa est, tot in partu, tot in educatione, tot in continuâ eorum curâ & solicitudine cruces valeat numerare. Quod mulier quædam prudenter innuere voluit, de quâ refert Jarricus: *a* in Indiis, per annos plures gentilis fœmina, idola sua ardenter supplicabat, ut prolem nancisceretur. Dum tandem edocta, ut Deum Christianorum invocaret, ejusque cum fiduciâ opem imploraret. Fecit, & in templo Societatis, ante crucifixum preces fudit. Et ecce, necdum anno devoluto, masculam prolem enixa est, quam baptismali lymphâ tingendam, voluit *Crucem* appellari. Anno insequenti alterum fœtum feliciter in lucem edidit, quem suam quoque *Crucem* appellabat. Tertio anno tertiam prolem habuit, cui quoque *Crucis* nomen inditum est. Quæ cruces indies, ut ætate & mole corporis, sic & curarum & molestiarum pondere crescebant: jamque ad fidem orthodoxam conversa, singulis sextis feriis, cum suis tribus *Crucibus*, ad templum, Christum crucifixum veneratura, suamque ternam prolem oblatura properabat. Exemplum ingens, ut suas cruces sibi divinitus datas conjugati agnoscant, gratanter acceptent, & ad leviter ferendum gratiam implorent: parentes etenim quot liberos, tot cruces sibi peperêre, quæ omnes Religiosorum cruciatus ac molestias longè antecellunt.

Quæ prolixior, statum inter conjugatorum, & Religiosorum comparatio, manifestò declarat, tam his, quam illis, amplam promerendi, Deo serviendi, atque in omni vitæ sanctimoniâ salutem consequendi, opportunitatem concessam esse; ut (quemadmodum suprà dictum est) familiæ conjugatorum, domesticæ Ecclesiæ jure queant nuncupari. Quod autem hoc perditissimo sæculo tam raræ istiusmodi familiæ, imò vix una reperiatur, quæ Ecclesiæ aut cœnobii nomen mereatur, id solummodo in causâ esse arbitror, quod in utroque, aut certè in alterutro conjuge, par Dei cultus, pietas, ac virtutis studium; deinde non tam formæ ac fortunarum, quàm morum & animorum æqualitas desideretur; quæ si adsint, nihil sibi ad perfectionem, & vitæ sanctitatem abesse comperient. Quare qui sibi hunc in matrimonio contrahendo finem præscribit, advertat sicut in conchis, quæ pretiosissimos uniones progignunt (ut in præfixo symbolo videre est) summa utriusque conformitas & congruentia existit, ita eam conjugibus potissimùm spectandam esse, juxta illud:

b Si quà voles aptè nubere, nube pari.

Ad quod conducit primariò.

a Jarricus hist. Ind. tom. 2.

b Ovid. epist. Deianiræ Herculi.

§. II.

Ut sit paritas Religionis, pietatis, & par studium virtutis.

Supremus ille legum conditor, Deuteronomii cap. 7. interminatur Hebræis cum gentilibus matrimonia contrahere: rationem subdit: *quia seducet filium tuum, ne sequatur me, ut magis serviat diis alienis:* imò seducet & te,

te, Domino testante, quia *a certissimè avertent corda vestra, ut sequamini deos alienos.* Cui insistendo, Apostolus Corinthios admonet neophytos, ne infidelibus jungantur: *b nolite* inquit, *jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas lucis ad tenebras? aut quæ pars fideli cum infideli? Ubi* Cornelius: *nolite jugum ducere*, scilicet impar & dispar, quasi diceret: conjugium dispar, ingens „ est onus, & jugum, perinde ac „ si bos, & equus, aut asinus, „ idem currus jugum subeant, in- „ gens uterque ob disparem & incongruum socium, jugum, & laborem subibit; quod vetitum Deuteron. 22. *non arabis in bove & asino*; ubi vetatur, ut innuit Hieronymus, ne fidelis cum infideli, Catholicus cum hæretico, conjugio adstringatur. Etenim ut ille rectè cecinit:

c Non bene inæquales veniunt ad aratra juvenci.

„ *d* Secundò, ait hoc matrimo- „ nium irritum, quia fini ejus qui „ in unione & mutua concordia, „ & habitatione consistit, repu- „ gnat; cum ea inter religione dis- „ pares, vix reperiri queat; nam „ ut bene Philo: *e solius Dei cultus,* „ *est amoris & benevolentiæ vincu-* „ *lum insolubile.*

Tertiò, quia jus divinum naturale dictat, peccandi periculum cavendum esse; præsentissimum autem hoc periculum perversionis, imminet conjugi fideli, ejusque liberis ob mutuum amorem, & arctissimam necessitudinem, qua conjuges sibi devinciuntur. quod lapsus Salomonis, viri mira sanctitate, ac sapientiâ præditi, testatur, ex quo sic Cardinalis Bellarminus argumentatur: *f Sanè si vir sapientissimus, & qui multas alias uxores habebat, per nova illa conjugia cum gentilibus, ita perverti potuit, ut singularum Deos coleret; quantum periculum iis imminet, qui unam tantùm, eamque ethnicam vel hæreticam ducunt, & qui nullo modo sunt cum Salomone, prudentiâ & sapientiâ comparandi.* Hinc subdit verbum illud Pauli 1 Corinth. 7. *cui vult nubat, tantùm in Domino*, præceptum esse de matrimonio non ineundo, nisi cum fideli, ut S. Thomas, Ambros. Hieron. ibidem exponunt. & Augustinus periculum præcavens monet: *g omnino cavendum est, ne fiant tales conjunctiones: quid enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere?*

Sed quoniam mihi ad eos sermo est, qui infidelibus aut ethnicis non junguntur, sed quandoque hæreticis, aut quod frequentissimum pii ac integerrimi juvenes, puellis vanis ac lascivis; aut contrà, filiæ piæ, pudicæ, juvenibus impiis, à cultu divino & usu Sacramentorum alienis: sciendum est, quod docent passim Ecclesiæ Patres ac Doctores, *h* ob easdem rationes, prohiberi ab Ecclesia matrimonium cum hæretica vel Apostata à fide: quia ut Bellarminus ait, *i* major est cultus disparitas inter Christianos & infideles, quàm inter Judæos & in-

a 3. Reg. 11. *b* 2. Cor. 7.
c Ovid. epist. ad Deian.
d Sanchez de matrim. l. 7. disp. 7.
e Philo lib. de monarch.

f Bellarm. in controv. to. 3. l. 1. c. 23. de Sacram. matrim.
g Aug. l. 1. ad Pollent. c. 21.
h V. Pontium de matri. l. 7. c. 46.
i Bellarm. cit.

fideles: quare severissimè monet ac minatur Ambrosius: a *Cave Christiane alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua, uxorem ne accersas tibi: cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris: si hoc in aliis, quantò magis in conjugio, ubi una caro & unus spiritus est? quomodo autem potest congruere caritas, si discrepat fides?* & paulò post: *sæpe illecebra muliebris decipit etiam fortiores maritos, & à Religione fecit discedere. & ideo tu vel amori consule, vel errorem cave. primo ergo, in matrimonio, Religio quæratur:* Hæc Ambrosium dicentem ac monentem, fortè audiit Theodosius Junior Imperator, qui Athanaidem gentilem filiam formâ præstantem, ingenio ad stuporem eximiam, non priùs in conjugem adlegit, quàm baptismali fonte Christo renata esset. de qua fusè Raderus in Aula sancta. Quippe ut textum Apostoli suprà allatum, contra inæqualiter conjugatos prosequamur: b *quæ participatio justitiæ cum iniquitate?* si uxor à teneris assueta quot hebdomadis animum sacra exomologesi expiare, maritus vix in anno, idque circa festum paschæ, parochum conveniat; uxor à teneris assueta festis & Dominicis, divino epulo se reficere: maritus popinas & convivia frequentare consuevit: hæc numquam verbum Dei intermittere: hic conciones aversari, fritillis & aleis diem terere; hæc templa & sacella: ille campos & villas visere; hæc ante cubitum Deum orare, conscientiam discutere, signo crucis se munire: hic bruti in morem se in stratum conjicere: quæ omnia graphicè Tertullianus expressit dicens: c *Domino non potest (uxor fidelis) pro disciplinâ satisfacere, habens in latere diaboli servum procuratorem Domini sui, ad impedienda fidelium studia & officia, ut si statio facienda est, maritus de die condicat ad balnea; si jejunia observanda sunt, maritus eâdem die convivia exerceat; si procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio adveniet.* hæc indies eveniunt, indulgentiæ stationum sunt, maritus vini aut cerevisiæ balnea appetit. jejunium non modò devotionis sextæ feriæ, aut sabbathi uxori solemne, sed & ab Ecclesiâ præceptum urget, maritus convivium instituit; instat solemnis supplicatio, numquam magis maritus distentus, nec umquam magis uxor ad domus custodiam amandatur.

Et quoniam hîc ad mores uberrimam nobis segetem Tertullianus suppetat, juvat ex eodem uberiùs elicere:

Quam malè, inæquales vitâ & pietate maritant!

hæc enim ille ad praxim, inter uxorem religioni ac pietati deditam, & virum illa aversantem pulcherrimè opponit: *quis enim sinat conjugem suam visitandorum fratrum gratiâ vicatim, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? quis solemnibus Paschæ* (quin & natalitiis festis) *abnoctantem securus sustinebit? quis ad convivium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspicione dimittet? si cui largiendum erit* (quid in eleemosinam) *horreum, proma præclusa sunt, quantò curaverit ea occultare, tantò*

a Ambr. l. 1. de Abraham c. 7.
b 2 Cor. 6.

c Tertull. l. 2. ad uxorem.

suspectiora

suspectiora fecerit, latebisne tu cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas? cùm etiam per noctem exurgis oratum? & non magicæ aliquid videberis operari? Vsui hîc vobis, ac documento esse poterit præceptum, quod filio suo Henrico, Jacobus Britanniæ Rex reliquit, sic eum alloquens, in libro, cui „ titulus, Basilicon Doron: *a* quî „ fieri posset, ut tu & uxor tua „ una caro sitis, & unionem „ plusquam Platonicam illam „ Mosaidem excolatis; & tamen „ duabus Ecclesiis oppositis, qua- „ si membra vosmet objiciatis? „ discrepans Religio discrepan- „ tes semper mores secum intro- „ ducit, & dissensio vestrorum „ Theologorum, discordiam „ etiam in populo gignet. tum „ verò ne malè educentur liberi „ vestri, imminet periculum. Hæc ille: sed longè verius Apostolus: *b quæ societas lucis ad tenebras?* quo innuere videtur, ex ejusmodi connubiis, Babylonicam oriri confusionem, ubi ancilla & famulus, soror & frater, maritus & uxor, inter se gravissimè diffident, apparetque in illis quædam Ægypti facies, dum una pars in tenebris crassis, & palpabilibus hæret, altera in luce versatur, sed non sine periculo tenebrarum. Quare discite, quales filiis ac filiabus vestris, conjuges quærere debeatis. Etenim Chrysostomus explicans verba illa Gen. 24. *Virgo, cui ego dico; inclina hydriam tuam & bibam, & dixerit mihi bibe, & camelos tuos potabo, illam præparasti puero tuo Isaac, & in hoc cognoscam, quod fecisti misericordiam Domino meo Abraham.* hîc, inquit, *c vide servi prudentiam: nam quia scivit Patriarchæ hospitalitatem, & quia virginem inde ducendam, congruebat iisdem esse præditam moribus, nullam aliam conjecturam inquirit: sed characterem virginalis animi, hospitalitate colligere vult.* hæc vobis nupturientibus infallibilis conjectura sit, ut pars cum parte, pietate, honestate, in pauperes liberalitate, omni virtutum genere decertet. qui ita hîc junguntur in terris, nunquam etiam separantur in cœlis, & quemadmodum in vitâ dilexerunt se: ita & in morte non separabuntur; nimium quippè infelix ac infaustum conjugium, ubi conjux conjugi jungitur, à quo in æternum separandus; quid ei conjungeris qui Deum, quem tu amas, colis, execratur? quid ei conjungeris, qui pabulum erit ignis infernalis? quid ei conjungeris, qui te ac Deum in omnem æternitatem odio habebit, & diris ac blasphemiis lacesset? quæ pars fideli cum infideli in regno Dei? quæ pars damnato cum sancto? In quam rem historiam non minùs raram, quàm cuivis nuptias ac conjugium meditanti, salutarem adferre placuit. *d e* Theophilus Imperator Constantinopoleos, matrem viduam habebat Euphrosynam nomine, re prudentem ac piam fœminam, quæ ubi filium jam maturuisse, ac de conjuge prospiciendum duceret, ne in hac electione, unde non modò regni, sed animæ illius vel detrimentum vel emolumentum pende-

a Sandæi pædia. pag. 240.
b 2 Cor. 6.

c Chrysost. hom. 48. in Gen.
d Zonaras a. 830.
e Caussin. court S. to. 2. la Dame sect. 3. & 12.

penderet, juvenilis mens cæcutiret, ingenioso juxta ac pio commento Theophilum erudivit: missis enim per omnes imperii sui provincias legatis, puellas animi tum corporis dote præcellentes cogere, atque omnes in amplo cubiculo, quod *la perle*, seu margaritum vocabatur, asservari jussit. Illuxerat jam dies illa toti regno Constantinopolitano auspicatissima, quâ Imperator in gynecæum hoc inducendus, à regina matre erat: quæ ubi salutaribus monitis filium imbuisset, aureum illi pomum, pretiosissimis gemmis distinctum, in manus dedit, ut saniori quàm olim Paris consilio, sibi eam in sponsam deligeret, eique pomum porrigeret, quam cæteris non tam corporis, quàm animi pulchritudine ac venustate, antecellere persuaderet. quâ in deliberatione ut consultò procederet, aditum per duo atria, ad tertium, matri disponere placuit; in quorum primo, SS. matronarum, quæ cœlo conscriptæ, tabulæ exhibebantur: hæ Saram, Rachelem, Deboram, Estherem, Judith; insuper Pulcherias, Eudoxias, Helenas, Marcellas, Paulas, Clotildes, Rhadegundes, in limbo aureo, gemmarum stellulis vermiculato, referebant. Altero in atrio, earum quæ apud inferos ardent, funesto apparatu effigies depictæ objiciebantur. quales exstitêre, Semiramis, Helena Trojana, Cleopatra, Agrippina, Julia Messalina, Phryne, Rhodope, Flora, innumeræque aliæ.

Tandem ad vivas & perfectissimas, veri Dei imagines deductus, eam in reginam delegit, qui cum semper se regnaturum in cœlis felicissimè augurabatur. Solerter porro Caussinus noster observavit, *a* quid Regi conferat piam juxta ac prudentem consortem thori thronique conjugem deligere, cùm non pauca numerentur regna, quæ per fœminas virtute præditas, ad Christum sunt conversa. Cæsarea Persidem, Clotildis Franciam, Hispaniam Indegundis, Italiam Theodolinda, Germaniam Ethelberga, Olga Russiam, Dambruca Poloniam, Gisella Hungeriam, totum denique imperium Helena ad Christianos ritus impulit. Quantum inde boni, tantum mali est, si pravæ, si impietate aut hæresi infectæ sint. Argumento est Jezabel Tyriorum regis filia, quam de gentilitate Achabus Rex Israël, infaustis auspiciis duxit. Mali deinde corvi malum ovum ipsius Achabi proles Athalia, Joramo nupta, per quam immania facinora castam Josaphati soceri domum contaminavêre. Nullus unquam finis per tot annales gentium relegenti damna: Semiramidis vesanas artes experta est Assyria, Amestridis sævitiam Persis horruit, Græcia Clytemnestram, Agrippinam Roma, Brunechildis & Fredegondæ tragœdias Gallia spectavit.

a Cauf. de regno Dei.

§. III.

Non tam formæ & fortunarum, quàm morum & animorum æqualitas spectanda.

EMphaticè Sapiens hoc prosecutus est: *b Gratia super gratiam*

b Prov. 18.

tiam est mulier sancta, & pudorata. Qui illam invenit, bonum invenit, & jucunditatem à Domino hauriet. Cui in politico subscribit Scribanus: *a* „De formâ ultima cura sit. Ferè enim pulchritudini solicitudo adjuncta, & comes formæ, metus est: totque propè anxietatibus maritus involvitur, quot elegantias in uxore legit. Ita forma Saræ tantùm non Abrahamo exitio fuit, dum in Ægyptum descendens illi præcipit, ut se sororem suam diceret, sibi timens ob illius venustatem; quod expendens Ambrosius; *b His* (ait) *docemur, non magnopere decorem quærendum conjugis, qui viro necem plerumque gignere soleat. Non enim tam pulchritudo mulieris, quàm virtus ejus & gravitas delectat virum.*

Enumerarem, *c* ut cum Petrarchâ loquar, nisi innumerabiles forma in discrimen traxisset omnes in crimen. Accedit ut forma bonum fragile est, quod primo ferè mense facit rosam pallescere, aut primo puerperio florem omnem marcescere: sic & amorem & affectum, qui formam & cutem spectabat, deflorescere:

Heden root
Morghen doot.

Argutè conviva nuptialis super verticem nuptæ has quatuor unciales literas à sponso exaratas: H. L. H. L.

Hoe langer, hoe liever.

sic exposuit:

Hoe langer, hoe leelijcker.
Schoon hayr en fraey singen,
Zijn al vergangelijcke dingen.

Cui illud addendum:

Die den sot, trouvvt om sijn kot,
Verliest het kot, en houdt den sot.
En die een vvijf, trouvvt om 't schoon lijf,
Verliest het lijf, en houdt het vvijf.

Fitque quod in floribus Cicero animadvertit, qui tam diu grati, quàm diu recentes sunt. Audi Poëtam: *d*

Si verum excutias, facies non uxor amatur.
Tres rugæ subeant, & sic cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige sarcinulas dicet libertus & exi
Iam gravis & nobis.

Id Salomon expertus ait: *e Fallax gratia, & vana est pulchritudo; mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* Hæc dos optima, ut vetus ille cecinit: *f Dummodo morata veniat, dotata est satis.* Quare arguendi illi, qui in uxore ducendâ, solam formam attendunt, & solis oculis formam ducunt. In quos cadit illud Apophthegma, à fœminâ mutuatum: Olympias mater Alexandri, in adolescentem, qui uxorem formosam quidem, sed malæ famæ duxerat: *Ille, inquit, non sapit, qui uxorem oculis, non etiam auribus duxit.* Quod indies accidere videmus non uni, cui objici possit illud: *g species decepit te*, vel quòd formam stabilem putares, vel quòd veram, quæ fucata & emendicata erat. Quod Sanctus Bernardinus, Ecclesiastes Religiosissimus festivè confir-

a Scrib. Polit. Christ. l. 1. c. 4.
b Ambr. l. 1. de Virg.
c Petrarcha, l. 2. dial. 94.
d Iuve. sat. 6. *e* Prov. 31.
f Plaut.
g Dan. 13.

mat: *a* puellam deformem, nanam, gibbosam fuisse adstruit, quæ cothurnis, comis adscititiis, dentibus emissitiis, vestibus suffultis, ita personam immutarat, ut in oculis proci, gratiam invenerit, & in conjugem à viro nobili adlecta sit. Quæ ubi sub vesperam se exuit, cothurnos, comas, dentes, vestes seponit, maritus respiciens, illam breviorem intuitus, ingeniculantem ratus, assurgere jussit, & propius intuitus, nanam, gibbosam, luscam, edentulam, totumque mundum muliebrem dimidium uxoris suæ in abacum vicinum reconditum; juxta illud Ovidii: *b*

——— auro gemmisque teguntur
Omnia, pars minima est, ipsa puella sui.

Ad dimidium ut minimum se deceptum dictitans, reclamavit. Ne & tu sic decipiare, famam formæ præferre memento, & multò magis animæ, præ corporis pulchritudine spectare; quod Ambrosius inculcat dicens: *c Cur tu vultus pulchritudinem magis in conjuge, quàm morum requiras? placeat uxor honestate magis, quàm pulchritudine; illa eligatur, quæ moribus Saram referat.*

Tum ne formam aut corporis venustatem omnino contempsisse videatur, addit: *Non possumus reprehendere divini artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multò magis illa delectet venustas, quæ ad imaginem Dei est intus* in animo: quam si potissimũ in conjuge deligendâ spectaris, si mulierem bonam & sanctam nactus fueris, familia tua cœlum erit, & hic ipse in terris veluti beatitudine quadam perfrueris, teste Ecclesiastico: *d mulieris bonæ beatus vir.* Non dicit mulieris speciosæ, divitis, nobilis, sed *bona.* Et vicissim mulier per virum bonum salvabitur. Talem Angelus nutanti & deliberanti Rагueli, super traditione filiæ suæ ducendum suadet: *e Noli,* inquit, *timere, dare eam isti* (Tobiæ) *quoniam huic timenti Deum, debetur filia tua.*

Illustre ex Japonio exemplum petam Bonzii: qui in conjuge deligendâ formam contemnens, martyrii laureâ donatur, quod Sacchinus noster his verbis commemorat: *f* Fuit Bonzius ad orthodoxam fidem conversus, qui antè Paganos in superstitione erudiebat. Is vocatus est Thomas, proque mystâ erroris, institutus veritatis interpres: non diligentiâ modò, sed etiam exemplo Ecclesiæ agellum ita illum excolebat, ut pulchrè vireret, floreretque ejus caussa Nexici pietas. eoque erat cunctis acceptior, quòd nihil à quopiam mercedis, donive recipiens, ad exercendam tantò magis virtutem, victum sibi labore ac manu quærebat: vetula Christiana, quæ domesticæ vitæ adjutrix esset, oris quamquam monstruosi, quia tamen virtutis erat eximiæ, in matrimonium ducta. Mirabantur id amici connubium: quibus ille non ægrè satisfaciebat. Verùm Ethnicæ Dominæ, quæ aliam ei conjugem destinarat, incredibilis inde dolor exortus: quam ob rem irâ furens imperat minaciter Thomæ, por-

a S. Bernardin. tom. 4. serm. 36.
b Ovid. l. 1. de remedio.
c Amb. l. 1. de Virg.

d Eccl. 26. *e* Tob. 6.
f Hist. Soc. p. 3. l. 3. n. 244.

tentosam

tentosam anum protinus domo exturbet. Quod cùm is per Christianam legem negaret sibi fas esse; ad insaniam impotentis Dominæ declinandam, solum mutat. Tum barbarâ calliditate mulier, simulans ante eam diem ignarum sibi, Christianis legibus divortia prohiberi, securo jubet animo remeare in patriam, ac vetulâ suâ frui. Vix igitur domum redierat cùm missis à Dominâ sicariis, vulneribus dirè appetitus, oculis manibusque in cœlum sublatis, piè Jesum inclamans, haud dubiè in odium fidei interficitur. En quomodo vir salvatur & martyrii palmâ donatur non per mulierem formosam, sed virtuosam. Alii primum in conjuge opulentam dotem, fundos & census spectant: de dotibus corporis & animi parum solliciti, & sollicitæ, nixi illo Horatii:

Et genus & formam, Regina pecunia donat.

Ut hac tempestate vero verius comprobetur, quod Lovanii quibusdam foribus inscriptum legitur:

L'Amour faict rage,
L'Argent Mariage.

Cum nusquam gentium, connubium depictum aut effictum reperiatur, per binas crumenas, ast sæpius per duo corda invicem cooptata. Juvat hîc audire Chariassium monentem, atq; his prudentiæ præceptis instituentem: *a*
„ Conjux longè ditior, minimâ
„ exortâ lite exprobrabit alteri
„ tenuitatem suam, & premet il-
„ lam tyrannide; ut docet muris
„ & leonis apologus: abroso leo-
„ nis laqueo, in præmium grati-
„ tudinis rogavit mus, ut filiam
„ suam in uxorem acciperet: an-
„ nuit leo, sed nova nupta ad vi-
„ rum accedens, cùm eam ipse
„ non observasset sibi obviam
„ procedere, casu pede contrita
„ est. Quam fabulam utinam quotidiana experientia non verissimam comprobaret, dum non una filia gaudet se jungi juveni opulento, qui postea *b quasi leo in domo suâ, evertens domesticos suos,* uxorem teneram, timidam, mitem, benignam ungue premit, pessumdat, & vix respirare sinit. Solerter Themistocles quærenti, cur filiam homini opulento, sed improbo in uxorem non daret? Optimè respondit: *Malo habere hominem qui pecuniâ indigeat, quàm pecuniam, qua viro opus habeat.* Et hoc parentes non attendunt, rabiem non considerant, sed jubas & exuvias. Ejusmodi inæqualia matrimonia, ubi ancilla Domino nubit, toparcha villicam ducit, pauper divitem: & contrà, ut ex cæco amore nascuntur, ita in miseriarum barathrum præcipitant. Eleganter Plutarchus. *c Qui se ipsis longè ampliores capiunt uxores, non earum maritos, verùm dotis mancipia fecisse se nesciunt.* Elegantiùs Martialis: *d*

Uxorem quare locupletem ducere nolim
Quæritis? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit Prisce marito.
Non aliter fuerint, fœmina virque pares.

Non prodest speculum ex auro gemmisque contextum, nisi formam se intuentium repræsentet; sic

a Chariass. de vera prud. l. 2. c. 12.

b Eccl. 4. *c* Plut. l. de educatu.
d Mart. l. 8. epig. 12.

ſic nec uxoris divitis, eſt fructus reputandus, niſi genio & ingenio mariti ſeſe accommodet. Macrobius hoc aptum apophtegma protulit: ſicut ſtultus eſt, qui empturus equum, non ipſum, ſed fræn um, phaleras, ephippia inſpicit: ſic errat qui uxorem ex ornatu ſuo, & mundo muliebri æſtimat: cui, *a*

Præter pennas nihil in pavone placebit.

Hoc queritur Hugo de Sancto Victore, in libello ad ſocium volentem nubere: *ducuntur hodie uxores, non causâ fornicationis vitandæ, ſed causâ luxuriæ; non cauſa prolis, ſed cauſa pecuniæ.* Unde Marci Catonis filia junior, cùm rogaretur: cur poſt amiſſum virum alterum non duceret? reſpondit, *ſe non invenire virum, qui ſe magis vellet, quàm ſua.* Quo dicto oſtendit plures jam uxorem digitis & auribus ducere, quàm oculis, & animi dotibus. Cùm tamen veriſſimum illud: *b*

Intolerabilius nihil eſt, quàm fœmina dives.

Hinc exſtat aureum illud monitum: *c Non quæramus in uxore pecunias, nec nobilitatem iſtam externam, ſed nobilitatem ac generoſitatem animæ.* Sic Booz, ut in ſacrâ Ruth hiſtoriâ legitur, ducturus uxorem, non divitias in illâ quæſivit, ſed vitæ probitatem & virtutem, ideoque illi dixit; *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.* At quomodo hac tempeſtate? Filius meus junctus eſt puellæ, quam tota civitas novit eſſe mulierem formæ, pecuniæ, nobilitatis antiquæ, &c. ignorantes illud Ambroſii: *d Qui ſuavitatem quærit conjugii, non tam ſuperiorem cenſu ambiat, quàm neceſſitates non teneant maritales, non monilibus ornatam, ſed moribus. Offendit plerumque virum, ſi ſe uxor nobiliorem noverit, ac opulentiorem.* Quibus incommodis medium ex Ambroſianâ epiſtolâ colligamus. *e Conjugium vis inter filios noſtros componere? quæro utrum pares copulandi ſint, an impares? Sed ni fallor, compares copulari ſolent: boves qui jungit ad aratrum, equos ad currum, pares eligit* (Cruciaas canterius cum Bucephalo Alexandri, aut generoſiſſimi Principis equo malè uni rhedæ jungeretur) *ut ætas conveniat & forma, nec natura diſcrepet, nec decoloret diverſitas.* Divus Auguſtinus uxorem, conditione viro parem eſſe debere, comprobat ex eo, *f* quòd primus matrimonii fundator conſortium viri non ex capite formarit, ne ſe viro præferendam putaret, nec ex pedibus, ne velut mancipium ad ſervilia abjiceretur, ſed ex latere: *g Quia igitur viro nec Domina, nec ancilla parabatur, ſed ſocia, nec de capite, nec de pedibus, ſed de latere erat producenda, ut juxta ſe ponendam cognoſceret, quam de juxta ſe ſumptam didiciſſet.* Semper lateri hæreat, non maritus ſolus deambulet, uxor non ſola templum frequentet, ſed ſimul, ſintque, ut ait Paulus, *vir & mulier benè ſibi conſentientes.* Quod quædam, ut concludam, difficile his verbis teſtata eſt, exclamans: Ah quanti moli-

a Ovid. l. 6. Faſt.
b Iuven. ſat. 6.
c Chryſ. in ep. ad Epheſ. c. 5. hom. 20. Ruth. c. 3.
d Ambr. l. de Virg.
e Ambr. ep. 66. ad Patern.
f Aug. l. 12. de civ. c. 26.
g Aug. l. 1. de Sacram. p. 6. c. 35.

molim inis est, priusquam decem sensus ad quinque redigi possint. Fieri tamen poterit, si illud Plinii observemus: eas inter se arbores convenienter inseri ac uniri, quæ præter corticis uniformitatem sub idem anni tempus fructus, eosque consimilis acroris propè, aut dulcoris, proferre consuevêre: quod potiori jure in omni connubio observandum est, in quo nisi contrahentium quædam naturæ conformitas sit, tantùm abest, ut fructus uberes, verùm nihil nisi stipites ac fustes exspectandi sint. „Quare rectè monet „Chanassius, *a* non quærantur „conjuges valde impares anno„rum numero, conditione, viri„bus, qualitatibus corporis & „animi. Ex immaturis enim con„jugibus emanant damna nec „pauca, nec parva: ipsorum ta„bes, abortus, aut prolis infirmi„tas. Dilapidatio bonorum ob „imperitiam regendæ familiæ.„ Taceo, quòd sicut filii facilè suos parentes reverentur, cùm eos vident ætate, prudentiâ, longè superiores: ita contrà, dum eos „advertunt sibi moribus, mento „& mente quasi coæquales, citò „contemnunt. Hinc quod suprà proposuimus, manifestum est:

Si quà voles aptè nubere, nube pari.

Ubi enimverò hæc annorum, animorum, morum atque virtutum æqualitas reperietur; affirmare ausim Christum cum matre suâ talibus nuptiis non defuturum, qui aquam omnem in vinum convertat, aliaque miranda efficiat, ac tandem ad nuptias cœlestes invitet.

a Chanaſ. de vera prud. l. 2. c. 12.



EMBLE-

Domine si vis, potes, Matth. 8.



[a] QUIDQUID SUPERI VOLUERE PERACTUM EST.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

De dominio Dei in creaturas, quod longè majus quàm figuli in vasa, ut patet luculento illo Doctoris gentium testimonio: [b] *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?*

§. *I.* [c] *Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, in terrâ, in mari, & in omnibus abyssis.*

§. *II.* Quomodo nullus Dominus, nisi solus Deus, [d] *in cujus ditione cuncta sunt posita, nec est qui possit resistere ejus voluntati.*

§. *III.* [e] *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est.*

a Ovid. Metam. 8. b Ad Rom. 9. c Psal. 134. d Esther. 13. e Job. 1.

DOMI-

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIAM.

Domine si vis, potes. Matth. 8.

THeologorum phœnix Aquinas parte primâ, quæstione decimâ tertiâ, articulo primo, hoc imprimis disceptat: *Vtrum Deus sit nominabilis?* quomodo Deus compellandus? quod nomen ei propriè competat? quo vocabulo divina essentia, ejusque proprietates aptissimè exprimantur? Hujus scientiæ avidissimos, non vos modò, sed & olim homines sanctissimos comperio. Genesis 32. post luctam illam ludicram: *Interrogavit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine?* Hujus verò quæsiti responsum præstolanti, respondit: *Cur quaris nomen meum?* quod tantùm abest, ut indicarit, *a ut increparit eum, & tanquam ab omni divino nomine abduceret*, ipsum percunctatus: *quare interrogas de nomine meo?* Consimile responsum dedit Judicum 9. quærenti: *quod est tibi nomen?* at ille: *Cur quaris nomen meum, quod est mirabile?* quin imò adeò mirabile, adeò ineffabile, adeò inenarrabile, ut D. Justinus asserat: *b Deo nomen imponi non posse, quod si quis id contendat, summa dementia esse.* Quod vel in eo divinus Plato censisse videtur, dum dixit: *c Difficile est Deum intellectu percipere, eloqui verò impossibile.* Quem ubi Nazianzenus induxit, suum exponit sensum, & sententiam, dicens: *d Deum nullis verbis explicari posse*, quod & alibi confirmat: *e Certè hoc est Deus, quod dum dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur, ipsa definitione crescit.* Vt de facto ostendit Simonides, *f* qui ab Hierone Rege Siculo rogatus, quid sit Deus? Diem unum considerationi petiit; tum biduum, triduum, ac tandem id unum respondit: quo plus cogitaret, hoc plus cogitandum occurrere, ac verba deesse & nomina, quibus naturam ejus definiat, aut circumscribat. Ex quibus omnibus rectè concluditur cum Divo Thomâ: *g* nomen nullum reperiri, *quod significans ipsum, exprimat divinam essentiam, secundùm quod est.* Tamen ut de ineffabili nos infantes aliquid effari, & de Deo nostro loqui possimus, varia illi nomina, ut docet idem Doctor, *h* imponimus ab effectis desumpta, in quibus naturæ ejus perfectiones ac proprietates singulari modo relucent. Atque ita inquit Damascenus: *i Ipse Deus propter ineffabilem bonitatem voluit de nostris rebus, & nostro modo nominari, ne simus funditus notitiæ ejus expertes.* In quâ materiâ juvat audire pleniùs disserentem magnum illum Doctoris gentium discipulum D. Dionysium de divinis nominibus: *k Quidam Deum multorum nominum faciunt, ut cùm ipsum Deum introducunt*

a Dionys. de divin. nom. c. 1.
b D. Iustin. apol. 2. *c* Plato in Timæo.
d Greg. Naz. orat. 34.

e Orat. de fide quæst. 49. *f* Cic. lib. de nat. Deorum. *g* D. Thom. p. 1. q. 13. a. 1. in corp. *h* S. Thom. cit.
i Damasc. l. 1. de fide orth.
k S. Dion. de divinis nom. c. 1.

dicentem:

dicentem : Ego sum, qui sum, vita, lux, via, veritas. Et cùm Sapientes ipsum Deum ab effectis laudant, ut bonum, ut pulchrum, ut sapientem, ut dilectum, ut Deum Deorum, ut Dominum Dominorum. Verùm enim verò inter hæc tam multa, eaque varia Dei nomina, unum sibi delegisse, sæpiùs in sacris literis usurpasse ac inculcasse videtur, quòd perfectiones ejus cumulatiùs complectitur : nomen scilicet *Domini*. Ita disertè testatur per Isaiam: *a Ego Dominus, & hoc est nomen meum.* Vnde & Hieremias cap. 23. *Hoc est nomen, quod vocant eum, Dominus justus noster.* Psaltes verò regius: *b Quærent nomen tuum Domine.* Ac tandem subjungit : *& cognoscant quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.* & Psalmo sexagesimo septimo : *Dominus nomen est illi.* Quod & inclyta illa bellatrix agnovit, dum dixit: *c Dominus nomen est illi.* In lege novâ hanc nomenclaturam ipse comprobavit, Joannis capite decimo tertio. *Vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim.* Hoc quippe nomen *Dominus* in se complectitur inexhaustam illam potentiam, *d* quâ *omnia quæcunque voluit fecit.* Infinitam sapientiam, ac providentiam, quâ *Dominus universorum* omnia gubernat, attingens *e à fine usque ad finem fortiter, disponit omnia suaviter.* Immensam illam bonitatem, quâ omnia conservat, ne in nihilum suum recidant, quâque se in servos mancipia sua, adeò munificum, prodigum, ac indulgentem exhibet. Denique inenarrabilem illam misericordiam, quâ nos sanguine suo emit & redemit, qui omnes tituli eum verum ac solum Dominum manifestò convincunt : omnemque ex parte nostra timorem, amorem, venerationem, obsequium, famulatum infimum jure longè maximo illi debitum testantur.

Hunc solum Dominum agnovit leprosus, dum illum inclamans : exposcit, quod omne dominium humanum (ut infrà videbimus) excedit : *f Domine si vis, potes me mundare.* Cum illo & quisque nostrûm clamare potest, quacumque infirmitate affectus ; *Domine si vis, potes* me sanare. *Domine si vis, potes* filiam, fratrem, maritum curare. *Domine si vis, potes* me ditare. *Domine si vis, potes* studia, negotia, mercaturam, fœcundare. *Domine si vis, potes* filios meos exaltare. *Domine si vis, potes* inimicos nostros humiliare. An in terris mortalem Dominum reperire est, qui quidquid vult, possit? si *velit* momento ab oriente in occidentem exercitum trajicere, *possit*; si *velit* omnia regna mundi debellare, omnes gentes ac populos subjugare *possit*; si *velit* classem mari immittere, ventis ac fluctibus imperare, *possit*. Hoc gentiles nulli mortalium, sed Diis suis affinxerunt : *g*

——— finemque potentia cœli
Non habet ; & quidquid Superi voluère peractum est.

Verissimè Psaltes: *h Ego cognovi,*

a Isa. 42.
b Psal. 82.
c Iudith. c. 9.
d Psal. 113.
e Esther 13. Sap. 8.

f Matth. 8.
g Ovid. Metam. l. 8.
h Psal. 134.

quod

quod magnus est Dominus præ omnibus Diis. Causam subdit:

§. I.

Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cœlo, in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Psal. 134.

REfert Polidorus Virgilius, *a* dum quondam Canutus Rex Angliæ, fortè littus maris cum suis inambularet, unum aliquem assentatorum regiis auribus prurientem dixisse: Domine mi Rex, quis similis tibi? ac digito in oceanum intento, Regis potentiam, regnique amplitudinem ex eo commendasse, quòd non terræ modò, sed & maris Dominus esset, ac effræni elemento imperitaret, Canutus ad hæc subridens, in littore consedit, ac mari intumescenti edixit: impero tibi, hûc ne progrediaris, cùm ecce decumanus fluctus se in sinum Regis effundit: atque ita exceptus, ad affusos aulicos conversus: en, inquit, quantùm in fluctus maris mihi imperium est? simulque assurgens Wintoniensem urbem ingressus, summam ædem visit, ubi conspecta Christi è cruce pendentis effigie, coronam capiti suo detractam, ipsius vertici imposuit, hoc dignum cedro profatus: *b tu solus Dominus, tu dominaris potestati maris, motum fluctuum ejus tu mitigas.* Nullus hisce fluctibus Alexander Magnus, aut Carolus columnas, terminos ponet. *c* Tu solus *terminum posuisti, quem non transgredientur*. Quoscumque mare sapientes, divites, potentes, reges aut dynastas vehit, neminem nisi hunc solum Dominum agnoscit, ejusque unius nutu omnes jactantur, omnes attoniti exclamare coguntur: *d Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus:* omnes exangues ac pallidi hunc Dominum invocare: *e Domine salva nos, perimus.* Ille dixit *f Mari: tace & obmutesce*; & in te confringentur fluctus tui. Ille imperavit *ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Ejus solius nutu, mare velut pavimentum pedibus Petri se substravit; ut muri crystallini, dum Israëlitæ sicco pede transissent, stetit.

A facie Domini tanti, fugere se posse credebat Jonas; sed Dominus satellites alatos immisit: *g Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna.* Donec tandem servili timore perculsus dixit: *Dominum cœli ego timeo.* Si fugero *h in extremis maris, illic tenebit me dextera tua.* Emittes in me ventos de thesauris tuis, & *venti & mare obedient tibi.* Hoc aliquem Hispaniarum Principem modestè edocuit B. Aloysius: *i* dum anno ætatis suæ quarto decimo, adlectus in Ephebum honorarium Jacobo, Philippi II. filio, illum etiam tum parvulum è fenestra prospectantem, cùm ventus vehementiori flatu incesseret, Jacobus pueriliter indignabundus: *k heus vente*, inquit, *impero tibi ut molestiam mihi exhibere desinas*, Tum Aloysius, qui proximus ad-

a Polid. ex chron. Germ.
b Psal. 88. *c* Psal. 103.

d Psal. 92. *e* Matth. 8. *f* Marc. 4. *g* Ion. c. 1. *h* Psal. 138. *i* Virg. Cæparius in vita B. Aloysii l. 1. c. 7.
k Beyerlinc. apoph. tit. Deus.

ſtabat, opportunitate uſus: *potes*, inquit, *Domine, homines tuis dictis obedientes nanciſci, in elementa autem ſolius Dei, & ſupremi Domini imperium eſt, cui & te parere oportet*: nec minus ſapiens alterius etiamnum pueri regii reſponſum. *a* Cùm Philippus II. venatum iviſſet, aſſumpto ſecum filio Philippo III. Puer ut vidit derepentè pluviam ingruere, parentem comiter rogavit, ut imperaret nubibus deſuper ne pluerent. Rege reſpondente, hoc ſuperioris poteſtatis eſſe, ille his intellectis, qui de patris potentia plurimum inaudierat. Quid, inquit, mi Pater, rem tantillam præſtare non potes? Quid ſi majorem poſtulaſſem? Jam planè te nihil poſſe comperio.

O magne Rex, Elementa *b omnia ſerviunt tibi*. Hic facit in fornace Babylonica ignem, quaſi ventum roris flantem: hic facit tot invictos martyres, prunas, ut roſas calcantes. Hic terram, quam tribus digitis appendit, ſuſtinet, & quatit: *c qui reſpicit terram, & facit eam tremere*.

Omnia demum paucis complexus, qui dixit: *d tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium es*. Vbi præclarè Leſſius obſervat: *e ex eo, quod ipſe omnia condidit, colligit ipſum eſſe dominum univerſorum, & cuncta in ejus ditione & poteſtate eſſe poſita*. Hinc laudabilis ille mos in Eccleſia, ut Dominica II. poſt Epiphaniam ſub introitum *miſſæ*, decantet illud Pſaltis regii: *f Omnis terra adoret te, & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo Domine. Iubilate Deo omnis terra, &c.* idque ut quidam ſolerter obſervavit, quod Cæſar Auguſtus ſuo tempore imperaſſet, ut ex ſingulis urbibus univerſi orbis, homo unus ad ſe Romam mitteretur, qui pugnum terræ, ex civitate ſua deſumptæ, oppletum adferret. quæ exigua terræ portio undique collecta, in parvulum collem excrevit, ſupra quem, tempore Chriſtianorum dedicatum templum, Dominica II. poſt Epiphaniam. Atque ea propter, Eccleſia cantat hoc die: *omnis terra adoret te, &c.*

Sed parum eſt, Deum rebus inanimatis, aut etiam irrationabilibus dominari, in creaturam rationalem potiſſimum ſibi dominium vindicavit, ut ingenioſè advertit Gregorius Nyſſenus Geneſ. 2. in creatione mundi, *g* dumtaxat nomen *Dei* in ſacris paginis reperiri: *in principio creavit Deus cœlum & terram. Dixit Deus, fiat lux: dixit quoque Deus, fiat firmamentum. Dixit autem Deus, fiant luminaria*: at verò ubi creatura rationalis efformanda eſt, ſibi quàm primum *Domini* nomen uſurpavit: *h formavit igitur Dominus Deus hominem*: & paulò pòſt: *tulit igitur Dominus Deus hominem*. In quæ verba Auguſtinus: *i nullo modo vacare arbitror, ſed nos aliquid, & magnum aliquid admonere*, quod *ab ipſo divini libri hujus exordio, uſque ad hunc locum, nunquam poſitum eſt, Dominus*

a Ian. Erithræi exempla. tom. 3. §. 74.
b Pſal. 118.
c Pſal. 103.
d Eſth. c. 13.
e Leſſ. de perf. div. l. 10, c. 3. n. 18.
f P. Nicaſius de S. Tereſe en recueil des queſtions curieuſes c. 3. q. 1.
g Apud Lipoman. in Gen. c. 2.
h Gen. 2.
i Aug. tom. 3. l. 8. de Gen. ad lit. c. 11.

Deus;

Deus; sed tantummodo Deus; nunc verò, ubi ad id ventum est, ut hominem in paradiso constitueret, eumque per præceptũ operaretur, ita scriptura locuta est: *& sumpsit Dominus Deus hominem, quem fecit.* Hinc rectè Psaltes: *a Domine Dominus noster*, non divitiarum, non regni, non exercituum Dominum compellat, sed nostrum. Et Apostolus Thomas, qui viderat eum ventis ac fluctibus imperantem, non tamen vocat Dominum maris, qui ambulat super pennas ventorum. Viderat eum mortuos suscitantem: non tamen has voces usurpat: *Dominus vivorum & mortuorum.* perceperat in morte ejus, horrendum illum terræ motum, solem & lunam tenebris involvi, non tamen exclamat: *Dominus* terræ, cœli & siderum, &c. sed *b Dominus meus, & Deus meus.*

Atque ut reipsa in hominem Dominium exerceret: *c Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, præcepitque ei dicens, de ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Cui præcepto, dum quidam opponerent: si arbor bona, cur fructus vetitus? Si mala, cur in paradiso collocatur? Occurri potest solidissimè hoc brevi Salviani responso: *d quia vult summa Iustitia, voluntas Dei est.* Quare servus domi manet; quia dominus vult. Quare comitatur? Quia dominus vult, &c. *hâc de* causa *serpens, qui erat callidior cunctis animantibus, dixit: cur præcepit vobis Deus? non verò cur præcepit vobis Dominus?* Nam hæc se quæstio interimit; & responsum in promptu: quia dominus est. Quod absolutissimum supremi numinis dominium Augustinus insignissimè oculis subjiciens: *e homo*, inquit, *positus sub præcepto, audivit à Domino Deo: noli tangere. Quid? hanc arborem. Quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in paradiso? Prorsus ideo est in paradiso quia bona est: sed nolo tangas. Quare non tango? Quia obedientem te volo, non contradicentem servum. Serve audi prius domini jussum, & tunc jubentis disce consilium. Bona est arbor, sed nolo tangas. Quare? Quia ego dominus sum & tu servus.* Hæc tota causa est. Atque hâc de causa posset Deus Dominus præcipere, ne quis carnem aut lacticinia degustaret, sed pane & aqua assiduò victitaret, quia vult, quia habet amplissimam " & illimitatam potestatem præ- " cipiendi & vetãdi; posset, inquit " Lessius, *f* præcipere omnia ope- " ra bona nobis possibilia. Vnde " omnia sua consilia posset facere " præcepta, & imponere nobis " omne genus austeritatum, & " pœnitentiarum, jejunium, cili- " cium, chameuniam, flagella- " tiones, & alia hujusmodi usque " ad nostri peremptionem. pos- " set vetare omnes commodita- " tes & recreationes sub peccato " mortali. Et hæc omnia; ut S. Ambrosius ait; *non proposito ullo præmio.* Quod autem in nos servos ac mancipia ejus, tam severum dominatum non exerceat, hoc solius bonitatis ac indulgentiæ est. Ex qua piissima consideratione primus existit fructus uberrimus, quanto affectu & prom-

a Psal. 8. *b* Ioan. 20.
c Gen. 2. *d* S. Salvian, de provid.

e Aug. in Psal. 70. post. med.
f Lessius de perfect. Divin. l. 10. c. 1. n. 4.

ptitudine domino adeò benigno ac munifico, ejusque mandatis; quæ verè gravia non sunt, mercede insuper magna nimis propositâ, obtemperandum sit.

Gen. 39. in servum venditus Joseph, Potiphari viro principi in aulâ Pharaonis: *invenitque Ioseph gratiam coram* Domino *suo*, adeò ut totius domus curam, *a* agros horrea, prædia, penora, cellas, gazophylacia, suppellectilem omnem auream, argenteam, omnes denique facultates suas ei committeret, eumque non ut mancipium, sed ut filium, ut animam suam amaret; sed ut erat eleganti formâ, infamis lupa in agnum oculos conjecit, at fascinare nequivit: verum servus, in tàm sui amantem dominum fidelis, sic liberè prolocutus est: *b Ecce* Dominus *meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo suâ, nec quidquam est, quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te qua uxor ejus es, quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in* Dominum *meum?* & Euro ocyus aufugit. nunc ô homo! Domini Dei tui in te beneficia creationis, conservationis, redemptionis, propria naturæ & gratiæ, gloriam & regnum æternum compone, & quoties peccandi, hunc dominum offendendi sese offert occasio, dic cum Josepho: *quomodo possum hoc malum facere, & peccare in* Dominum *meum?* Inflammat nos ad hoc B. Hugo Victorinus de arrha animæ: *anima mea considera mundum, respice ea, quæ in eo sunt: quoniam omnia tradidit* (omnia serviunt tibi) *dilige ergo* Dominum, *à quo tantum dilecta es.* Quoties mensæ benè instructæ accumbis, pisces, carnes, fruges apponi cernis, dic cum Josepho: *ecce* Dominus *meus omnia hæc mihi tradidit, quomodo ergo possum malum facere & peccare*, gulâ ac crapulâ in Dominum *meum?* Quoties cerevisia aut vinum tibi funditur, dic cum Josepho: ecce hæc omnia mihi tradidit: *quomodo potero* temulentiâ & ebrietate *peccare in* Dominum *meum?* Quoties capsas vestiarias, vario vestimentorum genere oppletas intueris, aut splendidè indueris, dic cum Josepho, ecce &c. *quomodo potero* superbia aut fastu *peccare in* Dominum *meum?* Dum arcas auro & argento confertas intueris, dic cum Josepho: *ecce* Dominus *meus* &c. *quomodo possum* avaritiâ, & pauperum despectu *peccare in* Dominum *meum?* Hâc cogitatione armatus Antistes Smyrnensium Polycarpus, *c* dum exquisitis propositis tormentis urgeretur, ut Christum Dominum ejuraret, & idolo thus adoleret, intrepidè respondit: jam octoginta sex annis servivi Domino Deo meo, & nihil mihi mali fecit, quomodo ergo potero eum negando lædere, abjurare, & offendere?

a Amb. in c. 17. Lucæ.
b Gen. 39.

c Surius in vita 26. Ian.

§. II.

Quomodo nullus Dominus, nisi solus Deus, in cujus ditione cuncta sunt posita, nec est, qui possit resistere ejus voluntati. Esther c. 13.

SVperbos ac magnificos *dominandi* titulos, non tolerando fastu

ſtu mortales ſibi arrogarunt. Sapor Perſarum Rex epiſtolam, quam ad Conſtantinum Imperatorem dedit, ſic exorſus eſt: *a Rex Regum Sapor, particeps ſiderum, frater ſolis & lunæ, Conſtantino ſalutem plurimam.*

Major longè inſania exſtitit Regis Biſnagenſis *b c* qui ſalutabatur: *ſponſus bonæ ſortis, magnarum provinciarum Deus, Regum potentiſſimorum Rex, omnium equitatuum Dominus, Magiſter & Doctor loqui neſcientium, trium Imperatorum Imperator, omnium quæ videt, conquiſitor: conquiſitorum Conſervator; quem octo mundi partes metuunt: Eques, cui nemo par, & fortiſſimorum quorumque debellator, Elephantorum venator, Dominus Orientis, Auſtri, Septemtrionis, Occidentis & maris.* numquid titulorum ſatis? ſi lubet addamus elogiorum ſeriem, quam Soldanus in literis præmiſit in hunc modum. *d Salmander omnipotens ante Carthaginem, Dominus Iordanis, Dominus Orientis, Dominus Bethleem, Dominus Paradiſi, Præfectus inferni, maximus Imperator Conſtantinopoleos, Dominus ficus, Dominus quà ſol & luna meant; Protector primi ſacerdotis Ioannis; Imperator, Rex Regum, Dominus Chriſtianorum, Iudæorum, Turcarum; Amicus Deorum.* Non multò aliter Solymannus, noſtro Cæſari ſcripſit his verbis: *Carolo V. Imperatori ſemper Auguſto Belgæ, Coævus Soliman, ex victrici nobiliſſimâque Ottomannorum proſapiâ ortus, Imperator Turcarum, Rex Regum & Dominus dominantium, Imperator Trapezuntinorum, ac Conſtantinopolitanorum, Dominator mundi, & terræ domitor, &c.* quid vultis amplius? ô abjectiſſimos dominatores, veriſſimos vitiorum ac ſcelerum ſuorum ſervos, quos ubi ſupremo Domino collibitum eſt, fortunis omnibus exuere, regno ac diademate ſpoliare, ad extremam inopiam redigere, vitâ exutos, ad æternos inferorum carceres, & ſervitutem acerbiſſimam ablegare poteſt. O miſeros Dominos, qui ne pilum album, nigrum facere, qui ne guttæ pluviam cœlo elicere, aut ſolis radium evocare; qui ne herbæ incrementum dare, qui ne cubitum ſtaturæ, imò ne momentum vitæ adjicere valent. Exemplum ingens dedit Clotharius Francorum Rex, qui dum febri correptus in fatali lectulo decumberet, in has voces prorupit, *e vah, quid putatis? qualis ille Rex cœleſtis, qui ſic tam magnos reges interficit?* noſti Clothari, quis ille ſit? audi Paulum docentem: *f hic Rex regum & Dominus dominantium.*

Quiſquis mortalis Dominus hic titulos ambit, & magno impendio ditiones, ac dominia ſibi comparat, audiat Eccleſiam per orbem univerſum indies ingeminantem: *tu ſolus* Dominus, *tu ſolus altiſſimus.* ille enim ſimpliciter Dominus eſt, qui neminem ſupra ſe, omnes infra ſe habet: qui nulli ſervit, & omnibus dominatur: nam ſi ſubjicitur vel uni, licet cæteris imperet, non eſt abſolutè Dominus, ſed Dominus ſimul & ſervus; qualem ſe profitetur Euangelicus ille centurio infra

a Marcellin. l. 17.
b Iarricus tom. 1. rerum Ind.
c Nierenberg. different. æterni & temp.
d Drex. prodrom. c. 1. §. 11.
e Baron. to. 7. ann. 565. Greg. Turon. hiſt. Franc. l. 4. *f* 1 Tim. 6.

infra se habens milites, & supra se ducem ac Imperatorem, sub cujus potestate est. Secundò qui alicujus eget, non est verè Dominus, ex quo probat Augustinus Deum esse solum Dominū: *a illa quippe nostrâ servitute non indiget; nos verò dominatione illius indigemus ut operetur & custodiat nos; & ideo verus & solus est* Dominus. *nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cùm per nos, ejus adjuvaretur necessitas, sub quâ & ipse serviret. b* atque ideo ait, Deum ab æterno mundum condere noluisse, ut ostenderet se nulla creatura egere; & in illud Psalm. 69. *dixit* Domino, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges; ille, inquit, non eget nostri, nos egemus ipsius; ideo verus* Dominus. *nam tu non valde verus* Dominus *servi tui, ambo homines, ambo egentes Deo. si autem putas egere tui servum tuum; ut des panem, eges & tu servi tui, ut adjuvet labores tuos. uterque vestrum, altero vestrum indiget, itaque nullus est verè* Dominus. Accedit nullum posse dici Dominum rei, quam alter pro arbitrio illi eripere, destruere ac annihilare potest. Quod morali documento pulchrè Philo in illud Levit. *quia terra mea est, c* probat Deum solum rerum omnium esse Dominum ac possessorem; homines verò earum tantùm habere usumfructum ad vitam, non autem dominium: hinc liquet ait, *nos alienis uti possessionibus, nec gloriam, nec divitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidpiam vel corporis, vel animi proprium, nec ipsa quidem, quasi hac juris & dominii nostri sint, possidemus; sed usumfructum, dum vivimus, habemus solùm;* Dominium juxta supremum Dominum est: ubi observa prædia, feuda, ac fundos hæreditarios, passim *leen, leen-goederen* vocitari. quasi bona ad usum concessa ac mutuata. *Sæpe risi,* inquit Chrysostomus, *d legens testamenta dicentia: ille quidem agrorum, & domorum* Dominium *habeat; usum verò alius:* cum omnes dumtaxat usum habeamus, dominium nemo. velimus, nolimus, aliis cedemus. quo quidem sensu dixit Horatius, irridens eos, qui secus opinantur & loquuntur. *e*

——— tamquam
Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema
Permutet Dominus, *& cedat in altera jura.*
Sic quia perpetuum nulli datur usus, & heres
Heredem alterius, velut unda supervenit undam.

Patet, nulli dominium, sed usum, eumque brevissimum competere, *f g* Quare vir Ecclesiasticus vitæ integræ ac famæ laudabilis, in funere comitis Hollandiæ, Domini sui, panegyrim ad populum habens rectè dicebat: Dominus *noster comes Hollandiæ mortuus est, Charissimi, orate pro eo. fuit hìc parvo & brevissimo tempore habens aliquos ususfructus & reditus annuos, quos jam amisit, & secum sumere non potuit. si modò haberet aliqua manentia*

a Aug. l. 8. de Genesi ad litt. c. 11.
b Lib. 12. de civit. c. 17.
c V. Corn. in Levit. c. 25. v. 23.
d Chrysost. hom. 2. ad pop.
e Horat. l. 2. ep. 2.
f Thomas à Kemp. in hospitali paup.
g Marchant. Dom. 8. post. Pent.

manentia hereditaria bona, maximè ipsi convenirent. Hæc cogitatio cristas arrogantię dejicit, hæc elati spiritus alas succidit, hæc Dominos mundi, multis titulis pagorum ac prædiorum illustres, in conspectu altissimi, demissionem, obsequium, & servitutem docet.

Insignia Toparcharum ac dominorum per Flandriam, Hannoniam & Artesiam consului, & vel ex etymo colligere est, quàm nullius stabilè dominium: unus Dominus *de la Tour.* Alter Dominus de *Rolleghen.* Dominus in *Meenen.* Dominus de *Sottegen*, quorum, qui se verum Dominum jactat, timendum ne audiat: *a stulte hac nocte.* Vis scire unde veri Domini? *Dominus de la fosse.* Dominus de *Kerckhove.* Dominus *de Beau rien* &c. hæc quisquis in animum dimiserit, quantumvis multis terris & regionibus dominetur, dicet cum Propheta: *b O Domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

c Rex Ptolomæus semel Indum unum ex 72. interpretibus rogavit: *quid sibi optimum in vitâ sit?* respondit ille: *si cognoscas, quoniam Deus mortalibus dominetur.* optimum enim est *subditum esse Deo, & d mortalem non paria Deo sentire*, in cujus manu, regna & titulos dare ac eripere.

Elegit Deus Davidem opilionem, in Regem Israëli: Samuel Eliabum à statura, & vultu probatum, extemplo unxisset in Regem, sed prohibens Deus: *e abjeci eum*, inquit, ne *respicias vultum ejus.* quid causæ Domine? cur obsecro mi Deus abjecisti virum regno tam dignum? ut constet ejus solius nutu pendere, conditione humiles, an sublimes simus. tam nihil promeritorum potest jactare, qui Princeps, qui Rex aut Cæsar nascitur, quàm qui mendicus aut mancipium. non opus ipse peccaverit, aut parentes ejus. Honores Deus, & opes, cæteraque vitæ illustriora commoda dignis indignisque, promiscuè dilargitur, cuique dividit sua dona; prout vult; ut meritò Rex magnus exclamet: *f quis sicut Dominus noster? suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus. Ita elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium.* ita quotidie hunc eligit senatorem, illum sartorem, hunc Crœsum, istum vult Irum. suâ quisque sorte contentus vivat, prout ei Dominus conferre placuit.

g Sigismundo Imperatori annis compluribus famulus fuit, qui sæpiusculè sorti suæ gravissimè indignabatur: *h* rem indignam esse, servos optimè meritos, tam parum liberaliter haberi; in eos tantùm spargi munera, qui jam antea opibus affluerent, cæteros tot annorum servitio exhaustos, vix ullis unquam munusculis hilarari: præposteram hanc esse liberalitatem, quæ in vasa jam plena se effunderet. Inaudiit Cæsar se ab aliquo suorum perstringi: ut ergo dicacitatem hominis mitissimâ objurgatione corrigeret, & os satis importunum obstrueret,

a Luc. 12. *b* Psal. 115.
c Beyerlinck theatr. tit. Deus.
d 2. Mach. 9.
e 1. Reg. 16.

f Psal. 112. *g* Casp. Peuc. in Chron.
h Drex. de conform. volunt. l. 5. c. 12. §. 5.

strueret, hoc ingeniosè commentus est: pixides duas parari jussit consimilis omnino formæ ac magnitudinis; & illam quidem auro, hanc plumbo impleri, pari tamen pondere præcepit. Jamque accersitum hominem humanius affatus: ut scias, inquit, non mihi benefaciendi animum, sed tibi gratiam accipiendi beneficia defuisse, en tibi duas has pixides, utramque plenam, unam auro, plumbo alteram, tu jam liberrimè quam velis, elige; alterutra tua est: ea enim quam abdicaveris, proximo cuique dabitur. Ergò age, res tui arbitrii est. Hic miser æstuare modò hanc, modò illam pixidem curiosissimè contemplari, jamque istius, jam & alterius pondus manu explorare, sed æquissimum deprehendere, nec ullum auri aut plumbi vestigium reperire. Sic incertus & anxius diu deliberare, & nihil magis quàm plumbeam paupertatem perhorrescere. Arrecto demum animo, velut si auream fortunam jam manu teneret: Augustissime Imperator, inquit, hanc retinebo. retine bis ait Cæsar hanc ipsam, & tibi gratias ages si potuisti non errare. Protinus aperta est pixis, quæ cum plumbum exhiberet, Imperator occasionem nactus; vides, inquit, tuæ paupertatis causam mi homo, non mihi, sed divinæ providentiæ adscribendam? hîc tibi non Cæsaris, sed supremi Domini voluntas defuit; si is annuisset, te divitem effecisset. quod magnus ille Imperator & Dominus vult, hoc fieri necesse est, ut verissimè Augustinus: *a Nihil fit in istâ totius creaturæ amplissimâ quadam immensâque Republicâ, quod non de summi Imperatoris aulâ aut jubeatur aut permittatur.* Quare qui miratur hunc principem, hunc servum, hunc nobilem, hunc agrestem, hunc divitem, hunc inopem, hunc doctum, hunc fatuum; descendat cum Hieremiâ in *domum figuli*, in hac officinâ noscet, in hac scholâ discet: *b ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu meâ.* Sicut enim lutum non potest dicere: cur me fecisti sic, nec nos Deo dicere possumus, cur nos fecisti pauperes, ignobiles, rudes, infirmos; illos verò divites, nobiles, sapientes, validos, & fortes? cur verò Jacob elegerit, Esau odio habuerit: cur unum latronem in gratiam receperit, non alterum; cur Petro dederit gratiam, quam vidit fore efficacem, non Iudæ, dicemus Dom. 19. ubi de prædest. Pluribus hoc dominium Dei explicat Apostolus, similitudine eâdem juris, quod figulus habet in vas fictile: ô homo tu *quis es, qui respondeas Deo?* id est, qui à Deo factorum rationem exigas? *c numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* ubi ostendit manifestè Deum habere tantum juris & potestatis in singulos homines, quantum figulus in vasa fictilia: imò longè perfectius, ut doctè Lessius ostendit. *d* unde sicut figulus potest vas fictile efformare capax, elegans,

a Aug. in sent. apud S. Proph.

b Hierem. c. 18.
c Ad Rom. 9.
d De perf. divi. l. 10. c. 3. n. 19.

politum

positum ut mensæ regiæ imponatur; amphoras, quæ vino, balsamo, aliisque pretiosis liquoribus serviant; sic & alios urceos effingere potest, quæ ad alia infima & sordida ministeria serviant: ollas, quæ coquendis cibis igni imponantur: & uti hæc, & illa conservare, ita & frangere, & abjicere potest; nec potest ullum vas conqueri de injuriâ, aut dicere, cur sic mecum agis? ita, inquit gravis Theologus, Deus in singulos homines, imò in omnes creaturas jus habet, ut eas conservet, vel perimat, & in nihilum redigat, iis utatur ad splendida vel ad abjecta; omnes prosperis, vel exerceat adversis. nec quisquam potest queri de injuriâ, aut rationem factorum exigere, cum & creatura omnis à Deo magis dependeat, quàm lumen à candelâ, radii à sole, intellectio & volitio ab animâ, visio ab oculo: & sicut pondus in aëre suspensum assiduè teneri debet, & si vel ad ictum oculi dimittatur sibi, deorsum ruit: ita tota creaturarum universitas omnipotenti dexterâ tuâ continuò in esse, & naturâ teneri debet, ut si vel ad momentum laxaveris manum tuam, statim in nihilum suum corruet, & velut umbra peribit. Ac proinde ratione summæ hujus dependentiæ creationis, ac conservationis, dominium Dei in nos perfectissimum existere quis ambigat? *a* „ sicut enim omnia ab ipso es„ sentialiter dependent, ita quo„ que essentialiter ei subjecta „ sunt; quò autem magis est ali„ cui subjectum & ab eo depen„ dens, eò majus jus & dominium hoc in illud habet: sic „ homo majus dominium habet „ in actiones sibi subjectas &c. „

a Less. c. 1. & c. 3.

Felix itaque & ter felix, qui se totum uni omnium Domino mancipavit, illud regii psaltis usurpando: *b O Domine, ego servus tuus.* atque hoc servus ille cœlesti Domino carior, quò rarior: Etenim ut Ambrosius observat: *c facilis vox & communis videtur, sed paucorum est: satis enim rarus, qui potest Deo dicere, tuus sum.* totus quantus sum, tuus sum, & omnia mea tua sunt, facilis vox & communis videtur: totus tuus sum, *sed voce non corde* vester servus, id omnes literæ loquuntur: at si verbo læsus sit, si adversitatis turbo irruerit, passiones totum sibi subdunt: *d venit ira & dicit, meus est: venit tristitia & dicit, meus est.* atque adeò toties dominos mutat, quoties suis subditur passionibus. unde rectè concludit Ambrosius: *qui plures Dominos habet, non potest uni dicere: Domine Iesu, tuus sum.*

Sed posthac inter paucos censeri volo, atque dum vivam, tam in prosperis quàm adversis identidem ingeminabo: *ô Domine ego servus tuus.* unde tametsi certissimè possis me mundare, si aliter visum Domino meo, ac Deo meo, fiat ex Domini voluntate. Quin imò, si confirmatam hactenus per annos plures, per omnem vitam auferre placeat sanitatem, dicam ex animo: *e Dominus dedit, Dominus abstulit.*

b Psal. 115.
c Amb. in Psal. 118. serm. 12.
d Ambr. cit.
e Iob 1.

§. III.

Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Job 1.

POtentissimus ille vir, cui erant *septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta quoque juga boum, & quingenta asinæ, ac familia multa nimis*, horum omnium se usumfructum, supremum verò dominium apud Dominum universorum collocatum sciebat; hinc ubi nuntio uni loquenti, alter & tertius & quartus supervenit, & boves & asinas & camelos & oves & pueros ab hostibus erepta, ac igni cœlitus immisso consumpta omnia audivit, ac denique omnes filias ac filios turbine irruente, ruinâ domus oppressos percepit; hoc aureo pronuntiato fidelis servus supremum dominium agnovit, dicens: *a Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est.* Columnam habetis, quæ vos inter omnia adversa inconcussos ac instabiles reddat. Si filiam aut filium unigenitum eripi contingat, hoc in promptu sit: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Si turbo aut grando frugibus calamitatem inferat, *Sicut Domino placuit, ita factum est.* Si miles agros vastet, prædia & horrea incendat: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* In hoc Iobum æmulatus. S. Remigius Rhemensis Præsul: præviderat hic maximam annonæ caritatem in annum proximum; eam ob rem, magnam frumenti copiam collegit alendæ plebi. At ex his ipsis, quorum bono id facere vir sanctus constituit, homines potulenti & projectæ audaciæ fuerunt, qui inter pocula dicerent: Senex noster Iubilæus (erat jam ultra quinquaginta annos Sacerdos) ecquid in animo habet? an novam urbem condere? quid sibi volunt tot acervi tritici? annonam videtur velle comprimere. His invidiæ facibus incensi, foras provolant, ignem horreis subjiciunt: videamus (inquiunt) quàm avidè famelicam Vulcanus Cererem sit devoraturus. Audacissimum hoc facinus, mox celeri nuntio ad Rhemigium Antistitem defertur: ille continuò equum ascendit, & omni festinatione pergit ad incensos tritici manipulos. At ubi advenit, jam flammæ per omne frumentum se diffuderant, nullâ vi amplius sopiendæ. Quid hic faceret afflictissimus Præsul? num se harum rerum dominum mœrore conficere, aut insanè lamentari, aut diras omnes in auctores deprecari pergeret? Hoc fecit, equo descendit, & quia hyems erat, incendium quà proximè licuit, tamquam se calefacturus accessit, dixitque: *Semper bonus est focus, præsertim seni.* Et illud Iobi serenâ fronte repetiit: *b Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.*

Domus tua incendio deflagrat, non tantùm omnia tua pereunt; sed & teipsum perdis: questibus & ejulatibus reples omnia, mortem tibi imprecaris, & penè etiam infers. O fœdam & imbecillem in homine Christiano ignaviam! Sanctius illi & fortius, qui & domo & omnibus

a Iob. 1.

b Iob. 1.

amissis,

amissis, Domino gratias agunt, qui dedit; & in summo bono spem reponunt. *a* Non multis abhinc annis eximius Iuvenis Dolæ, è Parthenico Beatæ Virginis cœtu, cum ex agro reversus, & domum & quidquid in eâ chari aut pretiosi habuerat, fortuito incendio absumi vidisset, consilii non inops, mox in genua procumbens: *b Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.*

Fuit qui equum alterius usibus commodavit per hebdomadam, per mensem, per annum: tandem absente amico, equum repetiit & reduxit. Quærit hic iter facturus, ubi equus? respondit famulus, *Dominus abstulit.* quid habet hic, quod conqueratur? An injuriarum illum arcessere audeat, cui gratiæ amplissimæ debentur? Si Deus subtrahat ea, quæ alioqui solitus est concedere, victum, valetudinem, facultates; atque ideo quis talia sibi adempta conqueratur; justissimè Deus responderit: nihil tibi debeo, quod hactenus dederim; tu merissimam noris gratiam, dona mea sunt gratuita: nunc illa subtraho, ut scias à me fuisse, nec me quidquam tibi obligatum. Hactenus in te liberalis fui, si nolim esse ampliùs, quâ lege contra me ages? *c An non licet mihi, quod volo, facere? amice, non facio tibi injuriam.* Hanc Domini nostri æquitatem Augustinus explicans: *d* subtrahit *nobis aliquando, inquit, quæ necessaria sunt; & atterit nos, ut sciamus, quia Pater & Dominus est.*

a Drex. rosa virt. p. 1. c. 13. §. 7.
b Iob 1.
c Matth. 20.
d Aug. in Psal. 62.

Pater liberaliter donans, & Dominus pro arbitrio repetens. Fatale Regis Assueri edictum Mardochæus audiverat, quo omnis populus Iudaicus à minimo ad maximum ferro aut flammis perimendus erat, quid agat? orationem famuli Dei audite: *e O Domine Rex omnipotens! In ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere tuæ voluntati. Dominus omnium es.* Dominus vitæ & mortis es, tu mortificas & vivificas, in manu tuâ sunt omnia. Novi virum aspirante fortunâ prædivitem, postea jactatum ob debita, in carcerem conjectum, vitæ ereptum, omnia fisco addicta; quid hîc agat uxor? *f* Franciscam Romanam imitetur, quæ " post viri exilium, bonorum ja- " cturam, ac universæ domus " mœrorem, non modò constan- " tissimè toleravit; sed gratias a- " gens cum beato Iob, illud fre- " quenter usurpabat: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sit nomen Domini benedictum.*

Similitudinem ab ancillâ petamus: hæc ut moris est, cùm sub solennia cubile expurgasset, non modò mensas ac sedilia, sed & pavimentum tersum ac politum reddidisset; postliminio reversa, lutulentis pedibus omnia sordidata conspiciens, tumultuari in pueros petulcos ac petulantes, protervas voces conjicere, rixari; dum Paterfamilias dissidium heram inter & ancillam percipiens, ubi statum quæstionis agnovit: ego, inquit, aliquos amicos isthuc induxi. quid ubi altercandum? hîc ancilla sibi ignosci petit, dicens: nesciebam Dominum illic

e Esther c. 3. *f* Brev. Rom.

 fuisse,

fuisse, & ilicò conquiescit, quia Dominus fecit. Nunc quæro cur filia indignatur, dum formæ venustatem ac pulchritudinem omnem Dominus variolis, gangrenâ, aliove morbo aut malo deturpat? Recordetur quia Dominus est. Formam *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Atque ita in adversis omnibus sentiendum est, *a si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit* (peccatum si exceperis) quare quidquid adversitatis evenerit, scias à Domino volente vel permittente fieri. Augustinus hoc adstruens *b* *Non fit aliquid*, inquit, *nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Quare si bellum irruat, *Dominus est:* si paupertas quasi vir armatus ædes irrumpat, *Dominus est:* si agmen morborum te tuosque invadat, *Dominus est:* si tempestas exurgat, tuas merces mari demergat, & naufragio deperdat, *Dominus est.* In quo nihil illustrius, quàm quod de potentissimo Hispaniarum Rege Philippo Secundo annales commemorant: *c* qualem hic, quàm vastam, quàm instructam classem adornarit, ex apparatu colligere est: quadriennium integrum in classis hujus fabricam variis in provinciis labor incubuit: Antverpiæ, Dunkercæ, Slusæ tanto studio ædificatum, ut ne noctu quidem, aut sacratis diebus operæ intermitterent. Missi quoque Gedanum conquisitores emendis ratibus; nec segniùs in Hispaniâ puppes, sociosque navales Rex collegerat. Naves quæ ex Hispaniâ solverant, quinque & quadraginta supra centenas erant: ex eo numero centum & decem armatæ, nonnullæ septingentarum eòque amplius vehium, cæteræ commeatus ac necessitatum alia subvehebant; hominum aliæ octingentos, millenos aliæ, tormenta verò duplici ordine quadraginta aut quinquaginta, quorum in universum millia duo & quingenta promiscuæ magnitudinis. Profectò non densior hispidiorque sentibus suis histrix adversus circumlatrantes canes instruitur, quàm crebra hæc tormentis, & minax moles, suis undique missilibus communiebatur. Adhæc nautæ, navalesque socii septem millia & quadringenti, quadraginta novem. Militum octodecim millia & octingenti quinquaginta septem. Præterea dynastæ proceresque Hispani ducenti atque viginti. Milites voluntarii trecenti, quinquaginta quatuor, cum horum famulis servitiisque sexcentis viginti quatuor. Denique ex Religiosis familiis Sacerdotes, quique aut ad ægros curandos, aut ad militum licentiam manus injectione coërcendam, aut ad alia classis ministeria adhiberi solent, sexcenti sexaginta novem. Atque adeò in classe navigabant homines, viginti octo millia ac ducenti nonaginta tres. Naves ipsæ & altitudine & robore castellis pares, ligna quinum in crassitudinem palmorum, contra quamvis communium tormentorum injuriam. Ex indice Maduli evulgato constat, in classe fuisse ad quatuordecim mille centum & septuaginta cados vini. Cætera hinc conjectare in arduo non est. Senum mensium annona

a Amos 3. *b* Aug. in Enchirid. c. 96.
c Strad. decas 2. an. 1588. D. A. Burgund. mundi lapis lyd. c. 44.

annona universæ classi provisa. Armorum quoque, præter quæ miles quisque gestabat, ingens vis ad quemvis casum. Tuborum longiorum millia septem, breviorum mille; hastæ altiores & bipennes totidem: ligones & quodvis instrumentum pro fossoribus septingentis congesta erant. Currus præterea, carri, funes, terebræ & quæcumque necessaria aut erant, aut videri poterant. Dum tanta hæc moles, tertiâ Septembris die, exortâ repentè tempestate circa Hiberniam adeò disjecta, dissipata, hausta est, ut dierum dumtaxat binûm spatio, duæ supra triginta perierint, amissis ad millia decem hominibus. Cæteræ in Nortwegiam, aliæ aliò delatæ; quædam longè adeò profectæ, ut ne famâ quidem umquam, quidquid de iis compertum sit. Sed quid ad hæc tanti moliminis caput & Princeps Philippus: *In homines*, inquit, *armaveram, non in Deum; & verò ex animo ago gratias divinæ Majestati, cujus à liberali manu tantùm potentiæ, viriumque circumdatum mihi video, ut aliam rursus in mare classem educere, non dubiè possim. Neque multum referre arbitror, quòd aqua decurrens aliquando intercipiatur, dummodo fons, ex quo fluxerit, salvus sit.* His dictis calamum resumit, & eâdem quâ cœperat tranquillitate vultus, ad scribendum redit. Nihil de iis quæ *Dominus abstulit* commotus; de iis verò quæ reservârat, & *Dominus dedit*, gratias egit.

Documento & nobis relicto, si Dominus multa auferat, uti eum jure suo: gratias illi agendas esse, quòd aliquid nobis relinquat. Quare concludo cum Hieronymo, qui illud Psalmi; *Subditus esto Domino*: sic vertit: *Tace Domino*, ne tumultueris, vel te opponas Dei imperio, sed patienter feras, quidquid accidat ab eo.

§. IV.

Servite Domino in timore & amore. Psal. 2.

SOcordiam, imò perfidiam hîc nostram acerrimè perstringit Cyprianus: *a ipse de servo tuo exigis servitium, & nisi pro arbitrio serviatur, flagellis verberas, fame & siti & carcere affligis, ac crucias: & non agnoscis* Dominum *Deum tuum, cum sic exerceas dominatum.* Enumeravi suprà servos, *b* ob capum malè assum, ob levem injuriam, ob vitrum fractum, morte mulctatos fuisse; *c calix frangitur, mensa subvertitur, verba resonant, & aqua tepidior sanguine vindicatur:* tu verò cum indies gravissimis sceleribus, & flagitiis divinas leges & jura violas, *non agnoscis* Dominum *Deum tuum, cùm sic exerceas dominatum.* Si supremus Dominus ita in te animadverteret, quemadmodum tu in servos tuos, in pœnas non satis unus esses. vel hujus Domini nomen, adeò terribile S. Iuliano Anachoretæ fuit, ut S. Ephrem referat, cùm ex opportunitate Iuliani codicem in manus sumpsisset, in quaque paginâ verba aliquot deleta advertit; hâc super re Iulianum percunctatus, quid codicem adeò corrupisset, & verbis aliquot erasis imperfectum sensum reliquisset? ingenuè fas-

a Cyprian. l. 4. epist. 9.
b V. parte 1. Dom. Sexag. §. 2.
c Hieron. epist. 22.

sus, omnibus hisce locis exaratum fuisse nomen *Domini*, quod quoties legeret, lachrymis aspergeret tam ubertim, ut prorsus delerit. quàm promptum, quàm expeditum, quàm molestum à tuis exigis famulatum? & cùm servos conditionis humanæ, tui consimiles (nisi quod Deo fortè gratiores) tibi velis obsequentes: cur tu Domino tam segniter ac otiosè obtemperas? Hoc S. Ignatius dicto, *a* ruborem fratri incussit: quem cum fortè segnius in opere manuali deprehendisset: cui, inquit, servis frater, cui Domino hoc opus famulatur? cumque ille Deo Domino respondisset, subjecit Ignatius: si humano Domino adeò segniter servires, tolerandum esset; at summus ille Dominus aliud à nobis obsequium jure suo sibi deposcit; etenim si *b Dominus ego sim, ubi est timor meus?* ubi famulatus? ubi servitium? ubi observantia præceptorum? Lugendum, inquit Chrysostomus, & *verè lugendum est, præsentis vitæ tempus.* ut quid hoc sanctissime Præsul? si *ethnicus perturbationem præceptorum Christi videret, nescio an ullos alios ita contrarios præceptis judicaret?* si ethnicus aut idololatra leges Domini Dei nostri videret, & nihilominus luxum vestium, temulentiam, libidinem Christianorum cognosceret, profectò Turcas sui Alcorani, aliosque barbaros legum ac rituum suorum longè Religiosiores fateretur. quàm dura, quàm ardua præcepta, quàm difficile observatu, reges ac Domini terreni suis subditis imponunt? Dominus noster. Quàm levia, quàm amplâ mercede propositâ? ancilla, famulus ob levem culpam domo exturbatur, quid ni Deus nos cœlo? *c* Guilielmus Dux Saxoniæ in aulâ habebat hominem vetustæ stirpis, qui vestem, prout nunc ferè mos, gestabat; hunc Princeps affatus, ne recuset gratificari: Sartorem adi, & ex optimo panno te jube meo sumptu, sed more meo vestiri, & scissas has vestes depone; at ille: cur non, inquit, illustrissime Princeps, pro meo me arbitrio vestiam? & cur, inquit Princeps, pro meo te arbitrio non aulâ submoveam? Potiori jure, supremus Dominus: tu tuo te arbitrio superbè convestire, tuo arbitrio lascivire, tuo te arbitrio ingurgitare, mandata mea præterire non vereris; cur pro meo te arbitrio non aulâ hac meâ cœlesti exturbem, quam tanto pretio tibi comparavi? Quod ne contingat, illi Domino nos totos, corpus & animam, omniaque nostra in perpetuum mancipemus, qui ut toti sui essemus, tanti nos emit. Quod pro epilogo inculcat S. Hildebertus, in prosâ de natali Domini: *sexta feria fortiter dimicavit: prima sabbathi triumphavit. sub his armis actum est pro caussa tua, pugnatum pro libertate tua, triumphatum pro gloria tua. quid itaque reddes huic advocato tuo, pro tam magno negotio tuo? magnum quidem est pretium, quod impendit pro te, sed parabile est, & ad manum habes, quod postulat à te: postulat enim ne auferas ei jus suum, postulat ne alieno* Domino *aßignes servum suum. jus ipsius*

a Ribad. in vita 31. Iulii.
b Malac. 1.

c Drexel. Trismegistus c. 11. §. 3.

animæ

anima tua est, servus illius corpus tuum est: jus suum fecit animam tuam, quando pro eâ posuit animam suam. Servum suum fecit corpus tuum, quando pro eo in mortem tradidit corpus suum; tanto sibi comparavit totum te(ut totus totis membris ei servias.) *Attende igitur, quid exigat à spiritu tuo, quid à corpore tuo; utraque servo suo. dilige eum ex toto corde tuo, & solutum est, quod exigit à spiritu tuo. impende totum te membris suis, & solutum est, quod exigit à membris tuis. Caligaverunt in morte oculi sui, ut averterentur, ne viderent vanitatem oculi vagi, oculi tui. conviciisque & blasphemiis patuerunt aures suæ, ut non obturarentur, sed paterent ad clamorem pauperis, aures surdæ, aures tuæ. felle & aceto potatum est os suum, ut loqueretur veritatem & judicium, os mendax, os tuum. extensæ sunt in cruce manus suæ, ut extenderentur inopi, manus contractæ, manus tuæ. confixi sunt clavis pedes sui, ut dirigerentur in semitas rectas, pedes distorti, pedes tui. angustias mortis pertulit corpus suum totum, ut hujus corporis membrum fieret putridum corpus tuum. ecce, quæ Domino Deo placent in te, pro quibus emit te, quæ postulat à te.*

Fecit hoc integerrimus Domini famulus Franciscus, a qui omnes corporis, animique facultates, sensus omnes, totumque se ejus servitio tantâ observantiâ mancipavit, ut vel *nomen Domini* sui in schedulâ repertum non modò attolleret ac veneraretur, sed insuper non servili, sed filiali amore ad extremum spiritum promptissimè illi Domino obsequeretur. Ita nolim vos servili timore in obsequium Domini illius flectere, quem regius psaltes omni bonitate, suavitate ac mansuetudine eximium deprædicavit: ut rectè antonomasticos, *lieven Heer* nuncupetur.

b *Quoniam tu Domine suavis & mitis.*

c *Quoniam suavis est* Dominus.

d *Suavis* Dominus *universis.*

e *Confitemini* Domino, *quoniam bonus.*

f *Laudate* Dominum, *quoniam bonus.*

g *Gustate & videte, quoniam suavis est* Dominus.

cujus vel nudum nomen seraphico Francisco, omni melle, ac saccharo suavius. de eo enim refert D. Bonaventura, cum *nomen Domini* (nam de nomine JESU postea agit) in psalmis occurreret, *præ suavitatis dulcedine labia sua lingere videbatur.* Talem denique sibi suavissimum expertus, & nobis futurum describit Ambrosius, dum in extremâ cum morte luctâ, fiduciâ bonitatis ejus fretus exclamavit: *Mori non timeo, quia bonum Dominum habemus.*

a Bonav. in vitâ.

b Psal. 85. c Psal. 99.
d Psal. 144. e Psal. 105.
f Psal. 134. g Psal. 33.

EMBLE-

Motus magnus factus est. Matth. 8.



[a] NEC MORA NEC REQUIES

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

MOTUS MAGNUS, quin imò perpetuus peccatoris conſcientiam exagitat, quæ operoſi inſtar horologii noctes dieſque interturbat, nec ſinit conquieſcere.

§. I. *Ac primùm quidem ut graves horologio malleorum ictus, ita conſcientia peccatorem aſſiduo verbere pulſat, & graviſſimos ictus infligit.*

§. II. *Atque ut ferrati dentes hoc inquietant & rodunt, haud aliter,* [b] vermis eorum non moritur, *qui vivis dentibus conſcientiam arrodit.*

§. III. *Hæc denique machina quandoque inſperatò viros armatos, variaſque larvas exhibet : at, quod longè terribilius :* [c] perſonæ triſtes illis apparentes pavorem præſtabunt.

a Virg. 5. Æneid. b Marci 9. c Sap. 7.

DOMI-

DOMINICA QUARTA POST EPIPHANIAM.

Motus magnus factus est. Matth. 8.

NEmo quisquam, ut ego quidem censeo, hîc exspectat, ut de materiali aut physico maris motu dictionem instituam, *a sed ut convenienter sub quâdam metaphorâ* motum maris ad motum mentis traducam: *motus* quippe *magnus factus est*, inquit S. Thomas, *b quia commota sunt mentes.* Quod ad propositum nostrum divinus vates illustravit, dum conscientiam & cor impii *c mare fervens quod quiescere non potest*, appellavit. Quemadmodum enim, inquit Dionysius Carthus. *d* Mare tempestuosum & fervens, inquietum, turbulentum & subversivum est navigantium: sic homines pravi & *Impii* semper turbulenti sunt corde & animo inquieti.

Verùm enim verò ne hæc ab extremo mari longior petita similitudo videatur, nec omnes mare viderint, aut indies oculis animoque obversetur, in horologio quod omnium oculis auribusque percipitur, & plures etjam circumferunt, perturbatæ Conscientiæ, ac animi inquieti motum magnum, nec non perpetuum comprobo.

In horologio quopiam, quid non rotarum, quid non malleorum, quid non funium, quid non ferratorum dentium, quid non aggravantis ponderis? diu noctuque *e nec mora, nec requies*, motus perpetuus; sic tamen ut omnes malleorum ictus, rotarum circumvolutiones, ferratorum dentium collisionem ac stridorem, sonum campanarum, motum omnem, unum infernè grave pondus impendens exagitet. Hoc inquieti animi vivum Symbolum, reæ conscientiæ verum simulachrum est: unde David queritur: *f non est sanitas in carne meâ à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis, miser factus sum & curvatus, usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.* Causam nostis, cur omnia hæc mala unum Davidem exagitent? Pondus peccati considera: *quoniam* inquit *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Hinc fit ut peccator factus sit sibimetipsi gravis, ac primò quidem.

a S. Thom. in Marc. c. 4.
b S. Thom. in Matth. c. 8. *c* Isa. 57.
d Dionys. Carth. in Isa. 57. art. 58.

e 5. Æneid. *f* Psal. 37.

§. I.

Conscientia peccatorem assiduo verbere exagitat, & acerbissimos ictus infligit.

DE conscientiâ dixit è scriptoribus profanis unus aliquis: *g ante peccatum est frænum, post peccatum est flagrum.* Sacri vatis oraculum est: *multa flagella peccatoris.* Inter hæc autem flagella à Doctoribus numeratur mala conscientia, quasi

g Seneca Epist. 97. Psal. 31.

continuò tot ictus infligens, quot pudoribus, mœroribus, timoribus exercetur. a Xenophon sentit *pudorem & conscientiam*, potentissima ac præsentissima esse facinorosorum hominum flagella. Ambrosius hunc noxium tortorem assiduò verberantem, è noxis nasci solitum asserit: b *unusquisque*, inquit, *suis peccatis flagellatur: gravia enim delictorum pondera, gravia criminum verbera, sicut onus gravantur grave, & infligunt animæ cruciatus.* Obtingit itaque non paucis facinorosis talis ultio, qualis Heliodorum templi Hierosolymitani expilatorem obruit. 2 Mach. 3. *circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant sine intermissione, multis plagis verberantes.* Ita passim vapulant à domestico carnifice, graviùs in animo, quàm rei in cute. Chrysostomus conc. 4. de Lazaro: *scortator, adulter, aut fur non modò cùm accusatur ipse, verùm etiam cùm audit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi: alius quidem vocatur in jus, hic verè flagellatur:* quia quod reo carnifex, id peccatori est conscientia; hoc discrimine, quod ille mortale corpus feriat ac laceret, hæc immortalem animam sub flagellis, sub ictu habeat, *idque sine intermissione, motu* perpetuo; quod pœnæ genus longè acerbissimum est: quid enim acerbius effingi, quàm c

Nocte dieque suum gestare in pectore testem,
Occultum quatiente animo tortore flagellum?

Severos Catones, rigidos Rhadamantes, quandoque pueris ipsi parentes pædagogos præficiunt; sed ubi adoleverint, aliquando ferulæ manum subducunt; ejusmodi Pædagogum etiam viris, & senibus Deus præfecit. Epictetum audi: *Parentes nos pueros pædagogo, Deus autem jam viros conscientiæ custodiendos tradit.* Hic opportunè arguit, increpat, corripit, corrigit, monet, minatur, flagellat assiduò; quid ni animus semper trepidet, nusquam quietus, *semper in motu*, semper in metu?

Nesciebat justus homo, quid esset timere, quid esset tremere, quid esset motus perturbatæ conscientiæ: injustus didicit magistrâ conscientiâ, quæ Deo ambulanti ad auram post meridiem, & quærenti, d *Adam, ubi es?* respondit: *vocem tuam audivi in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* suavis erat, amica erat, & vox Dei paterna: paradisus erat sedes voluptatis, nec in eo accusator aut judex auditus; ad duas tamen illas voces blandulas: *ubi es?* quasi fulmine ictus tremit, fugit, abscondit se; causam rogatus, hanc prætexit: *quia nudus eram.* Falleris; heu falleris, non quia nudus eras, sed quia peccator eras, & quia pædagogus ille importunus instanter accusabat, redarguebat, increpabat. Chrysostomus: e *quare dic oro, quare timuit? quoniam videbat sibi trucem stare accusatorem, conscientiam dico; neque enim alium objurgatorem habebat, & testem peccatorum, quam unicum illum, quem intrinsecus circumferebat.* Ab isto Pædagogo, ab illo truci accusato-

a Xenophon. 5. Cyropæd.
b Ambros. in Psal. 104. c Iuven. Sat. 13.
d Gen. 3. e Chrysost. hom. 17. in Gen.

re timere doctus, & omnes posteri didicêre. Gen. 4. ubi crudeli fratricidio Cain sceleravit manus, timor & tremor venerunt super eum. *Vagus & profugus* excessit in terram *Eden*, hoc est; interprete Hieronymo, in terram instabilem, fluctuantem. Tremulus erat pes, tremula magis conscientia; verè *motus magnus* in animo illius erat, in quo nulla requies, cui solum ipsum tremere, & fundamenta terræ nutare videntur: & profugus quocunque fugit, nusquam sedem stabilem, nusquam perfugium reperit. Philosophus ita de homine impio: *a multis se modis semper fugit, sed quid prodest, si non effugit? sequitur ipse & urget gravissimus comes*, velis, remis, equis, rhedis aufugias, *post equitem sedet atra cura.*

b Annis abhinc non multis vir locuples ac potens, facinus quoddam admiserat, quod prodere & confessarii auribus committere morte & damnatione pejus ducebat; agitabat tamen mens hominem, & conscientia ad virus evomendum exstimulabat. Inaudierat fortè Antverpiæ pro concione, neminem teneri ea peccata confiteri, quæ memoriâ exciderant: hinc nihil non molitus, ut peccatum illud è memoriâ proscriberet. Ivit per varia voluptatum genera, scelera sceleribus accumulans, vel ut antiquum illud obrueret, vel ut novis conscientiæ tumultibus, vetus ille tumultus, quasi clavus clavo pelleretur. Sed frustra omnia. Abit in exteras Regiones, quasi seipsum relicturus esset in Belgio, *sed cœlum non animum mutat, qui trans mare currit.*

Igitur animum fluctuantem ad studia appellit, quæ totum hominem petunt, ut sunt Mathematicæ, astrologicæ, & his affines disciplinæ, sed & hæc frustra. Audit tandem peccata contritione deleri, & ad opera bona tamquam ad sacram anchoram confugit, dormit in cinere & cilicio, multa in pauperes erogat: nec sic animus conquiescit. Quid agat? quo portu fluctuantis animi jactatio desæviet? non alio quàm fœdæ mortis interitu. Itaque rhedam conscendit: domum, quam funestæ tragœdiæ locum designarat, repetit, occurrit de viâ è nostris patribus unus aliquis, quem ex rhedâ conspicatus, rogat, ut currum conscenderet, vincitque recusantem importunitate. Pater de Deo, divinisque rebus sermonem injecit, & inter cætera ad confessionem dilapsus est; tetigit ea hominis ulcus, qui stomachabundus, quid ais, inquit? unde me nosti? cui pater, nusquam, inquit, te vidi, sed nos de more ejusmodi sermones miscere solemus; & si quâ in re ope meâ eges, præsto sum. juveris, inquit ille; sed quid si confiteri renuam? ratus pater cedendum tempori pio dolo hominem capit, sponderque se missâ confessione remedium allaturum. Arripit ille conditionem, ad acerba quæque se abjicit. Pater cùm domum appulisset, jubet epulum instrui, & se hilaritati dare, quâ maximè egebat nocte illâ decretoriâ. Postridie quædam puncta ruminanda dedit, ad excitandam in Deum fidu-

a Seneca de tranquill.
b Crombecius de studio perfect. lib. 2. cap. 2.

fiduciam; tum examen conſcientiæ, non ut confiteatur; ſed ut in memoriam reducat & de ſingulis doleat. Denique in vicinam ſylvam educit, rogatque num benè conſcientiam diſcuſſerit, & ne quid fortè præteriiſſet, quærit ex illo quædam, per atrocia quæque dilabitur; tandem illud ipſum, quod angebat, attingit: ubi perturbatur miſer: & illud, illud inquit, eſt truculentum, infandum, quod eloqui non audeo. Tum pater, jam, inquit, confeſſus es, neque pluribus opus, niſi ut cætera prodas; fecit, & onere illo levatus, animi quietem invenit. Fruſtra ô peccator, qui lethale virus in animo geris, locum mutas, fugis ut ſaucius cervus, jaculum infixum circumferens, aut ut ſcitè Juſtus Lipſius advertit. *a Vt ii qui febriunt, jactant ſe inquietè, lectum mutant; ita nos qui fomitem mali circumferimus, & telo affectuum percuſſi, fruſtra illud motu & diſcurſu ſanare volumus.* Quiſquis fornicationem, quiſquis adulterium, quiſquis odium, quiſquis occultum crimen animo fovet, quiſquis injuſta bona poſſidet; pupillos oppreſſit, vel cujuſvis læthalis noxæ fomitem circumfert; fruſtra obſcurum cubile, fruſtra violatum thorum, fruſtra parietes ſceleris conſcios declinat, fruſtra contubernium læſi, fruſtra ædes ſacras fugit, fruſtra eleemoſynas donat, fruſtra in terras exteras commigrat, ut illic partis fruatur, & ſecurus vivat, fruſtra ad ſolaria, fruſtra ad caveas, fruſtra ad extimas mundi plagas recedit, ut hanc plagam avertat, *b ſe non effugit, ſequitur ipſe, & urget graviſſimus comes* vindex Deus; qui ubique imminet; nec ſinit conquieſcere.

c Darium cum omni exercitu ſuo ad eas anguſtias Scythæ redegerant, ut avem, ranam, talpam, cum faſciculo telorum ſubmittendo, laceſſere auſi ſint: numquam hinc evades, nec manibus noſtris te ſubduces, ſed hiſce telis, ô Darie configendus, niſi vel rana fias, ut hanc aquam clam tranare poſſis; vel talpa ut ſubtus terram exitum quæras, aut avis, ut extra teli jactum avoles. Sed ô miſeram peccatoris conditionem, nec ſic vindicem Dei manum effugere, nec ullibi ſtabile reperire ſtabulum valet, ubi ſecurus diliteſcat: etenim quid proderit verti in alitem, cùm propheta dicat: *d ſi aſcendero in cœlum, tu illic es?* quid conferet inſtar talpæ inferiora terræ, imò ad inferos penetraſſe? *nam ſi deſcendero in infernum, ades.* Quid juverit inſtar ranæ aut piſcis extremum maris inhabitaſſe? *Nam ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; Illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ut meritò exclamet: *quò ibo à ſpiritu tuo; & quò à facie tuâ fugiam?* Ubique timens ac tremens, nuſquam quietus, nec domi, nec foris, nec in lecto, nec in convivio, diu noctuque exagitatur. Vivaciſſimis coloribus Aureus Orator peccatorem vagum depingit: *e obambulat* inquit, *amarum accuſatorem circumferens conſcientiam, cùm ſit*

a Lipſius de conſtant. l. 1. c. 3.

b Seneca de tranq.
c Salvian. an. mundi. 3536. *d* Pſal. 138.
e Chryſoſt. con. 1. de Lazar.

ſuo

suo ipsius judicio damnatus, nec possit vel ad breve tempus respirare: nam & in lecto, & in mensa, & in foro, & in domo, & interdiu & noctu, & in ipsis frequenter somniis, hæc iniquitatis simulachra videri, ipsiusque Cain vitam vivit gemens, ac tremens super terram. Idem patiuntur, & qui rapinam exercent, & qui fraude lucrum faciunt, & ebriosi, & in summa, quotquot in peccatis vivunt: neque enim ulla ratione judicium illud potest corrumpi muneribus. Ita inter pocula, inter mensas, inter exteras nationes, Lutheri animus assiduò fluctuabat, cujus hæ voces sæpe auditæ sunt: *Luthere nunc benè, sed quid postea?*

Ut sese in tuto reponeret, frustra Cain primus *ædificavit civitatem*, cujus vallo seipsè cingeret, cujus muro tueretur, cujus portis obductisque repagulis ferales suos metus excluderet; hostis intra mœnia est, in animi penetralibus habitat. Ita indies domestico metú, intestino tumultu belloque turbantur omnia, & quamvis sit foris pax, domi tamen acre bellum est; à quo nec in urbe, nec in solitudine, nedum in monasterio requies, ubi terra sancta est, ad quam rei asylum & perfugium habere consueverunt. Memorabile sanè est, *a* quod Abbas Sabbatius narravit: Sicarius à patratâ per summam immanitatem innocentis pueri cæde, meliori radio à Deo illustratus, quò scelus occultum meliùs expiaret, religiosæ vitæ rigorem ac habitum ab Abbate Zasino petiit, & impetravit: jamque per omnes severioris disciplinæ gradus, magnis passibus ad virtutem gradiebatur; cùm ecce scelus semper animo obversans, exturbat hominem è Monasterio: pueri enim voces semper in auribus ejus insonare illud videbantur: *cur me occidisti?* nec sinebat, ut auctor ait, *una hora conquiescere?* quare semper tremens ac pavens, tanti cruciatus impatiens, è monasterio excessit, urbem ingressus Diospolim, in carcerem conjicitur, & capite plexus est. adeò nusquam securum latet scelus. Judici humano, quandoque se latebris, fugâ, vel astu surripiunt nocentes, sed conscientiæ carnificem nusquam effugere, aut securè latere queunt. quod ethnicus disertè testatur: *b hæc est secunda peccanti pœna* (inquit Seneca) *timere semper & expavescere, & securitati diffidere. Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest: quia latendi etiamsi facultatem habet, fiduciam non habet; tuta possunt esse scelera, secura non possunt.* Rationem hanc reddit Jobus: *c sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, insidias suspicatur.* Vos ego compello peccatores, ubi subitum malum occupavit, ubi pestis viciniam invasit, ubi mugire tonitrua, micare fulmina, quis non in animo tumultus exoritur? ad nuperos illos, licet leves terræ motus, quàm graves conscientiam concussationes; qui tremor, quis pallor, sceleratos non exagitavit?

d Hi sunt, qui trepidant, & ad omnia fulgura pallent.
Cùm tonat, exanimes primo quoque murmure cœli.

a Pratum Spirit. c. 166. Zehelner. vermis conscientiæ pag. 316.

b Seneca epist. 97. *c* Iob 15.
d Iuven. Sat. 13.

Ex horum numero quondam fuit Caligula, de quo Suetonius: *a* ad minima tonitrua & fulgura connivere, caput obvolvere; ad majora verò proripere se è strato, sub lectumque condere solebat: ita nusquam secura esse scelera possunt; & quamquam multos fortuna liberet pœnâ, metu tamen neminem; adeò verè ille dixit: *b tuta possunt esse scelera, secura non possunt.* quamquam quid eò tonitrua & fulmina adduco, quæ peccatorem teneant? quid *sonitum terroris, aut armorum* dico? levius quid Judæis jam ante Deus indixit: *c dabo pavorem in cordibus eorum, terrebit eos sonitus folii volantis, & ita fugient quasi gladium: cadent nullo persequente.* quod quàm verum sit, Ægyptii quoque commonstrarunt, quando cum Rege suo Pharaone, obstinatæ perfidiæ dederunt pœnas, quas Sapiens describit: *d unâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati; sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentium nivium, aut sonus validus præcipitum petrarum, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo, deficientes faciebant præ timore.* O formidolosos Ægyptios! quis ex nobis trepidet ad sonitum saxi cadentis, ad mugitum vaccæ, ad lene murmur aquæ, aut ad sibilos Zephyri, & volucrum suaves cantus? quem terreat, ad has cantilenas suavissimè resonans Echo? & hæc omnia merissima fuêre Ægyptiis terriculamenta. Appositè omninò Chrysostomus:

a Sueton. c. 50. *b* Seneca epist. 97. *c* Levit. 26. *d* Sap. 17.

e talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, & quemque existimant contra se venire; & aliis alia differentibus, sibi ipsis conscii, cogitant illos de se sermocinari. talis res peccatum est, nullo arguente prodit, nullo accusante condemnat, pavidum facit & timidum peccatorem. Testis hic mihi iterum infelix Cain, qui quemque existimans contra se venire, queritur: *f omnis qui invenerit me, occidet me.* unus in orbe Adamus erat, isque parens, ab eo nil timendum; sed verba sunt hæc formidantis conscientiæ, & ut Ambrosius observat: *g torquebat eum suorum conscientia peccatorum. latebat miser tremens ac timens, & cùm adhuc percussor deesset, ipsa se injusti vita cruciabat.* quocumque oculos figeret, omnia in se armari credebat. Nam si Procopio credimus, ubique exagitabatur post fraternam cædem, *h* & cùm oculos in terram dejiceret, contra se serpentes veneno, leones dentibus, unguibus ursos, tauros cornibus, calcibus equos, ipsum cœlum, ac superos extrema sibi intentare imaginabatur.

i Bessus apud Plutarchum cùm patrem obtruncasset, diuque scelus clam fuisset, ad cœnam vocatus, nidum hirundinum hastâ dejecit; rogatus à præsentibus de insolentiâ facti: non auditis, inquit, hirundines falsa de me vociferari, & testari me esse patris interfectorem? mirati, qui aderant, hunc sermonem ad regem

e Chrysost. hom. 8. pop. Antioch.
f Gen. 4. *g* Ambros. in Psal. 35.
h Procop. apud Corn. in 4. Gen. v. 9.
i Plut. de sera Numinis vindicta.

detu-

detulerunt: Bessus captus & sceleris convictus, pœnas luit. En quàm non falsum illud: *a sonitus terroris semper in auribus impii*, omnia tuta timent, numquam conquiescunt. *b* Artemon homo improbissimus, semper lecticâ vehebatur, & domi considens, duos famulos scutum supra caput gestare jubebat, ne quid ex alto decidens, aut improviso telo feriret. *c* Dionysius Syracusanorum tyrannus, tonsoris metu, tondere filias suas docuit, nec his adultis ferrum est ausus committere, sed candentium juglandium aut nucum putaminibus, barbam sibi, & capillos aduri jubebat; lectum, quasi castra, latâ fossâ cinxit, in quem se ligneo ponte adducto recipiebat. *d* Sic Clearchus Ponticus Tyrannus, somni tempore serpentis in morem, se in arcam condebat. Argivus Aristodemus pensili portâ, scalis subtractis, gallinarum in morem, se in superius cœnaculum abdebat. Hi exteros, domesticos, propinquos veriti, omnes homines fugiebant, nec usquam tuti latebant, nec sub lecto ut Caligula, nec sub scuto ut Artemon, nec in Insulâ ut Dionysius; nec in arcâ ut Clearchus, nec in summo & inusitato cænaculo ut Aristodemus; ubique secum obmurmurantem, & cunctis silentibus clamantem conscientiam asportabant, quæ nocturnam quietem interturbabat. Testatur Chrysostomus: *e incorruptus index conscientia cùm adversus hominem exurgit* (quando autem non exurgit) *clarâ voce clamat & accusat*: & in noctis silentio graviùs obmurmurat, & ipsa silentia terrent: habet & conscientia, ut horologium, suum tintinnabulum, suam campanulam, quæ dormientes excitet, vigilantes terreat. Ferdinandus primus Imperator mirè delectabatur horologiolis *f* affabrè factis & rotundatis; erat ei magnus horum numerus, & artificiosa varietas. Fuit ut animi gratiâ loquaci hoc auro mensam oppleret, non ingratum aulicis spectaculum. unus inter colloquendum sagaci manu, unum ex horologiolis raptum in caligas abdidit; obliquo id oculo advertens Cæsar; in hominem non severiùs animadvertit, sed vario sermone distinuit, dum sonorum illud aurum intra latebras loqueretur. Erubuit miser, & quod occultum esse crediderat, *clarâ voce clamat & accusat*: Imperator quidem incolumem dimisit, sed hoc pro aculeo reliquit monitum: *timorem sine longè vehementiorem esse affectum.* Vitam innocenti Abeli clanculum Cain eripuerat, Deus sermonem cum illo instituit *g* & *ait Dominus ad Cain: ubi est Abel frater tuus?* id se latere respondit, & vel sic scelus latere posse autumat; & ecce illo minimè cogitante, illo nolente, nola sonat: *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* Ita factum legimus, *h* ut quis S. Medardo Præsuli egregium bovem subduxerit; quia tamen nola animalis collo aspendula, furem prodere poterat, solicitè eam gramine ac fœno obstruxit; itaque silentio

a Iob 15. *b* Caussin. Symb. *c* Plut.
d Mariana de rege instit. l. 1. c. 7.
e Chrysost. hom. 27. in Gen.

f Nicetas Drex. l. 2. c. 10. *g* Gen. 4.
h Surius in vita 8. Iunii.

do-

domum venit: dum ecce campanula spontè sonare, & quasi lictores ad furem ducendum provocare. hic expallescere, animo perturbari, iterum os nolæ probè opplere, quin & in cistâ infra alias quisquilias abdere; nec sic silet, *clarâ voce clamat*, stupente totâ viciniâ insuetum sonum, quo factum ut fur viro sancto supplex, cùm clamorem ferre non posset, veniam multis precibus efflagitârit. Nescio quid felicius peccatricem conscientiam possit exprimere, quàm illa perpetuò sonans, clamans & allatrans nola: obstrui hoc tintinabulum nullâ vi, nullâ arte potest. testis hîc mihi iterum & sæpius maledictus ille Cain, cui Dominus prædixerat: si malè egeris, *a statim in foribus peccatum tuum aderit*. Heb. *excubabit*, sicut canis venaticus qui latratu & clamore feram prodit, & insequitur, donec comprehendat, & dentibus dilaniet. huic conscientiam Chrysostomus confert, *b* juxta illud Sapientis: *peccatores persequitur malum*. id est conscientia mali testis, & Judex, latratu assiduo & clamore valido. Hæc hactenus.

Nunc rerum arcanarum conscia S. Mechtildis *c* nobis aliam horologii partem considerandam proponit, quæ *animarum cordibus se aperientibus, vidit in corde cujuslibet vermem, qui habebat caput in modum canis; hic vermis erat propria cujusque conscientia.* quare latratu omisso, nunc ad ferratos inquieti nostri horologii dentes veniamus, quos per vermem scriptura expressit, dente

a Gen. 4. *b* Chrys. conc. 1. de Laz.
c Mecht. in Rev. l. 5. c. 7.

heu nimiùm tenaci, & morsu amarissimo medullas, ac interiora viscera depascentem, juxta illud Bernardi *d vermes crudeles mordebunt intima cordis.*

d Bern. l. de anima c. 5.

§. II.

Vermis eorum non moritur. Marci 9.

DIvus Thomas in Quartum, Dist. 50. quæst. 11. *Vermis*, inquit, *est conscientiæ remorsus, qui dicitur vermis in quantum oritur ex putredine peccati, & animum affligit.* vermis est, ait Ambrosius: *e eò quòd irrationabilia animæ peccata mentem rei, sensumque compungunt; & quædam exedunt viscera conscientiæ; quæ tamquam vermes ex unoquoque nascuntur, tamquam ex corpore peccatoris.* Hîc duo expendite: vermis hic *animam affligit.* & dentes ejus *exedunt viscera conscientiæ*; quod quantò gravius est, quàm corpus affligi, & corpus à vermibus corrodi, attendite.

Fuit qui Olimpium admirandæ patientiæ senem obstupuit, & blandè compellavit: *f* qui tandem in angustâ antri sui caveâ, velut in alveari, inter continuos æstus cyniphumque ac muscarum examina durare posset? cui ille; ista ait, *idcirco tolero, ut futuris cruciatibus liberer; æstum hunc perfero, sempiterni ignis supplicia metuens; cyniphes patior, ut immortalem effugiam vermem.* Vermes libens patitur, qui carnem affligunt, qui viscera corporis

e Ambr. l. 7. in Luc. c. 14.
f In Prato spirit. c. 141.

exe-

exedunt; ne patiatur vermem qui animam affligit, denteſque qui *exedunt viſcera conſcientiæ.* Neque alia credo mens fuit Sancto Macario Alexandrino, *a* qui impurum gigantem parvo milite debellavit; dum ſex integros menſes in palude nudus inter culices, qui vel apros ſauciare poſſent, conſedit: ut ſemeſtri exacto, ſic compunctus cellulam ſuam repetens leproſum hominem in corpore ſuo referre videretur. Hos tamen morſus, quamvis graviſſimos ille tolerabiles ducebat. At de verme noſtro Divus Baſilius dicere non dubitavit: *b intolerabiles dolores corroſione ipsâ infigens.* Intolerabile fortaſſe cuipiam videbitur, vivum inter vermes putentis cadaveris volutari. Toleravit Sanctus Guido, *c* qui dum adhuc in demortuam quandam exardeſceret, de nocte ſepulchrum adiit, & inter vermes ac putidas carnes libidinem exſtinxit. Quid magno illi Antonio, in vaſtâ illâ ſolitudine omnem monaſticæ vitæ rigorem, omnes erebi terrores ac Dæmonis inſultus tolerabiles fecerunt? Athanaſium audite: *d* poſt horrenda ſpectra per noctem, in-
„ quit, Diabolus in pulchræ mu-
„ lieris vertebatur ornatum, nul-
„ la omittens figmenta laſciviæ:
„ hic autem ultrices gehennæ flammas, & *dolorem vermium recolens*, ingeſtæ ſibi libidini opponebat. Elegerunt ſiquidem hi fortes Athletæ præ illo verme, quoſvis alios vermes, colubros, ſerpentes tolerandos eſſe; imò ſi neceſſe foret, etiam his beſtiis inſepeliri vivum corpus, potiùs quàm aſſiduè hoc dente animam affligi, & corrodi. Vel unius ſcelerati hominis conſcientiam appello: hæc mihi mille teſtes, per quot angores, pallores, pudores, per quot cordis tenerrimos remorſus vitam hanc mortalem, aut, ut cum Auguſtino loquar, *mortem* ducit *vitalem.*

Ubi ſemel puella in fornicationem, maritus in adulterium, mercator in injuſtum lucrum, judex corruptus in iniquam ſententiam conſenſit; ubi vir gravis illatam injuriam, monachus aut monialis occultum flagitium animo fovet; quot non ilicò dentes corrodunt? Chryſoſtomum audite: *e Etenim qui committit adulterium, etiamſi millies fuerit dives, etiamſi nullum habeat accuſatorem; non deſinit tamen ſe intus accuſare. Et voluptas quidem temporaria eſt, dolor verò perpetuus; timor undiquè ac tremor; ſuſpicio & anxietas; angulos metuit; umbras ipſas formidat; ſuos ipſius famulos conſcios, inſcios; illam ipſam, quam corrupit, & virum, quem affecit contumelia.* Et ut alibi concludit: *f quovis accuſatore mentem gravius arrodit conſcientia.* Quis non per mille cruciatus hos graviſſimos morſus, hunc intolerabilem vermem à ſe amoliri, ac penitus exſtinguere quàm maximè cupit? docuit id ſuo exemplo fœnerator improbus, *g* de quo annales Eccleſiaſtici rem toti orbi ſtupendam poſteritati conſignarunt. Volco Sacerdos in Franciâ vir

a Pallad. in Hiſt. Lauz. *b* Baſil. in Pſ. 33.
c Cantiprat. l. 2. apum, c. 3, n. 31.
d Athan. in vita.

e Chryſ. conc. 1. de Laz. in c. 16. Luc.
f Chryſ. Gen. 42.
g Brov. ad an. Christi 1198. n. 21.

miræ

miræ ſanctitatis, apud fœneratorem cum quibuſdam è clero pranſurus, culinam ejus adiit, opercula à vaſis removet, reperitque omnia fercula in bufones ac ſerpentes abiiſſe. Movit ea res hominem, ut Volconi ſupplex, omnia injuſto lucro parta, ſuis Dominis reſtituerit. Supererat inter hæc vas tritico oppletum, ultimum uſuræ ſpolium; cujus fortè non meminerat: iſtud Volco præſente Clericorum comitatu recludi juſſit; & ecce novo portento inter bufones ingentes ſerpentum copiam offendunt. Mox Sacerdos ſanctus divino imperio afflatus ad fœneratorem: ſi verus tibi de peccatis dolor eſt, nudus iſtud vas ingredere; nec mora uſurarius inſilit, ſtatimque Volco vaſe clauſo, juſſit ſocios craſtinâ luce reverti. Tum autem remoto operculo nihil præter coſtas, tibias, calvariam ac oſſium congeriem repererunt, quæ cauſa fuit, ut Volco oſſa tamquam veneranda verè pœnitentis aſſervari juſſerit. Ubi obſecro quid ſimile legiſti, vidiſti, audiſti, hominem nudum, ſanum inter feros ſerpentes ac bufones verſari? ab iis deglubi, & exoſſari malle, quàm intolerabiles dolores perpeti; quos vermis conſcientiæ corroſione infigit, *a quia inter omnes tribulationes hujus orbis, nulla eſt major tribulatio, quàm conſcientia delictorum.* Hinc non pauci (ut frequentiſſimis experimentis comprobatum eſt) hujus morſus tolerare non valentes, ad mortem, imò ad certam damnationem, quaſi levius ſupplicium convolarunt: nam ut Auguſtinus ait: *b Quem pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe; & non ſperat ſibi niſi damnationem.* Tales fuerunt, qui longæ tyrannidi per brevem ſaltem ac præcipitia ſeſe exemerunt: alii inter fluctus & undas hauſti, ut ſecum ſuum vermem ſuffocarent: nonnulli pectori ferrum immerſerunt, eodem vulnere confecturi & reum, & carnificem: plurimi laqueo ſe ſtrangularunt, ne ſpirare inter tot morſus cogerentur. Chryſoſtomum audiamus: *c ad eum modum Iudas conſcientiam coarguentem minimè ſufferens, ad laqueum ſe convertit.* Ita Lucretia cum ingentem conſcientiæ cruciatum ob pudorem violatum intolerantiſſimè ferret, armavit ferro dexteram, illudque in pectus immerſit; *præoccupans peſſima* (ut ait Sapiens) *redarguente conſcientia. d*

Complures qui in ſe clementiores videntur, ubi ſcelus commiſſum, violentas quidem manus cohibent; ſed ita interiùs corroduntur, ut palam inter delitias contabeſcere, inter aurum ſuum palleſcere, inter ſuaviſſimas cupedias omnia illis amareſcere; denique millies emori, vivum funus ducere, ac ſeipſi tumulare videantur. Veritatem rei hiſtoria comprobabit. Fuerat olim *e* Flaccus Præſes Alexandriæ Ægypto præfectus, quâ in præfecturâ dum ſe iniquiùs, quàm par eſſet, gerit, in Andrum Inſulam eſt relegatus; eam dum appelleret, ita hanc dicitur appellaſſe: quomodo vocabo hanc inſulam? exiliumne ſeu novam patriam? an portum? an refugium miſerum? Sepulchri

a Bern. ſerm. 4. de aſſumpt. Virg.

b Aug. in Pſ. 31. *c* Chryſ. ep. 7.
d Sap. 17. *e* Philo Iud. l. in Flacc.

no-

nomen maximè convenit: siquidem infelix ego me ipse quodammodo in monumentum infero. Adeò autem (inquit Philo) trepidabat infelix Flaccus, ut non aliter quàm insanus prosiliret; ac ultrò citròque discurreret, manus complodens, femora percutiens, humi se affigens & clamitans: *interemi quosdam, interiment me alii*; me connivente quidam lapidibus obruti, quidam vivi combusti, quidam raptati per forum medium, donec frustatim lacerarentur. Horum facinorum pœnæ me manent; sat scio; & diræ jam stant tamquam in carceribus, ut obice rupto properent in meam perniciem; imò jam in *horas præmorior, multas mortes sustinens, ante illam ultimam.* Hinc amenti & desperabundo similis exclamat: *quousque tandem* ferreus durabo in tot casibus? *scio me molliorem, quàm ut mortem mihi consciscam. Nimirum hoc quoque vetat meus genius, ne citò abrumpam vitam miseram; ut malum dilatum cumulet, ineatque apud injustè necatos majorem gratiam. Talia revolvens animo trepidus exspectabat finem fatalem*, inquit Historicus. Hunc miserrimi hominis statum, multas mortes sustinentis, optimè mihi Poëtæ adumbrasse videntur, dum Prometheum injustum raptorem caucaso alligatum, ab Aquilâ cor assiduè rodi, Tytium verò insano amore captum, ad inferos damnatum, ubi assiduo morsu vultur viscera ejus depascitur, cecinêre: *a*

—— Nec fibris requies datur ulla renatis.

Quam fabulæ seriem, sic ad mores traducit Macrobius: *b per vulturem (inquit) immortale jecur rodentem, nihil aliud intelligi voluerunt, quàm tormenta malæ conscientiæ*, obnoxia flagitio viscera interiora rimantis, & ipsa vitalia, indefessâ admissi sceleris admonitione laniantis, semperque curas, si requiescere fortè tentârit, excitantis; tamquam fibris renascentibus inhærendo, nec ulla sibi miseratione parcentis: lege hac quâ se judice nemo nocens absolvitur, nec de se suam potest vitare sententiam. Ita ille. Nimirum in sua supplicia, perennesque pœnas semper renasci videtur conscientia, eique inhærens vermis, de quo Servator dixit: *c vermis eorum non moritur.* Moriuntur complices, moriuntur conscii; moriuntur læsi, moriuntur violati, moriuntur lacessiti, moriuntur oppressi, pupilli, testatores, donatarii: at *vermis eorum non moritur.*

Refert Seneca, *d* de quodam Pythagorico, qui cùm fortè calceos à sutore emisset, postero die pretium numeraturus, ubi ad officinam veniens, mortuum intellexit sutorem, lætabundus, quasi jam liber esset à solutione, abscessit: sed monitorem domesticum, qui intus vivebat, non ferens, facti pœnitens, ad officinam rediit, & pecuniam per rimam ingessit dicens: *ille tibi vivit, tu redde quod debes.*

Innocens Joseph in cisternam dimissus, à fratribus venditur, ubi post 23. annos in Ægyptum venissent, ut annonam compararent, ac durius se à Josepho (tum

a Virg. 6. Æneid.

b Macrob. l. 1. de somn. Scipion.
c Marci 9. *d* Seneca l. 7. de benef. c. 21.

sibi incognito) haberi viderentur: omnium una vox fuit: *a meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, & idcirco venit super nos ista tribulatio.* Ita vermis iste post tot annos adhuc vivere compertus est, ac dentes suos exerere. meritò igitur Salvator noster inter gravissimas comminationes adducit: *b vermis eorum non moritur, & ignis non exstinguitur.* Idque secundò, imò tertiò inculcat.

Theatrum Anglicanæ crudelitatis, exhibet novum genus carnificinæ: pelvim æneam ventri superimponunt, sub quâ vivi glires abduntur, qui igne super pelvim incenso; interiora viscera pervadunt, nervos omnes convellunt, omnia dente, ungue dilaniant: quod supplicium diaboli inventum esse, quis ambigat? cùm hoc reis apud inferos destinatum sit, Ecclesiastici 7. *vindicta carnis impii, ignis & vermis.* Hoc damnatorum supplicium, etiamnum vivi peccatores circumferunt, teste Bernardo: *c infernus quidam & carcer animæ, rea conscientia est.* Suffragatur Ambrosius: *d ipsa quæ videtur etiam dum vivunt, impiorum requies, in inferno est.* Imò ut Propheta testatur: ipse animus impii infernus fit, & in infernum commutatur: *e convertantur peccatores in infernum;* ex quo rectè mellifluus Doctor concludit: *f inter omnes tribulationes humanas, nulla est major tribulatio, quàm conscientia delictorum.*

Tandem ut concludam, unam

a Gen. 42. b Marci 9. c Bern. serm. 4. de asumpt. virg. d Ambr. in Psal. 45. e Psal. 9 f Bern. cit.

non vulgarem horologii conditionem paucis attigisse sufficiet: quod quandoque insperatò varios masculos, feras, viros armatos, ac omnis generis larvas exhibeat. Ejusmodi fuit horologium illud, quod anno octingentesimo septimo misit Aaron, g Rex Persarum, ad Carolum magnum Imperatorem, ex quo varii equites, modò singuli, modò bini, terni, modò uno agmine omnes, apertis tot fenestris, turmatim exhibebant, exercitum dixisses hîc conclusum, è portis castrorum erumpentem, spectantibus minitantem, ac cædem intentantem. Itá nulla hora abit impiis, quâ non puerorum larvas, armatorum acies, ac varia spectra ob oculos ac animos eorum obversantur, seque spectanda inopinatò exhibent.

g Causin. paral. l. 3. c. 2.

§. III.

Personæ tristes illis apparentes pavorem præstabant.

NOctis sub horam prandii, oculis Theodorici feralem Symmachi speciem sese exhibuisse. *h* Audistis tristem infantis imaginem, latronis animo, quot momentis occursasse. Illud fortè inauditum: juvenis quidam Germanus; cùm unicam heu filiam, quam mirè deperibat, propter inopiam obtinere non posset, crudele facinus aggressus est. *i* Primo enim hospitem suum benè nummatum mercatorem obtruncat & spoliat: tum quasi re-

h Sap. 17. i Lobbet. flagella pecc. part. 3. flagel. 3.

center,

center à suis acceptâ pecuniâ locupletior factus, matrimonium extorsit. Jam votis potitus, se & familiam honestè componens, ita se gessit, ut in senatum admissus sit. Quis hunc non jam securum, quis non felicem prædicaret? sed ut in pomo, sub vernanti cortice, sæpe vermis delitescit, aut sub statuâ extus comptâ & ornatâ, araneæ & vermes rodunt & exedunt: ita inter delicias ac divitias assiduò conscientia rodebat & obmurmurabat: *occidisti, occidisti:* ut mori mallet, quàm ita excarnificatus vivere; & ut maluit, ita brevi ex ejus voto factum est. Quodam enim die cùm vocaretur in senatum, ut de prædonis alicujus capite sententiam ferret: mane sacro audito, uxorem rogat, ut jentaculum aliquod apparet, sibi non benè esse. Illa ex mariti ut rebatur genio, vituli caput apparavit, quod ut apposuit, mirum visu dictuque, exhorruit, expalluit, & ad uxorem: aufer, inquit, aufer hoc caput humanum; vultus enim hominis occisi, animo sese ingerebat: inde statim egressus ad senatum, cùm sententiam in ordine rogaretur, respondit prædonem hunc quidem capite reum esse, se verò eodem aut majori supplicio puniendum, exponens facinus omnibus hactenus ignotum. Invasit audientes stupor, utque fidem dictis faceret, itum est in ejus domum: cumque terra eruta, & Mercatoris inventa ossa, scelus declarassent, simul cum altero lubens volensque ad supplicium ductus, capite plexus est; ad mortis imaginem minùs expallescens, quàm ad illas ferales larvas. Quid, quod repertus sit, qui adeò ad unius spectri intuitum exhorruit, *a* ut non secus ac olim Orosius in aulâ Ferdinandi unâ nocte, metu mortis, ita hic spectri terrore incanuerit. Ludovicus Severus ex Bojorum sanguine Princeps, Mariæ conjugis suæ litteras Ruchoni aulico scriptas, *b* per tabellarii errorem, domo absens, intercepit; sed cùm epistolæ sententiam non assequeretur, (ut est malitiosa suspicio) cœpit de fide uxoris dubitare, & credere ausam facinus, quod non cogitârat. Itaque internuncius, & lator literarum, velut leno, primò obtruncatus: deinde ubi Donawedam urbem suam rediit, etiam præfectum arcis, flagitii suspectum per satellitem mandat jugulari; tum matronam aulæ præsidem, quasi sceleris consciam, ex turris arce præcipitari imperavit. Sed ô barbarum facinus! his quatuor funeribus, ipsa Maria integerrima Princeps, quintum accessit: Imperio conjugis verè severi, caput manu carnificis illi amputatum. Sed primâ, statim à cæde, nocte Ludovicus à Mariæ manibus adeò exagitatus fuit, ut cùm barbâ florente & juvenili, decorâque comâ cubitum se contulisset, unâ nocte ita incanuerit, ut manè senem septuagenarium referret: in quem meritò quadret illud Poëtæ: *c*

O nox, quàm longa est, quæ facit una senem.

Quin spectrum hoc, Principem domo & uerè excedere, atque in

a Drex. rogus damn. c. 2. *b* Raderus in Bavaria sancta. tom. 2. in vita Mariæ Brabant.
c Martial. l. 4. epig. 7.

exilium tendere jussit, donec difficili itinere, Romæ Alexandro IV. Pontifici supplex, veniam exoravit, & ad placandos Mariæ manes, nobile cœnobium exædificavit.

Si quem igitur assiduo verbere conscientia flagellat, si quem timor ac tremor exagitet, nec usquam conquiescere patitur, si quem nola illa redarguentis conscientiæ assiduè incuset, & allatret, si quem vermis ille edaci dente corrodit, si quem denique ferales larvæ infestant, unum sibi omnium remedium, quo cuncta cessent usurpet: horologio pondus tollat, & ilicò omnia sine *pondere cessant*: salutari confessione, Auditores, verâ contritione, *a deponentes omne pondus & circumstans vos peccatum & invenietis requiem animabus vestris. b*

Ita profectò vermis ille, omnes virtutum ac meritorum flores avidè depascens, unâ contritione enecandus est, ac gloriosum erit illius funeri inscribere: *contritus obiit*. Aut si lubet, ô peccator & hoc in promptu remedium, aliquot guttulis vermem immergere, aliquot lachrymulis, inquam, & exstinxeris. Testatur id memorabilis historia, quam narrat Savanorola cap. 6. in Michæam: Juvenis erat Ferrariæ, robustæ, ut apparebat, valetudinis; qui tamen inopinatâ morte corruit; medici corpus aperiunt, rimantur jecur, pulmones, splenem, nihil usquam vitii deprehendunt. Tandem ubi cor scrutari cœperunt, vermem in eo conspiciunt fædâ lanienâ grassari; mergitur is variis liquoribus, nec submergitur, donec in succum ama[illegible] è cepis alliisque expressum, conjectus est, ubi expiravit. Peccata nostra, & obsoleta flagitia, cepæ sunt & allia quæ vel conspectu suo, succum illum amarum lachrymarum ex pœnitentium oculis exprimunt. His vermis iste immergendus est, & (ut dixi) *c invenietis requiem animabus vestris*. Ac quisque de se dicere poterit: *d* ecce in tranquilitate & *in pace erit amaritudo mea amarissima*.

a Heb. 12. *b* Matt. 11.

c Matth. 11. *d* Isa. 38.

EMBLE-

EMBLEMA X.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13.



a RUMPOR ET INVIDEO.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Invidus, cui numquam benè eſt niſi alteri malè ſit; ſeipſum perdit, ut alium perimat.

§. I. *Invidus alienum bonum, ſuum facit invidendo ſupplicium.* S. Proſper. lib. 1. de vita contempl. cap. 5.

§. II. *Invidia hominem diabolo deteriorem reddit, & dolores inferni tolerare cogit.*

§. III. *Invidia flammas, aulas principum, caſtra militum, contubernia fratrum, clauſtra Religioſorum &c. latè depopulari.*

§. IV. *Solatia invidioſorum & invidorum remedia.*

a Ovid. Epiſt. 15.

DOMINICA QUINTA POST EPIPHANIAM.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13.

LIVIDUS ille invidiæ pater Satanas, agello Eccleſiæ ſemen divinâ manu injectum, ſudore & ſanguine cœleſtis agricolæ aſperſum, fructum centuplum ſpondere non ferebat: ea propter ſuperſeminavit zizania, ſentes & ſpinas conſevit; & etiamnum agro animæ noſtræ,ubi ſegetem virtutum exurgere videt: invidet & *invidiæ* ſpinas ac tribulos ſuperſeminans, meſſem in herbâ ſuffocare nititur. Quàm autem latè virulentum hoc invidiæ ſemen ſparſerit, non ſine gemitu purpuratus Eccleſiæ ſenator fateri cogitur. *a* „ Noſſe, „ inquit, vultis, quàm omnes orbis regiones, cujuſvis hominis „ conditionis invidiæ malum oc„ cupavit? in caſtris militum, & „ in prætoriis urbium, & in con„ ciliis Epiſcoporum, & in aca„ demiis ſtudioſorum, & in capi„ tulis Canonicorum, & in cœ„ nobiis Monachorum ſuum lo„ cum habet; pergit porrò: in „ aulis verò & palatiis Princi„ pum, nullus eſt angulus ubi „ non regnet invidia. Vide quàm „ longè latèque pateat, quando „ non ſolùm inter homines quoſ„ cumque, ſed inter ipſos etiam „ fratres reperiatur? Nam ut „ Romuli & Rhemi, & alia Eth„ nicorum exempla prætermit„ tam, quid primò duos fratres „ Abel & Cain ita disjunxit, ut unus alterum occideret? ſola „ invidia. Quid inter Jacob & „ Eſau,non ſolùm fratres,ſed et„ jam geminos,tanta odia conci„ tavit? eadem invidia. quid in„ ter ipſos Chriſti diſcipulos an„ te Spiritus Sancti in terras ad„ ventum diſſidia & contentio„ nes ſerere inceperat, niſi invi„ dia? quid parentes in filios, „ fratres in ſorores, maritum in uxorem armavit? invidia. Quid omne malum in orbem induxit? una invidia, quam Chryſoſtomus meritò, *b omnium malorum matrem & auctorem* nuncupavit: tale enim malum eſt invidia, ut nullum neque miſerius, neque „ deteſtabilius, neque incurabi„ lius, neque latiùs pateat uſ„ quam reperiatur. Quare invi„ tat Auguſtinus, cordis ſui agellum quiſque diſcutiat, an inimicus homo nullas illic invidentiæ ſpinas ſeminarit, ut eas, dum vel pullulare cœperint, radicituſe evellat: *c conſideret*, inquit, *unuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſi ſe videt de proſperitate proximi ſui invidiæ veneno percuſſum, evellat de pectore ſuo ſpinas & tribulos: ut in eo ſemen Domini, quaſi in fertili agro, multiplicata ſegete luminis concipiatur, ut amaritudo invidiæ Chriſti dulcedine leniatur*. In quod ſtudium, quo acriùs & alacriùs incumbatis,ſtimulo eſſe poterit deterrimi hujus monſtri natura, pluſquam viperina, quæ crudeliſſimum

a Bellarm. conciones in Pſal. 90. con. 10.

b Chryſoſt. hom. 46. in c. 21. Gen.
c Aug. ſerm. 83. de temp.

simum sui carnificem efficit, hominem in Cacodæmonem commutat, omnis denique odii, dissidii, parricidii inventrix ac machinatrix existit.

§. I.

Invidus alienum bonum, suum facit invidendo supplicium. S. Prosper. lib. 1. de vita contemp. cap. 5.

UT venenum nemo nisi generoso vino immixtum, aut dulcedine quâpiam aspersum hauserit: ita lethalis noxæ virus, peccator ob corporis voluptatem, ob honoris aut opum emolumentum sectatur. Si furem aut latronem percuncteris, ut quid aliena diripiat, obvios spoliet? Respondet ille: *a maxima dulcedo est ex alienis fortunis prædandi. & aquæ furtivæ dulciores sunt.*

Si ex avaro Euclione quæsieris, quid ita sordidè inter suos vivat? reponit ille: *at mihi plaudo ipse domi, simul ac nummos contemplor in arcâ.*

Si hominem superbiâ elatum, murice & auro turgidum, qui se circumspectet, rogaveris? illud responsi feres:

b Pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Si helluonem aut temulentum sciscitaris, quid se adeò ingurgitet, ut in belluam degenerare videatur? in promptu habet illud Psaltis, *c* quòd *vinum lætificet cor hominis*, curas pellat, & melancholias mergat, Si ex ambitioso, præcelsis officiis ac dignitatum titulis inhianti expiscari volueris, quorsum aulæ limina terat, optimatum gratiam aucupari studeat? huc inquiet me agit: *d gloria divitum honoratorum.* Et illud S. Thomæ edoctus sum: *e nihil potest esse in rebus humanis & corporalibus majus honore.* Si hominem libidine flagrantem incusaris; hujus incendii fomitem sibi inditum allegabit, illiusque flammas sopire tam sibi impossibile, *f* quàm *abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant.* At si invidum roges quid voluptatis, quid commodi, quid lucri, quid honoris adipiscatur? hoc unum Curtii respondere poterit: *g invidi homines nil aliud quàm ipsorum sunt tormenta.* Quibus positis rectè cum Bellarmino inferes: *h* "quod nihil invidiâ sit miserius, ex eo facilè cognosci potest, quòd cum cæteris vitiis aliqua sit vel utilitas, vel delectatio, vel honor, sola invidia tota est misera & amara. Ambitioni gloria, furto pecunia, adulterio voluptas aliqua comparatur: invidentia verò quid præter continuum acerrimumque dolorem habet? nostis quem, qualem, quantum dolorem patiatur? Invidia Socrati est ulcus, quod numquam non suppurat." At levis ille dolor censeri potest ex ulcere jam sensim per carnem serpente. Salomon multa paucis complexus, Proverbii loco esse voluit: *i putredo ossium invidia.*

a Livius l. 6. Prov. 9.
b Persius Sat. 1.
c Psal. 103.

d Eccl. c. 10.
e D. Thom. 2. q. 103. art. 1. ad 2.
f Prov. c. 6. g Curt. l. 8.
h Bellarm. in Psal. 90. conc. 10.
i Prov. 14.

Non carnes modò, sed & ossa lethali tabe consumens.

Anacharsis invidentiam animæ serram appellavit, quæ animum non solùm in multas partes divideret, sed crudelissimè laniaret, adeò ut quisquis alium in invidiam trahit, se ipsum ad supplicium Isaiæ Simonis, aut aliud longè gravius tormentum abripiat. Alexandri dictum est. *a invidos suos esse carnifices.* Levis adolescentis, verbum grave. hoc verum Poëta cecinit: *b invidiâ Siculi non invenêre tyranni tormentum majus.* Consuêrat Dionysius Siciliæ Tyrannus prius hostes suos quàm tolleret, eorum fortunas æmulis transcribere, ut morte acriùs, hoc tormenti genere cruciarentur. *c* Id ipsum Agis confirmavit, qui cùm audiret esse nonnullos alienæ familiæ, qui ipsi inviderent: geminam igitur, inquit, habebunt molestiam, quos & sua ipsorum mala, & mea ac amicorum bona cruciabunt. Hæc carnificina nec in ludo, nec in convivio, nec in studio, nec in somno, eos rodere ac miserè cessat dilaniare. Quod divinus Doctor attestatur dum ait: *d Zelare in homine donum Dei & in malo opprobrio bona aliena convertere, alienam gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus & sensibus suis adhibere tortores; qui se intestinis cruciatibus lacerent.* Quàm verò nihil ex hoc scelere voluptatis ac emolumenti percipiant, sed miserrimâ Ianienâ excarnificentur, declarat, dum subdit: *non cibus talibus latus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper & ingemiscitur, ac doletur diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.* Idque adeò severè ac truculentè, ut dolores viperæ parturientis exsuperet, quæ à fœtu suo fœdè dilaniatur, ac trucidatur. Hæc sanctissimi Augustini Doctrina est: *e sicut ajunt dilacerato & dirupto illo ipso materno utero, in quo concepta sunt, nasci: ita & invidia natura, illam ipsam animam à quâ concepta est, & consumit & perdit.* Vidit hoc S. Ambrosius & monet: *f Fuge invidiam, quæ non solùm alienos, verùm multò magis eum, quem possederit lacerare consuevit.* quod toties fit, quoties alienas laudes, & felices successus audiens ringitur, & disrumpitur, *g tantos porrò invidus pœnâ justâ habet tortores, quantos invidiosus habet laudatores.*

h Hinc Bion cum invidum vidisset vultu in terram dejecto, ore livido, oculis retorvis, quasi suspendium meditaretur, appositè dixit: *aut huic magnum malum contigit, aut alteri magnum bonum.* Quod vel ethnici viderunt, & quidam Poëtarum finxerunt, hoc solum culpandi, quod quidquid affinxerint, fœditatem ad vivum non depinxerint: *i* fuit quidam Romæ celeberrimus pictor, qui, ut pro Pontifice maximo Joanne XXII. teterrimum invidiæ monstrum in tabulâ vivis & colubrinis coloribus depingeret, integros

a Petrarcha lib. 2. dial. 106.
b Horat. l. 1. ep. 2.
c Manutii apoph. lib. 1. n. 94.
d August. serm. 83. de temp.

e August. cit.
f Ambr. de fuga sæculi c. 4.
g Bern. de nimia fallacia præsentis vitæ.
h Apoph. Manutii.
i Caussin. Court. S. Tom. 4. tr. 13. sect. 1.

triginta annos insumpsit. Videre hic erat, ut Poëta scribit *a*

——— intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum
Invidiam.
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto;
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes;
Pectora felle virent; lingua est suffusa veneno;
Risus abest, nisi quem visi movere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis!
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur una,
Suppliciumque suum est.

Hoc Regius Psaltes spectavit, dum sic justum collaudans, ejusque felices successus enumerans, invidi dentes exacuit: *b Beatus vir qui timet Dominum, gloria & divitiæ in domo ejus: jucundus homo, qui miseretur & commodat, dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus exaltabitur in gloriâ.* post has laudes, tandem invidi supplicium subjungit: *peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.*

S. Hieronymus hic: *c Peccator videbit & ad instar tigris irascetur: sicut enim illa musico concentu crudeliùs sævit & dilaceratur, sic prospero justi eventu, peccator irascetur, & propriam dilacerabit animam.* Quod ut in exemplo confirmet: *vultis, inquit, tigrim videre? inspicite Saulem:* audiverat Saul hanc puellarem Odam: *percussit Saul mille, & David decem millia.* Et ilicò sacer textus subjunxit: *iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste. Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat David à die illa, & deinceps.* Juvat hîc cum Hieronymo quærere, *cur Saul irasceris, & laus patriæ salvatoris tibi displicet?* sed quid responsi hîc præstandum? *jam cum tigre nobis est sermo, non cum homine, & qui tigris invidiæ evaserat, mores illius imitabatur in cantu fœminarum.* Quidquid æstimationis, quidquid laudis, quidquid gloriæ Davidi de prostrato Goliath accedebat, sibi Saul detractum ducebat. hinc & in Euangelicâ historiâ operarii missi in vineam, murmurabant adversus patremfamilias, quòd eos qui serò advenerant, pares sibi fecisset. Hieronymus hîc invidum perstringens, ait: *Non tam ipse plus accipere quàm alium nihil accipere desiderat.* Chrysostomus verò: *ergo illi non dolebant quasi fraudati de mercede suâ, sed quia illi amplius acceperant.* Si viderit fieri aliquem ditiorem, putat invidus hoc sibi decedere, ac se factum pauperiorem. Si alter sapientiâ præcellat, ita dolet ac si ipse insipiens sit. Hic denique invidi furor ac rabies est, *ut non tam ipse plus accipere, quàm alium nihil accipere desideret.* Probationi servit, quod Caussinus noster commemorat: *d* invido proponebatur aurum, vel argentum, eâ lege ut ipse primò quidem eligeret, sed socius duplum reciperet. Hæsit hic invidus, nec aurum eligere ausus, recogitans

a Ovid. lib. 2. Metam. *b* Psal. 111.
c Hieron. in 3. Regum c. 12.

d Caussin. court. S. Tom. 1. l. 2. obstacle 11.

quod socio duplum cederet. imò & duplum argentum ei invidebat. Quin potius elegit, ut sibi unus oculus erueretur, modò socio ambo expungerentur. Appositè Salvianus: *a prosperitas aliena illi supplicium est, & parum est si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix*; qui hoc agunt & satagunt, quod ille qui jam jam in perituræ navis prorâ consident, cum puppim, quam tenebat adversarius, primò fluctibus hauriendam accepisset: jam (inquit) lætus moriar, dum prius hostem meum videro perire. Adeò etiam cum proprii commodi, lucri, imò & salutis jacturâ, invidiæ stimulis agitati, malum alteri creare nituntur. in quo consimiles mihi videntur navi incendiariæ, quæ (ut in apposito emblemate videre est) ad hoc instructa est, ut tota in flammas abeat & consumatur; modò hostili classi damnum inferre valeat subjecto lemmate:

b Rumpor & invideo ——

Cujusmodi navem apud Famianum Stradam *c* curiosus lector videre poterit. Quod Lemma, *Rumpor & invideo*, epitaphii loco servire potuisset homini, qui Theageni nobili Athletæ *d* 400. coronis illustri, adeò hanc gloriam invidebat, ut singulis noctibus statuam ejus dirè flagellaret: eoque ludo se magis oblectabat, quò jam nutantem se evertere posse sperabat. Dum tandem statua repentè corruit, & lividum suâ mole miserè oppressit. Vnde quod ille furens jactabat

—— *e Pelopis domus*
Ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.

Ita sic sensisse videtur

Ruat vel in me, dummodo & statua ruat.

Non injuriâ execramur belluinam illam rabiem; feræ per mille vulnera, & acerrimam sui lanienam alteri necem inferre conantur. Quâ super re Ælianum audiamus. *f* Sophis Indorum Rex Molossum præferocem Alexandro Macedoni dono dedit: cujus virtutem ut hic exploratam haberet, canem cum Leone in certamen commisit: dum è vestigio Molossus leonem invadit, ac fauces dentibus constringit. Quod ut Alexander conspexit. Indo mandat, canem amoveri; sed nullâ vi id efficere potuit. Cauda ei amputatur, nec sic leonem dimittit; attonitus Rex crus inscidi jubet, *& nihil se remittebat, quasi alienum crus & ad se nihil pertinens stringeretur*; ait Ælianus. Tandem tres alii pedes truncantur: *nihilo remissior factus, maximo robore ad leonis perniciem incumbebat.* Postremùm ei caput amputatur; & quòd mireris, ait author: *etsi caput à reliquo corpore abscissum erat, illius tamen dentes leoni inhærebant*: & ex leone appensum caput sublime ferebatur. Immanitas ea belluis innata; at non minorem in homine reperias. Refert Maffejus *g* hominem adeò irâ præpotentem fuisse, ut cum adhærentem lateri comitem interfectum videret, & in se demum intentam Lusitani lanceam, nullâ cuncta-

a Salvian. lib. 5. de providen.
b Ovid. epist. 15.
c Strada. decas. 2. l. 6. a. 1585.
d Pausanias Caussin. Symb.

e Seneca Thyest. act. 2.
f Ælian. l. 8. animal. c. 1.
g Maff. hist. Ind. l. 11.

cunctatione se in ferrum impellens, ad corpus adversarii per ipsum hastile furibundus affluxerit, & strictâ sicâ hosti femur præciderit: atque ita mutuis ictibus in eodem vestigio ambo conciderunt. Hostem enim verò sibi superstitem fore non ferebat in se sævire & rumpi mavult, modò quas alit pectore invidiæ flammas, in æmulum effundat; incendiarios in hoc montes imitatus, qui dum nocent, dum cremant & perdunt, sua ipsorum viscera depascuntur. Parum hoc.

§. II.

Invidia hominem diabolo deteriorem reddit, & dolores inferni tolerare cogit.

AUreè more & ore suo Chrysostomus: *a Invidia pestiferum malum, hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem convertit.* Quid quod homo invidus diabolo longè deterior fit, teste eodem Antiocheno Antistite: *b nam invidus* (inquit) *ipso diabolo magis diabolus* est. Quod luculentis probat argumentis: *c invidet Satan, sed hominibus, sociorum nemini: tu verò homo cùm sis, hominibus invides, odium adversus genus, naturamque communem exerces, quod ne satan quidem facit. Quam igitur veniam assequeris? quam tandem excusationem prætendes, si fratris successum videns pallescas?* Hinc rectè concludit: *d tale malum invidia est, quia nulla umquam malignitas pejor inveniatur.* In orbe graviora mala non fuêre, quàm Angelorum ruina, Adami lapsus, & Judæorum Deicidium: hæc tria capitalia mala ab unâ invidiâ procreata sunt. Quod primum spectat, Scholasticorum cum Divo Bernardo opinio est, *e* Lucifero ac aliis Angelis propositam fuisse *Verbi* incarnationem adorandam. Præ invidiâ verò, quòd humana ad eam dignitatem & non Angelica natura assumeretur; hunc actum adorationis detractasse. unde Chrysologus: *maluit in diabolum commutari, ne hominem plenum gratiâ sic videret.* Ardescit etiamnum non minùs cœlo quàm inferno, dum terræ filios in suo solio videt dominari. De primi parentis lapsu, cui sortem suam invidebat, increata sapientia testatur: *f Invidiâ diaboli mors introivit in orbem.* De Christi acerbissimâ morte Matthæus loquitur: *g Sciebat enim* (Pilatus) *quòd per invidiam tradidissent eum.* Nunc verò si tartareos Spiritus longè gravius invidiæ flammis, quàm igne gehennæ cruciari comprobâro, nonne quemque invidorum inferni dolores perpeti manifesto conclusero? his Regius Psaltes acriter exagitatus clamat: *h dolores inferni circumdederunt me.* Augustinus legit: *dolores invidiæ circumdederunt me:* Saul enim quasi inferni ignibus incensus, in Davidem exardescebat. Hisce invidiæ flammis totus exarsit sanguisuga ille Imperator Theophilus, *k* quem in extremâ cum morte

a Chrysost. hom. 46. in c. 21. Gen.
b Chrysost. hom. 41. in c. 12. Matth.
c Hom. 13. in 2 Cor. 12. Hom. 53. ad pop. Ant.
d Chrysost. hom. 46. in c. 21. Gen.

e V. Fernand. in Gen. c. 3. sect. 2. n. 3.
f Sap. c. 2. *g* Matth. 27.
h Psal. 17. *i* Zonaras.
k Caus. court. S. tom. 3. p. 2. exemple 12. sur la 12. maxime.

morte luctâ constitutum, supra omnes dolores magis ussit Theophobi, quem ex invidiâ in carcerem conjecerat, se mortuo incolumitas; quare cùm invideret ne sibi superstes esset, ad lectulum suum fatalem, Theophobi caput deferri jussit, quod exangui manu comâ prensans, & cum gaudio contemplatus dixit: Ego non ero posthàc Theophilus, nec tu Theophobus; atque hoc solatio ad flammas ruit sempiternas: Nonne verissimum illud Salomonis canticum est: *a Dura sicut infernus æmulatio?* Quamvis enim cacodæmones probè teneant ex odio suo in genus humanum & sceleribus, in quæ homines inducunt, suos cruciatus augeri: tamen quo hominibus noceant, & illis malè sit, hoc non curant. Insanus sit qui sese inediâ enecet, ne alterum pascat; se convivio excludat, ne alter admittatur; imò & cœlo libens exulet, modo alter proscribatur. Quo spectat illa Christi reprehensio Lucæ 11. *Væ vobis legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.* Vbi Chrysologus: *b audistis dum seclusit alios, seipsum janitor invidiosus exclusit; & ne intraret alter, ipse permanere foris maluit per livorem.* Plus dico. Erit fortè qui obstupescat non gehennæ, sed invidiæ incendium has gravissimas querelas Epuloni expressisse: *c Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum.* B. Petrus Chrysologus aptè ad rem nostram: *d Lazarum mitte, quò? ad infernum de gremio: de solio sublimi ad profundum chaos: ad tormentorum stridorem de sanctâ quiete, de tanto silentio beatorum. Et emitte Lazarum. Vt video quod agit, non est novelli doloris, sed livoris antiqui, & zelo magis incenditur quàm gehennâ.* Vsque eò (quis credat) ut malit Lazarum secum inferni ignibus cruciari, quàm se iis liberari. *Non se* (inquit) *ad Lazarum duci postulat; sed ad se Lazarum vult deduci.* O verè *dura sicut infernus æmulatio!* Omnis familia, cœtus, congregatio ubi hæc regnat, rectè infernus dicitur; eâque correpti, tartareo incendio cruciari: quippe *e est grave illis malum, est illis incendium non ferendum, quos aliquando habuere contemptui, videre felices.* Quas flammas ubicumque consistunt, in cubiculo, in convivio, in lecto, in foro, circumferunt; iisque ut dæmones ubi ubi sunt, acerrimè torquentur. *f* Viri in Theologicâ palæstrâ exercitati docent dæmones complures in aëre constitutos, medios inter justos in patriâ, & peregrinantes in viâ, ut sic quasi duplici incendio, utrisque invidentes torqueantur: hæc Bernardi doctrina est: *g Diabolus in pœnam suam, locum in aëre medium inter cœlum & terram sortitus est, ut videat, & invideat, ipsaque invidia torqueatur.*

a Cant. 8. *b* Chrysol. serm. 172.
c Luc. 16.

d Chrysol. serm. 122.
e Chrysol. serm. 122.
f S. Tho. in 4. sent. d. 45. & 1. p. q 46. a. 4.
g Bern. serm. 54. in Cant.

In-

§. III.

Invidiæ flammas aulas principum, castra militum, contubernia fratrum, claustra Religiosorum latè depopulari ad mores ostenditur.

ANgelicè Doctor Aquinas: *a quia invidia est de gloria alterius, in quantum diminuit gloriam quam quis appetit, consequens est, ad illos tantùm invidia habeatur, quibus homo vult se æquare, vel præferre in gloria. Hoc autem non est respectu multùm à se distantium: nullus enim nisi insanus studet se æquare vel præferre in gloria his, qui sunt multò majores, puta plebejus homo Regi, vel etiam Rex plebejo, quem multùm excedit. Et ideò his, qui multùm distant, vel loco, vel tempore, vel statu, homo non invidet, sed his, qui sunt propinqui, quibus se nititur æquare vel præferre. Nam cùm illi excedunt in gloriâ, accidit hoc contra nostram utilitatem, & inde causatur tristitia.* Hinc invidia est passim inter corrivales. Aulicus aulico, miles militi, frater fratri, figulus figulo invidere consuevit.

Ac primum quidem, germanum vetus verbum est: *b invidia in aulis nascitur, in monasteriis educatur, in Xenodochiis moritur.* In aulâ potentissimi regis Balthasaris, invidia nata est, & in Danielem juvenē ob singulares naturæ ac cœlestis gratiæ dotes, regi percharum exarsit. *c* Daniel omnes Chaldæos Aruspices & sapientes Regis præcellebat. Darius occupatâ Babylone & Chaldæo Imperio Medis & Persis subjecto, facilè deprehendit, quantus vir esset Daniel, quàm peritus rerum, quàm fidelis obsequio. Eum itaque secum duxit in Mediam, & centum viginti Satrapis seu principibus, totidemque principatibus præfecit: Daniel, verbo, Rex fuit. Darius ei fidebat in omnibus: cum enim Rex annum ageret sexagesimum secundum, quod sacra pagina testatur, *d ut non sustineret molestiam*, gubernationem totam omnium regnorum Danieli committens: Regem age inquiebat, & rem benè administra: *e igitur Daniel superabat omnes Principes, & Satrapas*, quod apud omnes incredibilem movit invidiam: *unde quærebant occasionem* eum è medio tollendi. Ferre non poterant, hominem exterum, alienigenam, Judæum, imo & captivum sibi præferri. Hinc nullam quietis partem capiebant, dum variis machinationibus, modisque omnibus id unum efficerent, ut Danielem Principem in lacum leonum specioso nomine dejicerent. Non immerito dixit Augustinus, ut omnibus se immisceat, *f duobus malis superbiæ & invidentiæ Diabolus præest.* Innocentissimus *Princeps ad leones projectus est: allatusque est lapis unus & positus super os laci, quem obsignavit Rex annulo suo & annulo optimatum suorum, g ne quid fieret contra Danielem.* Quid opus, obsecro, tam immani saxo? Vt quid os laci tam probè obsignari? Non avolabit Daniel è foveâ

a S. Tho. 2. 2. q. 36. a. 1. ad 2.
b Drex. Ioseph. c. 2. §. 2.
c Daniel. c. 5.
d Daniel. c. 6. *e* Ibid.
f Aug. tom. 6. l. de virginit. c. 30.
g Danielis c. 6.

tam

tam' profundâ, capitales illius hostes scalas non porrigent, sat insuper custodum habet, tot impastos leones: sed aliud hîc mysterium latet, non intus à leonibus, sed à foris Danieli malum timendum; timebat Rex *ne quid fieret contra Danielem* ab invidis: qui si vidissent illum vivere, præ invidiâ occidissent, cui leones pepercerant. Hæc Gregorii Naz. sententia est: *a Rex magis timuit ferocitatem aulicorum suorum malorum, quàm feritatem bestiarum*, & S. Hieronymus: *b obsignavit annulo &c. Qui de leonibus securus erat, de hominibus pertimescit.* En quo integerrimum juvenem prudentiâ, castimoniâ, morum comitate, rerum agendarum, supra ætatem, solertiâ præcellentem, nulli dantem ullam offensionem, nisi quod virtus sua eum nimium extulisset, invidia depressit. Non unum Daniel sui sequacem habuit, qui quod Regis aut Principis aurem haberent, gratia & concilio apud eos valerent; sua opera frequentius Rex uteretur, dignitates quasi per saltum adipiscerentur. Quantumvis maximo suo merito & debito virtuti, prudentiæ, fidelissimis obsequiis, in caussis arduis stipendio, nihilominus cum Daniele Leoninis ac Theoninis invidorum dentibus objecti sunt. Dum tantum sibi quisque honoris aut excellentiæ detractum, quantum alteri collatum, arbitratur. In aula Theodosii imperatoris quantum invidiæ concitarunt pauculæ voces ille: *Constantinus condidit, Cyrus instauravit?* Narrationem ex Baronio paucis complector: *c* Constantinopoli ædificia complura terræ motu collapsa, restaurantem manum petebant. Cyrus Archytectorum Princeps, vir laudatissimus, pace & bello insignis, præfectus aulæ, Prætorio, urbi; Patricius; consularis, dux belli, quidquid intra urbem movente terrâ prociderat, non tam instauravit, quàm sepultum in augustiorem formam excitavit: ex qua re, sicut apud omnes magnam gratiam adivit, ita apud Imperatorem Theodosium juniorem non mediocriter offendit. Nam cum Theodosius ludis equestribus, de more præsideret, & populus novâ urbis specie delectatus, identidem acclamaret. *Constantinus condidit, Cyrus instauravit*, vulneratus his vocibus imperator, Cyrum non solum publicatis bonis in ordinem redegit, sed in Clericum attonsum, Smyrnam non alio animo misit, quàm ut per speciem quidem pontificatum ibi gereret, reverâ autem, ut ab improbo populo, qui jam quartum Episcopum interfecerat, mactaretur. Speciosum profecto & aulicum stratagema. Hanc vero tragœdiam pauculæ populares illæ voces concitarunt: *Constantinus condidit, Cyrus instauravit. d* Quare quisquis in aula eminere vis, hoc tragici memineris: *Ars prima regni est posse te invidiam pati.* Proprius *e* Justinianum Imperatorem ussit invidia, dum subactis Vandalis, actoque de Persis triumpho, Belisarius Justiniano suspe-

a Gregor. Nazianz. 9.
b Hieron. in c. 6. Daniel.

c Baron. an. Christ. 441.
d Procop. & Crinit. l. 9. c. 6.
e Beyerlinck. apoph. Christ. tit. invidia.

ctus redderetur, oculis ejus jussu orbatur. At is tugurium ad viam Regiam exstrui curavit, ubi stipem à prætereuntibus sibi erogari, hac verborum formula postulabat: *viator da obolum Belisario, quem virtus extulit, cacavit invidia.* Iliadem contexerem, si vel recensere voluero, quos invidia non solum dignitatum gradu, sed & vitâ dejecit. Prima attestante sapientia: *a alius alium per invidiam occidit.* Ex invidiâ, inquit Plutarchus, *b* oppugnavit Periclem Simmias; Alcmæon Themistoclem, Pompejum Clodius; Epaminondam Meneclides; ideoque, quia parem aut superiorem ferre non poterant, sed soli præeminere gestiebant. Amabo vos quid Saulem tot technas & insidias Davidi struere fecit? Quid semel iterumque fatalem lanceam in insons ac omni populo gratiosum caput vibrare?

Ex aula in campum, in *castra*, si lubet, pedem efferamus, & ilicò animi robur & virtus, plusquam humana, qua David Philisthæum prostravit, invidi oculos perstrinxit, tum brevis illa victoris panegyris: *c percussit Saul mille, & David decem millia*, animum in furorem egit, nec quiescere patitur dum rivalem sustulerit. Post irritum ergo duplicem lanceæ ictum, tertium facinus fabro homicidio Rex impius moliri statuit: amovit enim à se, & fecit eum tribunum super mille viros. pulchrum homicidii mantellum. Chiliarchus constitutus est David, ut periculis objectus tantò citius periret. Hoc enim Sauli pronissimum cogitare: David juvenis amans gloriæ, & partam, quam nactus est in Goliath, tueri ac ornare volens, ad belli discrimina impigrum se præbebit, & peribit: nec enim omnibus horis mors cuique felici est. Exclamat hîc Chrysostomus: *d quem oportebat ut benefactorem & salvatorem agnoscere, eum quærebat interficere*, ejus mortem unicè anhelabat. Vos viros Bellicosos obtestor, quoties invidiæ felle lividi, alterius Chiliarchæ, Ducis, antesignani mortem animo concepistis: quoties eum à suis deseri, præsentissimo discrimini se pro patriâ ac Rege exponentem, vel cum dedecore redire vel occumbere optastis? Norunt in hâc arenâ exercitati, quantum invidiæ generosissimos heroes animis ac bellicâ virtute præcellentes afflârit, quantum eorum felicissimos conatus ac successus retardarit. Quid quòd hæc una furia in castris integras sæpe legiones ab æmulâ ratione desertas in exitium induxit, exercitum totum & patriam perdidit.

Plures Sauli consimiles reperti sunt: talis extitit Philippus Macedo, quem Demosthenes ad vivum expingit; tam insignitæ is fuit ambitionis, ut quidquid uspiam in bello præclarè gereretur, ipsi fuerit adscribendum, ducibus suis rem fortiter ac strenuè gerentibus, magis indignari solebat, quàm ignavis cessatoribus, qui multa corrupissent imbelli metu ac socordiâ. Alexander filius hunc morbum à parente hæreditarium habuit: nam quod Curtius prodit, Alexander hostes vinci vo-

a Sap. 14. *b* Plut. in moral.
c 1 Reg. 18.

d Chrysost. hom. 46. in c. 21. Gen.

luerat, Antipatrum vicisse ne tacitus quidem non indignabatur; suæ demptum gloriæ existimans, quidquid accessisset alienæ. Sauli quoque simillimus Assyriorum Rex, qui teste Xenophonte Gobriam in venatum assumpsit, qui se illo peritiorem in equitando credidit. Oblatam sub initium venationis ursam, Rex telo petiit, sed casso; Gobrias certissimo jaculo feram prostravit. Invidiam Rex dissimulavit. Venientem pari modo leonem sagitta regia non læsit, Gobriæ tetigit. hic Rex secum nescio quid dirum mussitans, lanceam satelliti eripit, eaque transadigit Gobriam. En fera non à se, sed à Gobria occisa, tantam illi invidiam conflavit, ut mortem conciverit. Quoties non feram, sed hostem à vulgari milite prostratum, vallum occupatum, munitionem expugnatam, aliis invidiæ non levis scintillas suscitavit, & magnorum animos pupugit? Themistocles cùm noctes insomnes duceret, ejus rei causam sciscitanti, respondit: *Milthiadis trophæis excitor.* Et quid te Dux bellicose, generose comes, illustris Marchio insomnia infestant? exagitant te laudes illius, virtus bellica ac robur animi, quo medios hostium cuneos spectante Principe perrupit, quo primus hostilia mœnia occupavit, primus copias suas in vallum eduxit, inquietat te hunc torque aureo à serenissimo donari, titulis ac dignitatibus condecorari?

Sed quibusdam id minùs mirum videbitur inter viros militares, in tantâ nationum diversissimarum ac ordinum varietate, æmulationem quandoque concitari; enimverò hoc mirandum ac deplorandum magis, longè graviori invidiâ germanos fratres sese lacessere, ac dilaniare. In infantiâ adhuc suâ mundus adolevit malis, nec inter fratres secura innocentia fuit, nec inter sacrificia devotio. ipsa adhuc Religio livorem sortita est: ipsas aras fœdavit invidentia, quæ Religionis ac naturæ rea in proprium sanguinem audax, tertiam hominum partem trucidavit. Totus orbis, mortalibus alioqui vacuus, duos capere non potuit fratres, altero invidente. *a Invidia fecit*, inquit Chrysologus, *ut mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo; namque ipsa Cain junioris erexit in mortem, ut esse solum zeli livor faceret, quem primum fecerat lex naturæ.* Cui congruit illud Ambrosii: *b cùm dolet sibi gratiæ cœlestis ambitor, fratrem esse prælatum, de sacrificio processit ad parricidium.* Angusta profectò quantumvis ampla familia & *tota vix satis est domus.* Nedum cubile, mensa, lectus, fratribus inter se invidiâ dissidentibus. In exemplum adducit Chrysologus filii prodigi fratrem, qui cùm intrare nollet exclamat: *c* ô zeli tumor! *duos non capit domus ampla germanos.* Quæstio olim in universitate Lovaniensi agitata: cujusmodi fera fuerit, quæ devorasse Joseph dicebatur. conjectura quorumdam de leone, de urso, de apro; sed verissimè Hugo Garensis hanc feram pessimam *invidiam* pronuntiavit; nam, ut ille ait, in cap. 23. Proverb. *Invidia est illa fera pessi-*

a Chrysol. serm. 4.
b Ambr. serm. 16. in Psal. 118.
c Chrysol. cit.

ma, *de quâ dicit Iacob Genes. 37. fera pessima devoravit Ioseph.* Non unus Jacob, non unus paterfamilias jam queritur hanc feram pessimam in filios, in filias, in propinquos, in vicinos, ad sanguinem sævire. Ubi illud Chrysostomi obiter notandum: *a invidia homicidii mater est; at omnium sceleratissimus es, cùm invideas fratri.* Hæc fera pessima familiam Isai quoque invasit, dum furori Saulis fratres præludere fecit. Venerat in castra David parentis jussu: continuò maximus natu frater Eliab verbosam bilem in eum evomens; puer improbe, inquît, quid hîc negotii habes? siccine custodis oves? *b ego novi superbiam & nequitiam cordis tui.* Sola te curiositas huc egit, accurristi ut videres castra. O *zelus*, ait Chrysostomus, *ô invidia omni malitiâ cumulata!* indignum hoc, fratris animos, virtutem germanam, suam injuriam ducere: experientia siquidem nimium, quàm comprobatum illud Petri Blesensis: *c invidia proprium est, laudem alterius suam reputare injuriam, ut eo ipso deprimatur quo alter evehitur.* Quoties contingere videmus dum frater aut soror extollitur, nuptias ditiores, honestiores contrahit, hic ad officia ac dignitates evehitur, prosperè illi & ex voto succedunt, frater velut in luctu degit, dum hic extollitur, se deprimi arbitratur; & contrà sibi plaudit, si fratri omnia adversum eant. Hoc quàm indignum sit, aptâ similitudine exaggerat B. Maximus sermone de amore fraterno: *non decet fratres ut lances in staterâ, altero humiliato, alterum extolli*, quin potiùs se ad eum inclinet, ut sublevet & conferat de suo.

Atque hæc hactenus gravissima dissidia inter fratres germanos, inter geminos; quid non inter uterinos, inter diversi tori, sub disciplinâ novercæ timendum est? infinitus sum si attigero: profuerit in leænâ totum complecti, quæ molossi catulum leoni objectum eique percharum dilaniavit. Historiam prorsus singularem Lanuza deprædicat. hom. 22. §. 19. *d* Unum moneo ejusmodi invidos fratres, filios diaboli, quibus cautum illud percuperem quod fratri invido seniori accidit: qui cum veniret & appropinquaret domui, jamque audiret symphoniam & choros, indignatus est, & nolebat intrare. Vbi concinnè Chrysologus: *e invidum fugat symphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem ad fratrem vocat ratio naturæ, livor non patitur introire.* ita, inquam, verendum est, ne aulâ cœlesti, & cœnâ magnâ, & gaudiis beatorum frater invidus excludatur, & cum diabolis ad inferos detrusus, æternùm invidentiâ exardescat. Mitto hîc familiare & illud malum esse famulis & ancillis; qui volet, quàm ephæbus Ephæbum reginæ Elizabethæ gratiosum, ex invidiâ apud Regem traduxerit, consulat Vasconcellum de regibus Lusitaniæ: *f* Nec hoc quisquam mirabitur, si & pueros sibi maximè invidentes compererit: suf-

a Chrysost, hom. 44. ad pop.
b 1. Reg. 17. *c* Blesensis ep. 97.

d Luc. 15.
e Chrysol. serm. 4.
f Vasconcell. anacephal. 8.

ficit

ficit illud Augustini: *a vidi ego*, inquit, *& expertus sum zelantem puerum, nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collactaneum suum.*

Prætereo hîc quàm figulus figulo, opifex opifici, caussidicus caussidico, medicus medico, &c. invidere soleat: adeò ut se solos in arte, in urbe, in orbe peritos esse vellent: quos suo tempore Bernard. insectatus est, quem solum audiisse sufficiat: *b erravimus*, inquit, *in solitudine, in inaquoso; solitudo hac superborum est & invidorum, quia solos sese æstimant, se solos appetunt reputari. liberatus est? odit socium. astutus est in negotiis sæcularibus? neminem vellet sibi similem inveniri. Pecuniosus est? si ditescere viderit alterum, cruciatur. fortis aut formosus est, sed erroneus errat in solitudine suâ, cor ei elatum, durum, expers pietatis, ignavum compunctionis, siccum ex omni rore gratiæ cælestis.* Rem omnem paucis dixit: invidi desiderant soli esse docti, soli consulti, soli gratiosi, soli formosi, soli opulenti, verbo soli Soles. Alexander Macedo cùm ei Darius in fœdus amicissimum magnam regni partem, & triginta millia talentûm auri obtulisset (unicum auri talentum, lector, sex millia septingentos quinquaginta Philippeos continet, tu jam triginta millia talentorum ad calculos revoca) Dario respondit Alexander, *cœlum unum non duos soles, nec Asiam duos reges capere posse.* His præceptis imbutus Solimannus Turcarum Imperator solus regnare voluit: *c* quatuor illi erant liberi. Natu maximus Mustafa de Persis victis rediens, dum à Byzantinis ingenti plausu ac splendido triumpho excipitur, parentis animum invidia incendit; quare filium ad se victorem alacrem reversum, in conclavi suo strangulari jussit, ejusque cadaver militibus objici, addito præconis edicto: *unus in cœlis Deus, unus in terris Solimannus.* Frater minor hoc spectaculo commotus illachrymavit, qui & biduo post veneno sublatus est. Tertius ad Persas confugerat, sed per legatos dedi jussus, palam securi percussus est. En ambulantem in solitudine, qui sua pignora regni principes, minora velut sidera se conspicuo apparere non est passus, sed lucem invidit & extincta voluit. ita invidi omnes in suâ solitudine se solos in solio Reges, in arte magistros, magnificos, excellentes, eximios esse cupiunt, rivales non ferunt. Invectus in hos Jobus: *d ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?* Sed hæc pluribus quàm putaram.

Venio nunc ad ultimum, nec minimum invidiæ malum, quod viros etiam Ecclesiasticos afflare dicitur: non me, sed Chrysostomum hîc auscultate: *e invidia vis totam subvertit Ecclesiam & toti nocet terrarum orbi: quodcumque malum videris, ex hac radice producitur, cadit in viros Ecclesiasticos & perfectos.* Numerat celebris Ecclesiastes pro concione Auditores mille; at dum audit ad alterum duo tria millia confluere,

a Lib. 1. conf. 7.
b Bernard. de nimia fallacia præsentis vitæ. Psal. 106.
c Lipsius l. 3. ep. 22. Pontan. attic. Bell. vol. 2. c. 55.
d Iob. c. 11. *e* V. Chevichavium de vita Eccl. c. 6.

ringitur

ringitur haud secus quàm Saul ad *decem millia.* quo autem animo ejusmodi homo sit, S. Basilius disertè exponit: *a fontem scaturientem nemo obturat, & sole splendente, nemo oculos obvelat, nemo invidet illis, sed sibi ipsi gratulatur, quod frui contingat; verum sermone spirituali in Ecclesiâ scaturiente, & corde pio ex donis spiritus instar fontis emanante, non sustinet audiri cum lætitiâ, cum grato animo: suspicit utilitatem; sed pungunt te plausus audientium, & velles neque esse, qui utilitatem capiat, neque qui laudet.*

Execratur & jure meritò Caussinus noster *b* reperiri, qui nescio, inquit, quâ zelotypiâ non ferant quampiam de suis pœnitentibus alterum concionatorem, aut Confessarium adire; quos religiosè commonet dicens, bonos confessarios mari consimiles esse debere, quod omnia flumina sinu suo excipit, & aliò sinit derivari ut liberrimè fluant, non disquirendo unde, quà, quare ad se confluxerint, multò minùs voto, quasi catenâ sedi colligare. Quod S. P. Ignatius suis cavit, Regulâ sacerdotum 19. & alibi. *nullius obedientiam admittant.* Quid quod Societas sibi plaudat (contra ac invidi arbitrantur) quòd & alios videat juxta Apostoli monitum *c æmulari charismata meliora*, usum meditationum varios inter Religiosos vigere, & populo proponi: solemnitates ante cineralium non uno in templo celebrari, indulgentias animarum à nostris in parochiali aliove Religiosorum templo lucrandas proponi, aræ ornatum, domus Dei nitorem, suggestus, sedilia, picturas in novam formam instaurata. Juventutem in litteris & Catechesi (modo sedulo & zelo Dei fiat) imbui ac efformari; adeò ut non soli ipsi, seclusis aliis, agere velle videantur.

a Basil. hom. de invidia.
b Caussin. Court. S. tom 4. tr. 13. sect. 2.
c 1 Cor. 12.

§. IV.

Solatia invidiosorum & invidorum remedia.

SOlatio esse poterit primò illud Apostoli: *d non est servus major Domino.* Judæi Christum non solùm per invidiam tradiderunt, *e* sed & omnia ejus verba & opera sugillarunt: nemo Ecclesiastes tot invidorum linguis confixus. Plutarchus ait *f felem unguentorum odore exagitari & in rabiem agi:* Judæi in hoc feli similes: nam ut rectè Augustinus in Psal. 44. exponens illud: *In odorem unguentorum tuorum curremus. Illi autem alii*, inquit, *quantò magis eum videbant in gloriâ prædicationis Euangelii, & in vitâ inculpabili, tantò magis invidia torquebantur & occidebantur bono odore*, quo alii recreabantur. Hoc telo omnes Christi æmulatores, Apostoli, *g* Doctores, Patres, Anathasius, Ambrosius, Augustinus, impetiti fuêre. Theophylactus Alexandriæ Pontifex æmulatione non laudabili ferebatur in Chrysostomum, quem in templo nominari non est passus; sed vindicem sui habuit potentissimum Chrysostomus Deum: nam Theophylactus in

d Ioan. 15.
e Novarini adagia pag. 109.
f Plut. in commen. de præcept. conviv. 6.
g V. Lancium opusc. spirit. 9. c. 4. fusè & eleganter.

fatali

fatali lectulo acerbè cum morte luctatus, emori non potuit, donec imago Chrysostomi afferretur: hanc religiosè veneratus, tranquillè obiit: ita è Damasceno testatur scriptor eminentissimus Cæsar Baronius. a Ita & hodierno die reperire est, qui viros doctissimos juxta ac religiosissimos, ne nominari sustinent, cathedris, pulpitis, functionibus, urbibus & orbe illos pelli cuperent: quibus illud solatio sit, non meliores illos esse Auctore suo Jesu, fundatore Ignatio, SS. Francisco, Dominico, Benedicto: de quo hoc ex S. Gregorio delibare sufficiat: b Quidam Florentius Presbyter S. Benedictum ejusque sanctissimam familiam non arrodere modò, sed & dilaniare nisus est. Invidiâ hic & odio flagrans, sanctissimum Patriarcham moribus ac integerrimæ vitæ virum decolorabat, famam ejus elevabat, quoscumque poterat ab ejus consuetudine ut maximè noxiâ retrahebat. quinimò livore indies succrescente, eò dementiæ devenit, ut Dei servo panem veneno infectum pro benedictione transmitteret. quæ techna cùm non successisset, eò loci lasciva spectacula excitavit, unde Monachorum oculis importunè objicerentur, quibus tyronum animos ad libidinem inflammaret. cessit S. Benedictus furori & invidiæ; sedem cum suis mutat, aliò commigrat; quod cùm Florentius stans in solario domus suæ cognovisset, & præ gaudio exiliret, derepentè tota domus compage soluta corruit, ac hominem lividum contrivit. Ita vindex Deus pro suis in invidos sævit.

Alterum, quod ex eo consequitur, solatio esse poterit, quòd invidia semper virtutis umbra & comes sit: ut doctè Lipsius: *sicut non est ignis sine fumo, sic virtus sine invidia.* & quemadmodum per solem euntibus umbra est, ita & per iter Gloriæ & virtutis gradientibus. Themistocles hoc unum querebatur, *nullum se splendidum facinus perpetrasse, eò, quòd nemo illi invideret.* fit tandem quod Plutarchus in moralibus docuit: quemvis exordio gloriæ suæ livorem pati, ut ignis fumum; verùm ubi hunc perrupit, splendor elucescit, & velut sol inter nubila primùm luctatur, donec ea superet & consumat. Unus Joseph pro mille testibus, post mille probra, post mortem intentatam, post servitutem gravissimam, post omnem fratrum injuriam triumphatam, Princeps Ægypti constituitur, eos alit, ab iis adoratur, quos fratrum invidia eò provexerat; absque hoc fuisset, numquam in Ægyptum, numquam in Pharaonis palatium, numquam ad secundum sceptrum & solium, numquam ad orbis patrocinium pervenisset.

Cato Censorius, Phœnix Romanæ gentis, prudens dictis, moribus & vitâ optimus; nihilominus tamen neminem in urbe odium & invidia tam dirè & frequenter exagitavit, atque hic ipse Cato quadragesies sexies accusatus, & in jus ambulare jussus, semper absolutus est. summa fuit illi gloria, multiplex invidia.

Vis ubi figulus figulum invidendo

a Baron. tom. 5. an. 412. Damasc. l. 3. de imagin.
b S. Greg. 2. dial. c. 8.

dendo extulit? *a* Michaël Angelus Banarottus, cum juvenis Florentiâ Romam venisset, & Raphaël Sanctius Urbinas arti illius invideret, Bacchum unum cum satyro ludentem affabrè effinxit, quem brachio mutilavit, & nomen suum basi insculptum cæmento opplevit, ac statuam fuligine tingens, in vineâ cujusdam civis, ubi domum brevî extruendam sciebat, defodi curavit; cumque post annum ab iis, qui fundamenta jaciebant, statua reperta esset, & ad Pontificem delata, omnes artem mirari, antiquitatem extollere; solus Michaël dissimulabat. jam lite inter illos exortâ Sanctio affirmante opus perfectissimum omne pretium excedere nisi mutilum foret: Michaël nomen exhibuit, cæmento amoto & brachium attulit, quo singulare sibi ex invidi Sanctii sententiâ nomen comparavit.

Inter remedia verò, ut omnem invidiam animo ponamus, occurrat illud: parvi ac pusilli animi esse, res fluxas & terrenas alteri invidere, juxta illud Prophetæ: *b parvulum occidit invidia*; quod oraculum sic S. Thomas illustrat: *c pusillanimes sunt invidi, quia omnia reputant magna, & quidquid boni alicui accidat, reputant se in magno superatos esse, unde & Iob. cap. 5. dicitur: parvulum occidit invidia. & Greg. lib. 5. mor. cap. 33. docet, quòd invidere non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est, qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet quòd eo minor est, cujus invidia torquetur:* hoc animi verò magni & excelsi est, res omnes inferiores infra se ducere, in eoque Planetas imitari, quorum superior haudquaquam inferiorem, sed inferior superiorem eclipsat. Ita viri magnanimi nunquam abjectis invident. Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, invidia tinea est, quæ numquam cedro, aut oleastro innascitur, ita nec invidia magnanimo. *Primum*, ergo inquit Basilius, *d invidiæ remedium sit, nihil rerum humanarum magnum aut supra naturam existimemus. itaque neque dives æmulandus est propter divitias, neque fortis ob corporis robur, & miser est, qui his abutitur, non aliter, quàm in pugna contra inimicos ensem corripiens in se ac interitum suum convertat.* eò conducet Justi Lipsii præclarum documentum: *e mendicum in fabula vides, qui Regis personam sustinet, auratum & pulchrum vides, sed non invides: quia latere sub auro illo scis scabiem. idem existima de cunctis magnatibus hujus mundi, & non invidebis.*

Alterum illudque efficacissimum remedium est, quod Gregorius Magnus suppeditat: *f qui livoris peste planè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus una est, & singulis tota, quæ tantò largior esse ostenditur, quantò ad hanc percipientium multitudo dilatatur.* In domo Dei mansiones multæ sunt, sed gaudent quilibet beati, fratres omnes natu majores, hoc est gratiâ opulentiores, latiùs habitare, & hanc suam

a Boteri Polit. l. 1. de Orig. Urbium. c. 6. *b* Job. 5.
c S. Thom. 2. 2. q. 36. art. 1. ad 3.

d Basil. de invidia orat. 11.
e Lips. de constant. l. 2. c. 4.
f Greg. l. 5. mor. c. 34.

ſuam gloriam ducunt; tantum abeſt ut invideant. Inter mortales inſania eſſet, ut frater minimus ſenioris veſte indui vellet, quod plus panni inſumeret: aut ſi poculum loto vel congio invideret, quod tantundem capere nequiret. In illâ beatitudine omnes torrente voluptatis pro menſurâ gratiæ & capacitate ſuâ replebuntur: unde fiet ut S. Proſper ait: *a in illa Beatitudinis regione, nec majoris meriti ſibi aliquid quiſquam arrogabit, quia arrogantia ibi nulla erit, nec ſuperior inferiori invidebit, quia ibi invidus nullus eſſe poterit.* Sed fiet ibi ut inter fratres & propinquos ſive amantes, quiſque alterius gloriam ſuam ducat: *b quia tantumvis amoris in illa pace nos ſociat, ut quod in ſe quiſque non acceperit hoc ſe accepiſſe in alio exultet.* ad quam pacificam bonorum omnium poſſeſſionem ut pervenire valeamus: *c non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.*

a S. Proſper. l. 1. de vita contemp.

b Greg. l. 4. mor. c. 31. *c* Ad Gal. 5.



EMBLE-

EMBLEMA XI.

Fit arbor ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus. Matth. 13.



NON HÆC SINE NVMINE DIVVM. a

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Quod non b *unus passer cadat super terram*, nedum in hâc vel illâ arbore nidificet, *sine patre vestro*, nobis argumento esse potest, nil casu fieri aut fortuitò.

§. I. *Non casu sed consultò à divina providentia omnia gubernantur.*

§. II. *Propositum SS. Scripturis, aliisque sacris ac profanis historiis stabilitur.*

§. III. *Quinam in rebus maximè fortuitis, Dei providentiâ nixi sunt?*

a Æneid. b Matth. 10.

DOMI-

DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM.

Fit arbor, ita ut volucres cœli veniant & habitent in ramis ejus. Matt. 13.



NOn casu olim aquila, in excelsâ quercu nidum collocavit, & septem pullos educavit: nec casu hunc nidum C. Marius, *a* etiamnum puer conspicatus, secum pullos in urbem asportavit: qui non *b sine numine Divum*, sed infallibili Dei providentiâ, septimum illum aliquando Consulem fore præsagirent. Nec casu aut fortuitò accidit, volucres cœli in hac potiùs, quàm in illâ arbore, quasdam in dumo, alias in synapeos ramo, nidos ponere. Etenim æternæ hoc veritatis pronuntiatum est, de passeribus loquens: *Vnus ex illis non cadet super terram, sine patre vestro.* Nec super arborem, nec de ramo in ramum, nisi certo eoque æterno Dei decreto, desilit, quæ Divi Prosperi doctrina est, ipsum audite: *c Cùm Salvator dicit, unum passerem non cadere in terram sine voluntate Dei, & quod fœnum agri, quod post paululum mittendum est in clibanum, ipse tamen formet ac vestiat: nonne confirmat, non solùm istam mundi partem, rebus mortalibus, & corruptilibus deputatam, verùm etiam vilissimas ejus, abjectissimasque particulas, divina providentia regi? ne fortuitis perturbari motibus ea, quorum causas comprehendere non possumus, æstimemus.* Altiùs rem expendens Doctor Angelicus: unus, inquit, *d* passer non cadet super terram, *sine providentia Patris: & quare dicit hoc? quia consonat verbum illud, verbo ejus Levitici 14. quòd cùm aliquis curabatur à lepra, offerebat duos passeres, & unus immolabatur, alter verò cum ligno cedrino & hysopo intingebatur in sanguine occisi, & aspergebatur mundandus, & sic unus dimittebatur. Vult ergo quòd duo accipiuntur, & unus non occiditur, & hoc non fit sine providentia:* & quisquam in animum inducat suum, casu fortuito accidere, ut unus è filiis præmaturo fato occidat, hujus maritus in bello cadat, illius ædes lues invadat? Fortuito fortunatoque maximè casu adscriptum fuit, anno quo Franci Antverpiam obruere ac vastare decreverant, *e* mille quingentos Gallos, cives verò octoginta tres occubuisse; tot & non plures, quot annos ætas illa ab orbe renovato numerabat, nempè 1583. Illoque chronico expressum etiamnum legitur: AVXILIVM sVIs DEVs. Sed quis neget multis passeribus Gallos pluris esse, & cùm multis passeribus pluris sitis vos, & capillus de capite vestro, absque ejus nutu non decidat, *expone*, inquit Nazianzenus, *f unde hujusmodi*

a Plut. de viris illust. *b* 2. Æneid.
c S. Prosper. lib. sent. ex Aug. sent. 281. V. Ruiz. de provid. pag. 15.

d S. Thomas in Matth. c. 10. ℣. 29.
e Haræus an. 1583. fol. 346. *f* Greg. Naz. orat. 15. in plagam grand. col. 2. n. 4.

plaga

plagæ & flagra oriantur, & quæ sit eorum ratio: utrum inordinatus quidam ac præposterus, & gubernationis omnis expers universitatis motus, ac temeritas (tamquam videlicet nemo sit, qui rebus moderandis præsit) & denique casus hæc ferat? an potius universa hæc rerum moles, providentiæ fræno eam ducente, in diversum moveatur & collocetur? Quod apud omnes sanctum, ac indubitatum esse debere, comprobare aggredior.

§. I.

Nihil casu aut fortuitò fit, sed omnia consultò à divinâ providentiâ gubernantur.

SApientissimè Augustinus; *a quidquid casu fit, temerè fit. Quidquid temere fit, non fit providentia. Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non providentia universus mundus administratur.* Quod cùm adeò impium sit, ut Deum è medio tollere censeatur, rectè concludit: *nihil igitur casu fit in mundo.* Si res ipsas ad nostram dumtaxat seu providentiam, seu scientiam examinemus, plurima casu quodam & fortè fortunâ fieri putabimus; si ad divinam, cui ab æterno singula ac minutissima perspecta sunt, nihil casu fit: *b & sic omnia*, inquit, *ad divinæ providentiæ regimen referantur, quæ stulti quasi casu & temere, & nulla divina administratione fieri putant.* Exemplo res patefiet: herus è domesticis duos, herilis consilii ignaros, diversis viis mittit ad eundem omnino locum. Hic alterum alteri occurrere casus est, non domino sed servis: ita thesaurum reperiri à paupere fossore, casus est quidem illi pauperculo, sed non Deo, qui opes illic ideò recondi voluit, ut eas hic ipse mercenarius, eo loci fossurus, reperiret; & ditesceret; non casu, sed paternâ Dei providentiâ. idcircò

—— nemo temeraria credat,
Fortuitove geri mundana negotia casu.
Omnia lege meant, quam rerum conditor illis
Sanxit ab æterno.

Canem pinxerat Appelles, *c* cumque in reliquâ omni parte sibi satisfecisset, in eo spumam anhelantis exprimere nequibat: exterso sæpiùs mutatoque penicculo, indignabundus spongiam coloribus imbutam, in tabulam impegit, & insperatò spumam optimè expressit: consimilem eventum, ut videbatur, fortuitum, Nealces in spumâ equi consecutus est. Nos hæc talia mirissimos casus interpretamur, & totum fortunæ tribuimus, quæ in picturâ fecerit naturam: & Dei providentiam non modò de tabulâ sed & à mente tollimus:

d —— nos
Te facimus fortuna deam, cæloque locamus.

Poëtarum quidem figmenta comminiscuntur

—— Casusve, Deusve

Æneam sustulerit, sagittâ incertâ manu percussum, de quo Princeps poëta:

e Has inter voces, media inter talia verba,

a Aug. l. 80. quæst. 24.
b Aug. in Psal. 9.

c Plinius l. 35. c. 10. *d* Iuven. sat. 10
e Virg. l. 12. Æneid.

Ecce viro stridens alis allapsa sagitta est:
Incertum, quà pulsa manu, quo turbine adacta.
Quis tantam Rutulis laudem, casusve Deusve
Attulerit.

Fabulæ. Fidem & divinam quidem attestor: non casu Rex Achab, inter cervicem & scapulas læsus est: 2. Paral. 18. Rex Syriæ præceperat suis, ut non pugnarent, nisi contra solum Achab Regem Israël: *dixitque Rex Israel ad Iosaphat, mutabo habitum, & sic ad pugnam vadam; tu autem induere vestibus tuis.* Quò factum ut omnis hostis irrueret in Josaphat, illum cingeret, putans illum esse Achab; *accidit autem ut unus è populo, sagittam in incertum jaceret, & percuteret regem Israel inter cervicem & scapulas*, ex quo vulnere sub vesperam obiit. Certissimâ Dei manu ferebatur hoc telum, sicut & illud in Julianum Apostatam. Solum jacienti res erat incerta.

Nec minùs certissimæ Dei providentiæ adscribendum, quod teli jactum David declinarit, *a nec dexteræ erranti, Deus abfuit*: torserat in eum hastam furibundus Saul, *b putans quod configere posset David*; quo ictum declinante, in parietem impegit. *Præclarè Basilius: c hastam jacit in Davidem, ictum vero paries excipit, omnibusque facinus indicat: non enim omnia videns oculus hic curam remisit, neque jactum telum divinam providentiam prævertit.* Densam venator avium turmam conspicatus, in eam ferream grandinem ejaculatur: quædam cadunt, plures avolant, neque hæc *sine numine Divûm*: *d unus enim passer non cadet super terram, sine patre vestro.* Et erit, qui hoc fortunæ, & non Deo beneficium adscribat, si in bello hinc illinc, se illæso, socii à latere succumbant? Et erit qui felicem belli aleam, non Dei providentiam jactet, si equo glande trajecto, eques intactus evadat? Inopinato casui Martialis adscribit, suem è vulnere peperisse: *e*

Sus fera jam gravior, maturi pignore ventris,
Emisit fœtum, vulnere facta parens.
Nec jacuit partus, sed matre cadente cucurrit:
O quantum est subitis casibus ingenium!

Ejusmodi fortunata infortunia (ut homines loquuntur) sexcenta ad manum sunt. Sanctii Garsiæ, *f* Aragoniæ ducis mater, Vraca nomine: illo gravida, cum in bello contra Mauros fortis & animi plena mulier socia marito esset, lanceâ in latere, grandi vulnere percussa concidit, prole intactâ, quæ per vulnus manum exerens, viva extracta est.

Ante Bergas ad Somam, mulier uterum gerens, tormento bellico saucia occubuit, puero vivo & illæso.

Alia non minùs rara, quàm præclara Divinæ providentiæ argumenta, Caussinus noster adducit. *g* Naufragium passus pater cum filio, uterque undis invol-

a 7. Æneid. *b* 1. Reg. 18.
c Basil. orat. 15.

d Matt. 10. *e* Mart. lib. spectac.
f Rodericus Toletan. l. 5. de rebus Hisp.
g Caussin. court. S. tom. 3. man. 4 Garassus doctrine curieus. 9. l. 4. sect. 6.

volvitur, submergitur pater, filius pro tabulâ parentis cadavere ad littus enavigavit. Anno 1627. in urbe S. Severini, decem millia hominum terræ motu perierunt: cùm ipsis ædibus & turribus vasta campana deciderat, quæ cæteris omnibus ruinâ oppressis, puerum inter rudera incolumem texit, ac protexit. Nec minùs stupendum, quod Recupitus ex Dione refert: *a* ingenti terræ motu, Antiochiæ sub Trajano exorto, neminem inter ruinas vivum repertum, præter puerum matris mortuæ ubera sugentem. Sed ut & in altero elemento exemplum habeatis: Anno 1570. *b* Nocte ante lucem omnium sanctorum, oceani exundatio hausit aliquot Zelandiæ Insulas, magnam Hollandiæ partem, totam ferè Frisiam, strage non modò fortunarum planè incomparabili, sed hominum quoque, vel in sola Frisia viginti millium. Submissi cum cimbis per dies insequentes, ut naufragii reliquias colligerent, nonnullos superstites in collibus & arboribus, extremum spiritum trahentes excepêre: interque eos Senecensi in colle repertum infantem, illuc cum fele cunis advectum, placidissimè dormientem, diluvii & naufragii unicè securum.

Ubi hoc paucis parentes monitos velim, non casu, non fortuitò, sed paternâ Dei, omnia infallibiliter disponentis tutelâ, liberos vestros inter mille pericula, incolumes versari. Quis in ripâ fluminis ludibundos à submersione? Quis ex editiori loco prospectantes, à præcipitio? Quis in plateis à citatis equis, à rabido cane? Quis ab herbis noxiis? à spinis piscium, ab aciculis ori insertis? Quis ab aëre, ab igne, fulmine, alioque præsentissimo vitæ discrimine innocuos, lætos, omnis periculi ignaros servat, nisi ille, qui Angelis suis mandavit, ut in omnibus viis eos custodiant, ne fortè offendant ad lapidem pedem suum? *c* Mithridates Rex Ponti, cùm adhuc infans in cunis vagiret, delapsum fulmen fascias, quibus involutus erat, exussit, levi ignis vestigio dumtaxat in fronte relicto; non cæcum tamen, nec vagum fulmen fuit, certâ Dei manu vibratum: uti & illud, quod teste Plinio, *d* Marciam Romanam principem afflavit, partu exanimato, matre citra ullam læsionem superstite. Nos cæci hæc casu fieri putamus, quia nemo nostrûm Dei consiliarius fuit, nec tabulas ejus inspexit, ubi hæc ante omne ævum accuratè consignata. Quam Dei providentiam aptâ similitudine, ludo chartarum conferre placuit, in quo qui lusoribus assidet, eorumque chartas inspicit, nil miratur, nec inopinatò accidit, si hic præ illo ludum lucretur. Ludum ejusmodi mortalibus certè occultum, divina providentia lusisse videtur anno 1546. *e* dum noctu horâ undecimâ fulmen Mechliniæ per rimam, in pulverem nitricum delapsum, turrim è fundamentis in altum, integram sustulit, quæ in aëre disrupta, ingentes quadra-

a Ibid. Recupit. de incendio Vesuvian. pag. 125.
b Strada de bello Belgico anno 1570.

c Muret. l. 1. var. lect. *d* Plin. l. 2. c. 51.
e Ponti Heut. hist. Belg. vitæ Caroli V. part. V. an. 1546.

tos lapides per universam urbem disjecit: insuper ad quadringentas ædes dissilientes, non minùs detrimenti intulêre: vitreæ prope omnes fenestræ Mechliniæ confractæ; ligneæ verò, uti & januæ, seris pessulisque effractis patuêre. Homines ad quingentos oppressi, vulnerati ad bis mille: nulla enim universâ in civitate fuit domus à clade immunis: varii è strato se proripientes, ac fenestris tumultus causâ, capita exerentes, ex transvolantium lapidum nimbo periêre. Reperta fuêre mortua mutilaque corpora ad sesquimilliare extra urbem explosa, quæ horrendum in modum ex arborum ramis, hinc inde discerpta pendebant: præ cæteris tamen maximè stupendum omnibusque

——— *(sed non sine numine Divûm)*

funestum spectaculum, cadaver concubinæ Prætoris A A. quæ flavescenti capillitio ex arbore nudâ dependens, aperto ventre, intestinis defluentibus, ingenti cum horrore ostentabatur. Civitatis fossa ad ducentos passus sicca conspiciebatur; piscibus magno numero per agros & arborum summitates, dispersis. Arbores cerasis aliisque fructibus, pleræque radicitus evulsæ; cæteræ foliis fructibusque spoliatæ

——— *(nec hoc sine numine Divûm)*

eodem autumno flores ac fructus reddidêre. Multis locis vir uxorem, illa maritum aut saucios liberos exstinctos, & inter rudera oppressos quæsiêre; quos non casus ille inopinatus, sed æternitatis decretum in mente divinâ ante mundi constitutionem tali fato, tali momento perituros designarat; & certo Dei consilio illos & illos hisce etiam ruinis incolumes evasuros: nam, ut subdit idem Auctor: Puer in plateâ, negotii causâ cum lumine incedens, in aërem à lapide abreptus, eidem incumbens, in terram illæsus rediit. Per octo dies cives rudera perscrutantes, saucios mortuosque detexêre. Quos inter repertus vir nudus, rogans num mutato universitatis statu, Christus ad generale totius humani generis judicium venisset? Denique ne hîc longior sim, congerrones aliquot potatum ad tabernam cerevisiariam iërant, temporisque terendi, symbolique conficiendi causâ, chartis lusoriis certabant; Hospita ad promendam cerevisiam in subterraneâ erat cellâ: rediens, hospites ad mensam, ut eos reliquerat sedentes omnes, sed mortuos reperit, manibus chartas lusorias tenentes. Hujus ludi inopinatum exitum obstupescimus, quia Dei colludentis, & ludentis in orbe terrarum, arcana consilia ignoramus. Hîc fidem vestram appello, Auditores, si nec folium ex arbore, nec pilus è capite, nec tegula è tecto, nec stiria è canali, nec gutta è cœlo cadat sine patre vestro,

——— *Num hæc sine numine Divûm*

accidisse quis ambigat? Rectè de iis omnibus, quæ hactenus enarrata sunt, Sanctus Prosper pronuntiavit: *a quorum nihil fortuitis motibus subjacet, & singula quæque ejus legibus serviunt, qui ut vult*

a Prosp. in Psal. 148.

de

de omnibus atque in omnibus ſecundùm cauſas occultæ rationis operatur. Hoc in animum certiſſimè quiſquis induxerit ſuum, is omnes caſus quantumvis adverſos ac ſiniſtros divina quadam induſtria, & ſancta dexteritate in ſalutis ſuæ veriſſima adminicula convertet. Quam praxim edocuit, qui alveum luſorium depinxit, in quo jactu perquam infauſto, ut teſſeræ unitatem referrent, dexterè utendum docuit, ſubjecto lemmate:

—— *Si cecidi malè, corrigar arte;*

quod peritis luſoribus familiare eſt. Hoc artificium & nobis uſurpandum: nam ut Stobæus ſerm. 103. vita res eſt ludo teſſerarum ſimilis: non eadem cadunt ſemper, neque vitæ eadem manet ſpecies; ſed variat. Accedit Socraticum illud: Aleæ ludo ſimilis eſt vita, quidquid evenit, veluti quandam teſſeram diſponere oportet: non enim denuo jacere licet, neque teſſeram aliter ponere. Simili modo Terentius: *a*

Ita vita eſt hominum, quaſi cùm ludas teſſeris;
Si illud quod eſt maximè opus, jactu non cadit,
Illud quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Quod divinus Plato confirmat, *b* dum humanos caſus cum jactu aleæ conferre non dubitavit, quem aleator quidem maximè proſperum exoptat; utcumque tamen ceciderit adhibenda artifici cura eſt, ut eo quod jactus tulerit, quàm rectiſſimè utatur: quorum alterum in nobis ſitum non eſt, aleæ videlicet jactus, alterum ſitum eſt. Si ſapientes ſimus, id quod *caſuſve Deuſve* attulerit æquo ut animo excipiamus. Non vicini invidiæ, non ancillæ incuriæ, non conjugis indulgentiæ, non aëris inclementiæ; ſed divinæ providentiæ, noſtræ malitiæ, animæ medicinæ imputemus; atque ita quiſque quod cecidit malè, corriget arte, infallibili fide convictus, omnia unius Dei nutu certiſſimè gubernari.

a In Adelph. Act. 4. ſc. 7.
b Plut. de tranq. ani.

§. II.

Propoſitum ſanctis Scripturis, aliiſque ſacris ac profanis hiſtoriis ſtabilitur.

Libro Tobiæ capite ſecundo refertur, quemadmodum hirundines domum ejus involarint, nidificarint, & virum optimum viſu privaverint: *Contigit autem, ut quodam die fatigatus à ſepultura veniens in domum ſuam, jactaſſet ſe juxta parietem & obdormiſſet: & ex nido hirundinum, dormienti illi calida ſtercora inciderent ſuper oculos ejus, fieretque cæcus;* quàm verò hæc oculorum orbitas non caſu, aut fortuitò acciderit, ex eo patet, quod ſubjungitur: *hanc autem tentationem ideò permiſit Dominus* (non caſus aut fortuna) *evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & ſancti Iob:* cujus non caſu, turbine repentino irruente, domus everſæ, pecora & homines obtriti; ſed divinæ Providentiæ hæc accepta referens, exclamat: *c Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſit nomen Domini benedi-*

c Iob cap. 1.

ctum. Quare electi Dei tam dirè, tam dure vexati? quare cives, Deo, legi, ac Regi fidelissimi, hoste irruente, bonis omnibus exuti, profugi, patriâ extorres, ad extremam rerum omnium penuriam redacti sunt? *ut posteris daretur exemplum patientiæ*, ut in paucis vexati, in multis benè disponantur. Quod ut alios omittam in Andronico factum fuisse, ostendit pluribus Nierenbergius. *a*

Acerbum quidem, sed verissimum mortales casum extollunt, si quis feram in sylvis configere tentans, amicum, propinquum aut parentem inscius occidat: si in nemus abierit ad ligna cædenda, *b Et securis fugerit manu, ferrumque lapsum de manibus, amicum ejus percusserit & occiderit*. Si parens in scopum collimans, filium unicum aut prædilectum, per tempora telo transfixerit, ut Gandavi accidit; cui filio moribundo adfui. Hunc tamen inopinatum interitum, minimè casu accidisse ex divino illo colligere est testimonio: *c Qui non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus:* non erit reus mortis. Cur non dicit sacer codex: si quis casu aut fortunâ occiderit alterum? Aptè Caietanus: *homicidium repentinum justo Dei judicio Scriptura attribuit, ut quamvis percutiens, non paraverit occisionem illius; tamen justo Dei judicio paravit illum occidendum inopinatè. Et hoc scribitur, ut discamus non casui vel fortunæ illos occursus attribuere; sed providentiæ supremi & occulti nobis judicii.*

In regiâ Academiâ Madritensi, *d* sacrarum litterarum Professor, non casui, sed providentiæ Dei imputat, quod quidam Madriti opportunatissimam saluti æternæ mortem putarit supplicium suspendii: ideo importunis Deum precibus id postulabat. Accidit ut quadam die Dominicâ, cùm innocens & liber esset, per somnium intelligeret ante diem Veneris, suspendio se fore plectendum. Ita evenit: nam obviis lictoribus repugnans, comprehensus fuit, & statim morte damnatus: Die Jovis publicè deductus subiit patibulum. Non sors, non somnium, sed *Deus illum tradidit in manus*.

1. Regum 6. Palæstini cùm experti essent gravissima mala, quòd Arcam Dei penes se servarent, tandem decernunt in locum suum eam reducendam, sic ut plaustro novo sine ullo rectore vel aurigâ imposito, à vaccis traheretur. *Si quidem* (inquiunt) *per viam finium suorum ascenderit (arca) contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minime, sciemus quia nequaquam manus ejus tetigit nos, sed casu accidit.*

O vacillantes in fide! vos enormiùs, quàm vaccæ deliratis. Melius quidam amicorum Job, nomine Eliphaz: *e nihil in terrâ sine causâ fit, omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuit.*

Quod ille tam diu ægrotet, illa familia tot malis conflictetur, tantum de fundis, de reditibus annuis deperdat: in his omnibus divinæ gubernationis admiranda elucet providentia, quæ non præest solùm rebus omnibus, sed in-

a V. Nieremb. Theopol. p. 1. l. 2. c. 29. *b* Deut. 19. *c* Exod. 21.

d Nierenb. cit. *e* Iob cap. 5.

tereſt, imò ineſt. In quo Chriſtianè Triſmegiſtus ethnicus de Deo ſenſit, dicens: *tamquam auriga peritus currum hunc mundi firmans in ſe atque alligans, ne incompoſite feratur.* a Appius in exilium ablegatus, omnes fortunas ſuas, quæ opulentiſſimæ erant, convaſavit, ac unà cum illis ac famulorum comitatu, myoparone trajicere tentavit; ſed famuli prædæ inhiantes, dominum omnibus exutum, lembo imponunt; ipſi interim direptas opes inter ſe partiti, miſero naufragio perierunt, domino ſalvo. Ariſtomenes in manus hoſtium delapſus, in ſpecum ſubterraneam detruditur, ut fame ac ſiti exſtinguatur. Jam omnem vitæ ſpem amiſerat; dum ecce arcanâ viâ exitum invenit: vulpes enim inſperatò ſub terram in antrum penetravit; quam Ariſtomenes caudâ prehenſam inſequitur, & manu alterâ terram egerendo, aditum ſedulò laxabat quà intrarat: donec in apertum prorupit, qui vivus ſepultus credebatur. Non temerè ac ſine causâ fiunt, quæ in terrâ hominibus accidere videntur. Divus Auguſtinus locuples teſtis eſt, explanans illa verba Pſalmi 9. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Non in toto corde, inquit, confitetur Deo, qui de providentiâ ejus in aliquo dubitat*; qui de providentiâ ejus dubitat, ut litem lucretur, ut tale officium, tantam hæreditatem conſequatur, ut filium aut filiam apto matrimonio jungat, cùm *b à Domino uxor prudens* præparetur: quod ignorârat temerarius ille, *c* qui jactabat ſe poſtridie uxorem ducturum: quem cum amicè quis moneret, hanc clauſulam apponeret, *ſi Deo placitum*: reſpondit; velit, nolit Deus, cras ducam uxorem: & eheu eodem veſpere fornice domus corruente, unà cum amaſiâ obtritus eſt. Optimè Syracides: *d Mala & bona, vita & mors, paupertas & honeſtas, à Deo ſunt.* Duo deſcribuntur 4. Reg. 13. quæ planè videntur caſualia; ſed apud homines, non apud Deum. Gravis morbus Heliſæum vexabat, qui hoſtium terror, & patriæ columen habebatur; ad quem Joas lachrymabundus venit, & ſuam populique ruinam deplorans, dixit Heliſæo: *Pater mi, Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus.* Et ait illi Heliſæus: Offer arcum & ſagittas; & apertâ feneſtrâ orientali jubet ſagittam emittere, ac denuo mandat Propheta: *Tolle ſagittas, & percute jaculo terram*; cùmque tertiò duntaxat terram percuſſiſſet, indoluit Heliſæus & indignatus, inquit: *Si percuſſiſſes quinquies aut ſexties aut ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Alterum merè fortuitum quis duxerit, ut mortuo Heliſæo ac ſepulto, viri pii deferrent cadaver alicujus hominis humandum, qui conſpicati latrunculos ſupervenientes, præproperè cadaver hoc in Eliſæi ſepulchrum, quod propè erat, conjecerunt; idque ut attigit exanime corpus Prophetæ, *revixit homo & ſtetit ſuper pedes ſuos.* Id caſu factum non eſt, ſed conſi-

a Fulgoſ. l. 6. Nieremb. differentia æterni & temporalis. l. 3. c. 2. *b* Prov. 19.

c Garaſſus doctr. cur. l. 4. ſect. 21. *d* Eccl. 11.

lio planè divino, ut hi latrunculi opportunè exilirent, illi mortuum in sacrum tumulum abjicerent, quò sanctitas Prophetæ magis elucesceret. Non casu Moyses in vimineâ fiscella expositus, *a* à filiâ Pharaonis repertus & adoptatus, inque ipsâ aulâ educatus; ut aliquando de parvulis secum in flumen abjectis, vindictam sumeret. *Novum miraculum*, inquit Augustinus, *filia parricidæ fecit opus maximum misericordiæ; non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

Pater Saulis non casu amisit asinas. *b* inde adornata occasio, quæsitum mittendi filii, ungendi à Samuële, regnaturi in Israël. Quis non exspectabit salutem, cùm è rebus minimis possit Deus illam fabricare? quis rebus desperatis non ampliabit spem, cùm ex ipsis infortuniis norit Deus fortunare? Et quos ut eventus adversos, & casus fatales lugemus, divino consilio, prosperitas supra quàm sperare potuimus, emanet? Phalaræus à capitali hoste altum vulnus pectore excepit, *c* quod illi saluti fuit: nam mucro occultum apostema & fœdum ulcus tetigit, nullâ arte medicâ curandum: quod apertum Domino vitam servavit. Quò fortè spectat illud Senecæ: *d Tuber, quidam tyranni gladio divisit qui ad occidendum venerat.* De leproso Galenus commemorat, qui ab hominum societate secretus, vagus in messores incidit: hi commiseratione tacti, ut hominem hoc tam gravi morbo levarent, veneno vitam accidere decrevêre; oblatâ vini amphorâ, cui serpens immersus fuerat. Sed hoc velut alexipharmaco, omni suâ leprâ mundatus est: ita uxor, quæ marito potionem venenatam propinarat, dum de effectu desperat, alterum poculum miscet, quo illi vitam donauit: quæ Ausonius non casui, sed curæ Deorum adscribit: *e*

Quàm pia cura Deûm! prodest crudelior uxor;
Et cùm fata volunt, bina venena juvant.

Benivenius capite decimo quinto narrat se juvenem novisse utroque pede adeò claudicantem, ut fulcris ægrè incederet. Hunc pestis corripuit, quæ pedes extendit, & nervos laxavit, ut posthac rectà incederet. Mirandum magis, quod architecto accidit, qui cùm unum crus, altero protensius haberet, ubi ex editâ turri decidit, utrumque crus casus æquavit, nec ultra claudicavit. Quis credat consimili casu, visum cæco restitutum? quod Alexander Benedictus affirmat, dum scribit se novisse cæcum, qui graviter in capite saucius, visum recuperavit. Alius mulierem fatuam, *f* quæ ad parietem caput confregerat, ad mentem rediisse asserit. Ad hæc velim illud Hieronymi quisque altè in animum dimittat: *Omnia providentiâ Dei gubernantur, & sæpe quæ putatur pœna medicina est.* quandoque corporis, sæpius animi. Flevit Franciscus Borgias fata

a Exod. 2. *b* 1. Reg. 9.
c Plin. lib. 7. cap. 50. Nierenb. cit.
d Senec. lib. de benef. cap. 19.
e Auson. lib. 1. epig. 10.
f Rondelec. de Melanc.

Im-

Imperatricis, *a* Caroli Quinti uxoris; at inde sanctitatis ejus auspicia, ejus gloriæ adornabantur: nam perdoctus majestatis humanæ humillimos exitus, æterno solùm Imperatori servire statuit. Bella & invasio Gallorum; oppugnatio Pampelonæ, æneus globus in mœnia impactus, qui Ignatium dejecit, & liber fallendo tempori in manus sumptus: hæc omnia *non sine numine Divum contigêre:* hinc porrò molitus est Deus S. Ignatii Patriarchæ nostri sanctitudinem: & inde Xaverii, Oviedi, Anchietæ, & tot populorum fidem, in orbis angulis latentium. *b* Quis putaret fidem Bulgarorum (gens ferox erat & contumax erroris) sperare potuisse, quòd Monachus in manus incideret, qui pictoriam didicisset? re tam levi, totum regni emolumentum stetit. Sancti Joannis Gualberti, & tot Religiosorum hominum, ipsius institutum sectantium, sanctimonia manavit è tam minuto euentu, ut in bivio non hoc sed illo tramite pergeret, quo fratricidæ occurreret. Tam subtiliter, tam artificiosè nostram fabricatur Deus salutem. Acquiescamus igitur, si videamus repentino casu justos opprimi, religionem everti, impios elevari: nihil enim horum absque Dei moderantis manu potest evenire, cujus consilia nobis arcana sunt, & quæ modò causis secundis vel imprudenter, vel erroneè, vel malè imputantur, ubi coram facie ad faciem eum intuebimur, in quo omnia sita sunt; & ut facta intellecta conspicientur, tunc apparebit omnia illius nutu, ac fini optimo fortiter suaviterque disposita fuisse.

a in Vita. *b* Cedrenus.

c Regem illum contemplare, qui in medio mari convivium dynastis suis dapsile apparavit, luxu, ut putabatur, barbaro; nam quodque ferculum delibatum unà cum argenteâ lance in aquas præcipitabat: mirati Aulici prodigalitatem, & jacturam indignati. At ille sub aquas retia pandi jusserat, quibus postea attractis, non modò omnem supellectilem argenteam in tuto habuit; sed magnam insuper piscium copiam conclusit. In vasto hujus orbis oceano, familiam quisque suam navem autumet, ex quâ divitiarum, famæ, valetudinis, liberorum, omnium denique jacturam bonorum fieri conspicatur; sed ne fortunam, ne sortem suam incuset: erit enim aliquando ut illa sibi cum fœnore reposita inveniat. Unum illud hinc colligat animosum Christiani hominis pectus, æquissimo atque sereno animo omnia ferre: cùm nihil melius ei consulere posset. Revereatur omnes eventus, etiam inimicos. Quæ nobis casus sunt, Deo sunt consilia. Timeat vota sua cùm non possint superare eventus. Feliciùs res accidunt, quàm quæ consulimus nobis.

c Drex. rosæ pars 1. cap. 14. §. 6. tit. fiducia.

§. III.

Quinam in rebus maximè fortuitis, Dei providentia nisi sunt.

COnsiderate mihi, obsecro, Josephum Ægypti Proregem

gem, per quos anfractus, per quas ductus est ambages, dum ad illud honoris culmen pervenerit: tantæ gloriæ principium, fraternum fuit odium. Neque hîc stetit malorum impetus: domesticam invidiam ingens excepit malum. Ismahelitis velut mancipium venditus est, & in Ægyptum ductus. Nec blandior illum sors in Ægypto salutavit. Hic favor dominæ tam exitiosus fuit optimo juveni, quàm antea fratrum odium. Cùm enim juvenis castissimus, quotidianas heræ illecebras surdis auribus transmitteret, apud herum falsò delatus, ad carcerem raptatus, triennio illic innocens detentus est.

Per tot pericla, perque tot structos dolos
Felicitatis verticem summum attigit.

Et hæc omnia non casu, sed divinæ providentiæ jussu facta, locupletissimus ipse testis fratribus exposuit: *a non vestro consilio*, inquit, *sed Dei voluntate huc missus sum: nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati? vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum:* quibus aurea subnecto verba Chrysostomi: *b hæc non solùm audiamus nos, sed & imitemur, & ita solemur eos, qui nos afflixere: non imputantes eis, quæ in nos admiserunt, sed omnia magnâ ferentes benevolentiâ.* Si quidem ita solet providentissimus Deus deterrimos etiam amicorum eventus, letissimis successibus commutare. Sæpe beneficiis locum fecit injuria, multi ceciderunt ut altiùs surgerent, & in majus; divina providentia non modò rectè factis, sed etiam peccatis, ad ea, quæ destinavit, uti solet. Quid tristius humani generis casu? Hunc tamen Dei bonitas hic extulit, ut dicatur: *c ô felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Tolle Iscariotæ avaritiam, & Judæorum invidiam, simul abstuleris gentis humanæ lytrum, Christi sanguinem & mortem. Sed cœptum prosequamur: Josepho jungendus alter, Chariton nomine, qui cùm Hierosolymam tenderet, latronum insidiis interceptus, in spelæum illorum tractus, & catenis alligatus est. Latronibus aliò ad prædam dilapsis, Chariton hoc unum agere, Deum Divinamque potentiam maximis laudibus extollere, inopinatam illam permissionem secum expendere, ob eamque patri amantissimo gratias agere, eidemque se impensissimè commendare, nec aliud velle, quàm divinam in se voluntatem perfici: dum hæc animo volvit, serpens è latebrâ prorepit ad scutellam lactis plenam; bibit hinc largiùs non vocatus hospes, sed pro symbolâ, quod ingrati solent, venenum refudit. Ubi latrones in notum cubile redierunt, primum erat ardentem sitim lacteâ promulside propitiare: biberunt liberaliùs quàm serpens, sed ita ut nil biberent amplius. Nam paulò pòst, concepto intra venas veneno, exstincti sunt omnes. Ergo jam Chariton latronum ex asse heres, & solus infamis latibuli dominus, divinæ se pro-

a Gen. 45. & 50. b Chrysost. hom. 1. in cap. 45. Gen.

c Metaph. die 28. Sept.

viden-

videntiæ ardentiùs, quàm umquam commendavit. Nec frustrà: vinculis ope divinâ laxatis, pro miserabili ergastulo, habitaculum reperit opulentum, & pecuniam quidem illic inventam, partim sublevandis egenis, partim monasteriolo condendo adhibuit. Ipsam latrocinantium specum in templum mutavit; ubi tam Judæi, quàm idololatræ Christianis sacris imbuti sunt. O admiranda divinæ providentiæ stratagemata! optimè Tobias: *a* si *me ipsum*, inquit, *tradam tibi servum*, *non ero condignus providentia tua*. Hæc qui legit & intelligit, an ullos umquam casus perhorrescet? an non omnia quantumvis fortuitò, à Deo certò destinari persuadebit? exempla desideratis? *b* Cosmus Medices Florentinus, miserat Alphonso Regi Aragoniæ libros Titi Livii, quos cùm medici regem attrectare prohiberent metu veneni, ille cogitabundus aliquamdiu hæsit, tandem divinæ providentiæ confisus, arripuit & pervolvit, adstantes gravi vultu sic compellans: *an ignoratis Regum animas, non privatorum libidini subjectas, sed sub Dei curâ securas?* Probè hoc imbiberat Carolus Imperator V. qui dum inter glandes, & tormentorum globos versaretur, à Mauritio Saxoniæ duce monitus sibi caveret, uti & ad Ingolstadium, ne inopinato aliquando ictu feriretur, intrepidè respondit: *nullum unquam Imperatorem, qui Deo curæ, tali telo percussum interiisse*. Norant hi nihil casu, aut fortunâ, sed solius Dei nutu fieri. Hinc Ecclesiæ preces illæ: *c Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur.* Quæ repentina putamus, illi ab æterno adsunt provisa. In quo idem nobis evenit, quod ei, qui horologium in turri considerat; hic gnomen seu indicem horologii videt, ipsum horologium & artificiosam rotularum constructionem non videt. Homo agrestis indicem se ipso credat moveri, idque non consultò sed casu: ita prorsus gubernatio Dei occulta, sed ordinatissima: indicem illius in rebus omnibus videmus, sed admirabile divinæ providentiæ artificium nequaquam cernimus.

Agrestes sumus & bardi, si repentino casu fieri putemus, ut sereno die ilicò turbo exoriatur, imber decidat, tonet, fulguret, ventus à Septentrione spiret, aliaque inferioris aëris fortuitis motibus agitari, quos Africanum sidus dilucidè perstringit verbis illis Psal. 148. *d Ignis, grando, nix, glacies, spiritus tempestatis, quæ faciunt verbum ejus: nihil enim tam videtur casibus volvi*, inquit, *quàm omnes istæ procellæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli hujus inferioris (quòd non immeritò etiam terræ nomine deputatum est) facies variatur & vertitur. Sed cùm addidit, quæ faciunt verbum ejus, satis ostendit, earum quoque rerum ordinem, divino subditum imperio, latere nos potiùs, quàm universitatis deesse naturæ.* Quæ cùm ita sint, quid ad alia majora hallucinamur? pudeat Ethnicos in hac

a Tob. cap. 9. *b* Picarti decad. 12. c. 7. Æneas Syl.

c Dominica post Pentecost.
d Aug. hic.

parte oculatiores fuisse. Unum ex omnibus, ut concludam, gentilem Philosophum audiamus, qui Lucilium suum divinæ providentiæ consideratione, contra casus rerum humanarum inopinatos sic præmunit: *a senties & confiteberis nihil ex his optabilibus & caris, utile esse, nisi te contra levitatem casus, rerumque casus sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela, inter singula damna dixeris: diis aliter visum est: dii meliùs. Sic composito nihil accidet.*


a Senec. ep. 98.

Ita & tu Christiane in prosperis & adversis, ita Deo Optimo Maximo visum est: ita suavi Dei providentiâ ordinatum est.



EMBLE-

Si quis non vult operari, non manducet. 2 Thessal. cap. 3.



HOC OPVS HIC LABOR EST. a

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Horologium iners, ac totâ die otiosum, quid mali ac turbæ in Republicâ concitet, experientiâ compertum est; quid verò mali otium in animis hominum generet, illo Ecclesiastici manifestius est:

§. I. b *Multam malitiam docuit otiositas.* Quam ut excutiamus, rectè Propheta conditionis nostræ, quâ conditi sumus, nos memores esse voluit, dum dixit:

§. II. c *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volandum.* Quid? quod homini adeò non otiandum sit, ut Paulus moneat: *si quis non vult operari, non manducet*; & prima veritas comminatur:

§. III. d *Per otium & pigritiam veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.*

a Virg. 6. Æneid. b Eccl. 33. c Iob. c. 5. d Prov. 6.

DOMI-

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Quid hîc statis totâ die otiosi? Matth. 20.

HOROLOGIUM vobis exhibeo non minùs elegans, quàm pretiosum, auro vermiculatum, argenteis radiis in horas distinctum, pellucidæ crystallo insertum, in quo nihil desiderari posse videatur, nisi quod quandoque hallucinetur, hæreat, & omnino immotum conquiescat. quod ipsum dumtaxat adeò gravi in eo vitium est, ut nulli usui subservire queat; hinc, ut cætera adsint, vir perillustris otium insectatus, *a* hujusmodi inerti horologio aptè inscribit: *ipsa quies vitium est.* Homines horologiis consimiles dixit Seneca: in his si quis otium deprehenderit, is latens vitium manifestò arguerit. hoc aurei oris oraculum est: *b nihil boni facere, nihil aliud est, quàm facere aliquid mali.* exempli causâ inquit ille: *si servum habeas non rapacem, non ebriosum, non contumacem; sed sobrium, moderatum, vitii omnis expertem: idem tamen totos dies, si domi sedeat otiosus, omittatque ea, quæ ad munus suum attineant, nonne graviter vapulabit? atque nihil maleficii commisit; sed satis maleficii est, munus officiumque suum neglexisse. Quid? agricola, qui cæteris quidem in rebus vacet culpâ, sed domi desideat, non serat, non aret, non vites colat; nonne is quoque vapulabit? at nihil injuriæ intulit, nihil damni; verùm cessationem ipsam injuriam damnumque ducimus. Atque etiam in ipso nostro corpore, si manus ita affecta sit, ut non linguam quidem illa præscindat, non oculos eruat, nihil denique detrimenti afferat, sed desidiosa cesset, reliquo corpori nullo modo inserviat; quis non istiusmodi manum inutilem & (ut paralyticam) præscindendam potiùs, quàm retinendam putet?* eodem pacto ait ille, non modò aliquid fecisse mali, verùm etiam aliquid omisisse boni ac nihil egisse, grave malum comprobatur. Norat hoc ille, de quo Pontanus noster in Bellariis: *c* vir uxorem, quam otio ac socordiâ prorsus desidem comprehendit, verberibus bene mulctavit; cui cùm illa reponeret, injuriâ se verberari, quandoquidem nihil faceret, caussamque ab eo quæreret? *ob id ipsum*, inquit ille, *te verbero, quia nihil facis.* sed ut altiori rem testimonio confirmemus: quid admisisse censendi sunt, quos hodiernâ die supremus ille Paterfamilias increpare non dubitavit? nullius criminis illos insimulavit, quàm otii, sic eos perstringens: *d quid hîc statis totâ die otiosi?* dura & metuenda nobis hæc increpatio, Auditores, *quid hîc statis totâ die otiosi?* quid hic stamus nos Christiani? inquit Origenes ille Adamantius, *e qui ad operandum in baptismo conducti sumus,* & porrò si eos arguat, quos nemo adhuc conduxerat, qui nulli operam

a D. A. Burgundia. mundi lapis lydius c. 19.
b Chrysost. hom. 18. in ep. ad Eph.
c Pontan. attica Bellar. p. 1. pag. 408.
d Matth. 20.
e Orig. in tract. 10. in Matth.

suam

ſuam elocârant, nec fidẽ obſtrinxerant; quantò veriùs & ſeverius conductos, & arrha obſtrictos, adhuc in foro otioſos ſtantes perſtringeret? Ecquos paterfamilias coarguit? homines operarios, qui alioqui laboribus perpetuò inſudant. quos coarguit? illos, qui in forum venerant, ut operam ſuam elocarent. quos coarguit? illos, qui unicâ die ſteterant otioſi. quid dicturus illis fuiſſet, ſi in forum non niſi otiatum veniſſent, ſi totas hebdomadas, & menſes ſtetiſſent aut deambulaſſent otioſi, ſi per omnem vitam laboris exoſi, otium ſectati fuiſſent? quod pro rei gravitate appendit Bernard. dicens: *a cùm arguantur otioſitatis ipſi quoque quos nemo conduxit, qui jam conducti ſunt, ſi otioſi inventi fuerint, quid merentur? fides quippe ſine operibus mortua eſt.* Quid merentur Chriſtiani qui hoc unum agunt & ſatagunt, ut nihil agant, idque uſque dum animam agant? quod quàm indignum, quamque otium omne protinus excutiendum ac execrandum fit, ex dicendis patebit.

a Bern. ſerm. 2. in Purif. B. Virg.

§. I.

Multam malitiam docuit otioſitas. Eccl. 33.

OTium in ferro rubiginem, in ligno cariem, in panno tineam, in domibus ruinam, in terrâ ſterilitatem, in aquâ putredinem, in aëre peſtilentiam generat. quid non faciet in homine? juvat hæc è Patrum ſenſu eruere. Chryſoſtomus, *b ſicut terra*, inquit, *non occupata ſemente, aut conſitione, quamlibet herbam producet: ſic & anima, quoties non habet quod agat rerum neceſſariarum, cùm omninò cupiat aliquid agere, pravis actionibus ſemet tradit*; atque haud ſcio, an ob eam cauſam Deus per Prophetæ perſonam queratur: *c Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.* quòd ſcilicet terra tam ſedulò exculta, tot beneficiorum imbribus irrigata, tot ſolis juſtitiæ radiis tepefacta, ſi uberes fructus non ferat, ſed per ignaviam infelix lolium & urticas germinans, mala retribuat pro bonis ei, qui tot illam benedictionibus dulcedinis prævenit. Hauſerat hoc, ut opinor, ſanctiſſimus Antiſtes, ex illo Sapientis: *d per agrum hominis pigri tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant ſuperficiem ejus ſpinæ.*

b Chryſoſt. homi. 7. in 2. ad Cor.

B. Laurentius Juſtinianus ab altero elemento ſimilitudinem inducit: *e ſicut aqua, quæ caret decurſu ac jacet in foveis, putreſcit, ac humano uſui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis, & noxiis: ita & corpus otii tabe confectum, concupiſcentiarum carnalium parit inſaniam.* ſi quidem magiſtro amoris monente,

f Quàm platanus rivo gaudet, quàm populus undâ:
Et quàm limosâ, canna paluſtris, humo,
Tam Venus otia amat.

In hac ſtagnanti ac turbida aqua, vult D. Thomas pigrum dæmonem piſcari. *g* cùm *otium* vocet *hamum diaboli*, quo tot pueri, puellæ,

c Pſal 34. *d* Prov. 24.
e Laurent. Iuſtin. de perfect. gradib. c. 5.
f Ovid. l. 1. de remed.
g V. Novarini adag. pag. 204.

puellæ, viri ac fœminæ inescantur. & quoniam in aquis versamur, libet hîc è Claravalle rivum derivare, quem melleo ore sic profert Bernardus: *a sicut per rimam sentina aqua latenter intrat & excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergitur: ita ex otio atque ignaviâ, cogitationes pravæ, & concupiscentiæ multiplicantur, donec navis cordis, eis succumbens, in peccato periclitetur.* quantus verò hic otii hostis exstiterit, rursus indicat, dum dicit: *b omnium tentationum & cogitationum malarum colluvies, est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina.*

Verùm ne singulis inhæream, multa paucis complexus est, qui hâc figurâ hoc vitium depinxit: otium naturæ pudor est, sentina familiæ, hostis artium, Magister ignorantiæ, pater inopiæ, curarum prodromus, memoriæ situs, nox ingenii, pestis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitiæ, virtutis exilium, vitiorum hospitium, Angelorum labor, dæmonum præsidium, animæ proditor, terræ probrum, cœli dolor, numinis odium, hominis vivi sepulchrum, mortui barathrum, verbo inquit Basilius, *c Præceptor omnium vitiorum.*

Quæ obiter Augustinus commemorans, ait: *d per otiositatem accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur ad delicatè pasci, per hanc suffocamur pretiosè vestiti, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur*, ac tandem concludit, *numquam quis civis cœlorum erit, si otiositatem amaverit.* quæ omnia ut liquidò probent, non leviora tantùm delicta, sed etiam gravissima & nefaria, in hoc otii ludo doceri ac condisci; tum vel maximè in hoc sibi luxuria cathedram vindicat, è qua, ut è patrum sententiis suprà allatis colligere est, non cessat ignea libidinis tela, in suos desidia ac socordia torpentes, evibrare. Etenim ad eum propè morem, quo auceps sagittam in aves volantes dirigere non consuevit, sed ubi quieverint ac consederint, in eas collimat, ac ferit; haud aliter tartareus ille auceps, non nisi desides ac otiosos, cupidinis telis inflammare solet.

Ita fortissimos, sanctissimos, sapientissimos in otio transfixit. nemo quisquam Sampsonem cum Philistæis decertantem vincere, aut vincire valuit: at ubi in sinu Dalilæ segniter obdormivit, victus & vinctus est. Regius Psaltes quamdiu in castris versabatur, & exercitum ductabat, nullis libidinis stimulis incitatus fuit; at inter aulæ delitias molliter desidens & otiosè perspectans, igneo telo cor trajectus adulterium admisit. Si tu ô Rex sanctissime otium fugisses, si domi non remansisses, si in Ammonitas castra movisses, si regni negotia ardentiori solertia tractasses, si somno meridiano non indulsisses, si divinis laudibus de more vacasses, non tam enorme adulterii crimen incurrisses. O execrandum otium! quàm turpem maculam huic tanto Principi aspersisti. Ecquid

a Bern. serm. de S. Andrea.
b Bern. ep. ad frat. de monte Dei.
c Basil. hom. 8. in hexam.
d Aug. serm. 16. ad frat. in eremo.

quid enim boni otium gignet? *mali corvi malum ovum*, inquit Bernardus. *a otio velut januâ utitur dæmon, ut illicitas carnalium cogitationum illecebras, etiam in purissimas mentes insinuet.* Oraculum illud non è tripode, sed è dolio Diogenis, verissimum prodiit: *libido est otiosorum negotium*, nec aliam causam Magister amorum, in arte hac exercitatus, adducit dum dicit: *b*

Quæritur Ægysthus quare sit factus adulter?
In promptu causa est, desidiosus erat.

Salomonem mortalium longè sapientissimum, quamdiu fabrica templi, operarum frequentia, materiæ eò spectantis cura & solicitudo distentum habuit, innoxium servavit; at opere peracto, ubi otio & deliciis diffluere cœpit, fornicatus est à Deo suo, & mulieres apostatare fecerunt.

c Otium & reges simul & beatas
perdidit urbes.

Reges vidistis, urbes requiritis? de urbe orbis Domina Augustinus ait: *d otio perit Roma, destructa Carthagine.* Addamus illi Senecam, hîc optimè disserentem: *e Appium Claudium crebrò solitum dicere accepimus, negotium populo Romano meliùs, quàm otium committi. non quòd ignoraret, quàm jucundus tranquillitatis status esset, sed quòd animadverteret præpotentia imperia agitatione rerum, ad virtutem capessendam excitari, nimiâ quiete in desidiam resolvi, & sanè negotium nomine horrendum, civitatis nostræ mores in suo statu continuit, blandæ appellationis quies, plurimis vitiis respersit.* Hinc & Cleomenes rogatus: cur Lacedæmonii Archivos hostes suos non delerent? respondit, *eos sunt juventutis nostræ*; atque utinam non experientia edocti simus, urbes amplissimas inter bellorum tubas ac tympana, veluti signo dato, operibus pietatis, Religionis, misericordiæ totas vacare, quæ in pace ac otio, volutantur in carne & sanguine.

a Bern. l. 1. de consid. ad Eugen.
b Ovid. l. 1. de remed.
c Catull. ad Lesb.
d Aug. l. 1. de civit. c. 30.
e Seneca l. 7. tit. sapienter dicta.

Hieronymi monitum est: *f teneatis firmissimè, quòd omnis concupiscentiæ & immunditiæ, atque peccati mater est otiositas.* Hîc vos compello Adolescentes, & adolescentulas, filios & filias, *teneatis firmissimè*, illud Hieronymi, *quòd omnis concupiscentiæ & immunditiæ, atque peccati mater, est otiositas.* ubi primùm arguendi sunt, qui in multam lucem pigri stertunt, quos ante prandium non modò extra tectum, sed nec extra lectum videas. quos ex communi parœmia, mollissimos diaboli pulvinos, ac commodissimam Cerbero culcitram nuncuparo, unum ex his pulvinis vobis substernam: *g* Adolescens sanguine quidem nobilis, at genio & ingenio segnis, admodum serò è strato surgere consueverat; eam tarditatem sociis culpantibus respondit, se duas mulieres quotidie ad se venientes, & coram se altercantes auscultare solere, *solicitudinem & pigritiam*: illam hortari ad surgendum, & ad res agendas, tempus bene ponendum, hanc increpare alteram, atque ad diutiùs

f Hieron. de Monachis Ægypti.
g Pontanus in Atticis bellariis p. 1. pag. 429.

sterten-

ſtertendum, & in lecto propter frigus manendum, incitare, nullo impendio hoc commodum venire. contra ſollicitudinem adverſariam confutare, & cauſam ſuam argumentis roborare. cùm itaque diutiùs contendere inter ſe, & diſceptare ſoleant, ſe ut judicem, thoro prorſus ab alto; utramque partem audire, & donec ipſis conveniat, in lecto morari. eò fieri ut ſeriùs aſſurgat, quòd finem litis operatur. Conſimiles binas mulieres, Auguſtinus ad pigri lectum altercantes inducit, pigritiam & avaritiam: *a pigritia dicit dormi, avaritia dicit ſurge, pigritia dicit noli pati frigidos dies, avaritia dicit tolera in mari etiam tempeſtates; illa dicit quieſce, iſta non ſinit quieſcere.* hæc ille audiens, volvens & revolvens, *b ſicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita* (inquit Sapiens) *piger in lectulo ſuo.* quod Luldolphus aptè exponit: ſicut fores aliis vel ingredientibus, vel egredientibus ad res ſuas peragendas, cardinibus ſuis ſemper inhærent, ita & piger aliis manè ad opus ſuum ultrò citroque abeuntibus, in lectulo ſuo, huc illucque ſe volutans, conquieſcit; quem jure incuſat: *quid ſtertis hîc tota die otioſus?* Atque uti pulvinus, plumæ, ſtorea, ſtramen, materia apta ignibus excitandis, ita non ſemel compertum eſt, hos pigros ac otioſos dromones, impudicitiæ flammis exarſiſſe. Nolim hîc inſectari pigros ac deſides in ludo literarum ſtudioſos, quibus eleganti hoc epigrammate medela præſcribitur: *c*

Nux, aſinus, campana, piger, ſine verbere ceſſant:
Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille jacet;
Sed ſimul ut ferri plagam ſensêre, vel ulmi,
Hæc cadit, hic pergit, hæc ſonat, ille ſtudet.

Verum enim verò, hoc ut remedio vili ac ſervili rejecto, ſtudium & occupationem magnus Doctor aſſignat, in quo facilius, quàm in corporis afflictione remedium expertus eſt: *d dum eſſem,* inquit, *juvenis, & ſolitudinis me deſerta vallarent, incentiva vitiorum ardoremque naturæ ferre non poteram; quem cùm crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æſtuabat. Ad quam edomandam, cuidam fratri me in diſciplinam dedi, ut poſt Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios gravitatemque Frontonis, & levitatem Plinii, alphabetum diſcerem, & ſtridentia anhelantiaque verba meditarer. quid ibi laboris inſumpſerim, quid ſuſtinuerim difficultatis, quoties deſperaverim, quotieſque ceſſarim, & contentione diſcendi rurſus inceperim, teſtis eſt conſcientia tam mea, quàm eorum, qui mecum vitam duxerunt.* Adeo ut hac parte illi felices habendi ſint, qui dum libris abditi, & chartis impalleſcunt, mille dæmonum tentationibus, & occaſionibus peccandi liberi ſunt, juxta illud Philoſophi: *e nunquam vacat laſcivire diſtrictis,* ac ſtudiis diſtentis, *nihilque tam certum, quàm otii vitia negotio diſcuti.* Unde & ipſe Naſo de remedio amoris.

a Auguſt. ſerm. 22. de verb. Apoſt.
b Proverb. 26.
c Pontan. bellar. p. 2 pag. 276.

d Hieron. ad Ruſticum.
e Seneca ep. 56.

a — *finem*

a ——— finem qui quæris amori,
Cedit amor rebus; res age, tutus eris.

Nam sicut aves non nidificant in alis molarum, nec in illis multum desident, nisi dum hæ à solito suo motu quiescunt; ita diabolus, neque locum, neque quietem in illis reperit, qui semper in motu & actione sunt. Nam ut il'e canit: *b*

Otia si tollas, periere Cupidinis arcus.

Quò Poëta Flander allusit.

c ——— Op een gemeyne baen,
En eenen steen die rolt, en vvast geen oncruyt aen.

Ea propter parentes, & superiores omnes, hîc attenti invigilent, suis ut torporem omnem excutiant. Exemplo præit parens ille apud Satyricum: *d*

——— at nunc
Post finem Autumni, mediâ de nocte, supinum
Clamosus juvenem pater excitat, accipe ceras,
Scribe puer, vigilâ, causas age, perlege rubras
Majorum leges, aut litem pesce libello.

In eâdem otiosorum classe, versantur juvenes malè feriati, qui literis humanioribus perfuncti: ubi lyceum Aristotelis è limine salutarunt, otiosi plateas obambulant, puellarum consortia frequentant, horas & dies hîc stant otiosi. De quibus viri gravis censura est: ex nullo genere hominum plures pudicitiæ naufragium pati, quàm juvenes otiosi: quibus sanguis circum præcordia bullit, & prima licentia, dum manum ferulæ subduxerunt, in omne flagitium præcipites agit.

Rectè itaque præceptum olim fuit: *e facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum:*

S. Ignatius Lojola legem quadragesimam quartam hanc præscripsit: *f Omnes quamdiu corpore benè valent, in spiritualibus vel exterioribus rebus habeant in quo occupentur; ne otium malorum omnium origo, domi nostræ locum habeat.* Quemadmodum homo contagiosus in nullum domus angulum admittitur, ne lues propagetur; ita otium pestis teterrima, nullo ædium angulo, non conclavi, non cubiculo, non horto, non ambulacro ullo recipiatur. Nusquam tota domo umquam inveniatur ullus, qui sibi permissum putet, feriari. Quæ lex non modò socordiæ pestem, sed & infestos spiritus ædibus exturbavit: congruit enim antiquæ paræmiæ priscis ascetis usitatæ: *g qui laborat, ab uno dæmone; otiosus ab innumeris infestatur.* Vbi stertentem, nugantem, otioque solutum viderint maleficæ illæ mentes, subitò advolant ut muscæ ad victimam, ut harpyæ ad mensam, ut vultures ad cadaver, ut nocturnæ striges ad infandam choream. Quare hi nocturni lemures ubi primum te infestarint, ilicò aliquid operis exercito, & fugabis. Quod Athanasius in magno Antonio ostendit: nam cùm hic vir sanctus post prolixas preces, quandoque quiesceret & otiosus sederet, variis non modò vanis,

a Ovid. l. 1. de remed.
b Ovid. l. 1. de remed. *c* Imago primi sæculi Societat. Emb. de castit.
d Iuven. Sat. 14.
e Hieron. ad Rustic.
f Reg. summarii. 44.
g Cassian. l. 19. col. 24.

sed

ſed & lubricis cogitationibus ſe divexari acriter perſenſit, mox animo in cœlum erecto: *Domine*, inquit, *cupio ſalvari, & cogitationes meæ bellum mihi cient.* Quæ ſecum tacitus precatus, proſpexit non procul à cellâ, virum monaſtico habitu, jam orationi vacantem, jam manibus ſportas plectentem, qui his Antonium compellavit: *fac tu ſimiliter & ſalvaberis*, moxque ex oculis evanuit: ſalutari monito cœlitus Antonio ſubmiſſo. Hinc rectè Chryſoſtomus: *a quod eſt frænum equo, id eſt opus actioque natura noſtra.* Expertus hoc alter cui vexatio dedit intellectum, atque aſſiduo labore divexatus, à ſeniore ſuper tentationes ſuas rogatus, reſpondit: vivere non licet, quomodo fornicari delectet? Cernis in culinâ veru aptum aſſandis carnibus inſtrumentum non agi, non rotari; ancillam increpas, & excandeſcis: filiam verò & ancillam cernis otioſam, cujus mens libidinis flammis torretur, nec indignaris?

Atque hinc ad puellas orationem convertamus, quibus facilè centenis & millenis dicere licebit, *quid hîc ſtatis, aut ſedetis otioſæ?* multæ quidem catellos Melitenſes, puellæ fovent, Sybariticè nutriunt, & ſericis pulvinis inſtertere ſinunt. At longè plures ſe ipſas pulvinos cacodæmoni efficiunt, dum in otio degunt. Quod crimen, quàm in hoc ſexu deteſtandum ſit, Ezechiel teſtatur, dum inter præcipuas cauſas vaſtationis Sodomæ, etiam hoc puellarum vitium commemorat: *b Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ: ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum ejus.* His accenſeri poſſunt: *c quæ quaſi columbæ ad feneſtras ſuas*, aſſiduo proſpectantes, nictantes, ſalutantes. Quas meritò pater familias, ut virgines fatuas coarguit, dicens, *quid hîc ſtatis totâ die otioſæ?* Atque utinam earum humeris, tartareos ſpiritus velut pulvinis inſidentes cerneres! Teſtis irrefragabilis S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus: *d* is cùm fortè per magnam urbis partem in ſacram ædem pergeret, conſpexit in paupere tugurio matrem viduam, cum tribus filiabus ſedulò operi inſiſtentes, lanificio ac vario opificii generi gnaviter inſudantes; quarum ſedulam operam dum attentiùs conſiderat, Angelum domunculæ hujus tecto inſidentem contuetur. Quo velut cœleſti augurio, benè de hac familiâ ominatus, liberali manu, earum inopiam levavit. Verùm cùm illæ poſthac fuſum ſeponere, laborem fugere, otium ſectari, luxui ſe dedere cœpiſſent, rurſus illac ſanctiſſimus Antiſtes pertranſiens, advertit cacodæmonem ædium culmini inſidere, & ut introſpexit, non operantes, ſed otiantes has filias, comptas, criſpas, garrulas; cum ſuo quamque proco invenit, quos ut eliminaret, & feliciores aves dein, melioris augurii cœlites redirent, emigrare otium juſſit. O ſi oculis cernere daretur, quot ſpiritus tenebrarum in hac urbe, ejuſmodi ædibus incubent! Laudat Regum ſapientiſſimus, ſuper omnes Græciæ Amazonas & Italiæ Heroinas, mulierem numquam non

a Chryſoſt. hom. 17. de diverſis.
b Ezech. 16.
c Iſa. 60. *d* Surius 2. Maij.

operi

operi ac manuũ labori intentam, otium gravissimè exosam, quales raras reperire est. Vnde quærit: *a mulierem fortem quis inveniet?* alii vertunt *mulierem virtutis, quis inveniet?* Quæ otiosa sit, nusquam gentiũ repereris, *b* sed mulierem fortem Salomon invenit, *quæ hîc manũ suam misit ad fortia.* Ecquænam porrò hæc fortia, ac heroica facinora, ad quæ extendit manum suam? num sicut altera Judith tyrannum proprio acinace jugulavit? num Iaëlem imitata, ducem belli, clavo terræ affixit? aut pede suo caput serpentis obtrivit? at longè immanissimum gigantem, ipsosque stygios hostes debellavit, assiduoque labore triumphavit: *digiti ejus*, inquit, *apprehenderunt fusum; quæsivit lanam & linum, & operata est concilio manuum suarum. Consideravit agrum, & emit eum; de fructu manuum suarum plantavit vineam. Gustavit & vidit, quia bona est negotiatio ejus. Consideravit semitas domus suæ, & panem* otiosa *non comedit.* Ac tandem luculentum hujus mulieris subdit encomium:

Confidit in eâ cor viri sui, & spoliis non indigebit.

Facta est quasi navis institoris, de longè portans panem suum: & de nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.

Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem: non timebit domui suæ à frigoribus nivis: omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus Quæ si parva sint, adjiciam majora: *fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.* Quando cum prudentibus Virginibus occurret sponso, (non enim *exstinguetur in nocte lucerna ejus*) & audiet: *multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.*

Quæ omnia aptissimè Salazar noster aliiquè interpretes, sanctissimæ Virgini Mariæ aptissimè congruere probant, affirmantque de illâ, Salomonem vel eminus conjectis oculis, dixisse: *quæsivit lanam & linum, & operata est, &c.* Confirmat doctor mellifluus, hæc de Maria intelligi, eamque in lino & lanâ, viris cataphractis fortiorem dicit: *c quam verò aliam requirebat mulierem Salomon, cùm dicebat, mulierem fortem quis inveniet?* In hac Dei Matre otii odium, amor laboris, exercitatio assidua, quâ singulare præbuit specimen, temporis optimè locandi, semper enituit. Ambrosius encomio brevi, sed illustri virginem extollens: *d parca erat*, inquit, *ad loquendum, studiosa ad legendum, intenta ad operandum.* Domesticam hanc legem Virgo observavit, numquam otiari. Talem nobis Euangelista Lucas monstravit, domi solam, & intentam operi; talem Angelus invenit, talem Spiritus Sanctus elegit. Hinc constans scriptorum assertio est, inconsutilem Christi togam, hujus virginis artificiosâ manu elaboratam.

Addit Joannes Walterus, mappam illam quæ Christi mensam in ultimâ cœnâ operuerat, Ulyssipone in templo Societatis ad divi Rochi religiosissimè asservari, nec aliud credi quàm à beatissima Virgine, intextis liliis, factam. Testis in hanc rem vetus libellus,

a Prov. 31. *b* V. Salazar. Cornel.

c Bern. serm. 2. super missus.
d Amb. l. 2. de virgin.

qui

qui pio licet, sed parum tereti versu, linteum illud sic colit:

Hac Deus in mappâ posuit sua fercula, & artis
Pro pretio Mariæ sat mihi nosse manum.

De fuso Virginis, quo in honore sit, fusiùs diximus part. 1. Dom. Septuag. §. 3.

Hanc mulierem fortem æmulatæ sunt sanctissimæ matronæ in lege veteri, Anna Elcanæ uxor, quæ Samueli filio, suis ipsa manibus tuniculas fecit, sic enim de eâ sacer codex testatur: *a tunicam parvam faciebat ei mater sua, quam afferebat statutis diebus.* Anna quoque Tobiæ senioris uxor: *b ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suarum victum, quem consequi poterat, deferebat.*

At virginis exemplum in lege novâ, principes orbis fœminæ imitari non erubuêre, non inopiæ aut paupertatis *necessitate*, ut Hieronymus loquitur, *c sed propter animæ salutem, ne vagetur periculosis cogitationibus mens.* Has inter, Maria lectissima conjux S. Caroli M. Margareta Regina Hispaniæ; Elizabetha Regina Portugaliæ; Gisila Regina Hungariæ, aliæque complures, quæ, ne quid sibi otii subreperet, nere, fila ducere, aut aliud quidvis operis exercere, regiis manibus non detrectarunt. Ad hoc Demetriadem D. Hieronymus hortatur: *habeto*, inquit, *lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila ducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusi versantur.*

Audiant hoc ævi nostri desides filiæ, ac otiosæ puellæ, si formæ, si famæ, si integritatis suæ studiosæ sint. Quod vel in nocte gentilitatis suæ, mentis oculis veteres Romani conspexêre, dum Cajæ Cæciliæ castissimæ matronæ statuam erexerunt, altera manu colum & lanam, alterâ fusum gestantem, verissima illibatæ pudicitiæ Symbola. Hac non inferior è Christianis Euphrasia: degebat hæc in sacro Parthenone, maximæ sed occultæ sanctitatis virgo; hanc diabolus, quia summè oderat, modis omnibus infestabat: die quodam dum aquam hauriret, præceps in puteum delapsa est, sed casu innoxio; nam fune situlæ prehenso, suppetias inclamavit: accurrêre cæteræ & extraxêre. At illa jam sibi reddita, familiariter subridens: *vivit Christus meus ait*, quia *non me vinces diabole; hactenus unam tantummodo hydriam culinæ detuli, verùm ex isto die, laborem duplicabo, & posthac deferam duas.* Quod dixit fecit. Oleum & operam perdidit diabolus, ubi labor non tantùm imminuitur, sed augetur. Sic pro se quisque dixerit: non cedo tibi diabole, non vinces, si hactenus labori, orationi unam horam impendi, imposterum duas impendam. Quare idem Hieronymus epistola ad Lætam, sic filiam instituendam tradidit: *orationi lectio, lectioni succedat oratio*, & quia quibusdam non semper vacat orare: *discat*, inquit, *& lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fusum, stamina pollice ducere; breve videtur tempus, quod tantis operum varietatibus occupatur. d* Sic Carolus M. teste Eginhardo aliisque, liberos suos insti-

a 1 Reg. 2. b Tob. 2.
c Hieron. epist. ad Rust.

d Vives de Christian. fœm. l. 1.

institucbat: filios etsi regni Principes, mechanicam addiscere voluit, filias lanificium aut linificium tractare. Regina Isabella Ferdinandi conjunx nere, suere, acu pingere, filias suas edoceri jussit, ex quibus duæ fuêre Reginæ Lusitaniæ, tertia Hispaniæ Caroli Cæsaris mater, quarta Britanniæ Henrici VIII. conjux honestissima, ait Ludovicus Vives. De ejusmodi familiâ, ubi nullus otio locus est, ubi parentes, liberi, ancillæ, famuli, semper occupantur, dici potest, quod Origenes de familiâ Abrahami tradidit, quam sic laudat: *a senex currit, Sara accelerat, puer festinat, nullus piger invenitur in domo.* Sed ubi, & quæ est hæc, & laudabimus eam? Mulierem fortem suo tempore quæsivit Scribanius, & quasi nullam reperisset, sic in otiosas invehitur. *b* Ipsum audite, quem Reges audiverunt: ,, errant, inquit, meo ,, judicio vehementer, qui in otio ,, uxorem habent. Audiant Sa- ,, pientem: *c Multam malitiam* ,, *docuit otiositas,* magis in fœminâ ,, quàm in viro. Hinc doli & ,, fraudes, & plures jam mariti, ,, & aliena vestigia, & torus non ,, unus, & patres multi, & du- ,, bius partus. Neque enim aut ,, ignota Antonini Faustina, Pom- ,, peja Cæsaris, Tiberii Messalina, ,, Agrippina Neronis Mater; Zoe ,, Imperatrix, aut Augusti Julia, ,, paternâ proscriptione nobilis. ,, Omnes imperio illustres. Quid ,, de privatis cogitemus? *& otia* ,, *ferè tales orbi pepererunt.* Nam ,, quibus in otio mulier tempus ,, fallat? Eruditorum lectionibus?

a Orig. hom. super. c. 18. Gen.
b Scriban. Polit. c. 4. *c* Eccl. 33.

Non sunt hæc fercula mulie- " bris palati & ingenii. Alia de- " sunt? non deerunt amores, quos " curarum vacuæ liberis cogita- " tionibus, cùm meditatæ fue- " rint, furtivis noctibus, diebus- " que invenient, nec quidquam " otiosis magis obvium, amori- " bus. nihil cogitare, non est ho- " minis. Doctis sermocinationi- " bus, lectionibus, scriptionibus " diem noctibus jungere: guber- " nacula, rempublicam, imperia, " bella meditari, virorum est. " Quid agat ergo mulier otiosa? " Deo se totam & pietati dabit? " paucarum est. Et dies totos, " annos totos, quis divinorum " cogitationibus impendet? ali- " quid intercurrat necessum, " quod lassam mentem reparet, " & quasi sibi restituat. Destitui- " tur domesticis occupationibus " mulier? amabit. Nam quid vol- " vat aliud, aut quibus otiosam " mentem, solicitudinem va- " cuam pascet? Quare si uxorem " uni sibi maritus volet, domesti- " cis potiùs negotiis obruat, " quàm occupet; nescit obruta " rebus amare, nescit erubescen- " da magis meditari. Tandem " concludit hac suavissimi Docto- " ris sententiâ: *d Ex otio atque* " *ignaviâ cogitationes pravæ, &* " *concupiscentiæ multiplicantur;* " *donec navis cordis eis succumbens* " *in peccato periclitetur. ventorum* " *ac tempestatum animi, causa o-* " *tium;* hinc fœdæ pectoris jacta- " tiones, & fluctus decumanis " sæviores, & vix è tabulâ salus. " Eripitur menti Deus, sol ma- " gnus: succedunt tenebræ & in " vicem lucis, nox alta, & densæ "

d Scriban. Polit. 27.

undi-

„ undique nebulæ: atque exin-
„ de errorum brevia & scopuli,
„ & miseræ mortes nullâ arte
„ medicandæ. In Bernardi sen-
„ tentiâ est Polybius: *Otium per-*
„ *niciosissimum est, & fons, & ori-*
„ *go seditionum omnium, scelerum*
„ *omnium.* Et quid speres è fon-
„ te amaro, si non rivos amaros?
„ quid è noxiâ scaturigine, si non
„ noxia flumina? quid è venena-
„ rio torrente, si non funestos
„ exitus? Eadem scaturigo non nauteam simul & rosaceam, turbidam & limpidam fundet: nec otium simul & virtus eodem corde profluunt. Vt præclarè sensit non tam canitie, quàm candore morum venerandus Præsul Sidonius Apollinaris, *a* in epistolâ ad Serranum, ubi inducit Imperatorem Maximum deplorantem dignitatem Principis cum Senatoriâ conjunctam: prospexit, inquit, Sidonius: *Pariter ire non posse negotium Principis, & otium Senatoris:* Ita sentias velim pariter ire non posse, officium hominis Christiani, & otium mercatoris, militis, nobilis, Principis. Omnia proinde vitia negotio discutias: *b Magni Imperatores, cùm malè parere militem vident, aliquo labore compescunt, & expeditionibus detinent.* Nos insolentem carnem vitiaque laboribus edomemus. Nullus sceleri locus est, cùm seriis animus distringitur, obrue hunc, & fatiga profuturis, ne si velit admittere nocitura, possit.

a Sidon. Apol. l. 24. ep. 13. ad Serran.
b Sen. ep. 56.

§. II.

Homo nascitur ad laborem & avis ad volandum. Job. 5.

HUmani generis Parens, in paradiso voluptatis, in loco deliciarum, ubi sponte suâ dabat omnia tellus, à Deo optimo maximo collocatus; non tamen ut otiaretur; *c* sed *ut operaretur, & custodiret illum.* Erat Adam orbis Imperator & omnium Dominus; laborare tamen jubetur. Ex quo conficias, verissimè Alexandrum M. pronuntiasse: *Regium esse laborare, servile otio & luxui vacare.* Quod re ipsâ Alphonsus Aragonum Rex comprobavit, *d* quidquid operis manibus exercens; illud demiranti, ac minùs Regium esse sugillanti, respondit: *Numquid Deus & natura Regibus frustra manus contulêre?* Innuens, ut alæ volucri ad volandum; ita manus homini ad laborandum datas esse. Hoc oris aurei oraculum est: *e Deus posuit hominem ad laborandum, artusque ejus ad hoc effinxit. Idcircò otiosus ab ordine suo & creatione deficit.*

Christus ipse Princeps pacis, & Rex Regum in laboribus à juventute suâ; ubi solerter observat Novarinus; *f* cum omne genus calumniarum Iudæi Christo impegerint, neminem tamen otii aut ignaviæ eum coarguisse. Nec primus homo dumtaxat, sed & omnis homo nascitur ad laborandum, sicut avis ad volandum, bos ad arandum: nam juxta Interpretes, ad omnes posteros se

c Gen. 2. *d* Panormit. l. 2. de gest. Alphons. *e* Chrysost. in 2. ad Thes. 3. *f* Novar Adagior. p. 204.

extendit

extendit præceptum illud Domini: *a Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ, & in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Non ut perversè quidam, sudandum sit, dum vescimur, ut de quibusdam fertur;

Sudant quando vorant, frigescunt quando laborant.

Sed sudore ac labore, sibi de victu prospiciendum esse. Manus nostras divina Nemesis in extremo illo judicii die palpabit, an duræ ac callosæ, num verò molles ac leves sint. *Deus*, inquit Sanctus Basilius, *b qui nobis vires idoneas ad laborandum suppeditavit, is in die judicii parem quoque in laborando industriam reposcet.* Quod disertè declarant verba illa hodierna Patrisfamilias sub vesperam dicentis: *Voca operarios & redde illis mercedem.* Ita humano judicio, absolutos fratres Domini, scribit Eusebius: *c* Hi porrò ad Domitianum acciti & accusati, quod è regio Davidis sanguine prognati, Hebræorum dogmata sectarentur, manus exhibuêre callis obductas, & exercitatione robustas. Atque ita liberi dimissi sunt.

Romanus Cato neminem in civem Romanum adsciscí volebat, quin prius sub benevolentiæ specie ejus manum arripuisset, & diligenter pertractasset, an molles ac teneræ, num verò duræ ac callosæ essent; priores ut imbelles ac effœminatos remittebat, alios inter cives numerari volebat. Sic in supremam illam civitatem cives adscribendi dumtaxat illi, quorum manus opera testantur. *Opera enim illorum sequuntur illos.* *d* Probè hoc tenebat vidua illa, quæ è vivis excessura, indui voluit interula quam suis ipsa manibus elaborarat; vel hac contestari volens, se minimè otiosam fuisse. Elegantem hujus rei typum reperio Gen. 27. cum Patriarcha Isaac morti proximus, filio suo primogenito benedictionem conferre decrevisset, subdubitans, manus ejus explorare voluit: *Accede*, inquit, *huc fili mi, ut tangam te, & probem utrum tu sis filius meus Esau, an non.* Jam vocem ejus audierat, jam fragrantiam vestimentorum ejus perceperat, & etiamnum dubitat. At ubi manus duras ac pilosas contrectavit, ilicò benedictionem impertiit. Christe Jesu, quàm apta hæc figura filiorum, qui ad hæreditatem tuam admittendi sunt! E manibus hi dignoscendi. *e* non ex verbis, non ex odore & fucata virtutum fragrantia; sed ex operibus justitiæ.

Septimus Severus Imperator. pro militari tessera tribunum dare jussit: *Laboremus*, militia est vita nostra, *laboremus.* Pertinax ad imperium adscitus, non absimilem dedit: *militemus*; quod utinam sibi symbolum, Carthaginensium bellicus Imperator Hannibal delegisset, de quo Annæus Seneca: *f Una Hannibalem Hyberna solverunt, & indomitum illum nivibus atque alpibus virum enervarunt fomenta Campaniæ. Armis vicit, vitiis victus est.* Ac tandem subdit; *Nobis quoque militan-*

a Gen. 3. *b* Bas. in reg. fusior, reg. 27.
c Euseb. l. 5. hist. c. 15.

d Perard. to. 2. de acedia. c. 9.
e V. dicta p. 1. Dom. 7. post Pentec.
f Sene. ep. 51.

dum eſt, & quidem genere militiæ, quo numquam quies, numquam otium datur. Debellandæ ſunt inprimis voluptates, &c. Ita fortiſſimum virum inertia & otium fregit. Fuit cum univerſa Roma tremeret illum; velut ante portas fulminantem: & Dux ille bellicoſiſſimus ſocordiâ victus & fractus eſt. Sed parum hoc, Ducem hujus militiæ exarmari, niſi & fortiſſimi virtutum ac Chriſtianæ militiæ anteſignani, uni otio ſuccubuiſſent, uti ſuprà commemoravimus. Ne & nos otio diffluamus, ne è campo ſegniter recedamus, aut abjecta parmula turpiter fugam capiamus; conſtanter *militemus*, conſtanter *laboremus*, ſi victoriam, ſi laudem, ſi gloriam, & eam quidem immortalem conſequi velimus. *Quis umquam otioſus trophæa compoſuit?* ait Valerianus doctus ornatuſque Antiſtes: *a* eſt & illa Caji Marii apud Saluſtium, imperatoria ſanè vox, non tam purpura, quàm pallio ſapiente digna: *Nemo ignaviâ immortalis factus eſt.*

Nemo deſidiâ ſtipendium meruit, nemo otioſus cum operariis mercedem exſpectet. Vbi non poſſum, quin paucis perſtringam eos, qui ſe ſtrenuos operarios arbitrantur, ac minimè otioſos exiſtimant, dum frivolis, futilibus ac inutilibus totos dies & annos diſtinentur. Quod genus otii negotioſi quidam ſectantes, dicuntur ab Apoſtolo: *b Nihil operantes, ſed curioſè agentes*, in vanum operoſi, & otioſiſſimè occupati. Quales fuiſſe videntur Athenienſes, & è Græcia complures, tempore Divi Pauli, de quibus ita ſcribit in ſacra hiſtoria Sanctus Lucas: *c Athenienſes autem omnes, & advenæ hoſpites ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere aut audire aliquid novi.* Videre mihi videor urbem otioſam & negotioſam, in qua frequens concurſatio, multa confabulatio, & de rebus nihili negotiatio planè ridicula, cujus emolumentum jactura temporis, inquieti animi ſolicitudo: quod eſt propriè, ut Iunior Plinius, eleganti vir ingenio & doctrina, ajebat: *d Otioſiſſimis occupationibus perdere diem.* Ejuſmodi homines docet Sanctus Thomas, *e pruritum habere in pedibus* & auribus. Hoc quippe ævo noſtro etiam videas multos non modò *prurientes auribus*, ut rumores toto die, toto foro, ex omni hoſpite & advenâ venentur, ſed & *prurientes pedibus* nuſquam conſiſtentes, nuſquam quieſcentes, & nihil agentes; in quos cadit aptiſſimè dicterium Attilii, viri argutiſſimi apud Plinium Juniorem, relatum à Salmerone: *f præſtat otioſum eſſe quàm nihil agere.* Id eſt, minus malum eſt otio vacare, quàm res nihili tractare. Ii enim ſimiles ſunt cereis illis pumilionibus, qui capite, manibus, & pedibus omnino agiles ac mobiles, non agunt ſed ſatagunt. Quemadmodum Domitius Afer Manlium Suram, *g* Oratorem turbulentum, actuoſum, incompoſitum, dum multùm geſtiendo exiliret, manus jactaret, togam dejiceret, non agere ſed ſatagere, venuſtè dicebat. In hac claſſe gentilis Philoſophus complures enumerat,

a Hom. 2. *b* 2 Theſſal. 3.

c Act. 17. *d* Plin. l. 9. epiſt. 6.
e S. Thom. in 1. ad Tim. 4.
f Salmer. to. 7. tr. 23. n. 12.
g Quintil. l. 6. c. 3.

merat, dicens: *a Quid illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multæ horæ transmittuntur? dum decerpitur si quid proximâ nocte succrevit, dum de singulis capillis in consilium itur. Dum aut dujecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur. Quomodo irascuntur, si tonsor paulò negligentior fuit, tamquam virum tonderet? quomodo excandescunt si quid ex jubâ decisum est? si quid extra ordinem jacuit, nisi omnia sua in annulos suos reciderint? Quis est istorum, qui non malit Rempublicam turbari, quàm comam? qui non solicitior sit de capitis sui decore, quàm de salute? qui non comptior esse malit, quàm honestior? hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos?* Non sine sale Diogenes, festivæ illa animæ cucurbita, hos palam irrisit: inaudierant Corinthii venire densissimas hostium acies, ut urbem admotis prope machinis oppugnarent. ad illud nuntii, cives palantes ac trepidi, defensionem instruere, proinde agere multi, satagere pauci, omnes undique concursare, alii alia occupare præsidia, saxa atq; materiem comportare, muros reficere, arma in promptu habere. Diogenes inter negotia publicæ perturbationis, abjecto palliolo, præcinctus dolium & ipse suum, tectumque versatile, in quo veluti domiporta perpetuò inclusus, animam potius quàm vitam agebat, non secus atque affixa mens ligneo cœlo, convolitare hâc illàc perquam ardenter occepit. Hic enim verò sudare, hic in otio fortiter occupari, hic anhelare gratuitò, hic multum versando nil molere, nihil moliri, tam serio ludo, tantaq; virium contentione, ut in dolio tamquam in equo Trojano, salus includi Græciæ videretur. Cœperunt ad hæc mirari & indignari civium plurimi: qui cum ex Diogene quærerent, quid sibi demum vellet? equidem, inquit, moveo dolium, ut cæteris aliquid agentibus, me etiam cerneretis occupatum. De ejusmodi malè feriatis hominibus, otiosis studiis intentis, fuse egimus 1. part. Domin. 9. post Pentecostem §. 1. illic reperies plurimos, qui sectantur genus otii inutiliter operosi, in nugis negotiosi, in negotio veternosi, ubique inquieti; quorũ merito, ut à Seneca dictum mutuet, *b* quis *inquietam inertiam* dixerit. Perpetuò advertas inanis animi levitatem, quam idem Seneca alio loco, perquam eleganter *inimicissimum quieti otium* appellat, quo qui fruuntur, hoc unum curæ est nihil curare. Hos omnes, de quibus hactenus, ut ad serias, & homine Christiano dignas occupationes, mentem ac manum admoveant: sic monet Bernardus: *c Regnum Dei non dabitur otiosis, sed in servitio Dei studiosis. Regnum Dei non dabitur vagantibus; sed pio servitio Dei dignè laborantibus.* Omnes dum vivimus Dei servi sumus, & hoc titulo cum Apostolo gloriandum; servorum autem est laborare, non otiari; pudeat nos quod barbari Æthiopes, mancipia vilissima ardentius serviant homini peccatori, truculento tyranno, quàm nos mansueto & munifico

a Seneca de brev. vitæ. c. 12.

b Seneca de Tranquil. c. 12. & 14.
c Bern. de modo bene vivendi c. 51.

Domino Jesu; quòd infideles fideliores sint perfidis heris, quàm nos fidelissimo Deo. Quid verò existimandum de tali famulo, qui cum Dominum suum videret laborantem, sudantem, totumque occupatum in eo opere, quod servo vilissimo incumbebat; ipse tamen servus hoc otiosus & segnis spectet, & vel manum admovere detrectet? quid si hoc tam utile servo opus, in quo Dominus desudabat, communis operæ esset; ut sine cooperatione servi perfici nequiret, an non inhumanum, imò barbarum, Dominum inani labore laborantem destituere? nos hoc facimus, qui ad opus nostræ salutis, & lucrum gloriæ, cujus utilitas nostra tota est, nolumus cooperari, & Christum pro nobis sanguineas guttas desudantem deserimus.

At si quosdam hæc non tangant, nec ad otium excutiendum incitent, moveat eos gravissima miseria, quam Salomon Proverbiorum 6. intentat.

§. III.

Per otium & pigritiam veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.

AUdi Sapientis monitum: *a usquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas ut dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.* quod ita Cornelius noster exponit; noveris homo deses ac otiose, tibi brevi importunum hospitem adventurum, qui omnia abligurìet, & instar apparitoris in domo obæratâ, sensim omnem supellectilem tuam efferet, ac sub hastâ vendet: inhibebit ne quid coëmas, quia omnem pecuniam tibi auferet. irruet egestas in ædes tuas, velut miles armatus in captâ urbe, aut patriæ vastatione sævire consuevit. Norunt qui hâc misera bellorum tempestate experti sunt, quid miles in prædia, in villas, in opulentas ædes irrumpens, detrimenti adferat. solaria lustrat, cellas perfringit, conclavia penetrat, arcas omnes, & quidquid usquam divitiarum abditum expilat, nec quidquam nisi solam egestatem vacuis in ædibus relinquit: *b* nam *qui sectatur otium, replebitur egestate.* Id ipsum aliâ similitudine Sapiens confirmat: *c Iter pigrorum quasi sepes spinarum, via justorum sine offendiculo.* Mirabitur hîc fortè quispiam, ut quid via pigrorum ac impiorum difficilis, spinosa: Justorum verò facilis ac plana describatur; cum contrà via peccatorum amœna, lata; virtutis ardua, arcta, & sentibus obsita habeatur? sed aliò hoc sacrum proverbium ingeniosus interpres convertit, dicens: sicut ovibus per senticeta ac dumeta perrumpentibus, lanarum floccos iis adhærescere contingit, ita & in otio agentes, opes suas quasi lanam sibi, non sine acerrimo sensu; eripi patiuntur, juxta illud: *d egestatem operata est manus remissa.*

Quare monet Apostolus Thessalonicenses: *e si quis non vult operari, non manducet.* cui Chryso-

a Prov. 6.

b Prov. 18.
c Prov. 15.
d Prov. 10.
e 2 Thess. c. 3.

stomus

ſtomus ſubſcribit: *a Mercenarius non ad manducandum conducitur, ſed ut opus Domini ſui faciat: quo autem die opus non fecerit, erubeſcit panem petere.* *b* venerat ad Abbatem Silvanum, in monte Sinâ degentem peregrinus frater, hoſpitio peramanter receptus, vidit cæteros fratres Silvani ſocios, ex more cœnobii ſtrenuè laborare. Adſtitit aliquanto tempore otioſus ſpectator, & ne ipſe unus deſidiæ argueretur, voluit cæteris religioſior videri. Itaque plus æquo diſertus, illud Evangelii prorſus importunè ingeſſit: *c operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eâ.* Audiit hoc Silvanus Abbas, & otioſam dicacitatem cautè diſſimulans, Zachariam, unum è ſuis, accerſens, Duc, inquit, hoſpitem ad cubiculum, & librum ei trade, quò minus moram ſentiat ad noſtram cœnam. volebat ſcilicet Silvanus hominem ſuiſmet verbis tangere, & arguere. hora veſperi audita, & ſigno dato, ad cœnam omnes conveniunt. exſpectabat hoſpes avidiſſimè, num à quopiam ad cœnam vocaretur. vocavit nemo. ſic Abbas juſſerat. Hoſpiti res videri nova, & inſoliti rigoris, aut certè inhumanæ oblivionis, eſurientem peregrinum, à communi menſâ excludere: ergo auriculam januæ applicat; & omnem obſervat motum tranſeuntium, jam jam vocandum ſe ratus ad menſam; & nemo vocabat. demum ipſe hoſpes cellulâ egreſſus, Silvanum adit, & acerbum ſubridens, interrogat: numquid pater cœnarunt jam alii? cœnarunt ait ſenex. Et quî fit, ait hoſpes, me unum præteriri incœnatum? huic ſenex promptè: tu mi frater, inquit, homo ſpiritualis es: tu cibum, qui non perit, operaris, tu legendo paſceris, ita cum Maria optimam partem elegiſti, hinc cibo noſtro non indiges; nos homines carnales, quia non poſſumus non comedere & bibere, ideo etiam ſtrenuè laborare cogimur. tu verò ſtrenuè eſurire perge. Cum ſibi hæc otii patronus, non immerito dici audiret, ad ſenis pedes ſe abjiciens: da veniam pater, ajebat, inconſideratè locutus ſum. cui Silvanus, ergo, inquit, neceſſaria eſt Martha Mariæ, propter Martham enim & Maria laudatur. ſtat etiamnum Pauli præceptum: *d ſi quis non vult operari, non manducet.* lex hæc omnibus lata eſt. Sic ad frugem redactum legimus in vitis Patrum, Joannem Brevem, qui dicebat fratri ſuo: *vellem eſſe ſecurus, ſicut Angeli ſunt, nihil operantes, ſed jugiter Deo ſervientes.* abiit ergo in eremum, ſed cum elapſa ſeptimana cepiſſet eſurire, reverſus ad cellam fratris, pulſavit fores, dicens: *Ego ſum Ioannes.* cui reſpondit frater: Ioannes Angelus factus eſt, nec amplius inter homines eſt. oppoſuit ille, Joannem ſe eſſe, ſed non auditur uſque manè, tum aperiens frater dixit; ſi homo es, opus eſt tibi operari, ut vivas; ſin autem Angelus, quid quæris intrare cellam? confuſus ille, ignoſce mi frater, inquit, peccavi. lepidè

a Chryſoſt. opere imperf. in Matth. hom. 34. *b* Ruffinus Aquil. n. 55. Pelagius libell. 10. n. 96.
c Ioan. 6. Luc. 10.
d 2 Theſſ. 3.

Angelinus noster de hoc Angelo, cujus hæ voces:

a ——— O inquit, Angeli sors aurea!
O quàm beatum ducit ævum, qui sibi
Haud sarcit, haud resarcit, haud net, haud suit;
Verùm coruscus lucis amplo in pallio,
De luce sola vivit, & lucem bibit.
Sat igitur esse, & mox licebit Angelum.
Hominemque penitus exeo, exuo, expuo.
Generosus ergo nanus, unum & alterum
Fors septimumque vixit impransus diem.
Redit ergo gressu cespitante seminex,
Et scipione nixus & trepidus caput,
Breviorque quàm solebat, ad cellam brevis
Et jure meritus id videtur optimo,
Quod nuncupari possit Angelus brevis.

Hunc Angelum brevem hoc nostro ævo nonnulli æmulari videntur, dum vitam nobilium, liberi & omni cura ac labore soluti sectantur, & brevî se ac suos hac beatitudine otiosæ ac licentioris vitæ fruituros præfidunt. In qua classe Anabaptistæ merito censendi sunt, qui non ita pridem in ramis arborum desidentes, exspectabant avidi, dum Deus eos è cœlo pasceret, cibumque in os ingereret, ut apud Cornelium & veridicum Christianum videre est, *b* ubi quosdam tanta pertinacia errori adhæsisse comperies, ut mortui præ inedia deciderint. nominatim, inquit P. David, id nostro tempore in Benschop diœcesis Vltrajectensis an. 1539. accidit, qui etiam inde teutonicè *Boom-klimmers*, id est arborum ascensores deridiculo vocabantur. quem errorem ab Euchitis mutuati videntur: dicuntur enim Euchitæ (teste Augustino) *c* quidam hæretici, opinantes Monachô non licere sustentandæ vitæ suæ causâ, aliquid operari, (quod tamen Apostolum fecisse legimus) atque ita seipsos profiteri, ut omnino ab operibus vacent: hoc supremi Magistri monito perversè abutentes: *respicite volatilia cœli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea.* cujus loci plenam è patrum doctrina expositionem consule part. 1. Dom. 14. post Pentecosten §. 3. Liberalissimus Deus Israëlis plebi, non coctos cœlo panes dejecit (quod illi non difficile) sed manna instar tenuissimi seminis coriandri per agros sparsit, magno labore colligendum, in mortario conterendum, aut mola frangendum, in panes formandum, in olla coquendum, aut in furno vel sub cineribus pinsendum.

d ——— Adeò nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

non voluit Deus populum sibi charissimum vanis laboribus conficere, noluit tamen otiari. ideo non panes à clibano recentes, sed velut farinam faciendis panibus subministravit. Eidem populo coturnices misit, non assas, non

a Gazæus in piis hilar. *b* Cornel. in 1 Petri 5. P. David in veridico c. 72.

c Aug. de hæresi c. 57. tom. 6.
d Horat. ser. 1. Sat. 9.

elixas,

elixas, ſed nec vulſis plumis paratas, quæ mox veru figerentur; ſed prius capiendæ, ſiccandæ, deplumandæ, dein igni admovendæ fuerunt. hæc omnia eo ſpectabant, ne otio torperet populus. Ad quod excutiendum, pigris & otioſis mendicabulis (de ægris & verè egenis non ago) efficax remedium eſt, unguentum illud, quo terga aſinorum perfriguntur ab agaſonibus. Nota lex Draconis Bythiniæ Regis, qui lapidari juſſit eos, qui in otio deprehenſi erant, pueros & ſenes ſi exceperis; ſed hæc durior; mitior illa, de qua M. Aurelius Imp. epiſt. ad Pollionem: *me puero nemini in publicum prodire licebat Romæ, niſi inſigne ſecum portaret opificii, vel artis quam factitabat, & quâ victum quæritabat. quòd ſi quis contra feciſſe deprehenſus eſſet, non ſolùm puerorum per vias inſequentium clamoribus, ut fatuus inceſſabatur; ſed è veſtigio à cenſore condemnatus cum aliis, ergaſtulis operi publico faciundo addicebatur.* Si omnes otioſi, ac malè feriati homines, principis aut magiſtratus juſſu, in ergaſtulum compingerentur, quot brevî quæque civitas operarios numeraret? aut ſi mavis ad triremes ablegarentur, quot myoparones valido remige inſtruerentur? Hoc ſtratagema ducis d'Oſſuna fuit: mendicos omnes è triviis morbidos, claudos, luxatos, paralyticos, leproſos, ad aulam ſuam convocari juſſit, quos lauto epulo exceptos, in vaſtum atrium deduxit, in quo funis (ut in ſphæriſterio moris eſt) à pariete ad parietem extenſus erat, aureos non paucos appoſuit iis; qui funem illum generoſo ſaltu trajicerent. hic ſinguli grallas ſeponere, paralyſim exuere, omni morbo ac infirmitate expediti, tranſilire. quos omnes, utpote, qui otii ac pigritiæ dumtaxat morbo laborarant, ad triremes ilicò ablegavit; nec injuria, quandoquidem validi ac otioſi illi mendici, alieno ſe labore ſuſtentent, vitam otio & inertia tranſigant, & verè egentibus alimenta ſurripiant. unde eos meritò jura humana & divina è Republ. arcent, tanquam inutilia terræ pondera. de his intellige illud Deut. 15. *mendicus non erit inter vos.* Eſt notabilis hiſtoria, quam refert ex oculato teſte vir eruditus, in laboris encomio. [a] dum Gandavi, inquit, cum aliquot ſenatoribus Brugenſibus ſederem ante portas domus ſenatoriæ, mendicus quidam gemebundus, plorabundus, miriſque modis Iri pauperiem ſimulans, eleemoſynam petit, habere ſe latens vitium ac malum prædicat, quod pudor hominum conſpectui exhibere deterreat. hominis miſerti, ſinguli eleemoſynam elargimur. mendico à nobis digreſſo, unus noſtrûm jubet famulum ſuum hunc inſequi, & propius quid latentis vitii tegat, perquirere. dat hic ſe in pedes, mendicum rogat ſuper occulto morbo, quo ſe laborare dictitabat: inſpicit faciem, pectus, brachia, omnia membra valida ac robuſta. nihil, inquit famulus, in te morbi video. ah, inquit mendicus, longè aliud eſt malum, quod me premit, latens prorſus, quod per venas & medullas, perque univerſum corpus ſerpit, adeo ut nullum membrum

[a] D. Petrus Loycx laboris encomium.

ſit, quod ſe operi ac labori tradere valeat. hoc malum vocari audio inquit, *otium & pigritiam.* famulus ſtomachabundus properè hæc Domino refert, reſponſum riſu exceptum, mendicabulum quæſitum ſed nuſquam repertum. in ejuſmodi olim ſeveræ leges conditæ ſunt, atque utinam non antiquatæ. Carolus Magnus quâdam conſtitutione vetuit, mendicis palantibus ſtipem erogari; nam, ut rectè Caſſiodorus: *a* non eſt æquum, ut rem laborantium, accipiat otioſus. Piſiſtratus, Rex Athenienſis, accerſiri juſſit eos, quos in foro manibus in terga rejectis, otioſos deambulantes conſpexerat, edixitque ſi nec boves nec ſementem haberent, de ſuo acciperent, ut terram excolerent; veritus, inquit Ælianus, ne iſtorum hominum otium, ſibi inſidias ſtrueret, aut ad furta & rapinas provocaret.

Quod leges, & edicta Belgii noſtri ſpectat, quæ otioſos iſtiuſmodi graſſatores proſcribunt & perſequuntur, eas breviter & exactè recenſet vir virtute & eruditione Magnus Franciſcus Zypeus, in ſua notitia juris Belgici l. 11. ubi hæc inter alia: Extra„ tranei, & qui annale domici„ lium non habuerunt, intra octo „ dies excedant ſub pœna fu„ ſtigationis, & ſtigmatis dorſo „ imprimendi, aut arbitrariæ. „ Oberrent officiarii ſæpe in „ nundinis, encœniis, nuptiis, „ hoſpitalibus, hujuſmodi erro„ nes perſequantur, apprehen„ dant, puniant ſub pœnâ priva„ tionis officii, inhabilitatis, & damni exinde illati. Otioſi etſi " non mendicantes incolæ, vel " externi inquirantur, unde vi" vant? niſi aptè reſpondeant, " carceri includantur. Otium in" excuſatum, ſufficiens ſit ad tor" turam indicium, &c. Felicem " enim vero Rempublicam ac Regionem M. Aurelius pronuntiavit ubi nulli otioſi, proprio ſinguli labore fruuntur, nec quiſquam labore aut ſudore vivit alieno. Ejuſmodi regimen eſſe Sinenſium narrat Iarricus, *b* qui neminem prorſus feriari permittunt: cæcos enim in piſtrinum dedunt; claudos vero, aut pedibus affectos, manibus laborare compellunt. Cæteros pro cujuſque viribus & facultate occupant, ut eorum Reſp. Apiariæ aut formicariæ, ad quam Sapiens pigrum ablegat, ſimillima videatur; quod in maximum Chriſtianorum probrum cedit.

Sed ut aliquando concludam: quemadmodum ab otio & pigritia pauperies & egeſtas procedit, ita oppoſitè ſubjungitur: *c ſi verò impiger fueris, veniet ut fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te.* Quod C. Furius Creſinus ingenioſo olim commento expoſuit, *d* qui cum ex parvulo agello, multo uberiores fructus perciperet, quàm vicini ex amplioribus fundis, invidiam incurrit, quaſi fruges alienas, veneficiis in ſolum ſuum pelliceret. Quare à Spur. Albino Curule in judicium eâ ſuper re vocatus, omne ſuum inſtrumentum ruſticum, ligones, vomeres, boves ſaturos, atque una filiam validam in forum adduxit. Cun-

a Caſſiod. l. 3. epiſt. 36.

b Iaric. de rebus Ind. tom. 2. l. 4. c. 203.
c Prov. 6. *d* Plin. l. 18. c. 6.

ctis

ctis demirantibus, hoc paucis profatus eſt: *veneficia mea Quirites, hæc ſunt, nec poſſum vobis oſtendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias, & ſudores meos.* Quo audito, omnium calculis abſolutus eſt. Hac arte complures uſi, breviè tenui ad ſumma emerſerunt, è ſutrina aliaque anguſta quiſquiliarum officina, ſolertia, cura, ac labore aſſiduo, ad omnium ſtuporem & livorem, ampliſſimas fortunas, & honorum gradus adepti ſunt. Non unum ſuburbanum villicum adferre poſſem, qui labore manuum annuo cenſu ad millia numeret. De his ſacer codex: *a qui operatur terram, ſatiabitur panibus.* Panem, pannum, piſcem vis? labora: rerum omnium pretium labor eſt, ut rectè olim Xenophon pronuntiavit: *b dii laboribus omnia vendunt*; & ut Chriſtianè loquar, cœlum ipſum. Fridericus Marchio Brandenburgenſis, extremis tabulis Fredericum ſecundo genitum, Joanni primogenito prætulit, ac Marchionatum cum Electoratu imperii tranſcripſit, hac ſolùm de cauſa, inquit, quod natu major, otii ac quietis amantior, Electoratus dignitatem, in quâ nil præter laborem invenias, minùs benè adminiſtraret, quàm frater, qui ad labores & negotia tractanda expeditior habebatur: *c Ita non otioſis aut dormientibus* (ait Sanctus Proſper) *provenit Regnum Cœlorum, nec otio & deſidia torpentibus, æterna beatitudo ingeritur*; ſed laborantibus in vinea merces æterna promittitur: *d Voca* (inquit cœleſtis ille Paterfamilias) *operarios, & redde illis mercedem.* Hos inter deſes ac otioſus minimè numeratur; ſed ille merito cenſendus frater, quem dum Sanctus Bernardus ſtrenuè operi inſtare cerneret, divinitus prædixit, ſine purgatorio rectà in cœlum evolaturum. Talis operarius exſtitit Hilarion: *e* cujus hæc morientis cygnea vox fuit: Egredere anima mea, quid times? Egredere, quid dubitas? ſeptuaginta annis ſerviviſti Deo, & mori times? Septuaginta annis indefeſſus hic operarius laboraverat, unde jure ad mercedem laborum evocatus eſt. O illum beatum, qui extremo ſpiritu hoc dicere poterit: Triginta, vel quadraginta, vel ſeptuaginta annis in vinea Domini laboravi, tuli pondus diei & æſtum, ſudavi & alſi: merces hunc manet copioſa nimis. Iſtiuſmodi operariis aptè dici poteſt: *Requieſcant in pace. Amodo jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus.* Apocalypſis 14. Infelicem vero illum, qui fateri compulſus: Tota vita ſteti in foro otioſus. Tu filia viginti, triginta annis otioſa. Tu vir nobilis, argenti dives & auri, quadraginta, quinquaginta annis otioſus. Secundo, tu Religioſe tanto tempore in domo Dei otioſus. Ad illud inferorum ergaſtulum omnis talis detrudetur, ubi *laborabit in æternum.* Pſalmo quadrageſimo octavo.

a Prov. 12. *b* Æneas Syl. in comm. Panorm. *c* S. Proſp. l. de contempt.

d Matth. 20.
e In Brev. Rom. 21. Oct.

EMBLEMA XIII.

In tempore tentationis recedunt. Lucæ 8.



TEMPORA SI FUERINT NUBILA, SOLUS ERIS. a

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Amicus verus ut rarus ſic carus, in adverſis maxime comprobatur.

§. I. *Eſt Amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.* b

§. II. Hujuſmodi Amici c *in tempore tentationis recedunt.*

§. III. *Solus Deus Amicus verus & ſincerus.*

a Ovid. lib. 1. triſt. eleg. 8. b Eccl. 6. c Luc. 8.

DOMI-

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

In tempore tentationis recedunt. Luc. 8.



Mico sincero ut nihil carius, sic nihil rarius: adeò ut omnes uno annulo insculpi posse putarit Tullius, dum ait ex omnibus sæculis vix tria aut quatuor numerantur Amicorum paria, qui se veros ac sinceros necessarios præbent & probant, ubi necessitas postularit: quod innuere videtur Dominus eâ loquendi formulâ: *a quis vestrum habebit Amicum*, cui intempestâ nocte adversitatis pulsanti, confestim aperiat, & de omnibus prospiciat? Rarissimus ille inquit Seneca: *b nescis quantum sit pretium Amicitiæ, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis Amicum, rem non domibus tantùm, sed & sæculis raram.*

Les amis de l'heure presente
Sont du naturel du Melon:
Il faut en assayer cinquante
Avant que d'en trouver un bon.

Feliciter arbusta gemmant, latè exsurgunt, vernant, florent; at ubi aura rigidior, aut turbo ingruit, flores decidunt, pauci maturescunt. Id in Amicis quotidie usuvenit; quos quamdiu rigas, quamdiu favore tuo, quasi benigniore favonio foves, florent, & fructum spondent; at ubi adversitatis turbo exortus fuerit, pauci ad extremum fidi persistunt: unde Eccl: exclamat: *c beatus qui invenit amicum verum:* istiusmodi enim *d Amicus diu quaritur, vix invenitur, difficilè servatur.* Verissimè Scipio ille Africanus, de quo Tullius in Lælio: *nihil difficilius esse, quàm Amicum usque ad extremum spiritum permanere*, qui tecum sudavit & alsit.

e Hic *raros inter numerandus Amicos.*

Ut jure in has voces Petrus Cluniacensis prorumpat: *f O Amicitia! res inter mortales admodum pretiosa; sed quantò carior, tantò rarior, quò abisti?* Hoc qui præviderat, providè à Catone Censorio factum Plinius commemorat, *g* ut in annulo hoc velut Symbolum inscriptum gestarit: *esto Amicus unius, & inimicus nullius.* Dictu facile, sed factu difficile, imò impossibile; tot inter fictos ac fraudulentos Amicos, unum verum reperiri, atque inter hos nullum inimicum censeri; cùm longè infestior sit Amicus simulatus, quàm hostis manifestus. Vultis id prudenti eoque regio comprobari testimonio? Cùm Parmenio vulnus Alexandri obligaret, ac unà in cautelam commoneret, ne se adeò præsenti hostium discrimini deinceps exponeret, respondit Alexander: *tu me serva à fictis Amicis, ego me servabo ab apertis inimicis*; nam hos præ illis vehementiùs metuebat, utpote quos declinare non poterat, quia non norat: atque eâ ipsâ de causâ *Antigonus deos precabatur, ut se à simulatis servarent*

a Luc. 11. *b* Seneca l. 6. de benef. c. 33. *c* Eccl. 25. *d* Hieron. in c. 7. Mich.

e Martial. *f* Pet. Cluniac. l. 1. epist. 5. *g* Plin. in ep.

Amicis. Hos inter medius versaris; sunt qui amant non te sed tua: amant divitias tuas, mensam tuam, munus tuum, favorem tuum, gratiam tuam, non te. Quis Amicum credat, qui sibi soli Amicus est? Qui lucrum suum, honorem suum, commodum suum ac suorum amat. De hoc divinè Ecclesiasticus: *a est enim Amicus secundùm tempus suum, & non permanebit in die tribulationis.*

Alii amant, quia laudantur à te, quia indulgenter habentur, quia amantur. Quem amorem B. Theresa execratur dicens: *b maledicta lex, ideo amare quia amaris: sic Deus neminem mortalium amasset.* Hoc ex ejus pectore hauserat, unde Augustinus doctrinæ suæ rivos ad nos derivavit, qui in hanc Amicitiam ita invehitur: *c dicit anima mea, amat amantem se, amat filios, amat parentes, amat & latro: amat & draco, amant & lupi, amant & ursi; si enim amantes non diligamus; si filios, si parentes despicimus, ferociores* leonibus *sumus.* Hæc Amicitia non est.

Alii amant socios sceleris, quibus cum liberiùs genio indulgeant, potitent, murmurent, lasciviant. De his Ambrosius: *d non potest homo homini esse Amicus, qui Deo fuerit inimicus*; cùm genuina amicitiæ tessera sit, quam piissimus Antistes Genevensis Franciscus de Sales sibi delegerat: *Rien contre Dieu.*

Omnia paucis complexus Augustinus: *e Sunt amici ex certâ amicitiâ, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia! sunt enim homines, qui pariter mala committunt, & ideo sibi videntur conjuncti, conscientiâ malâ sunt ligati. Excepta ista nefaria amicitia, est quadam amicitia adhuc carnalis per consuetudinem colloquendi, cohabitandi, & simul conversandi; ita ut contristetur homo, quando deseritur ab amico, cum quo solet loqui, & habere conventiones. Conveniunt namque duo homines, ambulant secum triduo, & jam nolunt à se recedere. Et ista quadam jam Amicitia dulcedo est, honesta quidem, sed consuetudinis, non rationis: habent enim illam & pecora.* Quod viva similitudine illustrat: *duo equi simul manducant, desiderant se ad aliam diem, præcedat unus, festinat alter, desiderans quasi Amicum suum: vix à sessore regitur, & tamdiu se impetu suo provocat, quousque perveniat. Amore urgebatur, venit tanquam ad locum suum & quievit. & quia ista Amicitia est in pecoribus, surgamus ergo ab illa.*

Horum omnium amicitiæ fictæ sunt fragiles, instabiles, similes avium, quas Livius vernas vocat, quas aurâ æstivâ ac vernâ apud nos, cantui indulgere & nidulari videmus; ingruente brumâ, quam tùm aëris, tùm corporum suorum intemperie præsentiunt, in Ægyptum aut alias apricas & tepidiores Regiones commigrant. De his Auctor ad Herennium, l. 4. *ut hirundines* (ciconiæ) *æstivo tempore præsto sunt, frigore pulsæ recedunt; ita falsi Amici, sereno vitæ tempore, præsto sunt; simul atque fortunæ hyemem viderunt, devolant omnes.* Veritatem expertus, non fabulas cecinit Ovidius:

a Eccl. 6. b Barry. Solit. des amities particulieres. pag. 295.
c Aug. serm. 61. de tem. d V. Barry cit.
e Aug. lib. 50. hom. 38.

a Si fueris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

a lib. 1. trist. eleg. 8.

§. I.

Est Amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis. Eccl. 6.

HÆc cedro digna locutus quondam Alphonsus Rex: *b* hærebat cum classe sua in portu ventum operiens, ut vela faceret, & ex Sicilia solveret; interea dum suis cum Aulicis super aquas epularetur splendidè, amœno cepphorum adnatantium ad naves spectaculo, sese oblectabat: objectas ab eo micas, ac ciborum reliquias, ubi arripuerant, ilicò avolabant. Quod ubi sæpe sæpius fieri conspexit, hoc regiâ Parrhisiâ suis documentum dedit: *ejusmodi aves in Aula sua complures nidulari, quæ quamdiu escæ inhiant, munia ac munera sectantur, à latere non recedunt; assunt semper; quæ ubi adepti sunt, avolant, & Regem destituunt. c* Ne tu illorum Amicitiam speres, quos mensæ, aut munera conciliant. Benè Isidorus: *Non sunt fideles, quos munus non gratia copulat: nam citò deserunt, nisi semper accipiant.* Unum ex his expressit Horatius, à quo sub prandium occurenti, sese expedire nequivit: *d*

Accurrit quidam notus mihi nomine tantum:
Arreptâque manu, quid agis dulcissime rerum?
Flaccus *discedere quærens*
Ire modò ocyus, interdum consistere, in aurem
Dicere nescio quid puero.

Tandem cùm nil proficeret, fingit alio excurrendum.

Quendam volo visere non tibi notum:
Trans Tiberim longè cubat is, prope Cæsaris hortos.

At qui mensæ inhiabat, respondet:

Nil habeo quod agam, & non sum piger, usque sequar te.

Procul à tectis, *e* procul à cœtu hominum velut obstrepentes hirundines, aut inhiantes cepphi, aut advolantes muscæ, tales Amici amandandi ex sententia Chrysostomi. hom. 49. in Matth. monentis in hunc modum: *non retineas Amicos, mensæ magis quàm amicitiæ cupidos: qui enim tales sunt, si delicias detraxeris, illi quoque Amicitias dissolvent.*

Hæc disertè è suggestu Orator aureus; nec minùs verè è Cathedra Gregorius Theologus: *f* illud inquit Theognidis probo, qui cùm eam Amicitiam, quæ ultra pocula & societatem minimè se porrigit, haudquaquam laudet, hos versus præscribit:

Ad calices multi se protestantur amicos;
Rebus at in dubiis nullus amicus erit.

Exstat illud celeberrimum Regis Arragoniæ pronuntiatum: *g* Amicitiam tribus foveri; *pileo, charta*, & *vitro*. Pileo ut obvium amicè salutemus; chartâ, ut quid quandoque literarum ultro citroque missitemus; acceptis sal-

b Panormit. lib. 1. de gestis Alphon.
c V. Scriban. polæ. 2. d Horat. l. 1. Sat. 9.

e Procul. à contubernio.
f S. Greg. Nazianz. epist. 160.
g Panormit. de gestis Alphons. Loys Garon. chasse Ennuye. cent. 1. §. 95.

tem

tem respondeamus. Vitro, ut haustum ad salutem Amici propinemus. Sed ejusmodi amicitia, cùm re futili ac fragili nixa sit, & haustu vini conglutinata, stabilis & firma non erit, sed vitrea. Unde Poëta: *a*

Hunc quem vina tibi, quem mensa paravit amicum,
Esse putas fida pectus Amicitiæ?
Vinum amat, & cyathos, & sumina, & ostrea, non te:
Sublato vino nullus Amicus erit.

Nam si Jurisconsultum audire velimus: *b optimo jure Amicitia illa quæ inter pocula, ut plurimum contrahitur, vitrea à quibusdam dicitur*; nonnumquam enim fit, ut inter potandum simus amicissimi & humanissimi, at mane digesto vino, illa humanitas & conjunctio, quæ arctissima videbatur, plerumque simul cum vino evanescit, vel potiùs ita acescit, ut nonnumquam in amarissimum odium vertatur. Hoc semel atque iterum observavi, inquit idem Auctor, *c* in Equitibus nostratibus; non procul ab Argentorato, aliis ad Regem Galliæ, aliis ad Principem Condeum, militatum decedentibus, & velut sub præcone (ut Plutarchus de Equitibus Romanis ait) prostantibus, atque iis qui plus dedissent se adjungentibus. Hi ubi in iisdem diversoriis fortè convenissent, & vino incaluissent, fratres, consanguinei, & affines inter se erant; paulò post in bello se mutuò interfecturi. Idipsum in quotidianis symposiis & conviviis videre est, in quibus herum, quamdiu vinum flavescit in vitro, quamdiu Philothesia obambulant, in cœlum extollunt, uxorem, liberos deprædicant, opem omnem suam ac operam sanctè oppignorant. Dum die insequenti herus Convivæ temulentiam, insulsos mores, voracitatem, & dolii sui vacuitatem queritur; conviva verò hominis tenacitatem sugillat, uxoris luxum ac filiæ supra conditionem, mundum muliebrem carpit, ac rodit: ut mures solent, qui de pane ac cibis nostris victitant, insuper & noctu obstrepere ac rodere pergunt, & ut ille: *d ubi dapes, ibi apes*; quæ fugiunt relicto aculeo. Molosso super mensam offam objicis, noctu allatrare non desinet. *e Hæ sunt amicitiæ, ut* docet Seneca, quas *temporarias populus appellat. Qui causâ utilitatis assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit.* Eleganti similitudine Epictetus rem exponit, *f* dum quærit: an non aliquando catellos vidisti invicem adblandientes? nihil illis dicas amantius; sed nosse cupis, qualis ille amor sit? carnem illis objice, cognosces. Pone agellum, aut quodvis lucrum, te inter & Amicum: fallor nisi amor omnis in amaritudinem vertetur: ni te prius sepeliri volet, & tu ipsum emori.

Quod nemo quisquam mirabitur, qui expenderit hujusmodi amicos, potiùs mercatores ac nundinatores proprio lucro ac commodo studentes appellandos esse: ut disertè tradit Romanæ eloquentiæ Princeps Cicero: *g Amicitiam*, inquit, *si ad*

a Martial. lib. 2. *b* Camerarius operæ subcisivæ. cap. 94. *c* Camer. sup.

d Lauredan. *e* Seneca epist. 9. *f* Epist. l.2.c.22. *g* Cic.l.1, de Nat. Deorum.

fructum

fructum nostrum referamus, non erit ista Amicitia, sed mercatura quadam utilitatum. Prata & arva, & pecudum greges diliguntur illo modo, quòd fructus ex iis capiantur. Oratori addo Philosophum Romanum, cujus hæc sana Doctrina est: *a in quid amicum paro? ut habeam pro quo mori possim; ut habeam, quem in exilium sequar? cujus me morti apponam & impendam? Illa quam tu describis negotiatio est, non amicitia: quæ ad commodum accedit, quæ quid consecutura sit, spectat.*

Gratularer mihi si frequenter suarum rerum amantes hæc legerent & intelligerent, quid Sapientum Magister Aristoteles de iis censuerit: ex albo nempe Amicorum expungendos, *b* dum eos *non veros Amicos ad utilitatem comparatos appellat.* Imò sanctioris Philosophiæ probatissimus Doctor Bernardus epist. 42. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, ut istiusmodi deludat: *sumptuosis*, ait, *familiaritatibus quæstuosas comparant amicitias.* In turpissimum hi quæstum & usuram vertunt amicitiæ naturam; mensam, fortunas, opes tuas amant, non te. Aut potiùs te in tuis omnibus amant, te non amant; nemo amat, qui ut rebus suis studeat & se tuis induat, nudatum suis amicum vellet. Usurpabo libenter loquendi modum, quo utitur S. Ambrosius, inquiens: *c quid est amicus, nisi consors amoris, ad quem animum tuum adjungas atque applices, & ita misceas, ut unum velis fieri ex duobus: cui te tanquam alteri tibi committas, à quo nihil timeas, nihil ipse commodi tui causâ inhonestum petas? non enim vectigalis amicitia, non quæstus: quia non pecunia quæritur, sed gratia; nec licitatione pretiorum sed conversatione benevolentiæ.* Ubi altiùs animo cælanda, ea potissimum; *non vectigalis amicitia, non quæstus est.* Ut omni semotâ controversiâ, illum amicum non agnoscamus, qui quidquid molitur, quidquid cogitat, quidquid aggreditur, in proprium commodum atque in suam vertit utilitatem:

d Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur:
Vulgus amicitias utilitate probat.

Hæredis, è remoto ad moribundum acciti, uberes lachrymę sunt, intus natat gaudio, oculi mœrorem mentiuntur, lingua incolumitatem apprecatur, offert si quid domi suæ bellariorum ac cupediarum sit, quod ægrum refocillet; noctu diuque assidet, dum interim vulturum in morem cadaveri, & prædæ inhiat: gentilis censura est: *e vultures revera sunt, cadaver exspectant.* quos meritò fustes pro lautâ hæreditate manerent; quemadmodum Joannes Conaxa liberos ingratos moriens bellè lusit, clavam horridam iis in arcâ relinquens loco pecuniæ, ut festivè cecinit Gazæus noster in hilariis: *f* ita ille *corvos delusit hiantes.*

Ad mortem siquidem anhelant, dum vivos palpant. ubi juvenis ille defunctus Luc. 7. efferretur, sequebatur comitatus ingens: sed quem? *turba multa ci-*

a Seneca epist. 9. *b* Arist. l. 7. mor. c. 4. *c* Ambr. lib. 3. de offic. cap. ultim.

d Ovid. lib. 2. de Ponto. *e* Senec. ep. 95. *f* Angelin. Gaz. pia Hil.

vita-

vitatis cum illâ: observa non cum illo, sed *cum illâ*: non mortuum curant, sed vivam. multum præstant si vitâ functum ad tumulum comitentur; ubi amorem, benevolentiam ac beneficia omnia sepeliunt. Ita accidit Francisco Cotinio Comiti de Redondo *a* Indiæ Proregi, qui cùm elatus esset ingenti comitatu, & ad tumulum depositus: ecce tibi declaratur alius Prorex, qui defuncto succedat, Joannes Mendosa, qui funebri pompæ intererat. Tum, quod mireris, omnes protinus Cotinio deserto, ad Mendosam conversi, plurimùm illi congratulantur, comitantur, ac in urbem deducunt, unico, eoque vili mancipio dumtaxat, ad humandum cadaver relicto. quo in occasu maximè patuit, quam quisque solem orientem in sui commodum adoret. Socrates ad quendam Adolescentem prædivitem, multis stipatum comitibus ait: doleo tuam solitudinem, nam qui comitantur, non tecum, sed secum potiùs ambulant, muscæ sunt, quæ tua, non te sectantur. Ecquis porrò muscas saccharopægo amicas dixerit? quod ejus officinam assiduò frequentent, noctu diuque illic excubent? an non potius fuste abigendas duxerit? *b mel musca sequuntur, cadavera lupi, turba prædam sequitur, non hominem.* Venator canem amat, auceps falconem, quod sibi prædam adferant, & emolumento sint. Est Adolescens qui per diem, imò in multam noctem cum puella sermones miscet, obsequia non modò verbis, sed & munusculis testatur: visit, revisit, adblanditur. nostis quid spectet? quid expectet? speciosam, locupletem novit: *prædam sequitur*, non filiam; formam sequitur, non puellam. Quod ipsum explanatum invenio à B. Petro Damiano lib.7.epist.9. ad Reginam Galliæ: *quo pacto amare credantur qui capsas, ut ita loquar, corporum diligunt; sed animarum aurum, quod in eis reconditur, non attendunt: nimirum hoc dumtaxat amplectuntur, quod vermes devorant in sepulchris; illud verò planè despiciunt, cui immarcessibilis gloria servatur in cœlis.*

Æger peritum medicum collaudat, potiones ejus commendat, artem ejus divinam deprædicat, hanc amat, se ac valetudinem suam amat, non hominem. Est qui Causidico, qui Consiliario munera missitet, penes quem decisio litis est; alter viro potenti, aulico apud Principem in paucis charo, infimum obsequium impendit, velut umbra sectatur, ut officium sibi aut Canonicatum filio impetret. hi tua amant, non te. Felis candelabrum lambit & ambit, non ut expurget, sed ut se pascat. Præceptum hoc Aristotelis utinam apud omnes receptum sit: *c erit amicus amico, non quia Musicus, vel medicus; non quia dives, vel potens.* & paulò infrà decernit, amicum illum nequaquam esse, *qui res magis amici, quàm ipsum amicum amat.* Non sine magno præcellentis ingenii acumine, dictum fuisse scimus ab Alexandro Macedoniæ Principe, *d* qui laturus

a Sacchinus tom.2.annal.Soc.l.8.n.169. *b* Seneca.

c Arist.l.7.mor.c.4. *d* Cæl. Rhodigin. l.23. antiq. lect. c.4. in fine.

judi-

judicium de Cratero & Hephestione (quorum uterque familiarissimus Alexandro habebatur) pronuntiasse fertur: *Craterus amat Regem, Hephestion Alexandrum.* quasi verò illustri notâ, hunc ab illo sejungeret; aperiens quamplurimos esse, qui in amico dignitatem, potentiam, facultates potiùs spectent, quibus ad amicitiam excitantur, quam personam. isti profectò, non Alexandrum amant, sed Regem. sic canis dum adblanditur, dum per devia & avia Cauponem herum suum sectatur, non herum amat seu cauponem; prædam & offam sequitur, non hominem. Ubi illud Taciti tacitè præterire non possum, qui Galbam Imp. apprehensâ Pisonis manu, sic loquentem inducit: *a jam ego ac tu simplicissimè inter nos hodie loquimur; cæteri libentius cum fortuna nostra, quàm nobiscum.*

a Tacit. l. 1. hist. in hist. in Galba.

§. II.

Hujusmodi Amici *in tempore tentationis recedunt.* Luc. 6.

SCribanius in Politico Christiano cap. 3. arduum, inquit, Amicum verum à fraudulento dignoscere. Hunc tandem lydium lapidem adfert: in adversis animum utriusque cognosces. discernunt hæc Amicum ab hoste. sic incursantes tempestates, naucleri peritiam retegunt, juxta illud Lucretii: *b*

Adversisque in rebus noscere, qui sit.

At ante cognoscere oportuit: serò enim imprudentiam ingemiscimus, & de alio gubernatore cogitamus, cùm illisam scopulis navem videmus. Quod in Nauclero, hoc in amico faciendum, præcipit Scribanius: experimentum ab alio sume, ut alieno exemplo edoctus, pericula devites. vide quomodo se habuerit in aliorum amicitiâ. steterit? an dilapsus in adversis fuerit? prolabanti amico dexteram porrexerit? an magis etiam impulerit? causam ruinæ dederit, aut non dubitarit periclitari cum amico? opes, famam, vitam in amici discrimine ultrò, an rogatus projecerit? an destituerit labantem? & eadem exspecta.

Ut verò in teipso certius periculum facias, delige Amicum, priusquam diligas, & ex te discas, quid sperare, quid timere debeas; finge metum & casum, denuncia adversa, propone minitantia damna, ostenta pericula pendula jam, & in caput tuum ruitura, in opes, in familiam, in vitam; & fidem disces. Dolum hunc, quem alium ingeniosè commentum legi, *c* ipse adorna: fortuitum infortunium se incidisse fidenter deponit; atque ovem jugulatam sacco, sanguine madentem impositam, nocte intempestâ ad ædes amici defert, necem se innocenter intulisse sanctè asseverat: cadaver proinde, ne quid penes se suspicionis, apud hunc resideat, in angulo domus suæ recondat, aut sepeliat, orat. Amicus hic humeros contrahere, frontem rugare, apertè demum fateri ob unam necem duos non in discrimen vocandos; timere se sibi ac familiæ,

b Lib. 3.

c Poirters larva de fictis amicis.

rem

rem non diu fore occultam, illum vincula manere, & carcerem. dè hoc, quid ſentis Philoſophe? *a Paravit amicum adverſus vincula laturum opem: cùm primum crepuerit catena, diſcedet, florentes amicorum turba circumſedet, circa everſos ſolitudo eſt, & inde amici fugiunt, ubi probantur.*

Conſimilis typum amicitiæ pereleganter hiſtoria Danielis expreſſit: convolarant ad amœnam, proceram & opacam arborem volucres cœli, in eaque cantantes ac nidificantes quieſcebant. *b rami ejus pulcherrimi & fructus ejus nimius, & eſca omnium in ea, & in ramis ejus commorantes aves cœli.* & ecce vox de cœlo: *ſuccidite arborem, & diſſipate illam*, & volucres omnes avolarunt. Hæc arbor, ut ait Daniel, ipſe Rex Nabuchodonoſor erat, qui ubi è ſolio decidit, omnes volucres, omnes aulici, adulatores, aſſentatores, paraſiti avolarunt. huic arbori tot florentes mercatores, tot viri potentes à ſæculo, tot Reges ac principes ſimiles exſtitêre, quibus ubi adverſâ fortunâ aut foro aut ſolio cedendum, qui indies menſæ aſſidere, latus ſtipare, placita auribus inſuſurrare conſueti,

c ——— diffugiunt cadis
Cum face ſiccatis amici
Ferre jugum pariter doloſi.

Mercator in mari ad centena millia naufragio jacturam fecit, rogat ut labantem fulcias, aliquot millium ſummam mutues, ne foro, ne honori, ne exiſtimationi cedat: hîc probabis, quis tibi amicus ſit: nam ut Eccleſiaſticus docet: *d ſi poſſides amicum, in tentatione poſſide eum*, id eſt fidem tentando in adverſis. hic lapis lydius.

e Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

In hac fornace paupertatis, experieris complures argento vivo ſimiles eſſe, quod auro tenaciter adhæreſcit, donec fornaci imponatur; ita hi mobiliori genio & ingenio, quàm argentum vivum divitibus adhærent, donec adverſitatis igne excoquantur. pulchrè Laurentius Juſtinianus. *f iſta virtus* (paupertas) *verum demonſtrat Amicum; quod divitiis non potes ſcire, paupertate ſcies, ô homo! illa veros certoſque retinebit amicos.*

Vividos ac recentes flores manibus geſtamus, his abacos ac regum atria ornamus; ubi marceſcere incipiunt, abjiciuntur: hoc de Amicis ſentit Sidonius, *g* nos uti illis quaſi floribus recentibus, quamdiu in illis vigor, & gratus odor aſpiret. Amariſſimis lachrimis id olim queſtus Propheta Job: *h Ecce*, inquit, *non eſt auxilium mihi in me, & neceſſarii quoque receſſerunt à me*; quorum conſuetudinem ac neceſſitudinem, liquidâ ſimilitudine exponit: *fratres mei* (id eſt amici ac propinqui) *præterierunt me, ſicut torrens qui raptim tranſit in convallibus. loquitur*, inquit S. Thomas, *ad ſimilitudinem unà iter agentium, cum uno cadente in foveam, alii præcedunt illo dimiſſo.* ſic ait Job me conſpecto vel deſpecto potiùs,

a Senec. ep. 9. *b* Daniel 4.
c Horat. lib. 1. carm. Ode. 35.
d Eccl. 6. *e* Ovid. lib. 1. triſt. el. 4.
f Laur. Iuſtin. de paupert. cap. 2.
g Sidon. Apol. l. 4. epiſt. 14. *h* Iob. cap. 6.

jam

jam in profundum miſeriarum prolapſo, Amici mei ad commoda & utilitates ſuas contenderunt, nihil cogitantes de me juvando. Veriſſimum hîc ſymbolum inſtabilis Amicitiæ Patres ac Interpretes paſſim obſervant, *a* dum quinque torrentis proprietates, fluxæ amicitiæ omnino congruere demonſtrant:

1. Ut torrens huc illuc per varios flexus & meandros diffluit, non recto tramite decurrit; ita falſi amici, per verborum ambages, & ſinuoſos tractus & anfractus cum amico incedunt.

2. Sicut torrens raptim, & quodam impetu tranſit, ita brevis eorum gratia, & fluxa amicitia.

3. Sicut torrens hyemali tempore, glacie concretus & nive tectus, candidus apparet, cùm tamen ſub glaciem plerumque turbidæ ac lutoſæ aquæ decurrant: haud aliter ſimulati amici blando vultu, ridenti ore, ſed animo obſcuro, corde turbido, de quibus Tullius: *b nullæ ſunt occultiores inſidiæ, quàm eæ quæ latent in ſimulatione officii, aut aliquo neceſſitudinis nomine.*

4. Sicut torrens in eo à fluvio differt, quod hujus aquæ ſint perennes ac continuæ; illius verò minimè, ſed ad tempus: ita & amici iſti temporales, non permanentes in tempore ſiccitatis.

5. *c* Cùm torrens in hyeme copioſiſſimis aquis redundet, nulli uſui eſſe videtur, quòd tum terra arboreſque cœleſtibus pluviis abundè perfundantur; æſtate autem, dum viatori, aut terræ ſitienti uſui eſſe poſſet, tunc exareſcit: ſic ſanè multorum amicitiæ cùm iis opus non eſt, turgent, & fluctus ac ſpumas magnificarum promiſſionum in ſublime tollunt; *d* ſed diſparent & evaneſcunt ilicò in neceſſitate. iis porrò deſtitutus, *quàm pulchrè*, teſte Ambroſio, *e in adverſis poſitus Iob dicit: miſeremini mei, amici mei miſeremini. non quaſi* abjecta *vox iſta eſt, ſed quaſi cenſoria.* nam pro eo quòd dicit: *fratres mei præterierunt me*, alia lectio habet, *fefellerunt me.* quaſi dicat: ſicut iter agens hyemis tempore, torrentem in viâ offendit, dulci ac limpidâ aquarum copiâ redundantem, is ſi æſtatis tempore iſtac fortè iterum iter peragit, oppido laſſus ac ſiti exhauſtus, ad locum illum anhelat: quò ut pervenit, ſua ſe ſpe fruſtratum cernens, & alveum ſiccum reperiens, ait: fefellit me torrens iſte.

Quamdiu quis divitiis affluit, & torrente fortunæ abundat, omnes velut limpidiſſima aqua ad ſe invitat; ubi exaruerit, pedibus alveum conculcant; quod Guerricus Abbas alio ſimili illuſtrat, qui ejuſmodi Amicos pomis aureis & citreis confert, quæ quamdiu recentia, & ſucco plena, manibus geſtantur, pretioſis abacis ac regiis menſis imponuntur, in pretio & æſtimatione ſunt; at ubi ſuccus omnis expreſſus, infra menſam aut in fimetum abjiciuntur, pedibus proteruntur. Quemadmodum Jobo accidiſſe legimus, nec ſoli. ſed funem proſequamur. gratiâ quis

a Bolducius hic Pineda Cordier.
b Aug.l.19.de civit.c.5. *c* Pineda hic.
d V. Cordier hic. *e* Ambr.l.3.offic.19.

valet

valet apud Reges & Principes, ne nomine quidem ante notus, statim velut umbræ comitantur hunc gratulantium turbæ, invenit veteres amicos & novos, quos nec viderat ante. Excidit gratia, nec veteres jam amici, nec novi sunt. Factum in Petro, qui secundam Domini fortunam secutus, adversam fugit, imò in hâc Dominum negavit; steterat cum Christo in monte Thabor, inter convivia Zachæi, Matthæi, Canagalileæ, in panum ac piscium multiplicatione, agni Paschalis esu, constans socius fuit; ast ubi ad calicem Passionis ventum, turpiter elapsus est. Quin & in præsentiarum, inquit devotus Doctor: *a habet Iesus multos amatores regni sui cœlestis, sed paucos bajulatores suæ crucis; habet multos desideratores consolationis, sed paucos tribulationis; plures invenit socios mensæ, sed paucos abstinentiæ; multi sequuntur Christum usque ad fractionem panis, sed pauci ad bibendum calicem passionis*, non hos dixi amicos, sed vos *b qui permansistis mecum in tentationibus.* qui in tempore tentationis recedunt, hi infirmi, hi instabiles sunt; qui tali amico nititur, confidit super *c baculum arundineum confractum*, ut scitè Petrus Abbas Cellensis: *d nescit veræ amicitiæ naturam, qui in amore imitatur arundinem.* vides viros nobiles quandoque arundinem (bagette) manu gestantes; vides & cohortis ductores suas arundines (quas guietten vocant) habere, aptas ad deambulandum in foro, aut militum tergori metiendo; at minimè auxilio aut fulcimento, in lutoso ac salebroso itinere esse queunt. plura de hac materia vide part. 1. Dom. 2. Advent. §. 3. Maneat igitur nostris impressum cordibus, expressum moribus, quod verè Nazianzenus Gregorius cecinit:

Fidis amicis nil puta præstantius,
Quos casus asper parturit, non pocula.

Receptum infallibile illud Proverbium: *e omni tempore diligit, qui amicus est*, tam in adversis quàm in prosperis. vis ergo scire an amor verus, an amicus sincerus sit? audi Bernardum: *f illa est vera amicitia, quæ nihil in rebus amici quærit, nisi solam benevolentiam, scilicet ut gratis amet amantem se.* Gratuitus amor est si amor est. Hinc Thomas Pontanus vir celebris usurpare solebat: *g amorem numquam fecisse stipendium.* quod sublimiori stilo confirmat Augustinus: *h Amicus gratis amandus est, propter se non propter aliud.* quis est hic & laudabimus eum?

a Thom. à Kemp. de imitat. Christ. lib. 2. cap. 11.
b Luc. 22. c Isa. 36. d l. 5. epist. 21.

e Prov. 17. f V. Scriban. Polit. cap. 3.
g Boteri Polit. lib. 2. cap 4.
h Aug. lib. 50. hom. ho. 38.

§. III.

Solus Deus amicus verus & sincerus.

AMicum quæris opulentum, potentem, fidum, qui nullà in necessitate te deserat ac destituat? Hunc Ecclesiæ lumen ac columen tibi assignat, dicens: *i Quid tibi prodest hominis amicitia? fortè ibi non solùm nullum auxilium;*

i Aug. in Psal. 121.

xilium;

xilium; sed & periculum invenies. Nam multi non periclitantur antequam majoribus jungerentur; excitaverunt majorum amicitias, ut majora pericula incurrerent. Securus opta amicitiam Christi: hospitari apud te vult, fac illi locum, id est; noli te amare, sed Christum, qui est adjutor in opportunitatibus, & in tempore tribulationis. *Quis amicior nobis*, quærit Ambrosius, *a quàm qui pro nobis corpus suum tradidit?* qui se & omnia sua nobis intimè communicavit, qui amicos suos in vinculis non dereliquit, illis Petrum exsolvit, & Paulum carceri eripuit; innumeros Martyres solatus est, & in flammis se comitem præbet benignissimus Deus, & tres *pueros* in fornace illæsos conservat, *Noë* amicum suum in communi orbis diluvio incolumem servat: hoc patrocinium per Isaiam amicis suis promittens, ait: *b Noli timere, meus es tu, cùm transieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te.* Ita & amicis Raymundo & Francisco de Paula, Xaverio, pallium aut tabulam aptat in cymbam. Homines quantumvis sibi charos in periculis, in aquis, in flammis, in morte destituunt; at Christus suos numquam derelinquit. De hac cum eo initâ amicitiâ præclarissimè Augustinus: *c Nihil delectabilius Deo;* (non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed gaudium) *nam in homine sunt quæ te offendunt, toleras tamen propter amicitiam. Dei amicitia quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te, non invenies. Et non est Deus qui te offendat, si tu eum non offendas; nihil eo pulchrius, nihil dulcius.*

a Amb. in cap. 11. Luc. *b* Isa. cap. 43. *c* Aug. l. 50. hom. ho. 38.

Huic accedit aurea Doctoris Angelici sententia: *d Si vis verâ amicitiâ delectari; esto amicus Dei, & Sanctorum.* Et Thomas ille Campensis: *e Sine amico non potes bene vivere: & si Iesus non fuerit tibi præ omnibus amicus, eris nimis tristis & desolatus. Fatuè igitur agis, si in aliquo altero confidis aut lætaris. Ex omnibus ergò charis, sit Iesus solus dilectus specialis.*

Quod si feceris, cessabit illa Jeremiæ querela: *f vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* Ad literam Ægyptios intelligit, qui à Judæis vicinis obsessi, vocati in auxilium contra Chaldæos, videntes horum copias & vires, reversi sunt, & Judæos non juverunt.

g Sic in Belgio nuper vir insignis in extremâ cum morte luctâ vocavit & imploravit opem uxoris: *Charissima conjux adjuva me in his angustiis; cumque illa flens diceret: ecqui possum te juvare charissime marite in morbo incurabili?* vocavit filium primogenitum: *fili adjuva, eripe ex hisce angustiis; ego pro te nocte & die laboravi, & vitam sæpe periculo exposui.* Cumque ille pariter gemens diceret: *utinam mi Pater te morte eripere possem! Sed hoc vires meas excedit.* Vocavit secundò ac tertiò genitum: deinde filias, famulos & ancillas, quemque sigillatim compellans, ac opem implorans: cumquè singuli dolentes idem responderent, dicerentque con-

d S. Thom. 2. 2. q. 23. a. 1.
e Thom. à Kemp. de Imit. Chri. l. 2. c. 8.
f Thren. 1. *g* Corn. hic in Thren. c. 1.

tra mortem non esse remedium, exclamavit ille horrendùm: *ô vanas hominum curas! ô quantum est in rebus inane. Ecce ego tibi uxor, vobis ô filii & filiæ laboravi, sudavi, vires & valetudinem impendi, quin & animam meam fortè oppignoravi: & ecce hæc est merces mea: ut in horâ novissimâ implorans opem vestram, non inveniam. O quàm satius fuisset, si Deo serviissem! si amicos in terra, & in cœlis mihi comparassem, qui in hoc articulo mihi adessent! ô si vivere liceret, quàm saperem!* Amicos mihi non mortales, qui in necessitate deserunt, non divitias; non honores, quæ ad tumulum destituunt, sed Christum, sed virtutem, quæ ad judicem comitatur, & perorat, conquirerē. Tales necessarios suadet Damascenus sibi quisque necessariò comparet. ,, a Qui voluptatis amore capti, inquit, eorumque suavitate deliniti res fluxas & perituras amant, illi similes sunt, qui tres amicos habuit: ex quibus duos tanto amore ac benevolentiâ complectebatur, ut nullum discrimen, ne mortem ipsam subire pro illis recusaret. Tertium autem aspernabatur, exiguam illi, eamque fictam ac simulatam exhibens amicitiam. Venerunt autem quodam die satellites, qui hominem hunc ad judicem raperent, ut decem millium talentorum rationem redderet. Hic ad angustias redactus, primum ac præ cæteris charissimum amicum adit, & ait: non te fugit amice, quemadmodum tui causâ vitam meam non semel in discrimen adduxerim, nunc urgente necessitate, operâ atque auxilio tuo egeo. Respondit ille: Amicus tuus non sum, nec qui sis, novi; sunt enim mihi alii amici, quibuscum hodie me oblectari oportet. Quare duo cilicia tibi porrigo, nec est quòd à me quidquam expectes. Sic illusus alterum convenit, dicens: recordare amice quantum à me honoris & beneficiorum acceperis: nunc ad extremam calamitatem redactus, te opitulatore opus habeo. Ille autem ait, hodie mihi per negotia tecum curiam adire minimè licet, paululum tamen te comitabor. Spe igitur suâ & hic frustratus, quam in perfidis & ingratis amicis collocarat, tandem ad tertium contendit, quicum parva ei familiaritas intercesserat, quemque nullo loco habuerat, unde pudore suffusus & vultu dejecto, his verbis usus est: fateor exigua me tibi hactenus benevolentię argumenta ostendisse: mihique parum deberi: jam tamen gravissimè oppressus, à cæteris amicis desertus, ad te accedo, teque rogo atque obsecro, ut ingratitudinis meæ immemor, pro solitâ tuâ in omnes humanitate, mihi consilio & auxilio esse velis. Ille autem hilari & amœno vultu ait: Sanè sincerissimum amicum meum te esse profiteor, atque exiguæ illius tuæ erga me beneficentiæ memor, eam tibi hodie cum fœnore rependam. Quocirca ne metuas, ego te præcedam, atque apud Regem

a Dam. in vita Barlaam. c. 13. Rosweyd. vit. Patr. l. 1. auct. Sancto Hieronymo.

,, gem perorabo, ne te hostium
,, manibus tradat. Quare erecto
,, animo sis vir amicissime, ne te
,, mœrore conficias. Ad hæc ille
,, lachrimis obrutus, execrabatur vanam suam in ingratos ac perfidos amicos benevolentiam; tum suam in hunc sincerissimum amicum ingratitudinem deplorabat. Habetis sanctissimi Antistitis parabolam, quam ex ipso edisseram: *a* nam *parabolæ* (teste Hieronymo) *aliud in medulla habent, aliud in superficie pollicentur.* Primus amicus opum copia est, & divitiarum amor, ob quæ homo se mille periculis exponit, cùm autem extremus vitæ dies advenerit; ex his præter inutiles quosdam pannos qui ad funus conducunt, nihil secum auferet. Secundus amicus, uxor ac liberi, cæterique cognati & familiares, qui ad sepulchrum dumtaxat cadaver comitantur, ac protinus domum reversi, ad sua negotia sese conferunt, hominem oblivioni, ut corpus sepulchro mandantes. At verò tertius amicus, qui contemptui ac fastidio erat, virtutum ac bonorum operum patronus est, qui ubi animus corpore solutus, eum ad judicem præcedere, causam nostram agere, ac Deum flectere solet, ne horrendis exactoribus tradamur. Hic nimirum candidus ille ac sincerus amicus, qui in necessitate non deserit. Virtutem tibi amicam delige, Christum dilige, fideliorem nusquam comperies. Nos seque hortatur ad id Hipponensis Antistes: *b O anima mea dilige eum à quo tantùm dilecta es. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui cùm omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturæ tuæ, cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet; sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam.* Ne hujus amici tanto patrocinio destituti serò deploremus: quod non ita dudum Volsæus, cui etiamnum spiranti cùm omnia diriperentur, adeò ut vel moribundo lectum subtraxerint, hoc prudens pronuntiarit: *c Si Deum tam diligenter coluissem quàm Regem colui, me in hac canâ senectute non deseruisset.* Iterum ergo iterumque amantissimum Jesum tibi amicum assume, quem amor tibi æqualem fecit, ut faciliùs tecum amicitiam contraheret. Vos autem dixi amicos, inquit: quod expendens Magnus Gregorius, summo affectu exclamat: *O mira Divinæ bonitatis dignatio! servi digni non sumus, & amici vocamur. quanta dignitas est hominum, esse amicos Dei!* quanta dignitas esse amicum Principis, esse amicum Regis? quanto studio, quanto molimine, hujus amicitia conquiritur, ut duo illi aulici apud Augustinum testantur, quorum alter ad alterum: *d Dic quæso de omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire? majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumque periculi? amicus autem Dei si voluero, ecce jam fio.*

a Hieron in c. 12, Eccl. vers. 9.

b Aug. in manual. cap. 24.
c Hist. Angl. Raynaud Iudæ proditio pag. 754
d Aug. lib. Confes. cap. 24.

Ita

Ita fecêre tot Sanctorum Anachoretarum & Confessorum millia, qui omnibus propinquis ac charis valere jussis, hujus unius amicitiam sibi copularunt: ita fecêre tot millia Martyrum, a qui *calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt.* Quos inter censendus ille, qui moribundâ ac tremulâ manu amaram potionem prensans, ab uno ex circumfusâ amicorum turbâ incitatus, ut amicissimo omnium propinaret: natantes in morte oculos circumferens, Christum è Cruce pendentem benignè intuitus: *Tibi* inquit, *amicorum meorum dilectissime, hunc calicem propino*, qui salutis meæ causâ calicem passionis epotasti. O si & is tibi in extremis animus sit, ut eum tibi in bivio æternitatis constituto cum fiduciâ amicum implorare & impetrare, in ejusque expansis brachiis emori queas! Quod fiet si eum nunc præ omnibus charum habueris, hunc ore, hunc corde, medullis omnibus amaveris. Ad quod conducet praxis illa recitandi indies *Corollam divini amoris* in tres decades distinctam, quâ dilectum tuum Jesum, supra omne quod in cœlo & in terris est, efferas. Illum ad tria majora grana te interrogantem auscultes:

Fili, aut filia amas me? ad quod amabile quæsitum, intimo animi sensu respondebis:

1. Tu scis ô Domine, speciose præ filiis hominum, quia amo te præ oculis meis, & præ omni quod est aspectu delectabile. Averte oculos meos ne videant vanitatem.

a Drex. Christus patiens.

2. Amo te suavissime Jesu præ omni dulcedine & gustus suavitate, amore tui ab omni excessu & sensualitate ciborum temperabo, ut gustem quàm suavis sit Dominus.

3. Amo te ô sponse, qui pasceris inter lilia, præ omnibus odoramentis & florum flagrantiâ: trahe me in odorem unguentorum, id est virtutum tuarum.

4. Amo te supra omnem harmoniam & musicorum concentum; ut sonet vox tua in auribus meis, eas lubens occludam detractionibus & obscœnis canticis.

5. Amo te supra omnes spurcas & brutas carnis voluptates.

6. Amo te præ omnibus corporis mei commodis.

7. Amo te præ omnibus mundi divitiis.

8. Amo te præ omnibus honorum titulis.

9. Amo te præ valetudine, & omnibus corporis mei membris.

10. Amo te plus vitâ & animâ meâ.

2. Fili vel filia amas me?

1. Amo te ex totâ memoriâ meâ, nec umquam potero tui oblivisci; qui mei dignatus es recordari: ubi expendenda omnia beneficia tibi præstita.

2. Amo te ex totâ mente, tui dumtaxat cognitioni ac operum tuorum inhærendo.

3. Amo te ex toto corde, flagrantissimo voluntatis actu in te jugiter exardescendo.

4. Amo te ex totis viribus, omnes corporis & animi facultates,

tates, in amore tui impendendo.

5. Amo te præ omnibus propinquis, amicis & benefactoribus, quia infinities tibi præ his obstrictus sum.

6. Amo te teneriùs quàm parens filium unigenitum, aut filius parentem dilectissimum.

7. Amo te ardentiùs, quàm sponsus sponsam.

8. Amo te plusquam cœlum; quod sine te infernus mihi videretur.

9. Amo te plusquam mundum universum.

10. Amo te præ amore omnium creaturarum.

3. Fili vel filia amas me?

1. Utinam nihil amem præter te: *nam minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

2. Utinam amem te amore casto, ut te amarunt SS. Virgines.

3. Utinam amem te amore constanti, sicut te amarunt omnes sancti Confessores.

4. Utinam amem te amore forti, sicut te amarunt omnes sancti Martyres.

5. Utinam amem te amore filiali, sicut te amarunt omnes sancti Apostoli.

6. Utinam amem te amore ardentissimo, sicut te amant Cherubim & Seraphim.

7. Utinam amem te amore perfectissimo, sicut te amavit sanctissima Virgo & Mater Maria.

8. Utinam amem te amore, quo te amarunt & omni æternitate amaturi sunt omnes cœlestis civitatis incolæ.

9. Utinam amem te, quantùm amasti me.

10. Utinam ame[illegible] re tui moriar pro t[illegible] voluisti pro me.

Hanc divini amoris corollam obiter expressam, quisquis dilecto suo Jesu indies paucis persolverit, aut subinde piâ meditatione fusiùs ruminarit, amicitiæ sibi cum Christo tesseram perpetuam, perque tot amoris actus cumulum meritorum maximum comparârit.

EMBLEMA XIV.

Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. ad Hebr. 6.



RURSUS IN ARMA FEROR. [a]

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Hisce Bacchi feriis peccatores suis flagitiis Deum lacessere, & rursus in crucem agere non verentur, testante ac detestante Apostolo :

§. I. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* [b]

§. II. *Variis historiis comprobatur ; Christum per peccata hominum rursum crucifigi.*

a Virg. 2 Æneid. b ad Hebr. 6.

DOMI-

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ.

Rursum crucifigentes filium Dei. Ad Hebr. 6.



Ommentum illud Poëtarum, sed minimè vanum censeri debet, quo gigantes Jovem lacessere, montes montibus imponendo; cœlum conscendere, ac Deum ipsum deturbare voluisse fabulantur. Rei veritatem primum illud & maximè funestum bellum, in ipso mundi exordio, subeunte in cœlestes mentes malitiâ, testatur: tum enim & litui & classica sonuerunt, & volitarunt infestæ legiones, tum insolens illud perduellis Luciferi, cum ipso numine duellum commissum est, de quo Joannes Christi scriba, non usitatâ pennâ: *factum est prælium magnum in cœlo.*

Alterum bellum, ubi homo cum Deo in arenam descendit, paradisus vidit: *a* ubi communis omnium parens, funestissimi illius dissidii princeps fecialis, fatalem sceleris hastam, in cœlum contorsit, suoque conditori bellum indixit: quo universos posteros, ejusdem militiæ an malitiæ dicam commilitones conscripsit; ut morte geniti, Marti destinati, numinis hostes nascerentur, & vixdum in lucem editi, arietem cœlo agni admoverent: denique in hunc orbem, ceu campum martium ingressi, tam vero quàm severo argumento Cadmea soboles, omni flagitio, priusquam istiusmodi arma tractare nosset, armata prodiret. *b Sicut enim* (ut ab origine fontem ducamus) *sunt quadam arma Dei, in quibus esse dicitur lorica justitiæ, & gladius spiritus, & scutum fidei: ita etiam sunt arma diaboli, quibus indutus homo peccator,* sine fronte in caput suum rebellare non erubescit. Testem habeo prophetam regium, sic ille stylum suum exacuit: *c qui cogitaverunt iniquitates in corde, totá die constituebant prælia.* Pervicaces illi in Deum impii, in se ipsos injurii, in proximum malitiosi, qui divinis jussis infandas suas voluptates, opes, honores, scelusque anteferunt, ex corde suo faciunt quandam velut armorum officinam, quibus vulneretur pietas, stillet animi cruor, salus intereat, cœlum impetatur, imò & ipse Deus, quasi ad singulare certamen provocatur: *d Tetendit* (impius) *adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* Antiochenus Præsul ait, hæc bella non facie geri, armisque, sed hominum insidiis in foro, & domi per improbitatem, verbaque telis acerbiora: hæc tela strictosque enses miratur & execratur sacer ille vates, dum ait: *e gladium evaginaverunt peccatores.* In quæ verba, pretiosam Adamantii doctrinam juvat observare: *f Quomodo autem putandi sunt peccatores evaginare gladium? dum jam impudenter, & absque ullo verecundiæ velamento, iniquitates suas perpetrant, nec erubescunt aut reverentur, nec tamquam in vaginâ nequitiam suam*

a Apoc. 12.
b Orig. in Psal. 36. hom. 2.
c Psal. 139. *d* Iob. 15.
e Psal. 36. *f* Orig. hom. 2. in Psal. 36.

recondunt & contegunt, sed superbo & elato spiritu, velut gladium quendam denudant, dum palam è pharetrâ sulphureas libidinis sagittas emittunt, virulenta calumniæ & detractionis tela ejaculantur: *a exacuerunt tamquam gladium linguas suas*, in Christum & in sanctos ejus. Vbi solerter observat Augustinus, Judæos linguis suis Salvatorem nostrum flagellasse, & in crucem egisse: *b non dicant Iudæi, non occidimus Christum. Nobis non licet occidere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in judicem hominem refundere volebant: sed numquid Deum judicem fallebant? Pilatus dixit in eum sententiam, & jussit eum crucifigi, & quasi ipse occidit: & vos ô Iudæi occidistis. Vnde occidistis? gladio linguæ. acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: crucifige, crucifige?* Quæ doctrina aptè duos Euangelistas conciliat: *c quidam dicit horâ sextâ crucifixum Dominum, & quidam hora tertia; invenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamaverunt: crucifige, crucifige*; tum gladio linguæ occiderunt, qui horâ sextâ carnificum manibus in crucem actus est.

Compello hîc vos ô helluones, nihilo Iudæis mitiores aut meliores, qui exacuitis linguas vestras, in conviviis & compotationibus, in quibus rursus cruci configitis Servatorem. Vnde vulnerastis? *unde occidistis? Gladio linguæ*. Exemplum ingens est, quod refert Thomas Cantipratanus: *d* nocte parascevæ, quâ Ecclesia feralem illam cruciatuum Domini lanienam recolit, quam mundi machina communi elementorum luctu testata fuit, Lovanii adolescentes aliquot perditissimi, in popina aleas & chartas pictas versantes, blasphemiis ac juramentis Deum lacessebant: cùm ecce tibi summo mane civis pietati deditus, de more ad matutinas se conferens, hàc fortè pertransiit, reperitque turbam hominum ante tabernam complorantium, ac commiserantium sortem hominis cujusdam omnino cruenti, ac multis vulneribus toto corpore saucii. Qui dum ab eo quærerent hujus tanti flagitii auctorem. Isti inquit, juvenes, qui hîc in cellario ad tesseras ludunt. Mox civis ædes ingressus, tali nocte tamque sacrâ, ludentes increpat, ac percunctatur, ut quid hunc hominem tam fœdè vulnerassent? attoniti juvenes, negant aliquem ad eos intrasse postquam consederant, nullum verò mortalium ab eis vel verbo vel verbere lacessitum: è vestigio cum cive assurgunt, quærunt hominem saucium, sed nusquam reperiunt. Conversi itaque singuli ad se, animadverterunt se perjuriis ac flagitiis suis, rursus Dominum contumeliis affecisse ac vulneribus conscidisse. Hæc, inquit Auctor, cùm mihi frater Prædicatorum sub dubio retulisset, ego ipse in dictam urbem perveniens, interrogavi de viro, inveni hominem, quæsivi in rei veritatem, sub præstito juramento narravit ille ut scripsimus. Et addidit, quòd

a Psal. 63.
b Aug. in Psal. 63.
c Aug. cit.

d Cantiprat. l. 2. apum. c. 49. n. 10.

Dominus

Dominus domus, in cujus cellario lusores sederant, hoc facto tantâ contritione commotus sit, ut cum uxore omnia bona diviserit, & quæ per usuram rapuerat, restituerit, vitamque beato fine clauserit. Cogitabat siquidem & suis sceleribus, usuris &c. rursum Christum sauciari ac crucifigi. Id ipsum sentit & amarissimè queritur Doctor mellifluus, qui expendens illud Psalm. 68. *a* *infixus sum in limo profundi*, sic ait: *fortasse crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus: homo enim formam crucis habet, quam si manus extenderit, exprimit manifestiùs. Loquitur autem Christus in Psalmo dicens: Infixus sum in limo profundi, limum quidem nos esse manifestum est, quoniam de limo plasmati sumus.* Quæ uberiùs exponens Franciscus Labata *b* Crucifixus ,, igitur in peccatore, inquit, sicut ,, in cruce Dominus nunc est: ,, nam tunc manus ejus, velut af- ,, fixæ clavis manibus nostris ,, sunt, cum manus nostras ex- ,, tendimus ad peccandum: & ,, pedes ejus, nostris cum pedibus ,, currimus ad malum: & tunc ,, caput ejus spinis transfixum ,, est, cum in capite nostro pec- ,, cata fabricamus: & tunc lanceâ ,, latus ejus aperitur, cum in cor- ,, de nostro pravos habemus affectus. Hoc potator, hoc scortator, hoc adulter secum volvat; quovis scelere lethali, benignissimum redemptorem nostrum denuò in crucem agi, juxta illud Apostoli:

a Bernard. serm. 4. in vigil. Nativit.
b Labata Christ. passio prop. 21.

§. I.

Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei. ad Heb. 6.

Accidit ut moris est, *c* per hilaria hæc antecineralia Parisiis, abhinc annis duodecim, Regali luxu nuptias celebrari, in æde viri prænobilis, qui puellam duxerat, quam plures proci deperierant. Hi indignati sibi prædam ereptam, funestam planè tragœdiam adornant, mensis remotis, omnes larvati, histrionum in morem subintrant; sponsum astu, in vicinum cubiculum sevocatum strangulant, ac vestibus continuò exutum, aliisque mortuariis indutum, ac laruâ personatum, in convivantium cœtum, humeris suis inferunt: saltumque funebrem exorsi, mirè omnes oblectant, dum tandem signo dato, avolant, & se euro ocyus ex ædibus proripiunt, relicto super pavimento, ut putabatur, socio larvato, qui mortui partes egerat. Hunc jam cæteris dilapsis, convivæ trudunt, vellunt, ut assurgeret; ad hæc omnia immoto, sponsa fortè larvam detrahit; & ô ludum insolentem! ô ferales nuptias! ecce sponsus, verum funus exhibetur, compertumque à lavernionibus, ob sponsam sibi præreptam, morte crudelissimâ præfocatum, & omnibus ostentui ac ludibrio expositum fuisse.

Id ipsum enim verò per hasce Lupercales ferias accidere videmus. Prædilectus sponsus noster JESUS, speciosus formâ præ filiis hominum, unicè sibi cha-

c Mathias Pauli Prior Ordinis S. August. de poorte des Hemels. p. 509.

ram naturam humanam, aut si lubet animam cujusque nostram ardenter procatus, & innumeris beneficiorum vinculis obstrutam, in sponsam delegit; sensus hîc, quos Bellarminus animæ procos rectè indigitavit, festivis hisce ac genialibus diebus, indignati ejusmodi sponso animam vacare; omnium flagitiorum personam induti, in sponsum irruunt, quem non modò præfocant, sed vulneribus confossum, quasi per ludum sublimem rapiunt, *a rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes.* Quæ tragœdia, quot in conviviis hoc triduo exhibetur? sed erit aliquando cum larvâ depositâ: *b videbunt in quem transfixerunt.*

Sprengerus part. 2. mallei malef. qu. 1, c. 16. narrat maleficos quosdam inveniri, qui sagittarii vocantur. Hi autem jacula in Christi imaginem crucifixam, statutâ per dæmonem die emittunt, adhibitis aliis quibusdam impiis ritibus: & ex pacto diaboli, sagittâ emissâ, subitò eum ferit & vulnerat, quem magus vult, quamvis in Indiâ, aut muris fortissimis cinctus & clausus esset. Jacula hæc, aut à calumniantis, aut detrahentis linguâ evibrari Jeremias testatur: *c extenderunt linguam suam quasi arcum.* Idque *d ut sagittent in occultis immaculatum.* Vbi Augustinus Christum intelligit. imaginem enim redemptoris, ad quam ipsi conditi, ejusmodi primum in se feriunt, animam gravissimè sauciando. Atque adeò per Christum transit telum ad proximum. Atque hâc justissimâ de causâ Religioso ritu, Ecclesia hoc tempore, Christi lanienam inducit, ut norint mortales, dum mundus vacat voluptatibus, Christum angi cruciatibus; dum impudica figuntur oscula, Christum fraudulento osculo tradi ad supplicia; dum filii hujus seculi bibunt vinum è phialis, & fruuntur cupitis amplexibus, Dei filium felle & aceto potatum, in crucem extensum: brachia nihilominus ultrò in peccatoris pandere amplexum; nec est, qui recogitet. In figurâ id olim questus Amos Propheta: *e qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem Psalterii, bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti; & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Non compatiebantur, inquit Hieronymus, non tangebantur dolore, super afflictione Joseph: ita dum Joseph in cisternam dimissus, fratres consederunt manducare & ludere; dum Joseph in carcerem conjectus, & de capite illius ageretur, in aulâ Pharaonis convivia celebrabantur, aulici lasciviebant, omnia festo tibiarum cantu resonabant. Et nemo cogitabat angustias Joseph. Ita nemo compatitur super dolore & afflictione, vulneribus Iesu Servatoris nostri, qui hisce diebus ascendit Hierosolymam, ut denuò tradatur ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum. Sedulus olim & anxius quæsivit Malachias, possetne in hominem aliquem cadere tantum nefas? *f Si affiget, inquit, homo Deum suum?* Pagninus: *si*

a Heb. 6. b Ioan. 19.
c Ierem. 9. d Psal. 65.

e Amos. c. 6. f Malach. c. 3.

rapiet.

rapiet, fraudabit homo Deum suum? Vatablus: *si spoliabit homo Deum suum?* Syrus & Arabicus: *numquid opprimet homo Deum suum? perdet homo Deum suum?* Ecce quò sceleris, amentiæ, furoris progressus es: Deum tuum supplantasti, aliâ longè fraude, aliis artibus & dolis, quàm fratrem Esau Iacobus: hic matris imperio, Dei voluntati cessit, fratrem supplantavit, tulitque primogenita, tu verò reluctante cœlo, gemente terrâ, urgentibus inferis, Deum tuum, qui ab humanâ naturâ tibi amore frater, & pietate pater est, tu qui fratrem & humanitatem omnem exuisti, saxeum pectus, & caucaseos animos indutus, supplantasti; ille summâ amoris significatione sua quodammodo vendidit, abjecit, prostituit primogenita, ut in eorum partem venires: tu verò ea despicis, oblatamque ultro hæreditatem respuis, insuper & fratri manus inferre & perdere satagis. Ita factum, ævo suo gemuit Paulus, esse inter Hebræos, *a qui rursum in semetipsis crucifigerent* filium Dei. „In quem locum Cornelius: „Peccator iterum crucifigit „Christum, quia novô peccatô „novam dat causam crucis, & „mortis Christi: facit enim rur„sum id, propter quod Christus „crucifixus est; quare nisi Christi „mors tam efficax fuisset, ut ad „omnia omnino peccata se ex„tendisset, oporteret Christum „toties mori & crucifigi, quo„ties peccant homines; sicut Aa„ronica sacrificia & victimæ to„ties mactari & offerri debe„bant, quoties peccabant Iudæi.

a Cornel. de Heb. 6.

Atque ita docet S. Thomas: *b peccator quantùm in se est, dat occasionem, ut iterum Christus crucifigatur, & sic contumelia fit Christo,* quia ponit de facto id, quod Deus magis odit ac detestatur, quàm omnia tormenta, quæ perpessus est. Hæc porro causa fuit, cur Dominus Gloriæ, infinitâ suâ bonitate in terras descenderit, & positâ majestate formam servi assumpserit, tam crudeli morti se objecerit: *c vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra,* quæ ut tolleret, cruciatus acerbissimos toleravit. Vnde rectè clamat Ambrosius: *d doles domine, & verè doles, non tua vulnera, sed nostra scelera.* Infinities magis odit Deus unum peccatum nostrum, quàm hæc omnia tormenta, quorum illud causa exstitit. Quod seraphicus Doctor expendens: *e majorem*, inquit, *habuit compassionem de peccatis nostris, quàm tormentorum passionem.* Vt si ex unâ parte rursus omnia flagella, spinæ, clavi, morsq; acerbissima; ex alterâ verò unica lethalis noxa poneretur, præ his omnibus hanc longè aversaretur, & ultrò omnes hos cruciatus denuò subiret, ut hoc scelus avertere & amoliri posset. Imò si nullum peccatum commissum esset, nisi tua unica ebrietas, tuum unicum perjurium, vel adulterium, aut unica tua in adolescentiâ fornicatio, ad hoc unicum peccatum tollendum Dei filius libens passus fuisset.

Tu autem ô homo! quo animo huic Christi supplicio, tantæ

b S. Thom. in epist. ad Heb. c. 6.
c Isa. 53. *d* Amb. in Luc. c. 10.
e Bonav. in c. 3. dist. 15.

tamque ferali morti, auctor adesses? quomodo conspectum hominum ferre auderes, qui auctorem ac creatorem omnium, tam infami morte, damnasses? eadem jam tamen committere non perhorrescis. Quis Deum suum siccis oculis tam dirè tractari sine lacrymis videre potuisset? Quis non Iudæos impedire, seque libens pro eo victimam offerendo, inclamasset:

Me, me, adsum, qui feci, in me convertite ferrum
Iudæi, mea fraus omnis; nihil iste, nec ausus,
Nec potuit.

Quis non omni nisu eum morti eripere conatus fuisset? quis non animos Clodovæi, Regis Francorum, induisset? *a* qui etiamnum ethnicus, dum à S. Remigio fidei elementis imbueretur, & horrendam illam passionis Domini iliadē intellexisset, zelo Dei accensus, liberè pronuntiavit: *si ego cum Francis meis istic adfuissem, ejus injuriam vindicassem*; Iudæorum manibus Christum eripuissem, inque ipsos Iudæos arma convertissem. At docuit sanctissimus Præsul, hujus amoris & indignationis zelum, in se retorqueret, cùm ipse anteactæ vitæ flagitiis, horum cruciatuum, ac acerbissimæ mortis causam præbuisset. Huic affine est, quod scribit P. Simon Saba in litteris annuis 1598. Obonem Regem gentilem, cum audisset tam indignâ morte occisum Dei filium, dixisse: ecquis tam immane facinus perpetrare ausus? quæ gens, quæ natio, quibus in terris degeret? & quasi ilicò pœnas sumpturus, quæsivit an quis ex eâ stirpe superesset? ô quot superstites! placari non potuit, quamvis audiret illum ultrò se morti obtulisse: nam esto, inquit, is mortem non reformidârit, quis usque eò temerarius & barbarus, qui manus illi inferre ausus fuerit? quid si audiret illum à suis, quos tanti redemit, denuò dilaniari? Quapropter frustra in Iudæos excandescis, ô Christiane, frustra eorum barbariem ac rabiem insectaris; *qui in hoc fortè minùs reprehensibiles* (uti feriâ secundâ paschæ Doctor mellifluus observat) *b quàm novi crucifixores, qui manibus & verbis mortem illi accerserunt, immortalem mortificant, & incrucifigibilem crucifigunt.* Admissi quondam sceleris ultrices pœnas ferunt Iudæi: *c* quorum parvuli, ut plurimum nasci solent, manu sanguine plenâ; adulti verò, ipso die parasceves, profluvium sanguinis patiuntur, totique expallescunt: abit nimirum, & in posteras ætates effluit pœna profusi quondam innoxii sanguinis. utinam & tibi ô Christiane flueret ille sanguis, ora pallor occuparet! non eò fortè venires amentiæ, ut per nova scelera, Christi cruci mortique causam afferres. Piâ illud olim patientiâ Paulus exprobravit! *d O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati? ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est in vobis* (imò & à vobis) *crucifixus.* tenebantur eorum oculi diuturno ac infelici fascino: quod ut explicet & tollat, objicit Christi è cruce pendentis imaginem, cui pro tabellâ

a Lobbet. vita & mors c. 6 §. 3.

b S. Vincent. ferm. in die parasc.
c Hugo Cardin. in Ps. 77. *d* Ad Gal. 3.

crux

crux fuit, rude & immane lignum: pro colore, pro purpurâ, & murice sanguis: pro penicillo, flagella, clavi, spinæ, lancea: hâc tabellâ, hoc colore, hoc penicillo usus est insolens, crudelis, impius pictor. quis ille? ne foris quære, quem domi tenes: vos ipsi *insensati Galatæ!* tu ipse, qui hæc legis, pictor fuisti, & hanc cœlo judice, imaginem effinxisti: nunc obiter videamus, ante quorum oculos hæc sanguinolenta Redemptoris nostri imago obversata sit.

§. II.

Variis historiis comprobatur Christum per peccata hominum rursus crucifigi.

S. Coleta virgo Gandensis, amore Christi omnes omnium martyrum cruciatus lubens volens persensit, toties prope Martyr dicenda, quot Martyres, cœlum numerat. ad quod impulit sponsus sanguinum, qui ei tormenta quæ exantlasset & quibus in membris, singula ipse omnia enarravit. huic (quod ad rem facit) precanti, se in conspectum virgo mater, & filiolum dederat, non qui in sinu luderet, aut Coletæ arrideret; sed qui unum jam toto vulnus corpusculo, lacrymis suis commiserationem atque opem exposcere videretur: adjiciens illam etiam hodie facinorosorum hominum crudelitatem esse, qui Christum vix natum, crudeliùs quàm Judæi, non unô vulnere cruentarent. Puerum Jesum quippe non semel pueri obscœnis libris, lascivis verbis, domesticis furtis aliisque supra ætatem flagitiis proscindunt, & manus Judæorum prævertunt. quæ dum cernimus, nonne meritò cum Bernardo exclamamus: *a o adhucne ludam, & illudam lacrymas ejus?*

Quid quòd Iudæi, *b* minorem injuriam Christo intulerunt, qui excæcati, eum ut hominem hîc in terris ambulantem occiderunt: quem Christiani post tot amoris argumenta, regnantem in cœlis, rursus vellent crucifigi. Audi Dionysium illum Areopagitam: *c* qui aureo oraculo, *volucris cœli* nuncupatus est, *& incorrupta fidei ac summa auctoritatis Doctor*, teste S. Liberato Diacono, habitus est; ipsum audite: *Iudæi, qui Deum crucifixerunt ambulantem in terris, minùs peccârunt, quàm qui offenderunt sedentem in cœlis.* Quem illic regnantem, quemadmodum rursus peccata configant, altera non vana visio manifestavit: D. Brigitta illa Sueciæ, nobilitate sanguinis, vitæ sanctitate illustris alumna, decem annos nata, cum quâdam die de Passione Domini sermonem audisset, nocte insequenti vidit Iesum in cruce, sanguine recenti perfusum, & toto corpore lacerum, sic illam compellando: *d aspice vulnera mea ô filia!* Brigitta ad hoc cruentum spectaculum attonita, ut plagas recentes & sanguine stillantes advertit, in has voces miserô cum ejulatu prorupit: Eheu mi Iesu! quis te adeò horrendè, miserè sauciavit? quis cruci tam dirè iterùm affixit? respondit Do-

a Bern. serm. 3. in natal. Dom.
b Chrysost. ad Carolum Imp. in Brev.
c Dionys. ep. 4. ad Demoph.
d Breviar. Rom. in vita 8. Octob.

minus, ab illis hoc factum, qui me ſceleribus ſuis laceſſunt, & fœdas ac brutas voluptates, meis amoribus & æternis deliciis præponunt. & quod mireris: *a his plagatus ſum* à Chriſtianis, *in domo eorum qui diligebant me.* Auditis hos Chriſti gemitus ô ſcelerati! ô voluptuarii! ô libidinoſi! Audis ô peccator quiſquis es! audis ô Cauſidice, ô Iudex, qui aurô corruptus à Iuſtitiâ deflectis! in domo tuâ rurſus Chriſtum vendis. Origen. *b omnes, qui pro temporalibus rebus juſtitiam deſerunt; Deum, qui eſt juſtitia, vendunt.* Pondus addit Venerabilis Beda: *c multi hodie ſcelus Iudæ, velut immane & nefarium exhorrent, nec tamen cavent: nam cùm pro muneribus, charitatis & veritatis jura ſpernunt, Deum qui eſt charitas & veritas, ſpernunt.* Tu ô Mercator, qui fraude, dolo, perjuriis, falſas merces protrudis, totus nummis avarè inhias, in domo tuâ Dominum tradis. Bernardus: *d Chriſti opprobria, ſputa, flagella, clavos, lanceam, crucem & mortem, in fornace avaritiæ conflans & profligans, in acquiſitionem turpis quæſtus: hoc tantùm differentes à Iudâ, quod ille horum omne emolumentum, denariorum numero compenſavit, iſti veraciori inglavie, lucrorum pecunias exigunt infinitas.*

Tu qui ob hauſtum intemperanter ſumptum, peccatum temulentiæ aut gulæ admittis, in domo tuâ rurſus calicem paſſionis, & poculum fellis Chriſto propinas. Tu qui ob fœdam voluptatem, Deum offendis, Barrabam Chriſto præponis: vos denique qui calumniis, diris, blaſphemiis cœlum laceſſere non erubeſcitis, gladio linguæ Ieſum percutitis, flagellatis, crucifigitis: hæc enim omnia ſupplicia, peccata ſola inflixerunt. Iudæ avaritia prodidit; miniſtrorum calumniæ ac blaſphemiæ traduxerunt; Iudicum improbitas condemnavit; Pilati ambitio flagellavit; Iudæorum invidia in crucem egit. hi fuerunt carnifices, hi tortores, de quibus ipſe queritur: *e ſupra dorſum meum fabricaverunt peccatores.* Vidit hoc Africanum ſidus, nec tam radios, quàm fulmina ejaculatur: *f jam non eſt iraſcendum Iudæis, qui morientem deriſerunt, non regnantem; & quis eſt, qui Chriſtum adhuc irrideat? utinam unus eſſet, utinam duo, utinam numerari poſſent! tota palea areæ ipſius, ridet eum; & gemit triticum irrideri Dominum.* An. 1598. 21. Decemb. feſto S. Thomæ, *g* B. Maria Raggy ex tertio Ordine S. Dominici ſacro Euchariſtiæ epulo refecta, vidit Chriſtum ſponſum ſuum columnæ alligatum, & toto corpore ſanguinolentum, ubertim lachrymas ac gemitus fundere: ad quem virgo: ô mi Ieſu! ſcelera mea ſunt cauſa tuorum vulnerum, illa te tam dirè laniârunt. Reſpondit Chriſtus: etſi tanta, tam immania paſſus ſim, Chriſtiani tamen non ceſſant me indies impetere, & vulnere ſuper vulnus conſcindere. Ecce quemadmodum recenti ſanguine omnes plagæ recrudeſcunt: Cadaver ad præſentiam homicidæ dicitur ſanguinem emittere, ut eventus com-

a Zachar. 13.
b Origen tract. 35. in Matth.
c Beda in Caten. D. Thomæ.
d Bernard. in Cant. in avaros. V. Speranza punct. 1. de Paſſ.

e Pſal. 128. *f* Aug. *g* In vita l. 3. c. 5.

comprobavit. Clarissimus Doctor Vincentius Mosses regiæ Majestatis Philippi IV. medicus, in philosophiâ suâ naturali sacrosancti corporis Christi, c. 14. dub. 3. disquirit, an à morte Salvatoris naturaliter sanguis ex aperto latere profluxerit? ubi ut varias variorum opiniones prætereami, sic ille sentit: alicui videri poterit, quòd sanguis naturaliter fluxit, quia erat præsens homicida: naturaliter enim præsente homicidâ fluit sanguis ex corpore mortuo, quod & ratione, & auctoritate, & luculentis exemplis comprobat. Auctores adducit supra quatuordecim viros omnes literatos, medicos, Theologos, qui doctrinam suam rerum experientiâ demonstrant. unum alterumve paucis delibasse sufficit. An. 1510. in Hispaniâ occisus Joannes Abustherus: venatores duo in suspicionem adducti, in vincula conjiciuntur; sed cùm nil solidæ contra eos probationis adferri posset, cadaver sepulchrô eductum, coram primo nil alterationis dedit; coram secundo, per vulnera largè sanguis erupit: quo viso naturæ prodigio, homicidium suum fassus est. Ita de altero commemorat, qui uxorem jugulârat, cujus cadaver post 20. dies exhumatum, ac in conspectum mariti positum, toto corpore sanguinem sudavit. Hippolytus Marsilius dicit se hoc indicio plura homicidia detexisse: idem se ait pluries fecisse quidam Iudex Curiæ Philippicæ. Quò referri potest illud prodigium, quod in morte Henrici Regis Angliæ observatum est; *a* cujus cadaver, dum ad tumulum deferretur, Richardus filius contumax ac patri rebellis occurrit; & ecce dum apertâ facie, parentem aspicit, cadaver sanguinem copiosò imbre sudavit. haud aliter omnia Christi vulnera ad præsentiam peccatoris renovantur: quod luculentus testis B. Borgias testatus est, *b* dum Christi è cruce pendentis effigies, in Peccatoris obstinati præsentiâ, toto corpore largiter sanguinem sudare cœpit. rursus ad eas cogimus angustias, quæ in horto sanguineum sudorem largè expresserunt: *c Cur addimus afflictionem afflicto? magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quàm vulnera corporis sui.* quid agis peccator? manus tuæ quæ vindictam spirant, pauperem opprimunt, adhuc plenæ sunt sanguine. lingua, oculi, membra omnia sacro Christi cruore tincta video: mensæ, convivia, fercula vestra, ubi invicem mordetis & carnibus humanis saturamini, ubi lascivitis, & bibitis velut aquam iniquitatem, sanguine conspersa sunt. Audi rem portentosam, quam non minùs eruditus, quàm Religiosus scriptor Bzovius, in annalibus suis commemorat: *d* Romæ puella fuit *Catharina* nomine, à formæ venustate *pulchra* cognomine, sed famæ prostitutæ, ad quam omnis juventus confluebat: dum vespere quodam, speciosum præ cæteris, ad se juvenem divertentem conspexit: quem dum cœnâ (ut conditio postulare videbatur) satis dapsili exciperet, mirum ecce

a Pise tom. 2. pag. 861.

b Nierenb. de amore Christi. c. 15.
c Bern. feria 2. Paschæ.
d Bzovius an. Christ. 1221. n. 10.

ostentum: quodvis ut mensæ inferebatur ferculum, sanguine largo aspersum apparuit. quo prodigio adeò illa non perculsa, ut mensis remotis, eum in penitius cubile deductum, ad flagitium pellicere ausa fuerit: non invitus successit; at istic loci, derepente (ô inauditam metamorphosim) *speciosus formâ præ filiis hominum*, toto corpore vulneribus saucium & plagis lividum, sponsum sanguinis se exhibere, totque ora, quot vulnera visus pandere, quibus illam hujus tam diræ lanienæ causam arguere; benignissimè tamen ad veniam invitare non destitit. Erubuit ad hæc Catharina & scelus exosa, singularem posthàc vitæ sanctitatem exorsa est. quin & tu ô lasciva puella, quin & tu ô Veneris proce, hujus exemplo potiori jure, quàm olim piissimus Bernardus, ad cor reversus, fateri potes: *ego sum tui causa vulneris, ego tui causa doloris.*

Aut cum magno illo Francisco, Duce Gandiæ, sensus tuos, velut Christi tortores intueri, *a qui Christum ferire ausi essent, & perimere; qui nec membra sua, nisi ut confixores Domini clavos intuebatur.* sed dicet aliquis. Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur, quî ergo eum immortalem, regnantem in cœlis, rursus valent crucifigere?

Delrio varias inter artes necromanticas, unam refert, *b* quâ magi aut sagæ, imagines cereas conficiunt, quas acubus, aut stylis ferreis configunt, vel igne liquant, vel confringunt: *& sic*, inquit, *certum iis, quos tales imagines designabant, interitum, tali vel alio mortis genere adferunt.* addit sub calcem sectionis: *solemne esse sagis, effigies has baptizare in nomine Beelzebub, & nomen occidendi illis imponere.* inter cætera autem hujus artis illustria, hæc adducit argumenta. Sub Carolo IX. Gallorum Rege grassari hæresis cœpta est, *c* quam dum extirpare, & regno expellere satagit, ipso in ætatis flore contabescere, intemperiis, variisque cruciatibus agitari cœpit. malum omnem medicorum peritiam superabat. dum tandem festo S. Bartholomæi deprehensa cerea imago, formâ regiâ, in quam nefarii homines, impiè fuerant debacchati: quidquid punctionum ac vulnerum huic cereo simulachro infligebant, id Rex innocens in se tenerrimo sensu percipiebat; donec tandem succubuit, & fatis concessit. Consimile quid narrat Crespelus l. de odio Satanæ disc. 10. & addit se vidisse, cùm Avenione esset, cultrum parieti infixum, quo de sententiâ judicis, excoriatus fuerat quidam magus, eò quòd per ceream imaginem Pontificem è medio sustulerat.

Anima nostra imago est magni illius Regis, fusa ad similitudinem creatoris: hanc imaginem quot peccatis, velut stylis ferreis configimus, tot vulneribus Deum nostrum quem repræsentat, laniamus & occidimus: gravissima profectò injuria ab ejusmodi venefico, Pontifici aut Regi infer-

a Sacchin. hist. Soc. part. 3. l. 8. n. 113.
b Delrio disq. Mag. l. 3. part. 1. sect 4. pag. 210.

c Delrio ibid. Pise tom. 1. pag. 361.

tur; quem hoc diabolico supplicio trucidat: sed hic in hominem sævit, tu in Deum, in creatorem, benefactorem, conservatorem tuum benignissimum, atque ipsius beneficiis pro telis uteris, inque ipsius injuriam & contumeliam contorques.

Est ille prima causa & primus motor, sine quo nec agere, nec moveri potest homo. Sed ô barbariem! ô injuriam detestandam! Divino illo auxilio, velut gladio armatus, in Auctoris sui opprobrium homo abutitur, & ipsam, ut ita loquar, Dei manum renitentem quodammodo atque reluctantem, trahit ad consortium sui sceleris, faceretque (si modò admitteret infinita bonitas) authorem peccati. Quo uno, quid ipsi supremo sanctissimoque numini, ignominiosius accidere aut etiam excogitari possit, non video. Dic enim, dic age peccator, si mortalium omnium maximè inopi abjectissimoque mendiculo, pecuniolam erogares, quâ ille victum sibi quæreret, & fame longâque inediâ prope enectum sustentares; ille è contrà, & tuæ beneficentiæ & sui oblitus, ex eâ ipsâ pecuniâ venenum emeret, quo tibi perniciem moliretur: quo ferres animo, quibus oculis aspiceres, quibus exciperes verbis, quo irarum impetu in barbarum, excors, immane mancipium devolvereris? sat scio, non tibi satis esset animi & verborum, irarumque satis, quo in ingratum illud caput detonares. Tu, pusillus homo cùm sis, oblatam ex commiseratione pecuniolam, in tuam perniciem converti non pateris; quî te patietur Deus immortalis? te, inquam, cui ut mendico, & mortalium pauperrimo, tam lautas epulas, tam generosa vina apposuit, adeò commodè & splendidè induit, insuper tantis facultatibus & fortunis cumulavit; iis tamen per temulentiam, fastum, avaritiam, luxuriam aut, luxum in ipsius injuriam, contemptum & ruinam abuteris. Insigne fuerit paterni affectus indicium, dum Zaleucus Locrensium Rex, unum oculum sibi erui passus est, ut alterum filio servaret; nec hoc inferius foret, si plebejo alicui damnato, ut utrâque manu præcisâ, morte plecteretur, Rex ejus misertus, unâ manu sibi amputatâ, alteram civi, unà cum vitâ reservaret. Magnum sanè esset momentum, & pignus amoris. Nunc verò, quid non supplicii mereretur, si eam manum, quam Rex illi servasset, aut restituisset (uti cœlitus Damasceno factum) in Regem armaret ad trucidandum? Si filius Zaleuci ob adulterium reus, à patre redemptus, die insequenti rursus flagitium anhelaret, alterum patri oculum eruere niteretur. Nonne ingratitudo plusquam belluina foret? non manus, non oculus, sed omnia corporis membra nostra, per peccatum carnifici tradenda, Christus restituit; nihilominus omnibus membris in eum armamur, Deum ipsum quantum in nobis est, perimere & destruere nitimur. hujus doctrinæ egregium habeo magistrum ex Clara valle: *a ipsum, quantum in ipsa est Deum perimit voluntas propria: omninò enim vellet (peccator) Deum peccata sua*

a Bern. serm. 3. de resurrect.

ans

aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire; vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in ipsâ est, vult eum aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè & omninò execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, sapientiam perire desiderat.

Nec adhuc tanti sceleris enormitatem execrari, illatam benignissimo Regi nostro injuriam lachrymis, imò vel sanguine eluere studemus? Burchardus primarius conspirationis artifex, a qui Carolum comitem Flandriæ, lethali ictu in capite sauciavit: tanto dolore ac pœnitentiâ ductus fuit, atque ita scelus suum detestatus, ut copiosas eleemosynas in paupercu-lam effuderit, eo pacto, ut Deum exoraret præter aliam à justitiâ pœnam infligendam, manus tam nefaria sibi amputaretur. Quod cùm non impetraret, rogavit, eam sibi præsecare liceret in rotam agendus; se ipsum promptissimè ad eam comparavit, ubi confractis ossibus, à nonâ matutinâ usque in diem sequentem vivus permansit, exquisitæ pœnitentiæ signa sanguineis lachrymis uberrimè contestatus.

Nos non mortalem principem, sed Deum ipsum, Dominum dominantium, non uno vulnere, sed tot plagis crudelissimè configere non perhorrescimus, quot flagitiorum tela in eum evibramus. Nec est, qui recogitet, quem facinoris sui longè atrocissimi pœniteat. Pœnituit non ita pridem (at longè inferiori de causâ) matronam Galliæ, b quæ cum filium, quem habebat unicum, in Italiam invitum ac reluctantem ablegasset; ubi hunc mortuum inaudivit, se ejus mortis causam rata, ita indoluit, ut omni hominum contubernio valere jusso, peregrinationem nudipes vili lacernâ induta, in exteras terras susceperit, solo pane, & aquâ vitam sustentans, illudque identidem ingeminans: ego te peremi fili mi, quis mihi tribuat, ut moriar pro te? nec quisquam nostrûm ingemiscit, se filium Dei crudelissimè trucidasse. Vnde Augustinus sic Redemptorem nostrum, supremo illo judicii die in hominem detonantem inducit: c *cur me graviore tuorum criminum cruce quàm illâ in quâ quondam pependeram afflixisti? gravior apud me peccatorum tuorum crux, in quâ invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus ascendi.* Quò se tunc peccator convertet, quando illi meritò exprobrabit Salvator: d *vide hominem, quem crucifixisti; vide vulnera, quæ inflixisti; vide latus, quod transfixisti; quoniam per te, & propter te apertum est, & tamen intrare noluisti.* Neque minus terribile est illud S. Bonaventuræ: e *Apparebit* inquit, *Dominus Iesus cum vulneribus suis & clamabit, dicens: videte, quanta à vobis, & in vobis, & pro vobis passus sum; & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis. Ite maledicti in ignem ætér-*

a P. Sainct Iure livre des estus, c. 7.

b Sainct Iure. ibid.
c Aug. serm. 181. de temp. in vigil. Pent. serm. 1.
d Aug. l. 2. Symb. c. 8.
e Bonav. part. 1. Stim. c. 2.

num.

num. Certum itaque est in extremo judicio impios, uti Propheta ait, *a aspecturos in eum, quem confixerunt*: quibus teste Ruperto, *veneranda Domini vulnera, æterna futura incendia.*

Quæ ut restinguamus, lachrymarum imbre, & sacro ejus sanguine, per sacramentorum canales salubriter nobis profluente, occurramus, sceleris nostri atrocitatem detestemur, nosque Christicidas ac Deicidas, supra omnes Regum ac Imperatorum sicarios, gravioribus longè cruciatibus dignissimos fateamur.

a Zach. 12.



EMBLE-

Ne comedas. Gen. 2.



CAVE NE TITUBES, MANDATAQUE FRANGAS. a

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Jejunium quod Heterodoxi, ut inventum diabolicum execrantur, Redemptor noster exemplô suô sanctificavit & observari voluit.

§. I. *Hæreticorum errores refutantur, ac jejunii præceptum adstruitur.*

§. II. Jejunium ut est actus virtutis abstinentiæ, hominem contra insultus cacodæmonis obarmat. b

§. III. *Jejunii arma fortissima*, ut possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Ad Ephes. 6. Atq; his armis non robur animi duntaxat, sed quod mirandum, etiam corporis acquiritur. Unde Eccl. 37:*

§. IV. Qui abstinens est, adjiciet vitam.

a Horat. b S. Thom. 2. 2. q. 146.

DOMI-

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ.

Cùm jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Matth. 4.

HÆretici moderni, Epicurei, Anomei, jejunium Catholicis præceptum, maximè impugnant, & ut inventum diabolicum damnant. *a* Hæc Calvini censura est lib. 4. inst. c. 12. § 21. *Lata sunt impia leges*, inquit, *qua conscientias exitialibus vinculis stringunt, interdictus carnium usus, quasi hominem contaminet.* Et infrà: *Hac ultima est impietas, & vix morte expiabilis, si quis minimum laridi aut rancida carnis, cum pane cibario gustaverit.* Et §. 20. Magnæ esse insipientiæ & audaciæ, imitari velle quadragesimale Christi jejunium. Lutherus verò sic contra jejunium debacchatur: *Quid hoc aliud quàm impia fraus Antichristi?* quod ut faciliùs populo in vitium prono imponant, ad suum sensum sacras litteras traducunt, allegantes illud Pauli 1. ad Timot. 4. *b In novissimis temporibus discedent quidam à fide, loquentes mendacium, prohibentes nubere & abstinere à cibis.* Quorsum hæc ajunt? Subdit enim Apostolus: *Quia omnis creatura bona est, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Idem 1. Cor. 10. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* Et Lucæ 10. Magister veritatis Discipulos suos docet: *Manducate, qua apponuntur vobis.* Causam subnectit Matthæus, capite 15. *Non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quod procedit de ore.* Ex quibus inferunt novitium Pontificiorum inventum esse & erroneum, ac bonitati Creatoris, qui omnia ad esum & usum hominum condidit, repugnare.

a Chævas. de notis veræ Relig. l. 2. nota 18. cap. 5. §. 3. *b* 1 Tim. 4.

§. I.

Dicti errores refutantur, ac jejunii præceptum adstruitur.

AD hos tam crassos & palpabiles errores refutandos, sciendum est Apostolum 1. ad Tim. 4. *c* insectari Simonianos, Saturninum (qui tempore Apostolorum vixit) Ebionem, Manichæos, Marcionitas, Encratitas, qui dicebant, nuptias, vinum, carnes, &c. esse creata à Diabolo; ac proinde hæc naturâ suâ esse mala & cavenda, eorumque usu & esu hominem infici & maculari. Alia Scripturæ loca tantùm probant sublatas veteris legis cæremonias & Judæorum, qui nimis superstitiosi erant in multis ciborum generibus devitandis. Jejunium autem & abstinentiam à certis cibis, non esse novitium inventum, ex eo patet, quòd Deus primis parentibus, alimentum ex herbis, & fructibus terræ præscripserit: *d Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem semen super terram, & universa ligna, qua habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam.* Transactique

c Corn. hic. *d* Gen. 1.

sunt multi annorum centenarii, totũ videlicet tempus ante diluvium, quo genus humanum, nec esum carnium novit, nec vini potum. Donec primus post diluvium Noë vinum invenit, & Deus carnium esum hominibus indulsit; at non sine delectu, dixit enim: *a Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.* Sed nec omnes fructus primis parentibus concessi sunt; verùm à ligno scientiæ, arctissimo præcepto illis jejunandum erat: *b Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Comedit Adam fructum, qui in se bonus ac sapidus erat; sed quia contra præceptum Domini, se ac posteros omnes amarissimo miseriarum pelago involvit. Audire hîc juvat Basilium de jejunio disserentem: *Iejunium* (inquit) *in paradiso lege constitutum est; primum mandatum accepit Adam: si jejunasset à ligno Eva, non isto indigeremus jejunio.* Cui accedit Sanctus Augustinus: *c Ipse Princeps generis nostri, quamdiu non comedit, in paradiso fuit: statim cùm comedit, de paradiso ejectus est.* I nunc Calvine, & jacta: *d quod intrat per os, non coinquinat hominem.* Non erat Mortiferum mel, quod degustavit Jonathas, *e* nisi quia Pater vetuerat. Neque propter panem, quem comederat, & aquam quam biberat, à leone Propheta discerptus est; sed quia mandato divino cautum illi erat, ne comederet. Carnes suillæ Judæorum tempore non minùs bonæ erant, quàm modò; tamen quia illis vetitæ, comedi tunc sine peccato non poterant. Quæ lex Mosaica tam rigidè servata est, tantâque cum laude, ut Machabæos in album purpuratorum Martyrum Ecclesia redegerit.

Probatur secundò jam inde ab exordio Ecclesiæ jejunii præceptum in usu fuisse. Quod Ecclesiam imponere posse, ex eo constat, quod Actorum 10. Apostoli, post inductam legem Euangelicam homines à suffocato & sanguine abstinere jusserunt. Ipsos verò Apostolos jejunasse, testimonio Christi comprobatum est, dum dixit: *f Venient dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* Quis verò sanæ mentis, si in Ninive fuisset, præceptum Regis de rigidissimo jejunio, quo omnes homines, ægros, lactentes, jumenta ipsa ab omni cibo abstinere jussit, iniquum duxisset? Quidni Ecclesia, quam Christus audire præcepit, moderatius longè jejunium imponere possit. Etsi præceptum Medici, ad pellendos morbos corporis in ægro locum habeat, præceptum Ecclesiæ ad pellendos morbos animi, à ratione alienum judicabitur? Alterum est communi Patrum sententiâ, jejunium quadragesimale ab Apostolis institutum, & Ecclesiæ traditum comprobari: ut patet ex libro quinto Apostolicarum Constitutionum, cap. 13. *Servandum est à vobis jejunium quadragesima, continens memoriam conver-*

a Gen. 9. *b* Gen. 2.
c Aug. serm. 65. de temp.
d Matth. 15. *e* 1. Reg. 14.

f Matth. 9.

sationis

ſationis & legiſlationis Domini. Quem Canonem Divus Ignatius Apoſtolorum Diſcipulus, ad Philippenſes ſcribens, retulit: & ab annis 500. Rupertus in cap. 3. Jonæ ſic argumentatur: *Sicuti ſecundùm edictum* (Regis) *fieri oportuit; ita ſecundùm fidem & traditionem beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, qui ſunt vel eſſe debent lingua Romanæ Sedis, ordinem Eccleſiaſticum ſervare oportet.* Confirmat Hieronymus epiſt. 56. ad Marcellam de errore Montani. *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anno, congruo tempore jejunamus.* Unde D. Leo: *a Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum jejuniis impleatur.* Et Sanctus Petrus Chryſologus: *quod Quadrageſimam jejunamus non eſt humana inventio, auctoritas eſt divina.* Ad quam acceſſit D. Petri inſtitutio, qui (ut ait Abulenſis) Quadrageſimam primus inſtituit, idque exemplo Chriſti: quod ut S. Petrus ait, nobis reliquit, *b ut ſequamur veſtigia ejus*, ſi non paſſibus æquis; cùm non humano more jejunarit, at pro modulo & menſurâ gratiæ: aliàs conſequitur nihil illum boni feciſſe, ut à nobis in exemplum traheretur, ſeu quod imitari nos oporteat; quæque enim actio fuit infiniti meriti, & ab omni imperfectione immunis. Quare hac tempeſtate jure uſurpârim illud Ambroſii, qui epiſtolâ octuageſimâ ſecundâ contra monachos Apoſtatas, jejunium damnantes, ſcribens; ſic eos coarguit: *Qui jejunandum negatis, quæ cauſa cur Chriſtus jejunaverit, adſtruite: niſi ut vobis exemplo eſſet ejus jejunium.* Quod exemplum Chriſti fusè tractat Lobbetius de Continentiâ libro 2. capite 17. Illud autem præceptum ſub mortali obligare, manifeſtè probat Leſſius, & confirmat ex Concilio Gangrenſi, ante annos 1200. can. 19. *Si quis jejunia, quæ communiter ab Eccleſiâ cuſtodiuntur, diſſolvat, anathema ſit.* Cui illa Auguſtini ſententia conformis eſt: *c Aliis diebus jejunare remedium eſt aut præmium; in Quadrageſima non jejunare, peccatum eſt:* idque non leve, ut docet Ambroſius: *d Non enim fratres leve peccatum eſt fidelibus, indictam Quadrageſimam à Domino, non jejunare: ſcriptum eſt enim, qui dicit ſe in illo manere, debet, ſicut ipſe ambulavit, & ille ambulare jejunando.* Quod ex eo probat: *Si ignorans Ionathas indictum à patre jejunium, quia reſolverit, morti addicitur: qui ſciens à Chriſto indictum reſolvit, quid meretur?*

Porrò quàm hoc præceptum leve ac lene ſit, ex illo manifeſtum eſt; quòd Eccleſia ut benigniſſima mater, ſuis non jejunium Niniviticum, aut Saulis Regis indicat; ſed infirmitati ſuorum condeſcendens, ab hoc eximat omnes in teneriori ætate, uſque ad annum vigeſimum primum expletum: & ob defectum naturæ, viros ſexagenarios; fœminas verò quinquagenarias, probabiliter non obligari cenſet Sanchez de Matrimonio lib. ſeptimo, diſputatione trigeſimâ ſecundâ, numero decimo ſeptimo.

a S. Leo. ſerm. 6. de Quad.
b 1. Pet. 2.
c Aug. ſerm. 62. de tem.
d Amb. ſerm. 25. de Quad.

Ut

Ut docet Sanchez in Selectis, disputatione quinquagesimâ quartâ, numero undecimo. Secundò omnes fœminas gravidas ac lactantes. Tertiò omnes opifices, ut probant ex privilegio Eugenii Quarti. Diana tractatu secundo, resolutione octavâ, Sa, Ledesma, Bonacina, Baucius pag. 50. Fagundez præcepto quarto Ecclesiæ, capite octavo, numero decimo sexto. Quartò omnes iter facientes pedites, ad quinque leucas Lusitanas, præter aut propter; Fagundez citatus num. decimo septimo: aut quatuor Belgicas, ut usu jam receptum est. Etsi animi causâ, ut ait Diana 12. resolutione 52. Sanchez Select. disput. 54. n. 20. Baucius pag. 51. Quintò excusantur Concionatores absolutè ex obedientiâ, vel ob publicam utilitatem ad populum dicturi. Ita Novar. Silv. Ledesm. Azor. quos citat Fagundez præcept. 4. Eccl. cap. 8. n. 19. Sanchez verò in Conciliis parte 2. libro 5. cap. 1. dub. 13. n. 7. Addit Magistros Grammaticæ in Societate non obligari ad jejunium, nisi mediâ quadragesimâ, id est tertiò in hebdomadâ, etsi sint fortes & robusti. Hæc verò clausula, si sine gravi incommodo, suo munere fungi nequeant; aut equites, aut etiam ex re illicitâ graviter defatigati sint, ad omnes se extendit, uti & omnes ægros hoc præcepto eximi.

Accedit consuetudo collationis serotinæ: de quâ quid Suarez senserit, aliique; vide apud Fagundez præcept. 4. Eccl. cap. 4. n. 12. de Collatione: & Baucium pag. 51. qui laxos in hâc materiâ Doctores allegat. Quæ omnia cùm probent, præceptum hoc Ecclesiæ facillimum esse; & ut ostendam, corpori juxta ac animæ salutare, non possum quin cum D. Maximo exclamem, qui de jejunio Ninivitarũ agens (ubi senes & juvenes & infantes jejunabant, imò & pecora) sic ait: [a] *Quale sit hoc Christianum pro salute sua non facere, quod pecudes pro hominum salute fecerunt? nisi quod stolidior pecude est, qui indictô pro se à Sacerdote jejuniô, non jejunat. Nonne enim pecus est, qui non intelligit, quid illis immineat, quid incumbat?* Et pecus quidem ut in apposito symbolo videre est, ad nutum Domini escâ abstinet, vel spe potiundi, vel metu verberum, dum nos nec spes cœnæ magnæ, nec metus sitis & famis æternæ, quam patiemur ut canes, commoveat.

Sed hæc hactenus, quoad jejunii præceptum: nunc autem quod jejunii virtutem ac meritum spectat; & quanto cum rigore in Ecclesiâ semper observatum, paucis expendamus.

[a] S. Maximus de Litaniis & Jejunio Ninivit.

§. II.

Iejunium ut est actus virtutis abstinentiæ, hominem contra insultus cacodæmonis obarmat. [b]

GOliath terror ille Israëlitarum, quem Augustinus aliique Patres, Principi tenebrarum conferre non dubitârunt, provocabat filios Israël quadraginta diebus, eos lacessens manè & vespe-

[b] S. Thom. 2. 2. q. 146.

vespere: *a Procedebat verò Philistaus manè & vespere, & stabat quadraginta diebus.*

Tartareus ille Goliath hoc quadraginta esurialium dierum tempore in campum progreditur: procedit verò *manè & vespere*: manè impugnat prætextu imbecillitatis stomachi, cerebri, defluxionis, catharri, injuriæ aëris, noxii vaporis: vesperi defectu levioris somni, in gratiam adventantis amici: ut olim Sylvanus Abbas, *b* Marcianus, aliique Anachoretæ in voluntario jejunio fecisse memorantur. Quod verò collationem spectat, vel consuetudines alibi inductas, vel sententias quorundam laxiores, cacodæmon fraudulenter objectat: licere pro collatione sumere offam ex pane, ex vino, vel amygdalis, quæ seorsim sumi potuissent. Ut videre est apud Dianam tract. 2. resol. 34. Azor. Reginal. Bauc. pag. 51. & 56. Huic connectit sententiam Azor. pisciculum adhiberi posse. Tum inducit ad magnos quosvis pisces (modò non excedatur quantitas) ut ait Bonacina tract. de leg. Caietan. Megala. Baucius pag. 51. qui omnes volunt quantitatem spectari, non qualitatem.

Contra has infestissimi hostis insidias, 40. his diebus nobis colluctandum est, ut rectè monet Bernardus serm. 1. de jejunio: *hodie sacrum quadragesimæ tempus ingredimur, tempus militiæ Christianæ; nemo ergo in umbra jaceat, nemo pugnam detrectet, in aciem eundum est.*

Memorabile est, ut doctè observat in Jonam P. Ioan. Bap. Uwens cap. 3. vers. 7. quod fidem nobis facit potentiæ & astutiæ hostilis, nosque debet mirum in modum ad pugnam cum eo ineundam obtinendamque victoriam animare: primum hostem, Israeli ex Ægypto egresso, & ad terram promissam properanti, uti est à D. Gregorio observatum, *c* occurrisse Amalech. Est autem Amalech, secundum ejusdem interpretationem Gregorii, idem quod populus lambens, seu lingens, ollas nimirum & pocula. Quid sibi vult, quod populus assuetus ollis, culinæ, dapibus, poculis, pugnare contra Israëlem, electum Dei populum, primus incipiat? profectò hoc non aliud quàm spiritualem pugnam designat. Per totum verò diem hoc receptissimum axioma occinit: *liquidum non frangit jejunium*: ut dum cibo nequeunt, se liquido, quasi arcem largo flumine muniant, tum ne potus noceat, toties aliquid sibi sumi licere dictitet ex Sylv. Medin. Ledesm. Fagundez præcept. 4. Eccl. c. 4. n. 15. de collat. Vbi omissâ clausulâ, quam sic Doctores apponunt; *modò non fiat in fraudem jejunii*; persuadet vaferrimus impostor, posse quemque centies de die bibere, & varios amicos ac socios invisere, ut & centies quid cibi sumere valeret. Non hoc jejunium elegit Dominus. In prandio verò ita opplendos, ut vesperi non esuriant: ad 3. 4. horas prandio insumi posse: *cùm nullum tempus definitum sit.* Aut jejunandum in cœnam, ut majori voracitate hel-

a 1 Reg. 17. *b* Apophteg. Beyerl. tit. Jejunium.

c Greg. in 1 Reg. cap. 15.

luari possit. Cujusmodi jejunium, gulonum quisque, quàm aliorum non jejunantium prandium, aut cœnam mallet. Vellet, ut videtis, hic stygius lavernio, ut sicut quidam audientes non audiunt, ita jejunantes non jejunent; quibus annumerandi illi, qui sub undecimam meridianam, quò minus jejunium sentiant, cubitu surgunt, atque è strato mensæ accumbunt, eduliorum varietate basilicè instructæ. Qui Religiosissimi scilicet sacræ inediæ observatores, mellifluo Doctori stomachum movent, dum sic suam in eos bilem effundit: *a fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur; cùmque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi necdum gustasse pisces. Palatum quippe dum novellis seducitur condimentis paulatim dissuescit cognita, & ad succos extraneos, veluti adhuc jejunum, avidè renovatur in desideria, &c.*

Ita Bernardus in luxum & ingluviem jejunantium invehitur: ejusmodi hunc fructum colligunt, ut unico jejunio sibi tres gulosas mensas parent: pridie enim jejunii se ingurgitant, ipso jejunii die in prandio se farciunt, postridie quasi jejunii damnum, ventri illatum, resarciunt. Quos pluribus & acrioribus verbis perstringit Augustinus tom. 10. in appendice sermon. 86. *sunt quidam observatores quadragesimæ, deliciosi potiùs, quàm religiosi. Iejunant non ut solitam temperando minuant edacitatem, sed ut immoderatam differendo augeant aviditatem.* & alibi: *b nihil prodest longum totâ die duxisse jejunium, si postea ciborum suavitate, vel nimietate anima obruatur.* quæ fusiùs ibidem prosequitur hoc credo jejunium quod elegit Dominus, quod indixit Ecclesia. Sed, inquis, Ecclesiæ leges nihilominus servo, semel dumtaxat, de die calentes cibos admitto, contentus unicâ refectione diem transigo. sed hæc refectio non minùs lauta sit, non minùs copiosa: nam qui uno prandio tantum vorat, quantum tribus Vitelliis sufficerit, præcepto forsan jejunii satisfacit, sed præcepti finem minimè attingit, & non semel in gulæ ac temperantiæ peccatum, jejunando impingit. quod jejunium verè Turcicum dixero. De quo Radzivilius ep. 3. Jejunii Turcici ritus est, die toto abstinere cibo, idque per mensem; noctu vorare, quantum vel ventri, vel gulæ placet, dummodo cessetur unâ horâ ante ortum solem. ejusmodi jejunantes diabolus non timet. Vitellius in Imperio Romano turbas & mala magna moliturus timebatur: has formidines, ut vanas, Galba spernens: quid Vitellius, ait, helluo & patinarius miles moverit? ventri deditus timendus non est. non *timeo Crassos, sed Flaccos*, ait Tullius. & hos præ illis, hostis noster timere solitus. qualis ille, qui dicebat: *c genua mea infirmata sunt à jejunio, & caro mea immutata est propter oleum.* Ubi Hieronymus: *tales diligit milites Christus, qui jejuniis vacent. quare? quia in jejunio victoria est, & in*

a Bern. apolog. ad Guil. Abbas.

b Aug. to. 10. serm. 65. de temp.
c Psal. 108.

victo-

victoriâ triumphus. ejuſmodi ſe jejunio David muniebat: *a operui, inquit, in jejunio animam meam.* ſine jejunio ſe nudum & inermem ducebat, quare hâc loricâ ſe armavit: *gula*, inquit Ambroſius, *b nudos facit; jejunia operiunt. unde David: operui in jejunio animam meam. bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore nudetur.* hoc operimento velùt cataphractus Daniel, dentes leonum contrivit. teſte M. Baſilio: hom. de jejun. *c Daniel cùm tres hebdomadas panem non comediſſet, nec vinum bibiſſet, demiſſus in lacum, etiam leones jejunare docuit: neque enim leones, dentes in eum infigere valuerunt, perinde quaſi è lapide, aut ferro, aut aliâ quâpiam rigidiore materia concretus fuiſſet. adeò quemadmodum tincturâ ferrum indureſcit, ita jejunium pii viri corpus duraverat, ac leonibus inſuperabile reddiderat.* unde ſolicitus nos commonet S. Petrus: *d fratres ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret;* ut hac armaturâ præmuniti, reſiſtere valeamus. ad alios debellandos hoſtes tartareos, rectè ſuadetur fuga. abi, recede, fuge dilecte mi. vis impuros Veneris ſpiritus, in fugam agere? occaſiones, congreſſus fuge. vis ſuperbum Luciferum conterere? pompam, honores, & nomina magna, longè calcando fuge. vis avaritiæ dæmonem ſuperare? aurum omne, & opes ſpernendo fuge. vis vincere dæmonium meridianum? ſtandum, congrediendum eſt. quotidie ſemel iterumque in conſpectum veniendum. in hanc arenam progreſſus, luctam ſuam exponit Auguſtinus: *e nunc autem, inquit, ſuavis eſt mihi neceſſitas, & adverſus iſtam ſuavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero jejuniis: ſæpius in ſervitutem redigens corpus meum. hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam.* cibus ac potus quotidie obverſatur, & hoc difficilem reddit victoriam; ſed tantò glorioſior manet triumphus. *f Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt.* ſed ut Seleucienſis Antiſtes ſuos docet: *g jejunium, ſcutum eſt ad militiam,* contra dæmones; quod abjeciſſe, periiſſe eſt: ſubdit enim, *h minùs ſanè periculum fuerit, aliquem in acie ſcutum abjicere, quàm ſi arma jejunii videatur projeciſſe.* Chryſoſtomus: *i miles ſine gladio, oratio ſine jejunio.* Hieronymus ad Demetriadem: *jejuniorum tibi arma ſumenda ſunt.* Etenim ſi temeritatis eſt, militem inermem congredi cum armato, multò magis hominem luxu fractum, ac crapulâ diffluentem, cum diabolo jejuno: hoc ab Imperatore noſtro edocti ſumus: de quo Baſilius, *k Dominus noſter non priùs in carne, quam pro nobis aſſumpſerat, diaboli inſultus excepit, quàm eam jejunio communiſſet,* ut & nos in hunc hoſtem tartareum, arma hæc arripiamus. Quod clariùs exponens D. Ambroſius:

a Pſal. 68. *b* Ambr. lib. de Eliâ & jejunio cap. 4.
c Baſil. hom. de Jejunio. *d* 1. Petri 5.
e Aug. l. 10. confeſſ. c. 31. *f* 2. Cor. 10.
g Baſil. hom. 1. de Jejun.
h Hom. 2. de Jejunio.
i Chryſoſt. hom. 6.
k Baſil. hom. 1. de Jejun.

a Domi-

a Dominus, inquit, *diabolum postea quam quadraginta diebus jejunavit, evicit; non quòd non ante jejunia eum vincere potuisset, sed ut ostenderet nobis, tunc nos diaboli posse esse victores, cùm per 40. dies victores jejunando, desideriorum carnalium fuissemus; eum autem qui hunc numerum consecratum, gulæ intemperantiâ violasset, tamquam imbecillem & miserum, facilè ab inimico posse superari.* ejus exemplô fortissimus athleta Christi, Paulus, cum diabolo in arenam descendit: *b sic pugno*, inquit, *non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* novum planè pugnæ genus ut hostem superet, in seipsum sævit. quæris, quo armorum genere? respondet Emissenus. *ut spiritualibus resistere possit inimicis, continuis studet corpus vallare jejuniis:* vide inquit Hieronymus: *c Apostolus non in saturitate, sed in infirmitate gloriatur: quando enim infirmor, tunc fortis sum. d*

a Ambr. lib. 4. in Lucam tom. 5.
b 1 Cor. 9. *c* Hieron. in Psal. 108.
d 2 Cor. 12.

§. III.

Jejunii arma fortissima, ut possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. ad Eph. 6.

AD restinguenda & retundenda ignea libidinis tela, inflammata à gehennâ, & à stygio hoste immissa, docet Albertus Mag. jejunium arma suppeditare, dum disquirit, cur Ninivitæ non ad preces, non ad eleemosynas, non ad lachrymas & planctus dumtaxat se contulerunt, sed ad jejunium: & hanc caussam subjungit: *jejunium prædicaverunt, ut fomenta libidinis subtraherent.* Quod magni Magistri non inferior discipulus Aquinas confirmat, dum 2. 2. quæst. 47. art. 1. inter tres caussas instituti jejunii primam ponit: *ad concupiscentias carnis reprimendas.*

Oppugnabat L. Sylla in terrâ Atticâ Piræum: *e* contrà Archelaus turrim ligneam, defendendi gratiâ structam propugnabat. Eduxit copias Sylla, & omni, quâ potuit industriâ, conatus est turrim illam, quæ interposita obstabat accendere. Venit, accessit, ligna subdidit, submovit Græcos, ignem admovit. satis diu intenti, numquam turrim incendere valuerunt: eâ quippe solertiâ Archelaus, omnem ligni materiam alumine, quod ignis patiens, undique obliniverat, ut flamma turrim circumplexa, adurere non potuerit. Obstupuit Syllanus miles hanc turris invictam pertinaciam, suisque conatibus elusis, copiæ re infectâ reductæ sunt. Caro nostra, materia concipiendis ignibus apta: nisi corporis nostri truncum jejunii alumine, contra fœdas libidinis flammas & ignea tela probè munierimus. Vetus illa & vera Hieronymi præceptio est: *f quod ardentes diaboli sagittæ, jejuniorum, & vigiliarum rigore, restinguendæ sint.* Experto credite, de se ipse fatetur: *g dicat quisque quod volet, ego sequor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam & nocuisse intermissam, &* profuis-

e A. Gellius noct. Attic. cap. 1.
f Hieron. ep. 10. ad Furiam.
g Hieron. in c. 1. epist. ad Titum v. 7.

profuisse repetitam. Intimum verò animi sensum Eustochio exponens, scribit; *a* quod discedens in desertum Syriæ, ibidem repugnantem carnem, hebdomadarum inediâ subjugârit. caro equus indomitus est, popismis minimè placatur. Si plus avenæ subjeceris, se ac sessorem in perniciem & præcipitium abripiet. *b impinguatus est dilectus, & recalcitravit.* Hinc S. Hilarion; *c ego te aselle faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis: fame te conficiam & siti, ut cibum potiùs, quàm lasciviam, cogites.* Sanè vir ille, qui corpori velut asello durus exstitit, compertum habet, quod quantò molliùs habetur, tantò contumaciùs evadat, & solâ indulgentiâ in hanc bestiam peccari. Quod de servo sacer textus testatur, quem si farseris, & lautiùs habueris; *d postea senties contumacem*, in omnia vitia projectum. Verissimè Cyprianus: *e jejuniis vitiorum sentina siccatur, concupiscentiæ languent, exstinguitur ardentis Ætnæ incendium, jejunium omnem carnis rebellionem edomat, tyrannidem gulæ spoliat & exarmat.* Id olim juvenem senex docuit, *f* ut refert Ruffinus Aquilejensis: Religiosum senem juvenis visit, seipsum accusans & dicens: mi pater, mea me caro trahit ad illicita, & dæmon assiduò impugnat, non sum resistendo igneis ejus jaculis. Ad quem senex: hæc numquam mihi facessivêre negotium; ex quo enim monachus sum, nec panis, nec aquæ, nec somni umquam satis admisi. Hæc imitare & victor evades:

Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

Quod fecit omni ævo, & posterorum memoriâ commendabilis puella, *g* de quâ Caussinus commemorat: cùm juvenis libidinis flammis incensus, filiam hanc ob formæ venustatem ardenter deperiret, jamque scelus anhelaret; ut fœdos hos Veneris ignes restingueret, alimenta flammis subducere statuit; quare exponit, se fecisse votum quadraginta diebus in pane & aquâ jejunandi, quo se primò exsolvere volebat, nec consensuram nisi ille, ut amorem suum comprobet, secum eandem inediam toleret. Sed exiguo tempore ita debilitatus est, & ardor libidinis ita resedit, ut magis de morte & funestis facibus, quàm de amore & cupidinis tædis cogitaret. Alia profectò mens, alia ratio, alia cogitatio hominis jejuni, alia temulenti & saginati est. Unde meritò S. Leo serm. 2. de jejunio: *quid potest efficacius esse jejunio, cujus observantia appropinquamus Deo, resistimus diabolo? semper virtuti cibus jejunium fuit. De abstinentia deniq; prodeunt castæ cogitationes, & rationabiles voluntates, salubriora consilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutis spiritus innovatur.* Divus Augustinus satis demirari nequit heroicum Josephi factum, dum commodam nacta opportunitatem, *h mulier molesta erat adolescenti, ille verò relicta*

a Hieron. ad Eustoch de custod. virgin. *b* Deuterno. 32. *c* Hieron in vita S. Hilarion. *d* Prov. 29. *e* Cyprian. de Jejun. & tent. Chri. *f* Apud Rosweyd. vitæ Patrum. lib. 3. n. 62.

g Caussin. court. S. tom. 4. de l'Amour sensuel. sect. 9. *h* Gen. 39.

in manu ejus pallio, fugit, & egressus est foras. Vbi causam disquirit unde adolescenti hoc animi robur, unde hic illibatæ mentis vigor, ut adeò constanter lascivientis fœminæ illecebris ac lenociniis restiterit? quî factum hîc in primo ac præfervido ætatis flore victor evaserit? hanc tandem è sacris paginis subtilis doctor rationem assequitur: quod à die quo integerrimus juvenis ædes Potifari ingressus est, carnis maceratione, & assiduis jejuniis se contra petulantem fœminam obarmârit: *a nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur.* Exquisita fercula non noverat, nec vina, quo sapore noverat, nec cupedias ullas degustarat, solo pane se vesci solitum affirmat: ex quo idem sanctissimus Antistes concludit: *b Iejunium ita castissimi Ioseph mentem purgaverat, quòd carnem spiritui subjecerat, incontinentiæ nebulas disperserat, libidinum ardores mortificaverat, & castitatis verum lumen accenderat.* Nemo non videt quantum intersit inter anseres saginatos pane domestico, & sylvestres alios, quæsito viventes pabulo: illi obeso jam corpore, ægrè se in altum sustollunt, aut si ingenti nisu id conati sint, statim deorsum eos trahente saginâ, mole suâ cadunt. Hi verò prorsus agiles, expediti, nullis corporis detenti molestiis, per aëra pernici volatu feruntur. Quantum inter hos, tantum inter homines fartos, in ventrem & venerem pronos, & inter jejunos mente in cœlum evectos, discrimen est. & ne alæ desint, vides, inquit Chrysostomus, quanta res sit jejunium? *c Angelos ex hominibus facit.* Hinc S. Ambrosius, ipsos etiam puerulos & adolescentulos, jejuniis assuefaciendos, itaque à vitiis avocandos acriter contendit: *infrænent*, inquit, *d teneram etiam ætatem jejunia, & parsimonia cibi, retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates.* Quare hunc alterum arietem tartarei illius Goliath retundamus, quo jejunium corpus debilitare, vires infringere, vitam accidere, & prœmaturè exstinguere persuadet. Quærit Basilius: *e quid fortissimum Samsonem inexpugnabilem reddidit? Nonne jejunium? cum quo in ventre matris conceptus est: jejunium concepit, jejunium nutrivit, jejunium virum effecit. Quod sanè angelus matri præcepit monens: quæcumque ex vite procedunt, non attingeret, non vinum, non siceram biberet.* Mirum fortasse cuipiam videri posset, regios pueros in aulâ, fontanâ & cicere, pollentâ & aquâ pinguescere, ac liberaliori formâ apparere præ iis, qui cupediis ac deliciis enutriti, epulabantur quotidie splendidè. Hujus rei se exemplum præbuit Daniel, cum tribus aliis pueris Hebræis, dum carnes aliosque cibos lege Dei vetitos respuens, sic Malasarem œconomum Regis affatus est: *f tenta nos, obsecro, servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio; & sicut videris,*

a Gen. 39. vers. 6.
b Aug. serm. 230. de temp.

c Chrysost. in c. 13. Act. hom. 17.
d Amb. l. de Elia & Jejun. cap. 3.
e S. Basil. hom. 1. de jejun. f Danielis cap. 1.

facies

facies cum servis tuis. Modestissimum consilium Malasari non displicuit, admisit tam humanas preces. Hic vos compello, parentes, qui jejunio pueros genium fraudare, vigorem exstinguere, juveniles vires enervare existimatis. Quid victus tenuissimus, quid legumina, quid frigida, etiam pueris, virium, roboris ac formæ venustatis contulerit, attendite? elapsis decem diebus *apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.* Quare mittite supervacuas curas, & vanos timores, ne si filii, aut filię à teneris jejunare consuescant, formam macie ac pallore corrumpant. Moveat vos puerorum ac puellarum turba. E quibus hîc quosdam in exemplum adducam. Annum cum dimidio agebat Joannes Baptista, *a* cùm in deserto spelæum incolere cœpit: ubi tenerioribus arborum frondiumque summitatibus vescebatur. Adeò ut hîc vitam vivens angelicam, *b neque manducans neque bibens.* venisse perhibeatur.

Edmundus à teneris unguiculis, *c* sextas ferias, pane & aquâ contentus, transigebat.

S. Lucas à puero non tantùm carne, sed & lacticiniis abstinuit. Solus panis hordeaceus, legumen & aqua, in potum & cibum suffecit.

S. Julianus Episc. ab infantiâ, ter quot hebdomadis jejunabat. *e* Id ipsum puer septennis S. Nicolaus Tolentinas practicavit: edoctus credo à magno illo Nicolao, Mirensi Antistite, qui etiamnum infans, Mercurii & Veneris diebus, lac maternum non nisi semel admisit. Stephanus presbyter Constantinopolitanus, priusquam extra uterum viveret, jam jejunare didicit. Nam mater eo gravida, nec vini, nec carnis, nec lacticinii quidquam admisit.

Stephanus verò jam natus, ubera matris nisi jejunæ sugere noluit. S. Bernardinus, tenellulus, in honorem B. Virginis diebus Sabbathinis jejunabat. Aloysius anno decimo tertio, tria per hebdomadem stata servabat jejunia, pane & aquâ contentus. Hunc tamen Marchionis filium unciatim victitantem, *e* non valetudine afflictum, non pituitâ redundantem, sed validum adolescentem jurati dixerunt medici.

f Carolus Borromæus à puero panem & aquam tantùm, dominicis verò olera vel fructus degustabat. Commonitus à Gregorio XIII respondit se obsequi paratum, sed constare sibi illam inediam prodesse quàm maximè incolumitati corporis.

Nec defuêre ex imbelli puellarum turbâ, quæ in hoc juvenibus nihil concessêre. Vis teneriores ac nobiliores inducam?

Margareta Hungarica à quarto ætatis anno, die parasceve semper jejunavit; *g* toto verò triduo ante pascha, & lecto, & cibo, & potu omni abstinebat. Insuper vel erecta, vel ante crucem, continuò prostrata, quasi attonita hærebat. Huic consimilis, Mar-

a Niceph. l. 1. c. 14. *b* Matth. 11.
c Sur. in vita. 16. Nov. Ex Menæis.
d Ribald. in vita.

e P. Rho exempla virt. pag. 806.
f Ibid. *g* Sur. 28. Ian.

garetæ Ravennatis inedia, quæ septennis carne & ovis abstinens, extra dies Dominicos & festos semel in die se reficiebat; reliquum verò vitæ cursum, pane & aquâ contenta, confecit. pro lecto durâ, aut sarmentorum fasce, numquam non usa. mitto hic Catharinas Senenses, Genuenses, Claras de Assisiis, de monte Falco. *a*

Non formam deturpasse, non valetudinem læsisse triduano jejunio, Regina Esther comperta est. quid? quòd vires ac venustatem supra sexum & naturam, generosissima illa bellatrix Judith sibi conciliavit, quæ, ut sacræ paginæ testantur: *b Iejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata & neomenias, & festa domus Israel.* & Post hanc tam constantem inediam: *ei etiam Dominus contulit splendorem*, ut viri Assyrii considerantes faciem ejus, stupore detinerentur, *c quoniam pulchritudinem ejus mirabantur nimis. & captus est in suis oculis Holophernes.*

Quantum verò roboris ac virium, jejunium fœminæ contulerit, ex validissimo ejus brachio colligere est, quo durissimam cervicem carneæ illius molis à capite revulsit, & omnem exercitum fugavit; quod heroicum facinus Ambrosius admirans ait: *d nihil robustius jejunio. unius mulieris jejunium, innumeros stravit exercitus ebriorum.* quare, omnis qui jejunia detestatur, ne corporis valetudinem lædat, ne robur enervet, ne maciem contrahat, doctorem maximum, totam medicorum classem proferentem auscultet: *e si diligenter scrutari volueris, invenies jejunio corpora validius roborari: & si meum sermonem respuis, medicorum te doceat disciplina, qui parcitatem salutis nominant matrem: nam pedum dolores, capitis vertiginem, subitaneas mortes, quibus febris atque languores corporis comparantur, ex luxuriis & voluptatibus ajunt generari, & tamquam de fonte noxio, rivos ad corporum læsionem, & ad animarum perturbationem commeare testantur.* Si sciret mundus, quàm salubre pharmacũ sit jejunium, nullis hâc in re opus foret legibus. Verissimè Siracides: *f in multis escis erit infirmitas.* subinde grandis nascitur quæstio: quid sit medicè vivere? Ad hanc non illepida suppetit narratiuncula: *g* Pyrrhiniculus Vasco iter fecit peregrè; hunc serus vesper fatigatum ad tabernam miseram deduxit. apposita est cœnula, sed omni ex parte olitoria, meris herbis composita; cui tamen vinum additum, sed dilutissimum. Vbi finem habuit hæc cœna, postquam manus non lotæ, ingeniosus diversitor, cauponem ad se accersens, obsecro te, inquit, medicum mihi advoca: mox caupo, ecquid malum, in aggresti viculo poscis medicum? hoc genus hominum nobis hîc ignotum & invisum. cui subridens hospes: num ô bone te ipsum ignoras? cœnam mihi planè medicam apposuisti. agnosco valetudini eâ re insigniter con-

a V. Paradisum puerorum p. 2. c. 23.
b Iudith cap. 8. *c* Iudith cap. 10. cap. 11.
d Amb. l. de Elia & jejun. cap. 3.
e Chrysost. hom. in Ionam. *f* Eccl. 37.
g Arian. Baalandus in dial. de inferioris Germaniæ oppidis.

sultum.

ſultum. Vt igitur merces operæ reſpondeat, cape medici non cauponis pretium. O bone Deus, quàm multis ægrorum millibus longè conſultius foret, parum comediſſe: vel poſt lautas epulas, diem unum aut alterum eſurialem, ſine omni cibo, cum Aureliano (qui hac praxi ad 66. annos ſine medicamentis vixit) tranſegiſſe, quam tot catapotia glutire, tot lambere ſyrupos, tot pharmaca & penè tota haurire pharmacopolia: præter dolores & cruciatus morborum graviſſimos, & ſumptus maximos. Quantos ego novi, inquit Drexelius, *a* qui ejuſmodi eruditâ pharmacorum repetitione, ſe ipſos placidiſſimè occiderunt: qui ſi biduum triduumve inediâ ſe macerare voluiſſent, ſanitatem omnem, & rem omnem ſervaſſent. ſtultum profectò amantem vitæ, mori malle, quàm eſurire. Ævo Neronis, medicus fuit, cui nomen Theſſalus: hic ægris omnibus initio morbi, triduanam inediam indixit. quod omnibus medicis Italis perfamiliare eſt, qui morbos quoſvis aggrediuntur ab abſtinentiâ. experientiam fortè requiritis: Ludovicus Granatenſis apprimè pius & diſertus ſcriptor, libro quem devotioni conſecravit, rem miriſſimam ſimul & teſtatiſſimam enarrat: dum hæc ſcribo, inquit, vir quidam in Italiâ, chiragrâ & podagrâ miſerè divexatus, quin & cæterorum omnium membrorum uſu deſtitutus erat. hic ab inſidiatore hoſte, loco tutiore deprehenſus, in turrim abreptus eſt; in hoc carcere, victus illi

a Drex l.1. de jejun. cap 5. §. 1.

quotidianus fuit parciſſima panis buccella, & aliquid tepidæ fœtentis aquæ. en omnis menſæ apparatus: *b panis arctus & aqua brevis*, quatuor annis his lautitiis vixit. mutatis demum rebus, ex alto ergaſtulo emiſſus eſt ſanus, integer, ſoſpes, vegetus, ſine chiragrâ, podagrâ, colore vultus commendabili. vivit etiamnum teſte Granatenſi vir iſte, qui turri & inediæ ſummas agit gratias, inſuper flexis genibus, quotidianis precibus Deo ſupplicat, pro illius medici incolumitate, qui ſibi morbos paſſim incurabiles ſuſtulerat. affinem habes curationem in Pecchio Ciſalpino part 1. Embl. 1. §. 1. addo aliud recentius: anno 1637. dum jejunii aloëa paro, inquit Drexelius, *c* literæ advolant Antverpia, matronam illic degere, quę cum annum ageret vigeſimum ſextum, tam gravi correpta eſt morbo, ut viſum ſit ad ſanitatem reduci non poſſe, actum eſſe de valetudine & vitâ. illa igitur medicinam omnem ab abſtinentia, & perpetuo jejunio petere decrevit: ab eo enim tempore vix quidquam aliud, quàm decorticatum hordeum elixum, in cibum, & aquam hordeaceam in potũ admiſit. hac tamen alimoniâ tam frugali, ad annum 71. commodè ſupervixit, admirando quotidiani jejunii beneficio. & dubitamus adhuc? vero illud longè veriſſimum Eccleſiaſtici:

b Iſa. 30. *c* Drex. de Iejun. in epilogo.

§. IV.

Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam. Eccl. 37.

FUit qui è mortalium numero, tres per orbem viros ſedulò in-

dagavit, nec usquã gentium reperire potuit, 1. opificem gnavum & gnarum ad inopiam redactum. 2. constantẽ divini verbi auditorem impium. 3. hominem abstemium præmaturè mortuum. talem peritissimus in arte suâ medicus, per sexaginta propè annos, quibus eam exercuit, se neminem nosse; at plurimos se nactos, qui ex opletione in ætatis fervore exstincti sunt, candidè affirmavit. Lessius, in aureo suo de victu temperando tractatu, *a* refert ex Maffeio, Brachmannes longævos, quia frugi vivunt: atque in Indiâ repertum senem, qui vixit ad annos trecentos triginta quinque. Ante annos non adeò multos Episcopus Bambergensis in Turingia ad sex hominum millia oleo sacro perunxit, inter hos plusquam ducenti, qui annum centesimum excesserant. unus singulariter observandus, qui excesserat annos centum quinquaginta, hujus filii annum centesimum excesserant, nepotes septuagesimum. causam nostis? subjungit Auctor: hoc genus hominum, parco & tenui victu utebatur. testatur ipse Lessius loco cit. dicens: vidi ego multos viros præstantes in florenti ætate, solâ ciborum copiâ exstinctos. nec quidquam dubii reliquit, quotidie multa millia emori, qui si parciùs prandissent, moderatiùs cœnassent, frequentiùs esurire sustinuissent, in plures annos supervixissent. hinc cantatissima illa Italis paræmia: *qui multum vult comedere, comedat parum: & cui mensa brevior, huic vita longior.* Hippocrates Princeps medicorum, quintum supra centesimum annum attigit. Galenus centum & viginti annos in vivis fuit. hic gulones & liguriones omnes amicè interrogo, quâ ratione ad illud ævi pervenerint? in promptu causa est: nil umquam is crudi aut fructuum degustavit, de mensa numquam satur surrexit, quod D. Hieronymus triduano præfert jejunio. Hippocrates, quam aliis præcipiebat inediam, in se incredibili pertinaciâ observavit. Hos multum superarunt, à Christo Magistro, & vera Religione edocti, prisci ascetæ: Hilarion etsi naturâ tener, etsi annis plurimis numquam pransus, etsi quotidie solam cœnulam, eamque tenuissimam sumpserit, ad annum tamen 84. vivendo pervenit.

Antonius ad centesimum. Vdalricus Patavinus antistes, centesimum quintum, Simeon Stylites 110. Paulus I. Eremita 113. Arsenius & Romualdus centesimum vigesimum annum jejunando attigerunt. Quid? quod integra monasteria hoc ipsum testentur. *b* Cœnobium in Sueviâ sacrarum virginum paupertinum, ubi tenuissimè vivitur, & creberrimè jejunatur; ibi tamen sexagenariæ & septuagenariæ inter senes non numerantur. ego ipse, inquit *c* religiosus auctor, testis sum, quamvis malè oculatus, cùm ad illud virginum collegium reviserem, amitam salutaturus, quæsivi ex ea quot annos in eâ parthenone posuisset? quadraginta, inquit; quod si suos quis oculos interrogasset, virginem viginti quinque annorum dixisset.

a Leff. hygiasticon 1.

b Drex. de Jejun. l. 2. c. 5. §. 5. *c* Drex. cit.

ſet. Catalogum bene longum idem ſcriptor pertexit eorum, qui ad centeſimum pervixerunt. inter quos, jejuniis & vitæ abſtinentia complures commemorat ethnicos philoſophos, Imperatores aliosque, qui non cœlo, non animæ, non Chriſto, ſed valetudini, ſed commodo, ſed longitudini vitæ jejunarunt. quid nos formidamus exiguam famem tolerare, cui longinquitas dierum, in mensâ Domini repoſita eſt. Quid jejunia horremus, torrente voluptatis potandi & ubertate cœleſtium deliciarum ſaturandi?

His credo dapibus mentis oculum intentum habuerunt, huic credo cœnæ magnæ, appetitum obſonarunt, qui mori maluêre, quàm jejunium infringere. Excelluit in hâc parte purpuratus ſenator, Staniſlaus Hoſius, qui omnes eſuriales ferias ab Eccleſiâ indictas, ne intentato quidem mortis metu quaſi inſtantis, labefactavit: *a* Tridenti per ipſa cineralia decubuit ex febri, non ſine medicorum timore; itaque monuerunt, ut pullo gallinaceo reficeretur: abnuentem, ac ſacri jejunii leges cauſantem, monitus à medicis cùm adiiſſet collega in Tridentina legatione Hercules Gonzaga Cardinalis, ac paulò vehementiùs inſtaret, atque illum ampliſſimâ, quâ tum utebatur auctoritate, illa lege ſolveret, ſubridens Hoſius: volucrum ergo cadaveribus meus in hac vitæ ſtatione animus; & non potiùs divino retinetur juſſu? neſcitis, inquit, quid morbi hujus periculum mihi adimat: divinum promiſſum ſecurum reddit: nec enim legem ignoratis: *b honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* in cœlo pater eſt, in terrâ mater eſt Eccleſia, parentes hos jejunio honorare hactenus non deſtiti, nec deſinam. quid vitæ metuam? liberabit Deus datam olim fidem, & his obtemperantem; necquidquam conjectantibus medicis, non incolumem modò, ſed & longævum præſtabit. vicit itaque amicorum blanditias, medicorum metum. morbi vim unico jejunii telo victor egregius. æmulatus in hoc Eccleſiæ neophytos, primitias ſpiritus habentes, quos tantâ religione obſervaſſe jejunium ſcribit Chryſoſtomus, *c* ut nullis aut minis, aut ſuppliciis, ad vinum vel delibandum induci potuerint. quò ſpectat illud Nicephori: *d* Juſtiniano Imperatore cum Bizantii fames increbuiſſet, & jejunii tempore carnes in foro venales proponendas promulgaſſet, populum mortem potiùs obeundam cenſuiſſe quàm quidquam de patriis moribus, & traditionibus majorum immutandum. hoc inſuper âddit Tertullian. Epiphan. Hieron. nonnullos ſolis aridis victitaſſe. Recentiùs hoc quo finio: Joannes Avila dum contentione maximâ tota quadrageſima concionaretur, *e* quamvis afflictâ jam valetudine, ac in ſenium vergente, numquam ſibi paſſus eſt perſuaderi, ut jejunium abrumperet: neceſſarium eſſe dictitans, exemplis verba fulcire. fidendum

a P. Rho virtutum hiſt. pag. 799.

b Exod. 20. *c* Chryſoſt. hom. 6. ad pop. *d* Euſeb. in hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 6. Niceph. lib. 17. hiſt. Eccl. cap. 3. *e* P. Rho virt. hiſt. ſup. cit.

Deo, qui vires posset ac vellet suppeditare. addidi hæc, inquit auctor, libentiùs, quod hac nostra ætate non sine nominis concionatorum probro, passim à juvenibus, ac benè valentibus, jejunia, fœdâ quadam libertate solvantur, & priusquam suggestu descenderint, præmissæ sportulæ exspectant. expendant hi & potissimum quos sermo meus spectat: Edones, epulones, helluones non *beatos dici*, sed eos, *qui esuriunt*; illos autem, qui jam splendidè epulantur, rapiendos ad stagna illa sulphuris, ubi sitis ardentissima vel stillam unicam emendicare coget, nec totâ æternitate impetrandam: ubi *a famem patientur ut canes.* ubi illi, qui hîc cum Apostolo in *b jejuniis multis*, epulabuntur ac exultabunt in conspectu Domini, in secula seculorum, Amen.


a Psal. 58.
b 2 Cor. 11.



EMBLE-

EMBLEMA XVI.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17.



SEMPER ET HOC VULTU. a

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

Splendidus Solis vultus semper idem, semper sibi similis: constantis animi symbolum est. Nimbi, nives, pluviæ infra feruntur, non turbant Solem.

§. I. *Vultus semper idem, animi sibi præsentis ac constantis indicem esse, sacris ac profanis testimoniis comprobatur.*

§. II. *Qui in adversis animo vultuque sereno luserint & jocati sint.*

a Mart. l. 4. ep. 2.

DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

Resplenduit facies ejus sicut Sol. Matth. 17.



Agnus Præses equitum Rhodiorum Franciscus Villadumius, a sereniſſimum solis vultum in symbolum adlegit; cui hoc ſcitè ſubſcripſit: *Ubique ſimilis.* Profeſſus per hunc, invicti animi conſtantiam, ſeu pax foret, ſeu Thraces Rhodum invadere meditarentur. Seu tonet, ſeu fulminet: ſeu ningat, ſeu grandinet: nubes cogantur & pluat: hyems ſit vel æſtas, ſol ſemper idem, *b Semper & hoc vultu*, æquè fulgido atque ſereno. Seneca ep. 92. *Solis vis & lux integra eſt, etiam inter oppoſita. quoties inter nubila luxit, non eſt ſereno minor. nec tardior quidem. Sic virtus ſibi eadem eſt: & more ſolis obſcuri, in occulto vim ſuam exercet. Hoc itaque adverſus virtutem poſſunt calamitates & damna & injuriæ, quod adverſus ſolem poteſt nebula.* Inter has patriæ calamitates, inter graviſſima fortunarum damna, inter amicorum, liberorum, conjugum quotidiana funera, inter diuturna bella ac Belgii excidium, invictum animum tenere, immotum vultum ſervare, omnia hæc infra ſe ducere, Soli ſe ſimilem, ſemper eundem exhibere; hoc virtutis eſt, hoc magnanimitatis, hoc Chriſtianæ fortitudinis. Hic vultus unus & idem index ac judex eſt animi ſibi conſtantis, non alius hodie, alius cras, ut plerique mortales, de quibus Seneca: *c Sic maximè coarguitur animus imprudens, qui alius prodit atque alius (& quo turpiùs nihil judico) impar ſibi eſt. Magnam rem puta unum hominem agere, præter ſapientem autem nemo unum agit. Cæteri multiformes ſumus, modò frugi tibi videbimur & graves, modò prodigi & vani. Mutamus ſubinde perſonam, & contrariam ei ſumimus, quam exuimus.* Quid verius? mox ad Lucilium ſuum converſus, ſic eum inſtruit: *Hoc ergo à te exige, ut qualem inſtitueris præſtare te, talem uſque ad exitum ſerves. De aliquo quem vidiſti heri, meritò dici poteſt; hic quis eſt? tanta mutatio eſt.* Si hæc in Ethnicis improbavit, quantò magis in Chriſtianis damnandum eſt, quos exemplo Chriſti inſtar ſolis ſemper idem vultus decet.

a P. Petra Sancta Symb. Heroica pag. 192. b Mart. l. 4. epig. 1.

c Seneca ep. 120.

§. I.

Vultus ſemper idem, animi ſibi præſentis ac conſtantis index eſſe, ſacris ac profanis teſtimoniis comprobatur.

AMbroſius re quàm nomine dulcior, qui mel ante habuit in ore quàm voces, ſic in rem noſtram melleâ diſſerit eloquentiâ: *d Vultus quidem cogitationis arbiter, & tacitus cordis interpres. Facies index plerumque eſt conſcientiæ & tacitus ſermo mentis.* Ex indice conſtat,

d Amb. l. de Eliâ c. 10.

constat, quàm aptè horologium intus dispositum, quàm concinnum ac ordinatum; ita vultus tranquillus vel perturbatus, animum rectè vel malè dispositum signat; ut vulgari nunc parœmia jactetur: horologium istius perturbatum esse, dum vultum nubilum intuemur. Nam ut Eccl. ait: *a Cor hominis mutat faciem illius, sive in bonâ, sive in malâ.* Quod & Ethnici observârunt. Cicero libro tertio de Oratore: *omnis motus animi, suum quendam à naturâ habet vultum. Animi imago vultus est.* Expavescit cor? in vultu pallor est. Tristatur? quasi nube obducitur. Irascitur? inflammatur. Lætatur? exporrigitur. Tam varias unius vultus facies Bernardus aptè expressit, dicens: *b Facies hominis speculum est cordis.* Et Hugo Carensis:

Est Speculum mentis facies; oculique revelant
Quales sunt intus, mens animusque viri.

Hinc periti ac prudentes Physiognomi ex solo vultu, clarè hominis interni dispositionem, quasi in speculo, aut aquâ pellucidâ fundum contemplantur. Proverb. 27. *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Id est, sicut in puro fonte se quis intuetur; ita vir prudens ex facie hominis, animum dignoscit. Etenim cui semper idem vultus inter prospera & adversa: huic etiam animus sibi constet, necesse est. Talis etiam inter Ethnicos fuit Socrates, de quo Seneca: *c Si exemplum desideratis accipite Socratem, per omnia aspera jactatum; invictum tamen & paupertate, quam graviorem illi domestica onera faciebant: & laboribus quos militares quoque pertulit, & quibus ille domi exercitus. Sive uxorem ejus spectes moribus feram, linguâ petulantem; sive liberos indociles, & matri, quàm patri similiores. Sic ferè in bello fuit aut in tyrannide, aut in libertate bellis ac tyrannis sæviore. Viginti & septem annis pugnatum est: post finita arma, triginta tyrannis noxæ dedita est civitas; ex quibus plerique inimici erant. post hæc carcer & venenum. Hæc usque eò animum Socratis non moverunt*, ut ne vultum quidem moverint. *Non hilariorem quisquam, non tristiorem Socratem vidit. Æqualis fuit in tantâ inæqualitate fortunæ.* Et consolatione ad Helviam cap. 13. *Socrates eodem vultu quo aliquando solus triginta tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intravit, ignominiam ipsi loco detracturus.* Socrates *eodem vultu* paupertatem extremam, uxorem pervicacem, liberos discolos sustinuit: Socrates *eodem vultu* in pace, in bello, in triumpho, in carcere: in prosperis, in adversis; in vitâ, in morte *d ne vultum quidem movit. Vis alterum exemplum? accipe hunc M. Catonem recentiorem; cum quo & infestiùs fortuna egit, & pertinaciùs:* cujus ubi varias, quibus conflictatus est, calamitates enarravit; subjungit: *Nemo mutatum Catonem, toties mutatâ Republicâ vidit: eundem se in omni statu præstitit,* semper idem exstitit.

Quid ad hæc nos Christiani qui gratiâ adjuti & fide instructi

a Eccl. 13.
b S. Bernard. de modo bene vivendi c. 65.
c Seneca epist. 104.
d Seneca ep. 104.

fortia pati non Romanum dumtaxat; sed veriùs Christianum esse novimus? Beatus Petrus Damianus sermone primo de Exaltatione crucis ingeniosè observat, quòd facies Christi noctè illâ supremâ fuerit sputis obducta, *a & quasi absconditus vultus ejus:* idque ait mitissimum Dominum pertulisse *ut facies tua illuminaretur, illuminata confirmaretur, & diceretur de te: b* Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati.

Enimverò vultus serenitatem tot invicti Martyres ab hoc sole traxerunt. Hinc ille belluarum rictus minimè expavescens Ignatius nudo pectore & exporrectâ fronte caveam ingressus, exclamat: *c Utinam fruar bestiis, quas & oro mihi veloces esse ad interitum. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam, ego me urgebo ut devorer.* Felicianus acceptâ jam capitali sententiâ ore renidenti adjecit illud: *O quàm jucundos dies annuncias, octoginta jam annis exspectatos.* Ita Sanctus Victor, re & nomine laureâ dignus, cùm à tortore qui nervos equuleo laxarat, tenerioribus naturæ partibus fervens oleum infunderetur, tranquillo animo, vultuque sereno, hoc in tyrannum jactavit: *O quàm suave est hoc, sicut aqua sitibundo.* Verissimè de ejusmodi Christi Athletis Patriarcha Venetus pronuntiavit: *d Perfecta charitatis argumentum est notissimum, in adversis fiduciam non amittere: & virtutes uniformiter semper operari; atque sub Dei disciplinâ eodem animo, eodemque vultu perseverare.*

Narrat Cassianus, *e* hominem Alexandrinum jam gradævum ab idololatris velut agnum à lupis cinctum. Omnium una mens erat, mille injuriis lacessere; tandem unus per ludibrium quæsivit: ecquænam miracula ipsius Christus, quem tantopere deprædicabat, designasset? Cui sedatè senex: hoc, inquit, miraculi patravit, quòd ego injurias & tormenta, quibus me excarnificatis, invicto animo tolerem, nec frontis perdam serenitatem. Nimirum prisca redeunt miracula; rubus quem Moyses vidit, ardebat; sed non deflagrabat. Tres pueri in flammis ridebant, ludebant, canebant. Alios illustres heroas in theatrum adducit R. P. Jac. Lobbetius, *f* vir mente & manu expolitus, è quo varia hîc transtuli, ut facilius & majori cum fructu per sacros Ecclesiastes in Auditorum animos influeret.

Quod si olim divinè S. Dionysius observavit: *g proprium esse Dei eodem modo se habere,* quis non virum divinum Turonensem Præsulem duxerit? qui per omnem vitam à Severo Sulpitio numquam iratus, numquam mœstus est visus, *h sed pacatus semper, sibique similis. Cœlestium quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur.* Quid? nullo metu mortis concuti, nullis injuriis aut calumnis commoveri, inter mortis & vitæ confinia constantem vultũ tenere: næ humano quid altius hoc sapit. Sublimioris doctrinæ Magister omnes adversitatis nubes ac procellas vi-

a Isa. 53. *b* 1 Reg. 1.
c Hieronym. de Script. Eccl.
d Laur. Iust. discip. & perfect. ad Mart. c. 18.
e Cass. l. 12. c. 13.
f Lob. de fortit. Christ. c. 2. §. 10.
g Dionys. c. 9. de div. nomin.
h S. Sev. Sulp. Dial. 1.

rum

tum constantem infra se ducere; nec magis animum quàm solem nubila infestare affirmavit: *a accidunt* (inquit) *animo salvâ serenitate.* Elzearius Comes mari se commiserat Neapoli cum familiâ totâ Provinciam repetiturus. Dum vela facit, infremit mare, franguntur arbores, rumpuntur funes, excutiuntur gubernacula, deseruntur remi: clamoribus ac ululatibus omnia complentur; oculis mors præsentissima obversatur. Qui in navi erant, spirare tantùm, sperare nihil. Certè vultu omnes jam umbræ & manes erant: Solus Elzearius positâ formidine sibi constabat; *eadem illi serenitas, idem oris color eadem mentis malacia*, Deum precibus fatigans. Interim venti posuêre, maris ira detumuit, vox & sensus metu exanimatis redit. Tandem subductâ in portum navi; nonnullos è suis graviter incusavit Elzearius, de nimio mortis horrore, ac exiguâ in Deum fiduciâ. Seorsim autem ille à Dalphinâ Conjuge rogatus: an ipse solus in præsenti periculo homo esse desiisset, respondit: Totum me divinæ voluntati tradidi; paratus etiam si salvis omnibus solus haurirer fluctibus. In quo illud sapientissimi Regis oraculum comprobatum vides: *b Non contristabit justum quidquid ei acciderit:* Hugo acutè illud expendens ait: *Sicut accidens est auctore Philosopho, quod adest & abest præter subjecti corruptionem; ita præsens tribulatio & ærumna adest & abest præter justi contristationem & conturbationem.* Quid? quod jactura filiorum, fortunarum, quas plerique substantiam suam appellant, viro forti citra mutationem accidat. Testis Alphonsus Cartheiæ Dux fortissimus, quem Mauri obsederant: *c* interea filius qui ei erat unicus, dum fortè imprudens & incautus elabitur, hostiumque agros pererrat, in eorum manus incidit. Hîc exultare Mauri, jamque de Cartheia actum credere: captivum adolescentem bellico plausu ac clamore circum mœnia ducunt, patri ostentant, minanturque ni urbem dedat, acturos se in nati viscera ferrum. Quid hîc agat Alphonsus? patrem exuit & Ducem induit, & velut nihil ad se filius spectaret, immoto vultu Mauros despectans, gladium ex arce illis projecit; inde suos revisit, *potuitque parata accumbere mensa.* Hæc Ducis constantia primo Mauros attonitos habuit, ac dein irâ ac furore præcipites in miseri adolescentis necem egit. It cœlo barbarorum clamor, & civium è mœnibus comploratio ad hæc excitus Gubernator, ubi filium trucidatum conspexit, ac si nihil sibi accidisset, cives increpans,

——Hoc, erat, inquit,
Quod veluti captâ complorastis in urbe?
Vosque puerque meus casu pendetis ab uno?
Illum ego nutribam Patriæ, jam reddidi & urbi
Dixit, & extemplò ad convivia nota recurrit.
O ingens anima! O fato insuperabile pectus:

Stupet Zeno Veronensis in eo Abrahami constantiam, *d* quod eodem

a S. Aug. l. 9. de civ. c. 4. *b* Prov. 12.

c Lobbet. de fortit. Christ. c. 2. §. 11.
d Zeno Veron. serm. 1. de Abraham.

eodem vultu & filium & arietem immolasset: *à filio ad agnum transtulit dexteram semper lætus & gaudens.* Nec mutatus est vultus *ejus cùm esset victima commutata.* Hanc utinam animi fortitudinem in naturali morte filiorum patres & potissimùm matres induerent! non in fœmineos ululatus prorumperent, non crines vellerent, non unguibus ora laniarent, non miseras sese inferias orco immolarent. Constantiam prisci pingebant in rupe stantem, allisis maris fluctibus, cum inscriptione: *eadem sum semper.* Dei mater stat in rupe, dolorum fluctibus undique illidentibus: sed illa verè dixerit: *eadem sum semper.* Filius meus ut latro comprehenditur: Annæ, Caiphæ, Pilato, Herodi sistitur; cæditur, luditur, ut mortis reus damnatur: *eadem sum semper.* Flagellis discerpitur, spinis redimitur, Barabbæ postponitur, cruci affigitur: *eadem sum semper.* Verè constans semper, & virtutis invictæ stabat. Quàm nos aliter Christiani! quos ventus lenis dejicit, quos acerbius verbum turbat, quos obliquus oculus affligit, quos quævis injuriola lædit, quos paulò operosior labor enervat, quos qualecumque tædiolum humi affigit, quos omnis tristior eventus excruciat. En domini matrem sub cruce filii in Golgothæo monte, quasi in rupe stantem. Stabat cùm orbis pene totus rueret. O qualis mater! qualis virago! liceat hîc quærere & piè queri: quomodo potuisti ô Mater spectare tam infanda? num oculi tui ardentiores sunt quàm solis: hic oculos sibi ipse velavit, ne cogeretur sui domini tam diros cruciatus aspicere: testatus orbi se imparem tam crudeli spectaculo. Et tu ô Mater aperis tuos oculos, cùm suos filius in morte claudit, quibus eum quandoque in cunis vagientem, ubera sugentem suavissimè conspexisti *semper eadem.* A te suxit, quod mellifluo ore refudit Bernardus. *a* O Maria (tibi enim hæc laus propriissimè convenit) *inter adversa & prospera mutabilium temporum, tenens quandam æternitatis imaginem; utique hanc inviolabilem, & inconcussam constantis animi æqualitatem; benedicens dominum in omni tempore.* Vti rupes in medio mari, *in motu immota manet.*

Tales erant duo illi fratres monachi, *b* in vitis Patrum commendati; pariter in cellâ commorantes: quorum humilitatem & patientiam multi etiam è Priscis *c* Ascetis collaudabant. Audiens verò quidam sanctus vir, voluit periculum facere, si veram perfectamque animi constantiam haberent: venit ergo ad visitandum eos, cumque illum magno cum gaudio accepissent & de more complessent orationes & psalmodiam, egressus foris cellulam vidit parvum hortum, ubi sibi olera faciebant: apprehensoque baculo, cum toto impetu cœpit omnia olera cædendo confringere. Ita ut nihil aut parum remaneret. Videntes autem suprà dicti fratres, nihil penitus dixerunt, *sed nec vultum tristem, aut turbatum habentes.* Et rursus ingressi cellulam, vespertinas orationes complentes, adorantes eum dixerunt: si præcipis domine, ibimus ut

a S. Bern. serm. 21. in cant.
b Ruffin. l. 3. n. 23. *c* Rosvverd. pag. 500.

ut eum qui remansit caulem coquentes, gustemus, quia jam hora est ut cibum sumamus: tunc senior adoravit illos dicens; gratias ago Deo meo, quia video Spiritum Sanctum & spiritum fortitudinis, humilitatis, patientiæ requiescere in vobis. His minimè concedit Abbas ille David, de quo Theodoretus scribit: *a* eum per quadraginta annos in Monasterio præfuisse quinquaginta & centum Monachis; atque ibidem loci cùm innumera essent, quæ stomachum movere possent, tamen absque ullâ vel levissimâ animi commotione, omni hoc tempore vixisse, *b & mansisse immobilem, tanquam incorporeum* sine ullâ vultus mutatione. Hoc Solis habuit, sed non solus, quod vultu semper eodem; nam & de Patriarchâ nostro Ignatio legimus, ubi à profanâ ad sacram militiam se transtulit: quòd *c vultus illius non sunt amplius in diversa mutati*, sed innubem semper solem referre viderentur. Præterquam enim quod faciem cœlesti luce (supra solarem) radiantem S. Philippus Nerius aliique conspexerint, *d* addit Congregatio Cardinalium in actis canonizationis virtutes Ignatii expendens: *e ex his oriebatur illud gaudium spirituale, quo hic servus Dei planè repletus ac refertus erat*: illa serenitas, quam semper in vultu præ se ferebat. Parenti similis filius ut Turselini de Xaverio evincit testimonium: *f omnes animi motus*, inquit, *domitos, compressosque in sua ditione ac potestate habuit. Hinc illa perpetua mentis tranquillitas &* idem semper vultus. At ne homines sæculares, viri principes hæc sibi minimè dicta autument, Monarchas in exemplum adduco. *g* Captus ad Ticinum Franciscus I. Galliarum Rex, Capientes comiter excepit, cœnavit, disseruit, risit, omnem fortunæ injuriam immoto vultu reverberavit, & lachrymas hostibus excussit, qui suas tenuit. Carolus V. cùm in Africano bello laceram classem videret, atrocissimâ omnium tempestate, alios mergi, alios trucidari, conjuratis in unum caput cœlo, terrâ, mari, barbaris, tot spes accisas tranquillo animo & serenâ fronte spectavit, omniaque inconcussus vidit circa se concuti. Sic constantis est pectoris suæ insultare fortunæ, rerum humanarum aleam nosse, sperare pauca, ferre omnia, pati naturam, & Deum quàcumque duxerit sine murmure comitari.

a Theodoret. relig. hist. c. 4.
b Lancicius in opusc. spirit. pag. 278.
c 1 Reg. 1. *d* Breviar. Rom. 31. Iulii.
e Lancic. opusc. spir. pag. 281.
f Tursel. l. 6. c. 2. in vita.

g Caussin. de regno Dei. dissert. 40.

§. II.

Qui in adversis animo vultuque sereno luserint, & jocati sint.

INgens animi robur, excelsam mentis indolem ostentarunt, qui ad injurias, tormenta, atque immanes cruciatus, non modò impallescere, contremiscere, concidere, sed ludere, jocari, sales ac facetias spargere, canere, exultare, tripudiare visi sunt.

Invictum animum Catonis collaudat Seneca epist. 104. *eodem*, inquit, *quo repulsus est die in comitio, pila lusit.* An & vobis liberet post repulsam

repulsam in aula, in consilio, in curia, ludere ac jocari? an non cum Amano in furias agi, domum totam perturbare deprehenderemini? Certè Anacharsis se follem aut pilam, quâ tyranno ludum faceret, jactabat: hunc porrò dum Nicocreon Cypri tyrannus in grandi mortario jacentem, pistillo ferreo contundi jussisset; sic inter verbera jocari libuit: *tunde tunde Anacharsi follem; Anacharsum non tundis.* Cumque ei minaretur Nicocreon, linguam quoque imis radicibus evellendam: mox illam Philosophus præmomordit, & in regium os cruentam evomuit. Alacriori animo & veriùs Christianus usurparit: tunde tunde, de corporis exuviis dumtaxat agitur. Hic multùm terris jactatus & alto illud liberiùs jactet: *Deus nos ut pilas habet.* Seleuciensis Antistes quo ex Ethnicorum tenebris faceret lumen splendescere, egregium de legendis gentilium libris parænesim conscripsit, ubi inter cætera commemorat: *a homo quidam in foro Periclem probris omnibus incessebat; is autem minimè curare visus, toto fere die sustinuit. Deinde vesperi jam discedentem cum lumine comitatus est. Rursus quidam Euclidi Megarensi, animo concitatus mortem se juravit illaturum; ille verò contra, se patienter laturum juravit, placatumque & ei quamvis infesto se conciliatum iri. Quamobrem*, inquit, *valde quidem ad nos excitandos refert, ut talia virorum iram cohibentium exempla, nostram habeant memoriam.* Et post pauca subjungit. *Rursus ad exempla laudabilia redeamus: quidam vehementi impetu Socratis faciem cecidit. Hic autem minimè commotus, furentem debacchari, & iram satiare permisit: ex quo eum totum ex plagis tumidum ac contusum reddidit. Ubi verò ille cædendo destitit, nihil aliud Socrates fecisse dicitur, quàm fronti propriæ, veluti statuæ cuidam, Auctoris nomen insculpsisse: ille faciebat.* Nec minùs festivum illud quod Xantippæ uxori, contumacis ac procacis linguæ, objecit: hæc non raro mensam Socratis, ad discipulos disserentis, evertit; jurgiis ac injuriis assiduò hominem infestabat; post graves calumnias cùm nil proficeret, domum conscendit & è fenestra in Socratem vas aquæ effudit; ad quæ placidè Philosophus: *sciebam post tonitru pluviam secuturam.* *b* Idem colapho percussus, id solum reposuit: *molestum esse quod nescirent homines, quando cum galeâ in publicum prodeundum sit.* Ex quibus omnibus merito concludit Basilius Magnus: *c talibus instructus exemplis, hoc arduum patientiæ* (& Christianæ constantiæ) *præceptum servare posse non omninò diffidat.* Etenim si ista ethnici in profundâ nocte gentilitatis, hominem decere viderint, quid Christianum in altâ luce fidei, in gratiæ lumine, quo omnia se Apostolus præstare posse jactabat facere convenit? Quid hac instructi fecerint attendite.

d Richardus Vitus cùm à variis in carcere rabulis hæresi infectis circumfunderetur; ac triobolaris è propina Ministellus vo-

a S. Bas. hom. 24. de legend. lib. gentil.

b Seneca l. 3. de ira. n. 105.
c Basil. cit. *d* P. Rho variæ virtutum hist. l. 7. c. 13. §. 4.

cifera-

ciferaretur ſine fine, uni Petro à Chriſto datas claves, & ſe claves habere; ineptiſſimè furentem, diu toleratum Vitus tandem compeſcuit, ſubridendo dicens: *neque ego negaverim claves tibi concreditas; ſed Petro quidem cœli, tibi vero cellæ vinariæ, ut lingua ſonat, & naſus rubicundus indicat.* Nec minus amœnè in exquiſitis tormentis luſit P. Joannes Benedictus *a* qui cum ferreis è manicis, aculeis intus obarmatis in Anglia (Martyrum palæſtra) crudeli tormento ſublimis penderet, auſus eſt miniſtellus egregiè impudens, eum ad diſputandum provocare. Tum Benedictus leni voce ad carnificem: *age*, inquit, *hominem iſtum ſublimem rape; ut quorum tanta eſt diſputandi mecum libido, diſputantium more paribus ſubſelliis decertemus.*

Sed unus inſtar omnium in hoc genere excelluit Thomas Morus, *b* quem ut Carolus V. Imp. capite minutum audiit: caput univerſi regni cecidiſſe affirmabat. Hic ampliſſimo Cancellarii munere privatus, rectà ad templum perrexit, ubi uxor de more veſperis intererat. quibus peractis non famulum ut ſolebat ſubmiſit, ſed ipſe uxorem convenit dicens: *Dominus Cancellarius abiit, num ſequi* lubet? quæ cùm illum ipſum proferentem audiret, jocum ducebat. At ille rurſus: *Dominus Cancellarius deceſſit, & non eſt hic amplius.* Qua fronte vos è gradu dejecti, officio remoti, comœdia excluſi, ad veſtros reviſitis? ſed pergo: Volſæus Cardinalis totius præſes ſenatus, ubi iniquas ſuas propoſitiones à Moro conſtanter & nervosè refutari indignè tulit: eundem ſoluto conventu, ſic ſarcaſticè perſtrinxit: *utinam More* cum præconem te in nuperis hiſce Comitiis exhibuiſti, ad portas Romanas amandatus fuiſſes. Ad quem placidiſſimè Morus: *Illuſtriſſime Domine & ego illud quàm maximè optaſſem: vidiſſem enim urbem præclaram, de quâ multa audivi nec hactenus* vidi. Atque ut conſimilem per omnia totius vitæ telam deducamus: paulò antequam ad necem raperetur, dum Rex per ſuos urgeret, ut novellas nuptias, poſita tandem pervicacia approbare vellet, ſubjecit: *ſe ſententiam mutaſſe*, ea fama vagatur, Rex attonitus, chirographo dicta firmari jubet; tum ſubridens Morus: *atqui ſcire vos velim me antea ſtatuiſſe barbam raſo mento ponere; ſed modò mutaſſe ſententiam, ut barba eandem cum capite fortunam ſubeat, carnificis ſecuri una deputanda.* Sic tranquillo animo, vel joco, mortis metus detonabat.

Locum ſupplicii conſcenſurus, manum ſibi à quodam porrigi petiit dicens: *juva me ut conſcendam, in deſcenſu nemini moleſtus ero.* Tum orbi ſpectandus carnifici de more veniam poſtulanti oſculum porrexit & Angelotum aureum dedit, addiditque: tu mihi hodie majus beneficium præſtiteris, quàm mortalium quiſquam aut contulit aut conferre poterit. *illud unum indoleo, cervicem tibi tam brevem ac contractam præſcindendam, ut metuam ne poſſis commodè & ſalvo honore tuo expedire.* Ad hæc libet cum Romano philoſopho

a Ibid. noſtra §. 4.
b P. Rho cit. §. 3. Stapleton. in vita.

losopho exclamare: *a & nos vincamus aliquid: simus inter exempla; quare deficimus?* si non in catasta ridere, in equuleo gestire, in rota ludere est animus; at saltem vel puncturam acus, scintillæ adustionem, dentis dolorem, nervi contractionem, podagræ, chiragræ, colicæ mala æquo animo, & si non ridenti, renidenti ore toleremus. *& nos aliquid vincamus: simus inter exempla.*

Moro per omnia similis Joannes Fischerus Episcopus Roffensis *b* ad quem dum Paulus III. A. 1535. in carcere existentem, galerum purpureum misisset, subjecit Henricus: galero Papa ut voluerit Fischerum donet, ego interim effecero brevî, ut caput quo illum gerat, non habeat. quo dicto adeò Roffensis non commotus est, ut è judicio quo de capite ejus actum, in carcerem deductus, gratias egerit stipatoribus, qui sui causa tantùm molestiæ subirent, nec haberet quod donaret. Interim increbuerat stato die Fischerum moriturum, quo dum nihil edulii cocus apparasset, à Roffensi rogatus, ut quid mensam sub tempus prandii non instruxisset? atque is respondisset putare se illum diem Reverendissimo fatalem fore, *jussit in omnem eventum semper cibos pararet: quod si ante prandium mori contingeret, cocum convivam fore. Caterùm scias, inquit, quod cibum pridie mortis tanto appetitu sumpturus sim, quàm si in annum victurus.* Edmundus Walsingamius turri præfectus, acceptis noctu litteris, eum sub quintam matutinam accessit, & quâ poterat dexteritate, Regis mandatum, ut eo die moreretur, ipsi aperuit: Roffensis læto animo gratias agens, quæsivit qua hora executio fieri deberet, cumque is respondisset, ad nonam moriendum esse: *sinat igitur,* inquit, *cùm non sit nisi quinta, & hâc nocte non bene dormiverim, adhuc unam alteramve horam conquiescere.* Atque ut Petro ad supplicium producendo, in carcere altum dormienti similem scires, per duas horas securè somnum cœpit, tum famulo ad se accito, exutus cilicio, optimis vestibus indui voluit: quia hic dies, inquit, mihi nuptialis est. atque ubi sorbitiunculam ante mortem sumpsisset, arrepto novi testamenti codice, ad locum supplicii perrexit: quo dum pervenit, baculum abjecit, dicens: *jam reliquum itineris pedes conficiam.* In fatali pegmate ut stetit, oculis in cœlum sublatis, librum aperiens, in illud Joannis 17. incidit: *hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi.* his lectis codicem clausit, atque ut omnibus manifestum foret, quàm læto ac exultabundo animo mortem oppeteret, in genua provolutus, festivum illum Ecclesiæ cantum *Te Deum laudamus* pronuntiavit.

Horum cuique congruit propheticum oraculum: *c dedit carmina in nocte.* nam ut rectè Gregorius: *d carmen in nocte, est lætitia in tribulatione.*

Marcus & Marcellianus fratres, gente Romani, religione Christiani, à Duce Fabiano gran-

a Seneca ep. 98. *b* In vita.

c Iob 35. *d* Greg. l. 26. mor. c. 12.

dibus clavis ad ſtipitem ſunt affixi. *a* Hos inter tormenta judex allocutus, reſipiſcite miſeri ajebat, & voſmet his cruciatibus ſubducite; ad quem illi conſtantiſſimè reſponderunt: *hoc qualecumque ſupplicium, nobis eſt lautiſſimum convivium, jucundius numquam epulati ſumus*; nunc in amore Domini Jeſu fixi eſſe cœpimus. Diem unum noctemque in tormentis perdurârunt, & *veluti non in cruce, ſed in odeo eſſent, hilares cantarunt.* demum jaculis confixi, ſagitta ocyus in cœlum evolarunt. in ſupplicio generoſi pugiles quaſi in lautiſſimo convivio ſuaviſſimè modulati ſunt. Tiburtius ardentes prunas ut roſas calcavit: *b* Agnes tredecennis virguncula ad ſupplicii locum, velut nupta ad thalamum, læta ſucceſſu, gradu feſtina & ſaltabunda proceſſit. quod dum è cella ſua, ſacroque ſilentio contemplatur Bernardus, mellis favos ex leonum rictibus legendos proponit: *ſtat*, inquit, *c Martyr tripudians ac triumphans, toto licet lacero corpore. nec facit hoc ſtupor ſed amor.* ut carnifici & ipſi morti inſultet.

Horum nos animos æmulemur, illorum nobis immotæ mentis ac vultus conſtantiam ardenter efflagitemus, eorum in adverſis lætitiam & exultationem depoſcamus, ut & à nobis audiatur: *d carmen in nocte, id eſt, lætitia, in tribulatione.* lætitia in quavis corporis infirmitate. lætitia in fortunarum, amicorum, liberorum jactura. lætitia in quâvis animi afflictione & preſſura. Sirenes huc nos cantu ſuo invitant, quæ, ut Ludovicus Vives *e* obſervat, tempeſtatibus jactatæ ſuaviter canere, & inter immanes fluctus, dulces voces reſonare; contra verò lamentari cœlo ſereno, ac conqueri mari quieto conſuevêre; quod auræ viciſſitudinem, ac imminentes turbines ſoleant præſagire. Haud aliter dum hîc rerum mundanarum fluctibus jactamur, laudes Deo concinamus, & portum æternæ beatitatis proſpiciamus. Laudem haud dubiè nobili genere natus adoleſcens ille meruit, *f* cui dum putridum crus amputandum & candenti ferro adurendum eſſet, noluit ligari; ſed ſerena fronte teſtudinem ſuam poſtulavit. atque ita fides tetigit, & dexterè modulatus eſt, ut ne minimum falſum tonum ediderit. Hunc certè innumeri glorioſi Chriſti pugiles imitati ſunt, qui in cataſtâ, in equuleo, in rotâ, in rogo ſuaviſſimè modulati ſunt, de quibus Tertullianus: *nil crus ſentit in nervo, dum animus in cœlo eſt.*

a Drexel. to: 1. pag. 808.
b Breviar. Rom. 21. Aug. Ambr. l. 1. de Virg.
c Bern. ſerm. 61. in cant.

d Iob 35.
e Lud. Vives l. 12. de civit. Dei c. 26.
f l' Ancre inconſtance du monde.

EMBLE-

EMBLEMA XVII.

Ingreßi habitant ibi. Luc. 11.



ASSVESCERE MVLTVM EST. a

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

Tartarei hoſtes, infeſti hoſpites, ubi ſemel animum occupârunt, jamque *ingreßi habitant ibi*, difficulter ſtatione cedunt: ita vitia ubi per actus frequentatos in conſuetudinem abiêre, & quaſi ſedem fixêre, non facilè deturbantur.

§. I. *Quid Conſuetudo, & quomodo acquiratur.*
§. II. *Conſuetudo altera natura, quàm difficulter exuitur.*
§. III. *Conſuetudo non imminuit peccatum.*
§. IV. *Remedia extirpandi pravos habitus, & conſuetudinem peccandi.*

a Virg. 2 Georg.

DOMI-

DOMINICA TERTIA QUADRAGESIMÆ.

Ingreßi habitant ibi. Luc. 11.

MYSTERIO non caruit, quod referente S. Marco, accepimus, Energumenum cum à discipulis curari non posset, ad Christum adductum fuisse: *a & statim spiritus conturbavit illum, & elisus in terram volutabatur spumans, & interrogavit patrem ejus, quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait, ab infantia. Iesus verò comminatus est spiritui immundo, dicens illi: surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & factus est quasi mortuus &c. posteà discipuli ejus secreto interrogabant eum, quare nos non potuimus ejicere eum?* caussam nostis? *b* quia *ab infantia ei hoc accidit.* hoc dæmonium, quod tamdiu illic habitavit, difficulter expellitur. hinc apposite Chrysostomus, non dubitavit hunc tartareum hospitem conferre feræ, quæ uno in loco multum temporis commòrata est. quemadmodum in canibus fieri quotidiana experientia comprobavit, qui ubi ædes quasdam sæpius frequentarunt, & diutiùs incoluerunt, per sylvas & flumina, in exteras urbes, facilè 20. dissitas leucis exportati, aut abducti, ad herum & ædes antiquas postliminio revertuntur. id ipsum in præfixo symbolo videre est, palumbes aut columbas, illud ubi exclusæ primum ovo, ubi pipire, plumescere & evolare, aut etiam quæ aliunde pellectæ, sensim avolando & revolando, consuescere cœperunt, columbare repetere, *c solitosque revisere nidos*; adeò ut certo experimento compertum sit, columbam Antverpiâ Lovanium exportatam, & urbem, & lares, & socias, & columbare recto itinere repetiisse, usque adeò *d assuescere multum est.* Hoc enimverò in anima efficere solet consuetudo peccandi, in quam dum toties tartareæ harpyjæ advolant, quoties lethali noxâ eis aditus patescit, fit ut tandem inveterato jam habitu, illic sedes figant, & consuetudine longa, jam ut domesticæ ac familiares *habitent ibi.*

a Marci 9. *b* V. Busæi panarium tit. consuetudo.

c Virg. lib. 1. Georg. *d* 2. Georg.

§ I.

Quid consuetudo, & quomodo acquiratur.

CONsuetudo seu habitus, est qualitas reddens facilitatem operandi: qui habitus per actus frequentatos acquiritur: *virtutes*, inquit Bernardus, *e non natura sed usus facit, fitque,* ut ait Aristoteles, *f sicut ædificando ædificatores, cytharizando cytharædi efficiuntur, ita quoque justa agendo justi, temperantia temperantes, fortia fortes evadimus.* quò spectat illud Senecæ: *g non dat natura virtutem; ars est, bonum fieri; virtus non contingit animo, nisi instituto & edocto, & ad summum assidua*

e Bernard l. de consid. cap. 11.
f Arist. 2. ethic.
g Seneca ep. 90.

exercitatione perducto omnis habitus & facultas ait Epictetus, assiduis actionibus conservatur & crescit. Ita per frequentes actus, & acquiruntur & conservantur artes omnes, legendi, scribendi, pingendi, canendi, imò & loquendi: infantes enim nutrices aut matres fari docent, easdem voces identidem inculcando, eo fructu ut postea eis difficilius sit tacere quâm loqui. Nostro ævo ille Indiæ terror Mogor, *a* curiositate ductus, quâ linguâ homo uteretur à nemine edoctus, in loca inaccessa pueros abdidit, ut exspectaret crescentem loquentiam; sed tandem non Cicerones, & Demosthenes, aut si mavis balbutientes Rabinulos, sed mutos pisces deprehendit. Habitus omnes, qui ab actibus, & frequenti assuetudine relicti, artes pepererunt. Scitè Chrysostom. *b videns, quis non admiretur, gladios alternatim in aërem jaculantes, & omnes rursus per manubrium capientes? vel quid de illis quispiam dicet viris, qui trabem in fronte gestantes, velut arborem in terrâ radicatam, sic immotam conservant? alter rursus supra funem angustissimum, cum tanta ambulat securitate, quasi in campo decurreret &c. hæc quæ cogitatu impossibilia esse videntur, facta sunt arte possibilia.* Quin & ipsa bruta longo usu, & assuetudine, humanas voces, & artes imitantur: ex quo, inquit, Pierius *c* credere possumus simiam olim latrunculis ludere didicisse. Picas, corvos, psittacos, aliasque vocales aves, humanas voces edoctas, pluribus testatur Nierenbergius in historiâ naturæ. *d* Stupendum magis bovem eloquentem reperiri, ut C. Voluminius, & Servius Sulpitius Consules notarunt. alium fuisse, qui totum symbolum Apostolorum articulatè recitabat. Hæc qui prodigio adscribere voluerit, audiat non minùs portentosa, & ab usu & exercitatione profecta: Ælianus oculatus testis ait: *e vidi ego ipse elephantem, in tabula litteras Romanas promuscide scribentem rectè.* Addit Plinius non mendax, quendam Græcas literas pingere didicisse, eaque linguâ scripsisse: *ipse ego hæc scripsi, & spolia Celtica dicavi.* Quantum verò vel in pueris imbuendis, disciplina & exercitatio conferat, ex ipsis elephantis pergo demonstrare: Romæ Germanicus ludos dedit Tiberio: *f* duodecim Elephanti theatrum inducti sunt, histrionias vestes induti. ac primum ad vocem Magistri dividebantur in diversas circi partes, inter eundum saltatorio gressu inundantes, iterumque ad ejusdem vocem accedebant; flores spargebant, & corollas: ad cantum, terram pedibus numerosè pulsabant, & omnia præstabant, quæ peritissimi ludorum. tum docti mensæ accumbere, potum cibumque sumere, humanum in morem; lecti erant humiliter instrati purpurâ, & auleis; mensæ vario & dapsili ferculo instructæ, pane, carne, fructibus: pocula aurea, argentea. ecce ingressi duodecim elephantes, sex mares, totidem fœminæ; illi togati, hæ stola-

a Drexel. Phaëton. de vitiis linguæ cap. 31. §. 1.
b Chrysost. ho. 19. ad pop. Antioch.
c Pierius lib. 6. hierog. cap. 6.
d Nierenb. hist. nat. l. 3. cap. 20.
e Nierenb. cit. l. 3. cap. 13. *f* Idem. c. 13.

ſtolatæ, decorè & verecundè in lectis ſe reclinant, accumbunt: tum ſigno dato, in menſam promuſcides pro manibus extendunt, ſummâ modeſtiâ cibos capiunt, delibant. non voracitas ulla in iis, non aviditas; cùm bibendum, pateram pueri porrigebant, quam promuſcide genialiter hauriebant, & reliquiis vini circumſtantes aſpergebant, velut cottabum facientes. ita immanes & informes belluas, rectè agendi habitus, longa aſſuetudine, conſecutas eventus oſtendit. Denique ut aliquando à brutis ad homines tranſeamus: nugas putabat Roma, quæ de elephantis jactabantur, donec tandem credidit, & vidit majora relatis. *a vidit beſtiam & choraulem & funambulam.*

Quare ut bruta & homines artes, ita ab his vitia & virtutes acquiruntur, quæ per frequentiores actus, ſui tenacem habitum, & conſuetudinem relinquunt, potiſſimùm ſi à teneris exerceantur, juxta illud Poëtæ:

b Ars fit, ubi à teneris crimen
condiſcitur annis.

quod confirmat Hieronymus epiſt. 7. ad Lætam, de inſtitutione filiæ: *c Proverbium eſt, adoleſcens juxta viam ſuam ambulans, etiam cum ſenuerit, non recedet ab eâ: difficulter enim eraditur, quod rudes anni perbiberunt.* & mox addit: *Græca narrat hiſtoria, Alexandrum in moribus, & in inceſſu, Leonidis pædagogi ſui non potuiſſe carere vitiis, quibus adhuc parvulus fuit imbutus.* ita fit:

a V. Nierenb. l. 1. cap. 16.
b Ovid. de arte.
c Prov. 22.

d Quo ſemel eſt imbuta recens
ſervabit odorem teſta diu.

vel ut alius: *quod nova teſta capit, inveterata ſapit.* Complures certè reperire eſt, qui aſſueti mendaciis, iuramentis, turpiloquio, ebrietati, libidini, ſi rogentur quantum temporis, ex quo eis hoc accidit? audiemus *ab infantia.* quid mirum eſt, confeſſarios, concionatores, moderatores, viros Apoſtolicos non poſſe hanc conſuetudinem tollere, opus eſſe potentia altiori. *e adeò à teneris aſſueſcere multum eſt.* hoc parentes monitos voluit S. Baſilius: *f difficile eſt, patriæ linguam, quam ab infantiâ addiſcimus, oblivioni mandare, aliamque de novo perdiſcere.* accentum ſuum Galli, Germani, Itali ſervant. A teneris itaque invigilandum, ne prava illa conſuetudo contrahatur: non ſinantur impunè mentiri, jurare, laſciva verba proferre, nam ut rectè Seneca epiſt. 28. *deſinit eſſe remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt,* qui quaſi innati, & ingeniti videantur. De Mithridate Rege Ponti, ait Plinius: *g* uni ei excogitatum quotidie venenum bibere, ut conſuetudine ipſa innoxium fieret, unde dum captus ſe veneno interficere vellet, nequivit, quod omne in naturam abiiſſet venenum, unde Martialis: *h*

Profecit poto Mithridates ſæpe
veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere
ſibi.

d Horat. e 2. Georg.
f S. Baſil. in Reg. diſp. 6.
g Plin. l. 25. c. 2. h Lib. v. epig. 77.

Con-

§. II.

Consuetudo altera natura, quam difficulter quis exuit.

HOc magni Augustini pronuntiatum est: *a consuetudo quasi secunda, & quasi affabricata natura dicitur.* Edocuit hoc eventus prorsus singularis: *b* venatoribus quondam præda fuit puer triennis, qui sylvis expositus inter lupos enutritus, eorum mores totus imbuerat, & prope in feram, manibus ac pedibus reptans degenerarat, lupis convivebat, eorumque prædis victitabat. Hic ut in manus Anglorum, illic prædas sectantium devenit, Henrico Principi Hassiæ dono datus est, qui fulcris ac variis adminiculis puerum stipare, rectà incedere, humanos mores imbui curabat; sed irrito omnino conatu, *c jam morem fecerat usus.* natura deorsum nitente, rumpebat vincula, nec ferinos mores ulla industria ponere valuit, quod ad animum solerter transtulit Gregorius: *d usitata culpa,* ait, *obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur & labitur, quia ubi spontè diu perstitit, ibi & cùm noluerit coacta cadit.* Hanc depressionem, & inveteratam vitiorum consuetudinem, in Manasse Rege captivo velut in typo videre est: qui exire cupiens è carcere, ac faciem in cœlum attollere: incurvatus sum, inquit, multo vinculo ferreo, & non est respiratio mihi. In se hoc ipsum expertus, & malo suo edoctus, queritur Augustinus: *e ligatus eram non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa, facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi annulis quibusdam sibimet innexis, tenebat me obstrictum dura servitus.* Quæ quàm potenter, eum etiam jam ruptis vinculis liberum, in lapsum velut proclivem impellebat, infrà subjungit: *f plusque valebat in me deterius inolitum, quàm melius insolitum.* congruam huic rei similitudinem adducit Plutarchus in moralibus: *qui diu in vinculis fuerunt, cùm ex illis solvuntur, tamen claudicant adhuc, nec gradi possunt; ita diu vitiis assueti, etiam cum ea deserunt, quadam eorum retinent vestigia.* Velint, nolint, jam sibi quasi impossibile ducunt, rectà incedere. Quam quasi moralem labendi ac peccandi necessitatem, propheta indicat dicens: *g si mutare potest Æthiops pellem suam, aut Pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Quod vel ethnicus citra lucem fidei vidit; exstat enim illud Diogenis Cynici responsum, qui dum improbum inveteratæ consuetudinis hominem admoneret, rogatus quid ageret? *Æthiopem* inquit, *lavo.* Addiditque: *senem admonere, & mortuo mederi idem esse.* Quid dico mortuo mederi, imò elatum, sepultum, putens ac fœtidum cadaver, in lu-

a Aug. lib. 6. de music.
b Caussin. Court S. tom. 1. motif. 8. Mariana de rege instit.
c Ovid. lib. 2. metam.
d S. Greg. hom. 31. in Euang.

e Aug. lib. 8. confess. cap. 5.
f Aug. l. 8. conf. c. 11. *g* Ierem. 13.

cem

cem ac vitam revocare censendus est, qui è vitiorum cœno, & gravi peccandi consuetudine oppressum, ad frugem & meliorem vivendi methodum reduxerit. Hoc olim curiosè observavit Hipponensis Antistes: *a tres tantùm mortuos invenimus à Christo resuscitatos visibiliter; quot autem suscitaverit, quis novit? Sed tres non frustra commemorati.* Filia in domo, adolescens extra portas, Lazarus quatriduo sepultus. Puella facillimè, solo nutu, porrigendo manum; adolescens ad solam vocem Domini: *adolescens tibi dico surge.* Sed Lazarus summo molimine. Lachrymatus est Jesus, infremuit, venit ad monumentum, jubet lapidem amoveri, orat patrem, clamat voce magna. Mysterium nostis? timemur & miremur: *b ista tria genera mortuorum, sunt tria genera peccatorum.* Filia Archisynagogi in domo jacens mortua, eos designat, qui cogitatione ac nudo consensu in corde peccant. Adolescens elatus extra portas, eos qui ad opus externum processere. Lazarus quatriduanus in monumento, qui in prava consuetudine computruerunt: *sunt*, inquit idem doctor, *intus, qui peccatum in corde habent, in facto non habent: dicit enim Dominus, jam mœchatus est eam in corde suo. alii post consensum eunt in factum, tamquam efferentes mortuum, ut quod latebat in secreto, appareat in publico*, at verò alii, *consuetudine maligna pressi, tamquam sepulti, & ita sepulti, ut de Lazaro dictum est, jam putet.* Idem confirmat Magnus Gregorius: *c redemptor noster puellam in domo, juvenem extra portam, in sepulchro Lazarum suscitavit, adhuc quippe, quasi mortuus jacet in domo, qui latet in peccato, jam quasi extra portam educitur, cujus iniquitas usque ad inverecundiam publicæ perpetrationis aperitur, sepulturæ verò aggere premitur, qui in perpetratione nequitiæ, etiam usu* consuetudinis *pressus gravatur.* existimem vos nunc assequi, quî fiat, ut puella tam facili negotio, Lazarus tanto molimine suscitetur, causam petit B. Pet. Chrysologus, ex illis verbis: *d filia mea* modò *defuncta est.* Modò, jam statim. *e Hoc est dicere, adhuc vitæ manet calor, adhuc animæ vestigia videntur, adhuc est in via spiritus.* Uti candela aut fax, adhuc fumans & calens, facilè reaccenditur. At ii, qui consuetudini pravæ diutiùs adhæserunt, velut lapide molari pressi, ac sepulti sunt: *f moles illa imposita sepulchro, ipsa est vis dura consuetudinis, quâ premitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur: dictum est autem quatriduanus est: revera ad istam consuetudinem, quarto quodam progressu pervenit anima, prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consentio, tertia factum, quarta consuetudo, factum in consuetudinem vertitur, & fit quadam desperatio, ut dicatur quatriduanus jam putet.* Quatriduanus certè mortuus erat, & fœtebat, de quo Erithræus commemorat: *g* Audivi ipsemet, inquit, etiam tum juvenis in æde D. Augustini concionatorem ex

a Aug. serm. 44. de verbis Dom.
b Aug. cit.

c Greg. l. 4. mor. c. 25. *d* Matth. 9.
e Chrysolog. serm. 34.
f Aug. suprà cit.
g Ioan. Erithræi exemplo §. 53.

eâdem familiâ virum doctum ac pium, qui de loco superiore narrabat, se paucis diebus antè, celebri quadam urbis viâ euntem, de fenestrâ cujusdam domus magnoperè fuisse evocatum, rogatumque ut ascenderet, ut morienti cuidam, extremo illo tempore ad salutem animæ, opem afferret; accurrisse eum subitò, invenisseque virum in lecto cubantem, cui graviter ægrotanti mulier aderat concubina, & egregiam omnibus in rebus operam navabat. Nec mora, ejus confessionem excepisse, & cum comperisset, quid ea ad illum mulier attineret, longa consuetudine ei adhæsisse: admonuisse eum graviter, atque etiam pro potestate, quâ pollebat, præcepisse eidem, ut, si salvus esse vellet, illam mulierem è vestigio, domo exturbaret; sed respondisse eum ajebat, se numquam commissurum, ut mulieri optimè de se meritæ, eam gratiam referret, præsertim ut cùm maximè ejus opera indigeret. Quo audito, petiisse ajebat, ut saltem conceptis verbis juraret, simul ac convaluisset, se nuntium remissurum mulieri, nec quidquam sibi amplius rei, cum illâ futurum. Ad hæc respondisse illum, se nihil posse in præsentia promittere; verùm ubi amissam valetudinem recuperasset, de ea re serio deliberaturum, illudque consilium capturum, quod magis in rem suam esse videretur. Tum verò ipsum, desperata hominis salute, tristem abiisse; sed statim revocatum hilarem rediisse summa spe, quòd Deus meliorem mentem homini injecisset. At frustrà, nam sine mente ac sensu, exhalantem animam offendit, cui mulier illa cereum prælucebat, ut properanti ad æterna supplicia melius viam inveniret. Ex quo altera nec sanè levis controversia oritur, si ut Chrysostomus ait, *a magna est consuetudinis tyrannis, adeoque magna, ut perinde cogat ac natura.* Si, ut Augustinus loquitur, *b consuetudo* quædam *necessitas sit*, quæ liberum si non omnino tollere, certè imminuere perhibetur; quibusdam per consequens, peccata ex consuetudine commissa, aut nulla aut minora fortè videbuntur; Quod ut pleniùs ac planiùs intelligatur, paucis expono.

a Chrysost. in cap. 4. ep. 2. ad cor.
b Aug. lib. 8. Conf. cap. 5.

§. III.

Consuetudo non imminuit peccatum.

IN scholis receptum est, quòd peccatum ex consuetudine sit minùs liberum, & sæpè sæpiùs fiat ex habitu inadvertenter; non tamen sequitur: minuitur liberum simpliciter: ergo minuitur peccatum; sed tunc rectè consequitur, quando minuitur ex aliquo quod non est liberum, seu minus liberum, ut est passio vehemens antecedens, concupiscentia &c. Quando autem minuitur liberum ex supposito libero, non minuitur peccatum, nec actus virtutis: quia sic absolutè liberum manet in causâ. Hinc si quis in se liberè concupiscentiam excitet, ex quâ in novum peccatum prolabatur, illud non erit ideo minùs peccatum, quia in se minùs liberum ob concupiscen-

piſcentiam ; ſed potius magis peccatum : quia ſe liberè ponit in eo ſtatu, unde ſe voluntas difficulter poteſt avocare à peccatis : ſicut qui domi aleret ſcortum, aut eum qui ad vindictam, duellum aliudve flagitium continuò incitaret. Et hæc ratio valet in hominibus ſceleratis & injuſtis,ex habitu operantibus : quia in utriſque actus, ex quibus gignuntur habitus, ſunt perfectè liberi : & ſic conſuetudo malè vel bene agendi non minuit peccatum aut meritum. Aliàs viri Religioſi,longo rerum uſu aſſueti vigiliis nocturnis, ciliciis, aliiſque auſteritatibus, ac functionibus religioſis, minus apud Deum meriti conſequerentur : flagitioſi verò longâ peccandi conſuetudine, minus peccarent: quod æquè abſurdum eſſe videtur, ac ſi fur ſe apud judicem excuſet : Domine à puero furtis aſſuevi, ac eò tandem deventum eſt, ut manus cohibere non queam, nec ſi velim, poſſim. An is leviùs peccaſſe? an ut inſons dimittendus? Hoc argumentum Chryſoſtomus expendit : *a Cur*, inquit, *non prætendit fur conſuetudinem, & à ſupplicio liberatur?* Cur uſurarius non prætendit conſuetudinem, & à reſtitutione eximitur? cur meretrix, cur ſenes inveterati dierum malorum non prætendunt conſuetudinem, & innoxii declarantur? cur blaſphemus non prætendit conſuetudinem, & nullius ſceleris, aut ſupplicii reus habetur? Ejuſmodi conſuetudinem perfidi Judæi adferre potuiſſent longo peccandi uſu, ſcelus ex habitu perpetrantes, quod neſciebant: tales verò à graviori noxâ immunes non fuiſſe, declarat illa Chriſti è cruce pendentis oratio; *b Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Si neſciunt,quomodo peccare,quomodo veniâ egere dicuntur? Rectè Arnoldus Carnotenſis : *c Uſque adeò in hoc malo voluntarii, ut voluntas conſuetudinem, conſuetudo faceret neceſſitatem, neceſſitas verò ad illam vecordiam erumperet, ut neſcirent, quid facerent.* Et hoc malum tam grande, hanc ignorantiam ex conſuetudine ortam,petit illis remitti.Quò ſpectat illud Emiſſeni: *Habet hoc infelix conſuetudo peccandi, ut quantò ampliùs quiſque peccaverit, tantò minùs ſe peccaſſe intelligat.* Quid? quod peccatum ex conſuetudine, etſi minùs liberum, ex aliis capitibus gravius cenſeri poteſt, quàm citra illam commiſſum.

Primò quod peccator ſeipſum liberè ſtatuerit in eâ conſuetudine; nec hactenus, quòd illi liberum, retractârit.

Secundò illam conſuetudinem illo ipſo actu augeri.

Tertiò illam ſæpè eſſe directè, vel indirectè volitam.

Quartò conſideranda indignitas operantis, & in juſto dignitas. Sic gratia excitans minuit meritum ratione liberi,ſed auget ratione intenſioris actus, diuturnioris, dignitatis perſonæ, &c.

Quintò hinc deducitur ex duobus æquè indignis, quorum unus peccat ex gravi tentatione omnino liberè ; alter ex habitu, graviùs peccare eum, qui ex ha-

a Chryſ. ho. 22. ad pop. Ant. de ſimultate ſive irâ.

b Luc. 23. *c* V. Gilber. in Pſal. 1. p. 227. & 236.

bitu delinquit, licet minùs liberè: sicut is, qui domi aleret, qui ad scelus incitaret, ut suprà dictum est. Ad illam verò objectionem: non est ita liberum: ergo nec voluntarium, respondent Theologi: formaliter concedo, fundamentaliter & radicaliter in causâ nego. Et hæc Angelici Doctoris sententia est; qui morbum consuetudinis gravissimum ducit: a *Passio*(inquit) *quæ inclinat hominem ad peccandum, citò transit, & sic homo citò redit ad bonum propositum, pœnitens de peccato; sed habitus, quo homo ex malitia peccat, est qualitas permanens, & ideo qui ex malitia peccat, diuturniùs peccat. Vnde Aristoteles in 7. Ethic. comparat intemperatum qui peccat ex malitia* (ex consuetudine non ex passione) *infirmo, qui continuò laborat; incontinentem autem, qui peccat ex passione, ei qui laborat interpolatè* At quantùm hic, præ illo gravior morbus & periculosior sit febris continua, præ intermissa quis non videat? Atque ideo tam sedulò Ecclesiasticus monet: b *Iurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa.* In quos, ut indies videre est, toties labuntur linguâ, quot proferunt juramenta. Obtestatur Apostolus: c *Ante omnia autem fratres mei, nolite jurare.* In quæ verba Augustinus: d *Ante omnia, ait Apostolus, ut attendatis præ cæteris, ut vigiletis ne subrepat vobis consuetudo jurandi: considera enim te jurare per Deum, per Christum, occido illum. Et hæc quoties per diem, per horam?*

a S. Tho. 1. 2. q. 78. a 4. in Corp.
b Eccl. 23. c Iacob. 5.
d Aug. serm. 28. de verb. Apost.

Minimè tamen desperandum; nam ut rectè Tullius in Catilinam: *Multos vidimus & audivimus, cùm totam adolescentiam voluptatibus dedissent, se ad frugem bonam recepisse, hominesque graves fuisse* Quid Themistocle in adolescentiâ nequius? sic ut à patre velut spurius exhæredatus, mater verò filii collo laqueum injecerit, ut nequitiam unà cum vitâ finiret? Idem tamen sic se vicit, ut patriam servarit; ita rempublicam rexit, ut de illo tamquam viro incomparabili, apud Ciceronem scriptum exstet: *Quis clarior in Græcia Themistocle?* Talis Scipio, talis Sylla exstitit. Tales sacræ paginæ commemorant Zachæum, Matthæum, Magdalenam, Pelagiam, Guilielmum, aliosque innumeros extitisse.

§. IV.

Remedia extirpandi pravos habitus, & consuetudinem peccandi.

PRimum remedium momenti maximi à Doctoribus proponitur, consuetudinis retractatio ac detestatio. Ex quâ fructus existit singularis: eo ipso enim, quo eam peccator retractat, minuitur peccatum; quia per aversionem talem libertas prævia moraliter destructa est: & habet se tunc sicut inclinatio naturæ seu passio, supposito involuntario, ut disertè Suarez: e *Consuetudo si fiat involuntaria, per actum contrarium efficacem, quantum est ex parte hominis, quem pœnitet de habitu, & pro-*

e Suar. de voluntario disp. 3. sect. 3. n. 16.

ponit

ponit quantum est in se eum tollere: tunc consuetudo & habitus minuit liberum ac culpam. Quæ Divi Thomæ doctrina est 1. 2. q. 78. *De peccato ex consuetudine, quod intelligendum est, quamdiu ipsa consuetudo voluntaria est: nam si pœniteat aliquem præteritæ consuetudinis: & jam quod in se est faciat, peccatum ex illâ consuetudine ortum, ex passione judicandum erit, & idem ferè quando consuetudo ex passione sumpsit originem.* Ideo quemadmodum ex passione & actibus frequentatis consuetudo sumpsit originem; ita sensim resecanda est. *a* Eam quidem vincere dura pugna, vicisse maxima victoria. Modum ad eam consequendam Bernardus hunc excogitavit. In Franciæ finibus nobilem offendit, luxuriæ cœno adeò immersum, ut nullo non die se fœdè coinquinaret. Ex quo nequidquam severa commonitione extrahere eum satagebat. Alter interim asserente sibi impossibile ab iis sordibus abstinere: *quæso*, inquiebat Bernardus, *saltem aliquales cum Deo inducias facito, ut minus ad triduum.* Annuit ille, & ecce triduo expleto. *Nunc in Deiparæ honorem*, inquit vir sanctus, *tantundem præsta.* paret. Tum tertiò Bernardus: *Semel adhuc has inducias posco in honorem omnium Sanctorum:* & ille rursus eas paciscitur: donec sponte Bernardo se insinuans, diceret: *Nolo ampliùs diurnas; sed perennes cum Deo inire inducias.* Tantum prodest inveteratam peccandi consuetudinem, contrariâ assuetudine eradicare.

Secundum remedium: horror supplicii æterni frænum injiciat: quod apto exemplo Oratoris Romani, Chrysostomus proponit, dum ait: *b Quæ verò nobis erit excusatio, etsi millies consuetudinem objiciamus? dicitur quòd quidam externorum oratorum præ quadam stulta consuetudine, dexterum eundo humerum continuo movebat; sed tamen consuetudinem vicit, & gladios acutos utrimque humeris apposuit, ut vulneris timore, membrum ineptè se movens corrigeret. Hoc & tu linguæ facias, & ipsi pro gladio divinæ pœnæ timorem impone, & omnino superabis: Impossibile enim, impossibile, inquam, est, meditantes & studentes, & opus hoc facientes, umquam superari.* Ebriosus metu veneni à potu temperat. Scortator metu pestis, aut luis venereæ, à scorto & prostibulo cavet. Vos verò mors æterna, tormenta inaudita, ignis ille inexstinguibilis, à scelere revocare non poterit? experto credite, non alio usus fræno Augustinus, qui ita peccatis assueverat, ut de se fateatur: *c reformidabam quasi mortem, consuetudinis mutationem.* Ac tandem subjungit: *d Quàm suave mihi subitò factum est, à suavitatibus nugarum abstinere, & quas dimittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat;* & luculentiùs sermone 28. de verbis Apostoli, sic ait: *juravimus & nos passim, habuimus istam teterrimam consuetudinem & mortiferam, dico charitati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum sit in perjurio vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore fræ-*

a Beyerlinc. apoph. Chr. tit Consuetudo.

b Chrys. ho. 7. ad pop. Ant.
c Aug. lib. 6. Conf. cap. 7.
d L. 8. Conf. cap. 11.

navimus. Quantum verò isto timore profecerit, quàm potenter frænarit, & nos superare docuerit, habes serm. 10. de Decollat. Joannis Bapt. *scio* inquit *grave esse consuetudini vestræ, sed & grave fuit consuetudini nostræ: timendo Deum, abstulimus jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus, quis nos audivit aliquando jurantes? numquid non consueveram quotidie jurare? nihil mihi facilius est quàm non jurare. Hoc ideo admonui charitatem vestram, ne dicatis quis potest?* Demosthenes balbutiem superavit, *a* & *gentilium blæsi aliqui, quarundam syllabarum non bene exprimentes sonum, offendentem sæpe linguam longâ meditatione limarunt.* Numquid consuetudo est se lavandi, & grave incommodum omni aqua abstinere? etenim

b ——— *usus communis aquarum*

est; tamen *civitatis balnea Rex obstruxit, c & lavari jussit neminem, & legem transgredi: ausus nemo aut factum incusare, aut consuetudinem prætendere. Viri, mulieres, senes, pueri, infirmi, &c. Velint nolint, mandatum hoc sufferunt, quia majora exspectabant mala.* Tum ad populum Antiochenum conversus: *Vides quod ubi est timor, facilè solvitur consuetudo, etiamsi valde diuturna sit & necessaria. Atque non lavari grave, non jurare valde facile, & nullum adfert nocumentum. Quomodo igitur non absurdum, Rege jubente vel difficillima sustinere, Deo verò statuente id quod neque grave sit, neque difficile, contemnere & deridere, & consuetudinem prætendere, ne in tantùm salutem nostram contemnamus, sed timeamus Deum, sicut hominem timemus.* Conducet ad hoc recolere gravissimas pœnas; quas vindex Deus etiam hîc in terris, de perjuris ac temerè jurantibus sumpsit; quas ne longior sim; vide accuratè apud Drexelium de vitiis linguæ, cap. 28. §. 4. 5. &c. tom. 1.

Tertium Remedium, merces proposita. Ubi unum, idque rarum juxta ac præclarum exemplum adduxisse sufficiat. Miles ante urbem Ostendanam, ita perjuriis ac blasphemiis assuêrat, *d* ut ad singula verba unum diabolum infarciret. Sæpe monitus, respondit adeò jam consuetudinem inveteratam, ut si videret tartarum præ oculis apertum, desistere nequiret. Ad extremam penuriam & famem redactus, petiit eleemosynam ab uno è patribus nostris castrensibus, qui solitus stipem pro militibus erogare. Sed dum Pater illi eleemosynam denegaret, dicens hominem adeò perjurum ac blasphemum, à Deo & hominibus destituendum. Respondit miles, se dolere de pravo illo habitu, jam ita inveterato, ut exuere nullo pacto posset. Quod ut manifestò falsum esse, & resipiscere à sola ejus voluntate pendere, sacerdos comprobaret, ingentem nummum aureum illi exhibuit, adpromittens se eum illi dono daturum, si per horam se sequatur, castra ac militum stationes lustrando, citra ullum juramentum:

a Chrysost. in cap. 5. Matth.
b Ovid. 6. Met.
c Chrys. ho. 14. ad pop.

d P. Pennequin amour div. p. 3. cap. 17. § 3.

tum: acceptat conditionem. Dum per transennam à sociis variè impetitur, irritatur, lacessitur. Sacerdos præit, aureum illi ad hos insultus ostentans: lacessitus silet, linguam dentibus premit, obmutescit. Res miras solus conspectus & spes aurei, tantum in barbaro milite valuit, ut consuetudinem omninò superarit. Hoc pacto Scribanius cum auriga convenerat, duplum persolveret, si citra juramentum se deveheret. Ita quos cœlestis aulæ divitiæ non movent, terrena substantia quandoque induceret. Hac praxi parentes etiam indulgentiores, liberos mentiri, jurare, lascivos sermones proferre dedoceant, nummo promisso si intra hebdomadam, intra mensem ne semel impegerint; alios quoque somnolentos ac pigros, ejusmodi pretio excitare poterunt.

Quartum Remedium sibi mulctam, aut pœnam imponere. Quoties deliqueris jube famulum, aut uxorem commonere: & toties assem unum aut alterum pauperi elargire, aut vino abstine &c. Excelluit in eo vir bellicosissimus Laberlot, qui ut militia malitiæ affinis est, sensim jurandi usu usque adeo imbutus est, ut cum super mensam à conglobatis juramenta vibraret, amicè ac religiosè commonitus responderit, hæc sibi inadvertenti excidere, & modum se emendandi quærere. Cùm alter hunc præscripsit, ut ephebo curam daret se liberè admonendi, & quoties pejerasse compertus esset, illi Julium (quinque asses) persolveret primo, secundo die, quandoque 10, 12 Julios debebat, at post annum aut alterum, oris modestissimi, ne semel labi auditus est. Hoc medio & remedio plures salubriter usos refert Chrysostomus, qui cùm non desineret jurandi consuetudinem gravissimis verbis insectari hunc fructum se retulisse commemorat: *a novi multos referentes, mandatum fecimus, leges nobismet ponentes, & jurantibus pœnas definientes. Deo gratias egimus, quod non in petris seminavimus.*

a Chrysost. hom. 9. ad popul.

EMBLEMA XVIII.

Quantum volebant. Joan. 6.



MANABIT AD PLENUM. a

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

Divinæ munificentiæ fontem benignissimus Redemptor noster hodie multis millibus fecit scaturire, largiendo singulis, *quantum volebant*; at longè excellentius per sacramenta, sacros veluti canales, gratiæ fontes in animos hominum derivare non cessat.

§. I. Deus dat omnibus affluenter, b *& secundùm propriam cujusque dispositionem.* ex quo consequitur juxta mensuram gratiæ fore & mensuram gloriæ, quod Apostolus innuit dicens:

§. II. c *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.*

a Horat. l. 1. carm. ode 17. b Iacob. 1. Trid. sess. 6. c. 7. c 1 Cor. 15.

DOMI-

DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

Quantum volebant. Joan. 6.



Fontes non hominibus dumtaxat, sed & diis immortalibus, adeò in amoribus & deliciis fuêre, ut non modò iis assidere, eos delibare; sed in ipsos fontes, quasi meliori naturæ metamorphosi, converti voluerint. quo factum est, ut inusitato religionis cultu gentilitas fontes venerari, ac Deorum habitu efformare comperta sit. Cujusmodi Q. Curtius (qui Justo Lipsio judice, *a probus & legitimus historicus, si quisquam fuit*) in „amœnissimo Ammonis nemo„re exstitisse commemorat: hoc „inquit, in medio habet *fontem*, „quem *solis* vocant: cujus aqua „præfervido in meridie, frigida „emanat: inclinato in vesperam, „calescit: media nocte fervida „exæstuat. hic pro Deo colitur, „umbilico tenus arieti similis „est: habitus smaragdo & gem„mis coagmentatus: hunc mystæ ac virgines Nymphæ, ut verum Numen proni adorant, estque illis: *b fons sacer, & multi Numen habere putant.* Hæc enarrantem, sapientissimus Plinius amicè interpellat: *c* vidistine aliquando Clitumnum fontem, quem ego proximè vidi? stat Clitumnus ipse amictus indutusque prætextâ, præsens Numen atque fatidicum: rigor aquæ certaverit nivibus, nec color cedit; *d* adjacet templum priscum & religiosum, ex hoc fonte, quæ potant pecora, album colorem induunt:

Hinc albi Clitumne greges. e

Quæ naturæ prodigia, & ethnicæ superstitionis deliramenta nemo quisquam demirabitur, qui omnium originem, ac caput fontium, Deum ipsum, adeò fontes adamasse deprehenderit, ut iis non tantùm assidere, quod Joannes testatur: *f sedebat sic supra fontem*; sed & ex iis ipse haurire, nos ad eos invitare, denique in *fontem* verè *solis*, stupendo amoris artificio, commutari non recusarit. de ipso enim non falsus vates cecinit: *apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. g* ubi lumen & flumen aptè conjunxit. *quod enim est fons, hoc est & lumen: fons, quia satiat sitientes; lumen, quia illuminat cæcos. h* Hic fons in amœnissimo cœlestis Paradisi viridario, quasi in ipso divinæ lucis meridie, per sublimes illas intelligentias, fluenta gratiarum largè diffudit; qui pravitate potantium tantum illis frigus ac torporem induxit, ut ne æternis quidem flammis valeat attemperari; at verò jam ruenti, & veluti inclinato per scelera in vesperam mundo, *i fons patens domui Israël, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris*, divino calore præditus scaturire occepit, & nocte illâ passionis funestâ, omninò

a Lipsius in notis ad l. 1. polit. Curtius l. 4. c. 20. *b* Ovid. in epist. 15.
c Plin. l. 8. epist. 8. Caussin. parall. eloq. l. 11. *d* Plin. l. 2. c. 103.

e Virg. 2. Georg. *f* Ioan. 4.
g Psal. 35. *h* Aug. in Psal. 35.
i Zach. 13.

fervida, è Christi ardentissimo pectore, lympha profluxit; *a* de hoc M. Gregorium audite, qui, ut Ecclesia de eo testatur, admirabilia dixit, fecit & scripsit: *b fons, inquit, occultus est unigenitus patris, invisibilis Deus. Fons verò patens, est idem Deus incarnatus.* Fons hic ab æterno in sinu patris clausus, tandem dum venit plenitudo temporis, clavis ac lanceâ in cruce apertus, sanguineos rivos, quibus animæ meliùs, quàm Clitumno super nivem, dealbentur, copiosè emanans. Aquam petebat in deserto populus Israël, pro quo Moyses orans, ait: *c Domine Deus, audi clamorem populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ; & jubente Domino percussit virgâ bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ.* aptè hîc B. Petrus Damiani S.R.E. Cardinalis: *d Petra illa*, inquit, juxta Apostolum *Christus erat. accedit virga ad silicem, & haurienda populis aqua producitur; adhibetur crux Christo, & omnium corda credentium irrigantur. Quod sacramentum & ipse Moyses per spiritum non ignorasse cognoscitur; si ejusdem subtiliter verba pensentur: aperi*, inquit, *Domine thesaurum tuum, fontem aquæ vivæ. neque enim tam magnificis ac divinis verbis elementum describeret, ex cavernis videlicet terræ profluum, ac deinceps in secessum cuniculos egerendum. Numquid enim dignum fuit viles aquas Dei appellare thesaurum?* minimè, sed Dei thesaurum, uberrimum illum gratiarum fontem indicabat, qui animas mundare, sitim levare, ac cœlestibus donis innumerisque beneficiis nos locupletare valeret. Quos misericordiæ, munificentiæ, largitatis immensæ rivos, omniumque cœlestium divitiarum thesaurum, quem in hominum corda benignissimus redemptor noster derivare desideret, aliquando P. Balthasari Alvarez *e* (quo tum in terris, divino B. Theresiæ testimonio, sanctior non exstitit) manifestavit: huic enim dum manè in meditatione sua exardesceret, fons vitæ æternæ se Christus spectandum exhibuit, præclaris gratiarum ac cœlestium divitiarum donis oppletum ac locupletem; quæ in hominum animos, velut se exonerando, propensissima voluntate effundere ardentissimè exoptabat: hoc unum piè & amarè questus, *vasa deesse*, in quæ copiosè scaturiret. *f* Etenim si Nazianzeno (quem Basilius *vas electionis, puteum profundum, & os Christi* nuncupat) credere velimus *g* benignissimus Jesus *sitit sitiri; cùm à Deo beneficium petitur, beneficio affici se putat. jucundius dat, quàm alii accipiunt.* hinc illæ per præcones suos, amicè invitantis voces: *h omnes sitientes venite ad aquas.* & per tubam Evangelicam intonat: *i qui sitit, veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.* habent & suam pharmacopolæ, quam carò vendunt, aquam vitæ, quæ gustata non aufert mortem; *k sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* ubi S. Tho-

a Eccl. in horis 12. Matt.
b Greg. hom. 20. in Ezech. *c* Num. 20.
d B. Damia. serm. de Exalt. S. crucis.
e In vita P. Alvar. c. 11. §. 2. c. 7. §. 2.
f Cat. scrip. Ecc. *g* Greg. Naz. orat. in S. Baptisma. *h* Isa. 55.
i Apoc. 22.
k Ioan. 4.

mas,

mas: *a qui fontem habet intra se, nequaquam afficietur siti.* quam aquam tamen absque argento & auro, absque ullo pretio, vel labore ullo, sed summa animi voluptate vobis comparare potestis, Propheta testante: *b haurietis aquas in gaudio, de fontibus Salvatoris.* quas per Ecclesiæ Sacramenta, quasi per divinos canales ut innumeros omittam rivos, quibus largissimas suas aquas communicat, superabundanter ad nos derivari, Ambrosius interpretatur. *c* Hi fontes omnibus patent, omni tempore scatent, tantum quis haurit, *quantum voluerit.* ad fontem, qui Cotylam defert, eam repiet, qui cyathum, plus inde participat, alius amphoram, tertius metretam, erit qui cadum impleat, nec quicquam fonti decedit: *d cujus magnificentiæ non est numerus, non enim dat spiritum ad mensuram, sed juxta mensuram vasculorum infundit liquores: tantum muneris largiens, quantum potest ille, cui donatur accipere.* quod ut pleniùs intelligatur, sit

a S. Thom. hic. *b* Isa. 12.
c Amb. in Psal. 4. & 34.
d S. Hier. in c. 4. ad Eph.

§. I.

Deus dat omnibus affluenter, *e & secundùm propriam cujusque dispositionem*, ut loquitur Trident. *f*

STupendi prodigii fontem in Umbriâ, prope Narviam reperiri commemorant, *g* qui eo

e Iacob. 1. *f* Trid. sess. 6. c. 7.
g Plin. l. 2. c. 103. Majol. canic. colloq. 13. de font, Causs. in symb. l. 1, c. 67.

dumtaxat tempore, quo summa iis in partibus annonæ penuria est, scaturire deprehenditur; profectò non absque singulari numinis providentiâ, in tempore opportuno. de qua ne dubites, id in confesso est, hodierna die in deserto divinæ benignitatis & largitatis fontem, in summa rerum omnium penuria, qua supra quinque virorum millia, præter mulieres & parvulos, laborabant, tanta ubertate exundasse, ut omnes, *h quantum volebant*, & ad saturitatem sese refecerint. ubi in rem nostram observandum occurrit, quod in omni convivio fieri consuevit, viros potentes ad bibendum, ac capaciores ad edendum, præ parvulis, multò plus absumere: pro cujusque naturæ capacitate, appetentia, ac valida corporis dispositione, unum præ altero largiùs ac liberaliùs epulari, uti in convivio Balthasaris, edebat, & *i unusquisque bibebat secundùm suam ætatem.* Hoc enimverò in divino convivio (cujus hæc refectio in deserto, uti docet Origenes, typus fuit) prorsus usuvenit, dum pro cujusque mentis dilatatæ capacitate, pro ardenti interioris hominis appetentia, ac meliori animi dispositione, unus præ altero, plus de cœlesti mensa, quasi e fonte gratiarum uberrimo participat; secundùm quam gratiæ mensuram in cœlis gloriæ capaces erunt, ut disertè D. Prosper exponit: *k Sicut enim*, inquit, *corporalis saturitas, omnes saturos æqualiter habet, quamvis singuli cibum non æqualiter, sed pro possibili-*

h Ioan. 6. *i* Dan. c. 5.
k S. Prosper de vita contempt. c. 4.

tate perceperint: ita omnes sancti, etsi fuerint aliqua graduum suorum diversitate distincti, una beatitudine perfecti erunt. sic tamen, ut majori beatitudine, ac gloriæ perfectione saturandi sint, qui hîc sese per gratiam capaciores reddidêre. Quam doctrinam utilem omninò, ac salutarem, quo sublimes illæ virtutum, ac perfectionis studiosæ mentes, melius assequantur, ad gravissimorum Theologorum præcepta, aures animosque convertant, necessum est. Tradunt 1. *a* etsi æqualiter dispositis, semper æqualem gratiam ex opere operato sacramentum conferat, tamen meliùs disposito, ex opere operantis sacramentum majorem confert gratiam, ita Suarez de sacram. disp. 7. sect. 5. Lugo de sacram. disp. 9. sect. 2. Coninck q. 62. art. 1. dub. 3. n. 50. Less. opere posth. de sacramentis q. 69. a. 8. aliique passim. & Trid. sess. 6. c. 7. docet in justificatione quemque recipere gratiam *secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem.* ex quibus verbis, inquit ,, Cardinalis de Lugo, *b* constat ,, sacramenta non conferre semper ,, æqualem gratiam, sed inæqualem ,, etiam pro inæquali dispositione recipientis, ut docuit expressè Damascenus lib. 4. c. 20. *c* Dilucidâ rem similitudine Doctor Angelicus (quem Pius V. * certissimam Christianæ doctrinæ regulam pronuntiavit) sic illustrat; *d bonum est diffusivum sui; sed sicut sol lucet semper, non semper illuminat; ignis calet semper, sed non semper calefacit, nisi dispositum: sic Deus effluit, sed non influit, nisi recipienti & disposito (quæ dispositio est conversio animæ ad Deum per potentias) verùm Deus sine mensura effluit, sed cum mensura recipis.* quod alibi confirmat: *e Baptismus effectum æqualiter facit in omnibus pueris, qui æqualiter se habent ad baptismum; adulti verò non æqualiter se habent ad baptismum: quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt; & ideò quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. sicut etiam ab eodem igne accipiunt plus caloris, qui plus ei appropinquant, licet ignis, quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat.* idem est in usu aliorum sacramentorum. quo fit ut quis unica SS. Eucharistiæ sumptione, decies, centies, imò millies plus gratiæ hauriat, ut quibusdam sanctis, & potissimùm Deiparæ obtigit, quàm alii frequenti ejusdem SS. Sacramenti communione. quod Catharina Senensis in suis dialogis verè divinis, *f* posteris tradidit, dicens: "si plurimi portarent candelas ad accendendum, & una ponderis esset unius unciæ, alia duarum, sive sex, vel unius libræ: & quamvis omnibus accensis, in qualibet parvâ vel magnâ candela totum lumen accipias, videlicet calorem, colorem, & ipsum lumen; judicabis tamen, quod minus de lumine recipiat ille, qui candelam parvam ac- ,, cen-

a Lessius opere posth. de sacram. q. 69. a. 8. *b* Lugo cit. *c* Damasc. de fide orthod. Lanuza in procem. quadrag. censura auct. §. 5. *d* S. Thom. opusc. 61. c. 17. de dilect. Dei. & proxim.

e S. Thom. 3. part. q. 69. a. 8.
f Dial. c. 110. Lancicius opusc. spir. 5. c. 7.

„ cendit, quàm ille, qui majorem.
„ Ita contingit in hoc Venerabili
„ Sacramento his, qui recipiunt
„ illud, & eorum candelas affe-
„ runt, videlicet sanctum deside-
„ rium, cum quo recipiunt ipsum
„ Venerabile Sacramentum. At-
„ que tantum accipitis ex isto lu-
„ mine, quantum de materia sin-
„ ceræ dilectionis & amoris, &
„ igniti desiderii portatis: tantum ergo à patre luminum gratiæ recipitis, quantum vos, per sancta desideria disposueritis ad recipiendum, tantoque plus cœlestium donorum ex hoc saluberrimo fonte hauritis, quanto vos ardenti desiderio capaciores reddidistis, *a desiderando quippe ô homo capax effeceris, ut implearis.*

Ita & qui Sacramentum Pœnitentiæ, majori scelerum suorum detestatione, perfectiori dolore, sinceriori proposito accesserit, longè uberiorem gratiam recipit eo, qui languidè & parum attritus se sistit: quia certum est, in-
„ quit Lugo, *b* quando homo ju-
„ stificatur extra sacramentum,
„ uti Magdalena, Petrus & la-
„ tro, contritioni ac dispositioni
„ magis ferventi, correspondere
„ majorem gratiam; ei enim, qui
„ minus diligit, minus dimitti-
„ tur: ergo cum attritio in sacra-
„ mento, suppleat locum contri-
„ tionis, debet etiam majori at-
„ tritioni, major gratia correspondere. quod cum cœlesti radio, in nocte scelerum cœlitus illustratus perspexit Augustinus, ad hos pretiosissimos sanguinis Christi rivos, per confessionem largè recipiendos, cor suum velut vas capacissimum, dolore ac pudore ingenti dilatavit: *c quoniam, inquit, fons vitæ tu es Domine, ad te levavi animam meam, non contra te, tamquam vas attuli eam, imple ergo me, & lava me.*

Verum quidem est, *d* recipientem Sacramentum in gratia (ut fit in iis qui venialia confitentur) communiter accipere majorem longè gratiam, quàm qui per sacramentum justificatur, ob meliorem dispositionem: quia talis si quam habet actualem devotionem, recipit gratiam ei respondentem, ut præmium merito, & præterea etiam ut effectum sacramenti; fieri tamen potest, quemadmodum Augustino, aliisque verè pœnitentibus accidit, ut peccator tanta scelerũ detestatione & dolore suscipiat sacramentum pœnitentiæ, ut accipiat multò majorem gratiam homine justo, qui cum valde remissa & imperfecta dispositione, quasi ex consuetudine ad illud accedit, sic fieri potest, ut habens mille peccata mortalia, & alter habens solùm originale, *e* si eodem actu dispositi accedant, æqualem gratiam positivam accipiant. ex quo fit, post tam frequentes confessiones, & communiones, quosdam exiguum gratiæ ac virtutum incrementum fecisse: atque hujus unius dispositionis defectu, tam Ecclesiasticos, quàm conjugatos, destitui auxilio gratiæ, *f* quæ tali statui communicanda fuisset: qui enim meliori dispositione & devotione recipit sacramentum ordinis vel matrimo-

a Aug. tr. 4. in epist. 1. Ioan.
b Lugo cit.

c Aug. in Psal. 142.
d Coninck de sacram. q. 62 a. 1. dub. 2.
e Lessius opere posth. de sacram. q. 69 a. 8. *f* Lugo cit.

nii, habet majus jus ex vi sacramenti ad auxilia, quibus meliùs possit exequi munera ordinis suscepti, vel sustinere onera matrimonii. quare quibus ea gravia sunt, hanc radicem inquirant.

Denique hac de causa, suadent iidem Doctores, *a* extremam unctionem ægro conferendam, antequam sensibus destituatur, *ut majori cum devotione & fructu*, ajunt, hoc sacramentum recipiat. Ex quibus omnibus, verissimum patet illud S. Dionysii: *b unius simplicis & superexpansi fontinalis radii participationes esse diversas, magnas aut parvas, claras aut obscuras, prout in mente est indispositio, negligentia, remissio, aut carnalis quædam affectio.* *c* Tradunt 2. *d* quòd accedentibus ad S. Synaxin, stimulo esse debet: si dispositio melioretur communicantis. dum species Eucharisticæ integræ manent, semper gratiam augeri: quia hoc sacramentum confert gratiam per modum nutrimenti, & quamdiu habemus hoc sacramentum in nobis, habemus uberrimum fontem omnis gratiæ, quem non convenit arescere, quamdiù volumus ex eo haurire: *e cùm Christum, qui omnis gratiæ fons & origo, contineat*; ad quem fontem, tum temporis non alia vasa, quàm potentiæ animi, omnesque inferiores facultates conferenda sunt, ut supra ex S. Thoma docuimus qui addit: *f vasa namque, quæ creatrix gratia creavit, ut sint, adjutrix gratia replet, ne vacua sint.* Huc quisque conferat *vasa vacua non pauca*, *g* hic Memoria recolat, & repleatur recordatione beneficiorum & mirabilium Domini. Intellectus omni humanarum rerum speculatione seposita, ubi divinas excellentias, ac omne bonum hîc contentum, sacro stupore & admiratione contemplatus fuerit, se prorsus immensæ illi sapientiæ, & bonitatis thesauro, ima cordis sui demissione per ardentissimos actus fidei, adorationis, religionis, annihilationis, prosternat: atque unà secum omnes sensus captivos submittat. Voluntas denique hîc tota in amorem sponsi sui exardescat. & ut ingeniosus amor est, mille amoris artes paret, quibus eum sibi devinciat, ignea affectus tela, in tanti hospitis adventum, quasi gratulationis signa ejaculetur: hîc clamandum cum Augustino: *angusta est domus animæ meæ, quò venias ad me, dilatetur abs te.* ne dubita, dilatabit spatia charitatis. Etenim si Elisabetha Angliæ Regina *h* eam munificentiam exhibuerit, ut dum regnum obiret, ac omnia lustraret, tandem Cancellarii sui ædes, adeò angustas satis mirari non posset; modestè sed opportunè Cancellarius sic hospitem salutavit: *ædes hæ, ô Regina non sunt nimis angustæ, sed tua majestas me fecit nimis magnum pro his ædibus.* cui Regina: *si te magnum fecerim, amplificabo ædes, ut & illæ tali viro, quem extuli, congruæ sint.* quid ni potentissimus cœlorum Rex, qui nos tanto honore dignatus est, ut non Cancellarios, sed & convivas & hæredes regni sui esse voluerit.

a V. Coninck de sacram. disp. 19. du. 7. n. 24. *b* S. Dionys. Hierarch. c. 10. *c* Dionys. Carth. hic.
d Coninck de Euchar. disput. 79. a. 1. dub. 2. n. 42. *e* S. Th. p. 3. q. 79. a. 1. in corp. *f* S. Th. opusc. 61. c. 17.

g 4. Reg. 4. *h* Franc. Bacon.

voluerit, domum animæ nostræ amplificabit, & locupletabit, nisi illum ultro expellamus. Cùm ergo ut concludam, hoc Sacramentum det majorem gratiam meliùs disposito, *a* si Sacramentum circa finem manducationis, invenerit melius dispositum, quàm in initio, majorem gratiam conferet. v. g. qui toto illo tempore, quamdiu species in sumente integræ perseverarint, in actu amoris Dei ut 10. vel 20. se exercet, digniori & meliori modo manducat, quàm qui sub initium sumptionis similem actum habuit, & statim ab illo cessavit. ergo ille majus recipiet augmentum charitatis.

b Ex quo mirabilem adeò & laudabilem effectum consequi posse gravissimi auctores tradidêre, ut qui initio sumptionis Eucharisticæ v. g. ex ignorantia aut oblivione, indispositus ob lethalem noxam admissam accessisset; si postea interim, dum species adhuc integræ sunt in stomacho, sufficienter per contritionem disponatur, eum verè suscepturum effectum Sacramenti, quia absolutè loquendo, jam dignè manducat (en fructum singularem) ergo majori ratione, qui in principio fuit dispositus, & per actus fidei, religionis, amoris, continuò perficit dispositionem suam, uberiorem gratiæ effectum ei respondentem, consequetur; quorum „ omnium rationem, Lessius as„ signat institutionem Christi, *c* „ qui sic statuit: quia justissimæ „ distributioni divinæ sapientiæ „ consentaneum erat, ut meliùs disposito, ampliùs daretur: “ consentaneum id quoque, ut “ homines excitentur ad ferven“ tiorem præparationem. Simile “ quid videmus in causis natura“ libus, quæ meliorem effectum, “ in subjectum aptius inducunt. “ quod eventis physicis demonstrandum aliis relinquo. Ego porrò comprobare aggredior, pro mensura gratiæ hîc acquisitæ, fore & cœlestis gloriæ, ac beatitudinis modum: eumque cumulatiori gaudio, ac excellentiori gloriæ gradu, in æternum fruiturum, qui plus gratiæ, ac meritorum, hîc sibi comparaverit, quod indicat illud Pauli:

a Suarez Coninck cit. *b* Suarez cit. *c* Less. opera posthum. q. 69. ar. 8.

§. II.

Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate. sic & resurrectio mortuorum. 1 Corinth. 15.

DIvinitatem in Christo, quasi in Sole, tabernaculum posuisse, atque adeò cœlitibus omnibus, nimium quantum prælucere, indubitatum est: etenim *cùm perfectissimo modo*, ut loquitur S. Thomas, *d participet divinam unitatem, ideo decuit, ut super cœlos elevaretur; quia quantò perfectiùs corpora beatorum participant unitatem divinam, tantò sunt superiora corporali ordine.* Deipara verò supra omnes sanctos splendet:

Velut inter ignes
Luna minores.

Quæ cum manifesto SS. Patrum Doctorumque suffragio, omnium

d S. Thom. p. 3. q. 57. ar. 4.

in

in se beatorum perfectiones eminenti modo complectatur, meritò versus ille, de quo Puteanus, Salva lege carminis 1022. variando; volumen confecit, applicatur.

Tot tibi sunt dotes virgo, quot sidera cœlo.

Nunc verò inter ipsos cœlites, discrimen quoddam intercedere, *a* tres classes, Martyrum, Virginum ac Doctorum testantur, quæ peculiari singulæ aureola condecorantur. quæ aureola erit speciale gaudium, & dignitas quædam seu eminentia, *b* quatenus hi præ cæteris erunt conformes Christo, in quo perfectissimè fuit totius virginitatis & martyrii, & doctrinæ excellentia & victoria. unde exstat illud Danielis de Doctoribus vaticinium: *c qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Ubi S. Hieronymus hanc controversiam moveri tradit: *d solent nonnulli quærere, utrum doctus sanctus, & simplex sanctus, eandem mercedem habeant, & unam in cœlestibus mansionem?* quos inter, tantum fore discriminis, quantum inter splendorem universi firmamenti, & lucem alicujus sideris, ex verbis Prophetæ demonstrat: *Daniel in fine sacratissimæ visionis, ait justos fulgere sicut stellas, & intelligentes, id est Doctores, quasi firmamentum.* tum subdit: *vides quantum inter se distent justa rusticitas, & docta justitia; alii stellis, alii cœlo comparantur.* de Martyribus, qui laverunt stolas in sanguine agni, peculiaris erit dicendi locus, in festis. Hipponensis Præsul virgines ad certamen invitat, quas cœlestis sponsus, deliciis ac privilegiis inusitatis, præ aliis cumulat. *e laudate (ô virgines) dulcius, quem cogitatis uberius: sperate felicius, cui servitis instantius: amate ardentius, cui placetis attentius. vos afferetis ad nuptias agni canticum novum, non utique tale, quale cantat universa terra; sed tale, quale nemo poterit dicere* (alii legunt discere) *nisi vos. insuper sequimini agnum, quo nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos. Quò putamus eum ire?* (hæc expendite) *in saltus & prata? ubi credo sunt grandia gaudia, non gaudia seculi hujus vana, nec gaudia, qualia in ipso regno Dei, cæteris non virginibus erunt; sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudia virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, per Christum, propter Christum, Gaudia propria virginum Christi. Non sunt eadem non virginum quamvis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia;* hoc iterum, iterumque ô virgines animo volvite: *sunt aliis alia, sed nullis talia.* Sed parum hoc, ista de quibus egimus, beatorum agmina, inter se distingui, quin & *stella à stella differt in claritate.* Et in quaque classe, non modò Martyrum, Doctorum & Virginum, sed & Confessorum, Religiosorum, secularium, conjugum, discrimen gloriæ, pro meriti diversitate reperiri, indubitatum est. Vultis hujus rei speciem aut specimen? tria sunt, quæ admirandam Dei potentiam ingerunt, à paucis tamen observari solita. Primum

a S. Thom. in 4. dist.49. q.5.
b Lessius de summo bono l. 2. c. 21. n. 169. *c* Dan. 12.
d S. Hieron. in l. adversus Vigilant. epist. 103. ad Paulin.
e Aug. de S. Virgin. c. 27.

mum est, neminem lineamentis vultus omnibus, totoque oris habitu, esse alteri omninò persimilem, quod Plinius observatè asserens: *in facie*, inquit, *vultuque nostro, nullas duas in tot hominum millibus indiscretas effigies existere, quod ars nulla, in paucis numero præstet affectando.*

Alterum est, quemadmodum nullius hominis vultus, sic etiam nullius conscientia, alterius conscientiæ similis est. Tertium tot hominum millia, quovis die moriuntur; nullus tamen eodem penitus moriendi modo, quo alter; quod ii affirmant, qui frequentissimè adsunt morientibus. Addere licet, nullum planè eandem cum altero sententiam audire, aut præmium, aut pœnam omninò parem sortiri, cùm ea indivisibiliter meritis respondeat. unde quid mirum, facies sanctorum omnium esse diversas, uti Thomistæ aliique docent, Angelos non choris tantùm esse distinctos, sed singulos specie diversos. quò allusisse videtur, *a præ cæteris dilectus agno discipulus*, per quem prima veritas profatur: *In domo patris mei mansiones multæ sunt. b* Domus una, sed multa conclavia, beatitudo una, sed gradus in eâ plurimi celsiores, demissiores, prout mortalium alii aliis, agendo & patiendo, capaciores se divinis gratiæ fontibus, hîc reddidere. *quomodo*, inquit Tertullianus, *c multæ mansiones apud patrem, si non pro varietate meritorum?* cui Gregorius Magnus accedens: *d si dispar retributio in illâ beatitudine non esset, una potiùs mansio, quàm multæ essent*, quæ variæ, pro diversitate gratiarum. gratia est semen gloriæ, & quemadmodum varia seminis est fœcunditas, hoc quidem centesimo, illud sexagesimo, illud trigesimo fœnore, fructuque gaudet; ita prorsus inæqualis in cœlo, beatorum erit remuneratio. hinc illa tanta inter ejusdem Domini servos, lucri diversitas. Commissum eis fuerat argentum, in laudabile fœnus elocandum: elocarunt, sed industriâ dissimili, hinc etiam dissimilis merces. primus audit: *e euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* alteri dicitur: *& tu esto super quinque civitates.* ut scilicet labori dispari, dispar pensio respondeat. Quid multis opus? testem habemus Paulum Doctorem veritatis: *f unusquisque*, ait, *propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem.* Sed labor est impar, ergo & merces. atque ut à se dicta confirmet: *g qui parcè*, inquit, *seminat, parcè & metet.* messem omnino uberem, beati omnes colligent; sed uberiorem illi, qui semen sparserint liberaliùs: etsi omnes in eo pares futuri, quod infinito bono fruentur, idq; in æternum. Si fructum magnum colligit, qui assem in pauperes distribuit, majorem recipiet, qui julium, qui aureum erogarit. si præmium grande accipit, qui unam salutationem Angelicam profert, grandius utique accepturus, qui bis, qui sexies, qui centies precatus fuerit, aut saltem attentiùs & ardentiùs. nam fieri potest, imò fit sæpius, ut quis

a Aug. de S. Virg. c.27. b Ioan. 14. c Tertull. in scorp. d Greg. l.4. dial. 35.

e Luc. 19. f 1 Cor. 3. g 2 Cor. 9.

oratio-

orationem Dominicam semel dumtaxat recitet, sed tanto pietatis sensu, eo animi fervore, ut ampliorem à Deo gratiam emereatur, quàm qui orationem eandem millies, quàm qui Psalmos omnes pronuntiârit; atque unica cœlestis mensæ participatione (ut suprà diximus) plus gratiæ quis relaturus sit, quàm alius vigesies, imò centies de eadem participando.

Sed objicias vinitoribus illis, inæqualissimè laborantibus, sub vesperam tamen denarius idem, omnibus in mercedem est datus: nihilò plus accepit, qui toto die æstuavit, quàm qui horâ unicâ laborem salutavit potiùs quàm subiit. hoc præclarè Augustinus dissolvit: *quamvis*, inquit, *a meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minùs; quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. non enim alteri longior, alteri brevior, quod pariter sempiternum est, quod non habebit finem, nec mihi, nec tibi*, simillimè Hieronymus: *unus*, inquit, *denarius, non unum est præmium, sed una vita & una de gehenna liberatio.* Suâ quidem omnes beatitudine contenti, etsi alter præ altero, ex immenso illo omnis bonitatis ac perfectionis thesauro, plus voluptatis capturus sit. Compello vos, nonne omnes oculati, contenti sunt Solis ac stellarum lumine, etsi alius alio, clariùs ea intueatur? At, qui lynceis sunt oculis, vel per tubum opticum contemplantur, vident in cœlestibus luminaribus quædam mira, magna animi voluptate, quæ tamen hebetiori visu, aliique rudes opifices, nec vident, nec observant: quia illis sufficit lumen Solis, ut operi incumbant; haud aliter in lucidissimo illo divinarum perfectionum Sole, beatiores vident plura ac mirabiliora.

Idem sacrarum literarum codex legitur à pluribus, neque eodem fructu, nec simili gustu, volvit illum puer, ut imagines lustret, atque iis oculos pascat; legit illum Grammaticus vel Rhetor, & miratur constructiones & artificium. legit illum historicus, & observat, ac rapitur rarissimis historiis in Genesi, Exodo, libris Regum, &c. legit illum Theologus, & longè accuratius penetrat divinæ legis præcepta, pœnas & præmia. legit illum cœlestis genius, & is quasi in meridie, obscurissima pervadit mysteria, admiratur, contemplatur: quàm hîc omnia Dei attributa, providentia, sapientia, misericordia, justitia reluceat, atque adeò hic præ omnibus longè maximam hinc capit delectationem. id ipsum accidit beatis mentibus, divina contemplantibus. Quare amabo vos, illam gaudii, amoris, fruitionis diversitatem, paulò sublimiori consideratione, hunc in modum meditemur: mercedem mi Deus, tuis omnibus persolves, sed inæqualem pro mensura gratiæ, ac meritorum. Gaudia tuorum omnium erunt maxima, sed tamen inæqualia, idque in æternum: b *Si enim cœlum significaretur denario; nonne in cœlo esse, omnibus est commune sideribus, & tamen alia est claritas Solis, alia Lunæ, alia stellarum. Quia verò in ipsa vita æterna distinctè fulgebunt lumina meritorum,*

a Aug. serm. 59. de verbis Dom.

b Aug. de S. Virgin. c. 26.

rum, multa sunt mansiones apud patrem, ac per hoc in denario quidem non impari, non vivet alius alio prolixiùs: in multis autem mansionibus honoratur alius alio clariùs. Quem gradum honoris, gloriæ, cognitionis, amoris divini, gaudii (in quibus plena beatitudo consistit) singulis horis, quovis quadrante, momentis singulis augere possumus, ad usque supremum in morte spiritum. Nòs autem rerum nostrarum negligentissimi, dignitatis, ac talis gloriæ æternum duraturæ incremento indormimus, modò, ut nostræ sunt ratiunculæ, cœlo non excludamur; cùm tamen (quod omnibus ad hîc negotiandum stimulo esse debet) minimus gradus gratiæ, quia illi gradus gloriæ, in omnem æternitatem duraturæ respondet, tanti pretii sit, ut omne bonum humanum, ac æstimationem mortalium, longè excedat, de quo Angelicum Doctorem audiamus: *a bonum gratiæ unius, est majus bono totius naturæ universi.* sed non est qui recogitet cùm vel hoc unum (si posset) superos doleret ac pœniteret, quod illud gratiæ & consequenter gloriæ augmentum, neglexerint; quod nobis ita invident, ut si integrum illis foret, rursus ad hoc merendi stadium libenter diverterent: Vnde monet asceticus scriptor: *b* ,, quemadmodum dum oculum ,, videntem parvas stellas, ratio ,, corrigit, & docet esse singu- ,, las multò majores, quàm est totus terræ globus; sic opinionem tuam, cùm putas aliquid parum esse, corrige & existima minutissimæ occasionem lucrandæ gratiæ, pluris æstimandam, quàm universi imperium. Omnium hîc studium, ad breve tempus eminere, in alto esse, ascendere, plus divitiarum, plus dignitatis conquirere, multis adniti laboribus, ut suave illud audiant: *c Amice ascende superius.* Et quanti per argenteas & aureas scalas ascendunt ad ruinam! & esto feliciter emineant, hæc quamdiu? scabini, consules, commissarii anno uno, brevissimo tempore, Principes, Reges, brevis ævi fato imminente, aliis cedere coguntur. At sublimem illum, quem semel in cœlesti aula locum occupasti, in eo semper & securus effulgebis. Hos ô vani mortales! honoris gradus æmulamini, nemo propriam hîc arrogantiam incurrere timeat, nemo alienam invidiam perhorrescat. In hoc sæculo majus lumen obfuscat minus, in cœlo illustriores, sua luce inferiores jucundè perfundunt. Prælatus, cui proprium viridem gestare galerum, *d* inhiabat purpureo, quem ut obtineret, gratiam nepotis Pontificii, gratioso munere captare studuit, mittens ei in disco argenteo immatura atque omnino viridia cerasa, hoc lemmate margini insculpto: *te sole rubescere gaudent.* Responsum accepit: cerasa sua nimis magnâ in umbra sita esse, & à multis majoribus obfuscari & obumbrari. Quò facilè vidit & invidit, illustriores ac eminentiores sibi præferri; cœlesti aula invidia exulat; Princeps suos ephebos, aut parens decem filios, ut ætate sic forma impares, serico aut pretioso panno vestit.

a S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. ad 2.
b Nierenb. de adorat. in spirit. l. 3. c. 8.
c Luc. 14. *d* Tonneel der veranderinge.

Mini-

Minimus natu non invidet seniori, quod thoracem ampliorem, pallium longiùs habeat. veste sua quilibet contentissimus est, cùm cuilibet accommodata, & certò commensu ad corpus habilis sit. Eadem penè ratio est regii convivii, accumbunt convivæ mixti imparis ætatis, juvenes, senes: erit qui octo, aut decem cretici cyathos, puer nobilissimus in eadem mensa, vix unum exhaurit, nulla hîc invidia, quantum sapit & satis est, tantum capit. Quemadmodum in hodierno convivio, singuli accipiebant *quantum volebant*. Sic in cœlo, vestis gloriæ, cuivis sanctitatis magnitudini adaptata, nec alter alteri invidet, quia gloriam alterius sibi improportionatam contuetur, & fatetur. Omnes Deo pleni sunt, etsi hi præ illis, plus de eo participent.

Nulla itaque in hac suavissimâ beatorum societate invidiæ vel minimæ umbra serpet, licet impar sit futura beatorum gloria. O societatem beatissimam, in qua multitudo tanta, sine confusione, magnitudo sine ambitione, varietas sine contentione, inæqualitas sine discordia! Nulla hîc æmulatio, nulla dissensio, nulla altercatio, perturbatio nulla. Hæc mala nobis, hîc omnem felicitatem corrumpunt, & inferos in terram adducunt. Alter altero vult videri doctior, sapientior, ditior, nobilior, potentior, formosior; hinc mille invidiarum formæ, hinc innumeræ furiarum noxæ. In cœlo disparitas quidem est præmiorum, ut prius fuerat meritorum; summa tamen consensio atque concordia: Quemadmodum in cythara fieri videmus, quæ plures ac diversas fides habet, ab his tamen suavis oritur harmonia, ita, inquit Augustinus: [a] *habebunt etiam tunc sancti differentias suas consonantes, sicut concentus fit suavissimus ex diversis quidem, sed non adversis sonis.*

Quæ cùm ita sint, si superiorem in cœlo canere satagis, & argutiùs auribus melos concinere, fac fidem, hîc sublimiùs in Deum tendas, per corporis afflictiones extendas, ut eum altiori tono laudes in secula sæculorum. Amen.

[a] Aug. in Psal. 150.

EMBLE-

EMBLEMA XIX.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis? Ioan. 5.



LICEAT MIHI VERA REFERRE. a

DOMINICA PASSIONIS.

Prima veritas dum ſpeculi in morem, Judæorum ſcelera liberè coarguit, eorum odium incurrit: qua de cauſa pauci etiamnum veritatem liberè proferunt, quia pauci eam libenter audiunt.

§. I. *Veritas odium parit.*
§. II. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* b
§. III. *Quinam libenter veritatem audierint.*

a Ovid. lib. 7 Metam. b Eccl. 4.

DOMINICA PASSIONIS.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis. Ioan. 5.



Ir ſplendore natalium clarus, *a* & majorum ſtemmate illuſtris Antonius Maraffius, pro inſignibus planum ac ſincerum ſpeculum, cum hac epigraphe aſſumpſit: *cunctis æquè fidum.* Quo in ſpeculo vivam animi ſui imaginem expreſſit: nulli ſe velle inter adulantium obſequia, quemadmodum adulterinis in ſpeculis fieri conſuevit, adblandiri: nedum vitia, quæ in oculos incurrunt, diſſimulare, ſed ut verum & ſeverum decet cenſorem, quemque ex æquo & bono, ſui officii commonere, ac vitii arguere ſtatuiſſe. Quod è limpidiſſimo illo æternæ ſapientiæ & veritatis ſpeculo, ſcripturam dico, hauſerat. Quâ de re audiamus ſi placet Maximi Pontificis oraculum: *b Scriptura ſacra mentis oculis, quaſi quoddam ſpeculum opponitur; ut interna noſtra facies in ipſa videatur: ibi etenim fœda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus.* Hoc ſpeculum minimè adulterinum, Davidem adulterum: Achabi calumniam in Naboth, & indè nefariam cædem: Manaſſis diuturnam impietatem, quam Deus non niſi excidio Hieroſolymitano voluit exſtinctam, ob oculos ponit: *c divina* quippè *ſcriptura ſpeculum eſt, quod te falſo nitore non fallit.* Invitat & te, ô peccator! Hipponenſis Antiſtes, ut in hoc deformitatem tuam contempleris. *d Poſuit tibi*, inquit, *ſpeculum ſcripturam ſuam. Legitur tibi, beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Speculum in hac lectione propoſitum eſt, vide ſi hoc es quod dixit, ſi nondum es, geme ut ſis. Renuntiavit tibi ſpeculum faciem tuam, ſicut ſpeculum non ſenties adulatorem, ſic nec te palpes. Hoc tibi oſtendit nitor ille, quod es;* Vide quis, & qualis es. Hoc ſpeculum ſibi ipſi Auguſtinus objecerat, utque in eo legit: *e non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis* &c. fœditatem ſuam contemplatus, eam ilicò averſatus eſt. Sed prôh dolor! cùm cuivis, & ubivis hoc ſpeculum ſit obvium, illi qui maximè fideli & utili ejus cenſurâ egent, neutiquam illud ſtudent intueri, imò verò oderunt, ne dicam, deteſtantur: quotus quiſque enim graviſſimis vitiis obnoxius, velit è ſcriptura argui, & infames mentis maculas ſibi proponi! quin potiùs hoc ſinceriſſimum ſpeculum falſitatis arguere, fraudis ac doli inſimulare non veretur. Talis ille Fauſtus exſtitit, quem Auguſtinus hiſce verbis perſtringit: *f Inaniter Fauſtus in ſe ipſum potiùs dente ſacrilego ſæviens, ſanctã ſcripturam, quam totus mundus meritò veneratur, accuſat: quæ ut ſuprà dixi, tamquam ſpeculi fidelis nitor, nullius accipit adu-*

a P. Silv. Petra 5. Sym Heroic. pag. 284.
b S. Greg. l. 2. Moral. cap 1.
c Aug. ſerm. 61. de verb. Dom.

d Aug. in Pſ. 103. *e* Rom. 13.
f Aug. lib. 22. cont. Fauſt. cap. 65.

landam

laudam personam; sed & laudanda, & vituperanda hominum facta, vel ipsa judicat, vel legentibus judicanda proponit.

Ne quis tamen literarum ignarus, suas se maculas, quibus turpiter notatur, hîc contueri non posse prætexat, ipsa veritas increata *a candor lucis æternæ, & speculum sine macula*, se ipse Redemptor noster objecit, qui sincerissimi speculi partes agens, mortalium quorumque vitia, quà verbo, quà exemplo notavit, *b viam Dei in veritate* docens. Quo factum ut scribæ & Pharisæi, cùm suas sibi maculas objici, ferre non possent, ipsum primæ veritatis Magistrum, mendacii ac fallaciæ arcessere, & conterere non dubitarint.

a Sap. 7. *b* Matth. 22.

§. I.

Veritas odium parit.

MArcellus Vegetius ait se è fatuo in Galliis illud sapientis eruisse: *tres optimas matres, tres pessimas filias parere*: primò, inquiebat, securitas parit periculum. Secundò familiaritas parit contemptum. Tertiò veritas odium parit. Expertus est hoc Michæas, qui Regi Achab prophetans verum, missus est in carcerem, ut *c sustentaretur pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Quot intimi Regum, Principum, Optimatum familiares, horum gratiâ, dignitate, fortunis exciderunt? Quot viri doctrinâ ac sanctimoniâ vitæ conspicui, summa antehac in veneratione habiti, ilicò omni consuetudine recisa, velut pestes patriæ, regni ac reip. terminis excedere, in exilium, in ultimam Thulem abire compulsi, exquisitis tormentis excarnificati, vitâ ipsâ exuti, quod speculi in morem, nudam oculis veritatem objecissent? Quærit à suis Holofernes: *d dicite mihi quis sit populus iste? tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens, ait: si digneris audire, Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo isto* &c. veritatem dixit, *& indignatus est Holofernes vehementer, & præcepit servis suis, ut comprehenderent Achior, & perducerent eum in Bethuliam.* Hugo Cardinalis. *Vt Achior comprehensus est veritatis amicus, factus est Holofernis inimicus.* Suos sibi placentia loqui volunt, palato suo subservire desiderant, quo fit ut suos, potiùs cocos & obsonatores, quàm medicos esse mavelint, qui adeò inter se dissident, ut illi, nil nisi gutturi ac gustui gratum & sapidum, quantumvis valetudini noxium;

e Namque cocus Domini debet habere gulam.

medici verò amara & insipida plerumque, minùs palato accepta, sed adversus morbos & mortem præsentissima remedia præbere consueverint. *Medicus si fortè sectione, ustione, amaris potionibus opus esse viderit, nulla illustrioris personæ habita ratione, secat uritque principem suum.* Acrius subindè quam plebeium. Quod in morbis animi servandum præclarè docuit Philo: *f Ego qui non unum virum curandum suscepi, sed*

c 3 Reg. c. ul.

d Iudith cap. 5. & 6. *e* Martial.
f Philo l. de Iosepho.

inte-

integram civitatem. laborantem morbis gravissimis, quid agere debeo? emori præstat quàm loqui ad gratiam, dissimulatâ veritate. Medicos tamen præ cocis, stolidi mortales detestantur & execrantur. Ne longiùs abeam, mearum testis & arbiter sententiarum Antonius Musa, artis Medicæ peritissimus: *a* hic cùm Romam (ubi per multos annos nemo quisquam ex Hippocratis, aut Galeni scholâ prodierat) advenisset, & Augusto afflictum genu curasset, à Romanis statuâ candidâ ex alabastro donatus est. Is verò ipsus cùm dein vulnera curare, secare, urere, manus & pedes truncare, *ne pars sincera trahatur*, aggressus est, à tumultuante plebe lapidibus obrutus, ejusque cadaver per plateas truculento omnibus spectaculo protractum est.

Queritur Isaias consimilem catastrophen veritati structam: quæ cùm feliciter morbis animi mederetur, cùm lascivos oculos expungere, piceatas manus rescindere, bilinguem linguam evellere, omne quod noxium putare aut exurere incepit, omnium in se manus concitavit, & extemplò *b corruit in platea* veritas. Seu ut in Heb. *impingit in platea veritas.* Ea enim offendicula, technas ac muscipulas ponunt, ut veritatem non modò in pedicas, sed & in ultimum discrimen adducant: subdit autem idem propheta: *& facta est veritas in oblivionem.* Quid mirum, de qua nulla umquam fit mentio. Vertit textus Hebr. *facta est veritas in aversionem. c* Hanc ut monstrum aversabantur, ut pestem execrabantur. Joannes Cluniacensis: *d sumta est metaphora*, inquit, *à cane in plateis mortuo, quem omnes prætereuntes ut rem fœdam aversantur.* Canis instar immundi non templo, sed & urbe expulsus, disertissimus quidam Galliæ Orator, *e* qui suavi vitæ morumque consuetudine, & Tullianâ, quâ valebat, facundiâ, multitudini gratus ac jucundus exstiterat, ut in illius multi sapientiâ, & religiosæ vitæ gravitate conquiescerent. Dum perutili alioqui digressione, in eum sermonem incidit, ut mulierum præsertim nobilium luxum, & delicatos vestium ornatus lasciviamque reprehenderet. Quâ in frequentia concionis, cùm adessent, quæ auro gemmisque collucentes, non æquarent modò Reginas, sed Circensis pompæ spectacula viderentur, *f inimicus factus est, verum dicens*; tanta porrò omnium ordinum consecuta est invidia, ita factus est odiosus, ut velut canem mortuum, eum aditu & congressu omni prohiberent. Hæc causa est, impunè passim grassari scelera, committi scandala, quia veritas odium parit; pauci eam liberè proferunt, quia pauci eam libenter audiunt: atque hi potissimùm, quos altiori loco positos, minor arguendi libertas est. *g Monstrabo tibi*, inquit Seneca, *cujus rei inopiâ laborent, magna fastigia: quid omnia possidentibus desit:* scilicet ille qui verum dicat.

h Philippus II. Hispaniarum Rex,

a Suet in vit. Aug. *b* Isa. 59.
c Forerius.

d Ioan. Clun. tom. 2. ser. 102. *e* Chres. vacat. autum. pag. 188. *f* Ad Gal. 4.
g Sen. lib. 6. de benef. cap. 30.
h Casp. Ens. Epidorp. lib. 1. pag. 208.

Rex, Joanello de Trezzo insigni artifice familiariter utebatur: dum aliquando hos inter, de vitâ regiâ & privatâ, sermo incidisset: equidem, inquit Ioanellus, nec tibi ô Rex, nec cuiquam Principum tam splendidam fortunam invideo, imò pace vestra, conditionem meam vestrâ longè potiorem duxero: quippe cui tria maxima hujus vitæ bona suppetunt, quibus Orbis principes destituuntur: hæc autem tria sunt, res cara, res rara, res præclara. Primò, inquit, *res cara*, sunt amici. Secundò *res rara*, est veritas. Tertiò *res præclara*, est aurora. Principes verò, quia in summo gradu constituti, æquales nullos, atque adeo amicos non habent. Secundò, quia aula assentatoribus plena, rarò aut numquam verum audiunt. Tertiò, quia somnum in multam lucem producunt, auroram, quâ nil ad recreandos tam animi quàm corporis sensus aptius, rarò intuentur. Ridicula sanè res est, Reges aurum, quod ab ipsis mendicabulis eruitur & confertur, non ideò respuere, sed avidissimè corradere; veritatem ab homine pannoso; à viro Religioso oblatam excludere. Merulis, picis ac psittacis aulicos suos consimiles volunt, qui id dumtaxat occinunt, quod à dominis suis didicerunt. His Reges abundant, divitiis abundant & delitiis, & cùm omnia adsint, unum porrò & maximè necessarium desideratur. Hoc inter regias opes Ludovicus XI. Galliarum Rex, sibi deesse querebatur: *in aula*, inquit, *omnibus abundo, unâ exceptâ veritate*. Unde non dubitavit vir Religiosus, Alberto Imperatori à concionibus, *a* Viennæ Austriæ liberè è suggestu, hanc controversiam instituere: *quæritur an salvari possint Principes?* & re in utramque partem agitata, *quidni possint*, inquit, *si modo à baptismo suscepto*, in cunis *vagientes moriantur*. *b* Hac solùm de causa, quia in maxima vitæ licentia, veritatem oderunt, & maculas suas in hoc speculo contueri dedignantur: illudque subvereri videntur, ne sibi accidat, quod olim informi vetulæ: hæc Acco nomine, *c* cùm spectri in morem, sui speciem in speculo conspexisset, ita inhorruit, ut mentis inops posthac delirarit. quò spectat illud Nasonis: *d*

Flet quoque ut in speculo rugas conspexit aniles
Tyndaris.

Ejusmodi à ratione longiùs aberrantes, à veritate delirantes, sic Clemens ille Alexandrinus in viam reducere conatur: *e quemadmodum speculum non est malum deformi, quod ipsum ostendat qualis sit: & quemadmodum medicus non est ægrotanti malus, quòd ei febrim annuntiet: non enim medicus est causa febris, sed ipse febrim arguit, ita nec is, qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo, neque ei delicta adjungit, sed ea quæ insunt peccata ostendit, ad hoc ut avertat ab hujusmodi studiis.* Quæ ut verissima sint, fidem tamen & gratiam, apud paucos reperiunt. Non degener Ludovici filius, Carolus VIII. è pincerna suo familiariter sciscitabatur: *f* an non

a Drexelii phaeton. cap. 9. §. 7.
b Æneas Silvius. l. 3. comm. Panormit.
c Cælius l. 17. c. 2. *d* Ovid. *e* Clem. Alex. 1. pædag. cap. 9. *f* Drexel. cit.

censeret paucos reges in cœlis esse & quid causæ putaret? Cumque alter verecundè subticeret, causam ipse subjecit: *quid mirum si rari in cœlo Reges, raros habent circa se veri monitores*; nec aberravit hic ab Euangelica veritate, Ioannis 7. *Numquid ex Principibus aliquis credidit in eum? At turba libenter eum audiebat*, Marci 12.

Exstat apud Herodotum lib. 3. hæc Æsopi fabula. Leo plus solito febricitans, fœtida in harâ procumbebat: ad quem dum ursus visit, rogatur: num quid fœtoris persentisceret? Respondit hic ut res erat intolerabilem illic loci mephitim exhalare. Quo dicto, leo non parum commotus, urso extrema moliebatur. ejusque ungues vix vivus evasit. Mox lupus accitus, qui priorem tragœdiam perceperat, rogatus: num commodum istic leo, & dignum se diversorium delegisset? dignissimùm inquit, utpote quod crocum, balsamum redoleat. & hac se assentatione leo deludi non ferens, lupum ilicò discerpsit. Dein vulpes cauta & callida subingreditur, quæ numquid olfaceret rogata? Respondit, se gravi catharro per dies complures laborasse, atque adeò nil percipere. Hæc fabula etiamnum luditur: sunt multi leones quibus ægrè est, & qui olido in loco, in limo & fimo jacent: qui ursos vera dicentes volunt discerpere (utinam saltem & lupos adulantes pari sorte mulctarent; sed heu; eos fovent, nutriunt, favent, quibus si quis verum profari valet, non volet, sed dissimulatione vulpina se catharro laborare confingent. Olet quis in sago, in togâ hæresim, olet quis è primatibus luem veneream, olet quis prætor aut mercator usuras, olet Ecclesiasticus simoniam; hos quorum arguere & commovere est, gravi conniventiæ catharro laborant, & fœtidissimos animi morbos potiùs tolerant, quam tollant. Hinc fit tam multa hominum millia vitiis suis quotidie consuescere, nec sordes suas quidem percipere: quibus prompta foret medicina, eas in os & nares ingerere. Dic amabo: perillustris domine, scis palam esse, tali te puellæ consuescere; nobilissime Domine, non vereris, ne tandem cum nominis jacturâ, aliquando innotescat, te istic & illic non unum nothum aut spurium alere? Amplissime Domine, nosti quo nomine passim labores? quod judex corruptus, quod oppressor pauperum & pupillorum audias. Consultissime Domine, quid audio, talem viduam fraude circumvenisti, in tali causa pejerare non timuisti. *Ferveat in nobis zelus iste*, clamat Bernardus, *a ferveat amor Iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratres vitia palpet*. Observarat, ut opinor, quosdam, in eo chirurgos imitari: quod priùs volsello quàm pungant, venam vulneri destinatam palpent, & velut popismate leniant. Liberè omni assentatione missa, mellifluus doctor vitia argui, peccatores pungi vult, ut sentiant, & compungantur: scabiosus enim blanda confricatione delectatur, & vulnera leviter curata putrescunt. Nemo Confessarius *vitia palpet*.

a Bern. serm. in nativ. S. Ioan. Bapt.

palpet. Concubinam dimittendam liberè edicat. Restitutionem famæ aut pecuniæ faciendam præscribat. Occasionem peccandi, præsens periculum declinandum præcipiat. Nemo medicorum *vitia palpet.* Non uxoris lachrymas, non ægri ex nuntio mortis consternationem spectet, sed imminens discrimen denuntiet, ut animæ medico adhibito, disponat domui suæ; Hoc enimverò maximè luctuosum viris Principibus accidere olim questus est Æneas Sylvius, postea Pius II. Pontifex: *Hac miseria Principum*, inquit, *ut ne quidem in morte verum audiant*, dum medici corporis & animæ, moribundum palpant, nec instantis periculi commonere audent.

§. II.

Pro animâ tuâ ne confundaris dicere verum. Eccl. 4.

PAulus Doctor gentium miram apud Galatas gratiam inierat, animos omnium & vitæ sanctimoniâ, & divinâ quâ pollebat dicendi facundiâ ita occuparat, ut ad eum quasi genium, imò Deum cœlo delapsum, quot verba, tot oracula fundentem confluerent: tantoque amore complectebantur, ut oculis ac vitâ suâ ipsum chariorem sanctè affirmarent. Vel ipso Paulo contestante: *a Sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum &c. testimonium enim perhibeo, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.* At ubi hæc dicere exorsus est. *Miror quòd tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit*; ac tandem liberiùs invehi cœpit: *O insensati Galatæ! quis vos fascinavit non obedire veritati? Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consumemini?* Ubi incredulitatem eorum, duritiam cordis, vitia & flagitia perstringere cœpit, derepentè illi capita conferre, Paulum observare, omnia sinistrè traducere, calumnias contexere, hominem execrari aggressi sunt. Cujus omnis odii ac dissidii causam subdit: *Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens?* Ubi Hieronymus. *Hæc est conditio veritatis, ut eam semper inimicitiæ consequantur, sicut per adulationem perniciosam amicitiæ conquiruntur: libenter enim quod delectat, auditur, & offendit omne quod nolumus.* O Paule, Doctor veritatis, quantos hîc viros sectatores habes! qui Regum Principumque gratiâ exciderunt, & inimici facti sunt, dicentes verum! Chrysostomus vir aureus, Imperatori Theodosio non modò in deliciis, sed & in pretio, hoc pluris faciendus, quod pro veritate pectus ferreum objecerit: *b* dum Callitropæ, pauperculæ viduæ causam in Eudoxiam Imperatricem suscepit, quam ut injuriæ convicit; insuper & ludos ad statuam institutos interturbavit ac illicitos dictitavit; *inimicus factus est verum dicens:* & regno pulsus, injuriâ exulavit. In similem eventum comparatus Castroverdo, Augustinianæ familiæ decus, equo ad valvas templi expedito, cathedram veritatis ocreatus conscendisse fertur, nec immeritò, cùm plus vice simplici, ubi sacer Ecclesiastes è suggestu, veri-

a Ad Gal. 4.

b Rader. in Aula San.

ritatem viro potenti enuntiarat, ilicò in exilium ablegatus fit. Non tacendum hic illud Taciti: *a Rara temporum felicitas, ubi sentire quæ velis, & quæ sentias dicere licet.* Laudabilis in Ecclesiâ mos est, post Missæ solemnia, populum benedictâ aspergere; qua si liberaliùs unum aliquem asperserit, in diras hic & execrationes insurgit. *Fluit ut ros eloquium Concionatoris*, quo velut calida aspersi, gravissimè quidam exarserunt. Vidi (ait Chressolius) *b* quemdam nobilem Christianæ eloquentiæ oratorem, qui cùm in flagitiosos hominum mores, ferventer, ut consueverat, inveheretur: quod in unam partem conversus hæreret diutiùs, & torrentem orationis derivaret, in gravem nobilium quorumdam offensionem incurrerit, qui ab eo se oculis designari, & calidiùs aspergi existimabant. En *c qui à veritate auditum avertunt*, quos sibi nempe prurientes auribus quærunt præcones: en in quæ tempora incidimus, ubi sentire quæ velis, & *quæ sentias dicere, sine capitis discrimine non licet.* Berthorius Ordinis S. Benedicti scriptor egregius, *d* hujusmodi refert historiam: Duo idola quodam in templo erecta fuisse, quæ responsa dabant iis, qui se super rebus furto sublatis, colebant & consulebant. Ergo cùm fur, hujus fortè vaticinii ignarus, thesaurum & quidem in æde sacra reconditum, abstulisset: de auctore sacrilegii idolum consulitur, & fur denuntiatur. Qui hoc veritatis oraculum, non diutiùs tolerandum sentiens, per suos complices, caput idolo comminui curavit. Hic unum omnium studium fuit scire, quis idolo manus intulisset: qua super re, dum socium consulunt, thure & victimis propitium reddere conantur, multis tandem extorquent: *Tempora sunt nimis periculosa; nam si quis verum dixerit, capite minuitur.* Aptè hoc responsum in hæc nostra cadit tempora, quæ adeò periculosa sunt, ut nec Ecclesiastes è suggestu, nec Medicus ægro, nec Confessarius pœnitenti, nec causidicus clienti, veritatem dicere audeat.

Ne tamen detur veritas in oblivionem, præcipit ipse Spiritus veritatis: *e Non confundaris pro anima tua dicere verum.* Jansenius exponit, pro vita tua corporali, id est, potiùs mori, quàm tacere veritatem. Secundò, pro vita spirituali, & conscientia tua à peccato liberanda. Quod præstitêre tot generosi pugiles, qui more speculi, liberè cuique vitia ac nævos animi, cum præsenti vitæ suæ periculo manifestarunt. Illustriores in exemplum producam. D. Thomas ille Cantuariensium Antistes, in patriæ natus incendio, numquam aut frigidus, aut obscurus esse potuit. Cancellarius à Rege creatus exin infulis insignitus, eò devenisse se doluit, ubi Deo placere non posset, & Regi: veritatis tamen lucem diffundens, clarior esse cœpit, quàm ut posset ab invidorum oculis tolerari; jamque aulæ gravis esse videbatur, quia levis esse nesciret. Cum Regi as-

a Tac. l. 1. *b* Chress. vac. autumn. p. 188. *c* 2. Tim. 4. *d* Calam. Syl. di. concept. lib. 11. cap. 19.

e Eccl. 4.

sentari

ſentari non poſſet, niſi Deum læderet, ingratus videri maluit, quàm impius. Ergo *inimicus* Regi & Aulicis *factus eſt verum dicens:* & veritatis præco, cum ſæpiùs exilium, non animum mutaſſet, tandem victima ad aram occubuit. Ita Eliſabetha, utinam non æterna Angliæ ſuæ peſtis, *a* cui regnandi artes pro omni erant religione; in Cutbertum Tonſtallum liberè auſum pro veritate dicere; quæ nollet hæreſis audire, crudeliter ulta eſt. Hic nonagenarius ſenex, ipſâ ætate atque infulis Dunelmenſibus venerabilis, Londinum ſe contulerat, ea tantùm gratia, ut Reginam quam de ſacro fonte olim ſuſceperat, quâ Epiſcopum & ſenem decebat libertate, tam abjectè atque impiè pleriſque tacentibus, admoneret. Nec illum conſtantia defecit: graviter enim increpuit, ne quid in Religionis causâ moveret, atque ut ſe Epiſcopum agnoſceret, carituram illam & ſuâ & Dei benedictione, magnificè minatus eſt. His dictis *ergo inimicus factus eſt, verum dicens:* & nonagenarium hominem, præſulem venerandum, & ſuum olim ſuſceptorem duci jubet, atque in carcere extremum ſpiritum truculenter extorquet. Quàm invictiſſimi hi veritatis aſſertores glorioſè occubuerint, luculentum illud Auguſtini comprobat teſtimonium, dum dixit: *b incomparabiliter pulchrior eſt veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum: pro iſta enim fortius Martyres noſtri adverſus hanc Sodomam, quàm pro illâ illi Heroes adverſus Trojam dimicarunt.* Hos inter, qui numerari exoptat: huic purpuratorum albo qui inſcribi deſiderat, non confundatur dicere verum; & Martyrii palmas non in Indiis dumtaxat, ſed & in hiſce partibus ſibi ſuccreſcere fortè comperiet. Quod Michael de Palatio apertè declaravit, *c* dum Monachum quendam Martyrii deſirio vehementer incenſum, in Turciam cogitaſſe commemorat: qui cum in Aulam Soldani imperterritus ſeſe penetraſſet, quorſum veniſſet rogatus? intrepidè reſpondit: *ut mortem inveniam, tibi veritatem prædicando.* Ad quem peracutè Soldanus: *Ito ad Principes tuos, prædica illis veritatem, & mortem, quam apud me quæris, apud illos citò invenies.* Domeſtica exempla non deſunt, qui vel linguâ, vel ſtylo veritatem exponendo, & ſedibus ſuis pulſi, & tyrannicè excarnificati ſunt. Sed omnem vincit tyrannidem, quod religioſiſſimus ſcriptor, & primæ veritatis in Aulâ Madritenſi interpres, fideliter ſcripſit. *d* Dumtaxat narrabo, inquit, quòd Catholicus Rex Philippus IV. conſcius veritatis, publicaſſe dicitur. Hiſtoria hæc eſt: quemadmodum in Philippicâ Aulâ prolata eſt. Monita (primæ veritatis) Concionatoris ex Societate Jeſu, impatientiùs ferens quidam paſtor animarum, in magno honore conſtitutus, & qui ex officio erat cæteros moniturus; acceſſivit in domum ſuam Patrem, & cum meretrice ad facinus jam

a P. Rho. variæ virtut. hiſt. l. 1. cap. 11. n. 9. *b* Aug. ep. 9.

c Delrio adagia ſacra.
d Euſeb. Nierenb. doct. aſcet. l. 1. doct. 2. c. 95. Madrit. S. Script. Profeſſor.

doctâ & suasâ ab ipso Præsule, inclusit in cubiculo, ut clarissimæ & purissimæ tubæ Euangelicæ *veritatis*, vocem turpi scelere contaminaret. Certatum utrimque: meretrix omni lasciviæ arte, omnibus tentat modis castissimum illum virum. Experta est non hominem fuisse; crederet simulachrum aut cadaver, nisi oratio hominis spiritum suaderet. Nam persuasit pœnitentiam mulieri, eamque *in viam veritatis reduxit*. Neque umquam magis concionandi officio pro rostris functus est, quàm in prostibulo: neque scio, utrum majus fuerit, proprium corpus servasse, quàm alienam animam lucratum fuisse. Interim Præsul ille actum de famâ & constantiâ famæ Jesuiticæ illius credens, ostium reserat: sed Concionatorem eundem semper fuisse, & fœminam diversam invenit ex meretrice pudicam, & ferè concionantem, quippe pudicitiam Concionatoris illius prædicans, Angelicum & sanctissimum virum esse detonabat. Verùm quoniam à libidine in crudelitatem transitus ex facili fit, sæviit Antistes ille ferinum ultra modum, & præ rabie mutilat virilia integerrimi illius viri, cujus integritatem magis publicabat scissio: ut denique exanguis & emortuus, duplici laureâ & virginitatis & martyrii dignus haberetur. Nonne verissimè à barbaro Turcarum Soldano pronuntiatum: ut gloriosam quis mortem oppetat, non è remotis orbis partibus petendam esse? Marci 6. Joannes Herodi perfamiliaris, & quasi domesticus, summâ, apud Regem ac omnes dynastas, in veneratione erat: *Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum justum & sanctum.* Hinc conjecturam facere licet, quo loco apud mediastinos fuerit Joannes, quem à justitia & sanctitate, Rex ipse non minùs venerabatur quàm verebatur: cujus prudentia ac nutu regni gubernacula moderabatur: & *audito eo multa faciebat.* Cujus ab ore totus pendebat; *& libenter eum audiebat.* At vir tantus, Regi ac Aulicis percarus: ubi infestas Regi nuptias, velut in speculo objecit, ac testimonium perhibens veritati, liberè edixit: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, inimicus factus est, verum dicens: sic enim Haymonius Albestran. Episcopus. Beatus Joannes Baptista *propter veritatem* quam prædicabat, missus est ab Herode Tetrarcha in carcerem, veluti latro & sacrilegus: dicebat enim illi, non licet tibi habere uxorem fratris tui. Ob nullam aliam causam missus est in carcerem, nisi *quia prædicabat veritatem*. Ob nullam aliam causam capite & vita privatus est. Similem stropham S. Kiliano *a* struxit pellex Golberti Wirzburgensium Ducis: quæ & ipsa fratris uxor, cum esset Golberto copulata, atque ea propter Dux à sanctoKiliano sæpius commonitus, tandem cessisset, scortumque à se amovisset: in virum sanctum illa ex insidiis sicarios immisit, qui eum trucidarunt. Hæc pellicatum suum rescindi impotenter tulit, alius se ebrietatis, ambitionis notari indignissimè sustinuit, & in veritatis

a In vita S. Kilian.

præ-

præcones ferro & face animadvertit. Cambysem Regem nimis deditum vino Prexaspes, teste Seneca, unus ex carissimis hac verissimâ sententia perstrin-
„ git : *a Turpem esse ebrietatem*
„ *in Rege*, quem omnium oculi
„ auresque sequerentur. Ad hæc
„ ille : Ut scias, inquit, quemad-
„ modum numquam excidam
„ mihi, approbabo jam, & ocu-
„ los post vinum in officio esse
„ & manus. Bibit deinde libe-
„ raliùs quàm aliàs, capaciori-
„ bus scyphis, & jam gravis &
„ vinolentus, objurgatoris sui fi-
„ lium procedere ultra limen ju-
„ bet, allevataque super caput si-
„ nistra manu stare. Tunc inten-
„ dit arcum, & ipsum cor adole-
„ scentis (id enim se petere dixerat) figit. Ac respiciens patrem an satis certam haberet manum, interrogavit. Verissimè ad hoc barbarum facinus exclamat Seneca : *b O Regem cruentum! ô dignum, in quem omnium suorum arcus verterentur!* Huic Harpagum subdit, qui Regi suo Persarum, liberè quoque super mensam veritatem denuntians, supplicium tulit, ut proprios filios apponi sibi epulandos conspexerit. Adeò jam vero illud longè verissimum, cum viris Principibus neminem impunè esse cerasa, quin lapillis impetatur. Neminem in prætura aut prælatura virum constitutum, liberalioris potus, citra periculum offensæ commonere posse. Quod Divus Fulgentius, sive à fulgure, sive à fulgore illustris, ferre non sustinens; *c Res est* (inquit) *extrema dementia, odisse loquentem veritatem.* Quam vel inviti, in publico illo supremi judicii senatu, audire cogentur. Id minimum veritus Henricus Quartus Castellæ Rex, *d* veritatem se monenti „ linguam præcidi jussit, & in exemplum ad patibulum populo ostendi. At cœlum miro prodigio dilectam sibi ostendit veritatem, quam homines oderunt: elinguis ille elata insonuit voce, contestatus linguam illam suam esse veritatis, nomine veridico gloriatus & gloriosus. Ubi illud occurrit pro concione quàm maximè exaggerandum : neminem sanæ mentis reperiri, si in speculo nævos contempletur, qui, priusquam in publicum prodeat, eosdem eluere non satagat; ii verò qui ebrii speciem (quod olim Lacedæmonii in usu habuêre) ad horrorem potatoribus subjiciunt, vinum sanguine luunt; qui si speculo credidissent, ad tunsionem pectoris manus vertissent, & calidis lachrymarum rivis maculas eluissent. Acutè olim in Clodium dixit Cicero: *Credo postquam tibi speculum allatum est, longè te à pulchris abesse sensisti :* Magister veritatis *e splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo suæ mentis faciem inspiceret, & quàm conformis imagini Dei aut quam dissimilis esset, cognosceret.* Hic avarus, temulentus, lascivus, iracundus suæ mentis faciem inspiciat, & *quàm longè à pulchris absit* intuebitur. Hoc gentilis Philosophi documentum est : *f quibusdam iratis profuit aspe-*

a Sen. de ira l. 3. c. 14. *b* Senec. ibid. c. 15. *c* S. Fulg. in Decol. S. Ioan. Bapt.

d Nierenb. Theopol. par. 2. l. 2. c. 7.
e S. Leo ser. 1. de Quadr.
f Senec. lib. 2. de ira c. 36.

xisse speculum; perturbavit eos tanta mutatio sui. Ita profuit plurimis, speculum veritatis ante mentis oculos objectum fuisse.

§. III.

Quinam libenter veritatem audierunt.

QUid excelsioris animi sit: liberè veritatem dicere, an promptè & placidè eandem audire, in Ambrosio & Theodosio decernite. Ambrosius re & nomine dulcis; sic tamen ut & aculeum subinde hæc apis ostenderit, eò potissimùm tempore quo Theodosium Imperatorem ob factam Thessalonicensium cædem, ubi ad septem millia occubuerant, *a* inauditæ istic crudelitatis ac tyrannidis insimulare; sed & templi aditu arcere, ac ultro ingredi volenti obsistere non dubitavit, hac brevi invectiva usus: *b Quibus oculis intueberis templum illius, qui est omnium Dominus? quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? quomodo, quæso, manus, injusta cæde & sanguine respersas, extendere audebis?* Ad hæc Imperatori objicienti, Davidem quoque peccasse, respondit: *Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem.* Et extemplo fulmen excommunicationis illi intentavit, caveret scelus scelere accumulare. Audiit & obaudiit Imperator, ac regio omni ornatu posito, resipuit: admissum crimen palam confessus lachrymis eluit. Quid existimatis auditores? num Imperator scelus agnovisset, num pœnitentiam egisset, num cum suis cum Deo in gratiam rediisset, si veritatem audire detrectasset?

Ast rari nunc Ambrosii, rariores Theodosii. Paucos sua vitia spectare delectat, unde & ea emendare, & in viam veritatis redire detrectant. Compello vos, si aberranti à via, quispiam in sylva aut saltu occurrerit, errorisque admonitum in recta deduxerit, an is duci suo succensebit? Orator ad amplissimum cœtum dicturus, cum calamo in aure pergens, si ab obvio monetur, nonne injuria in eum exsurget? quis in vestibulo aulæ, ut principem adeat, monetur, quod chlamydem inversam gestet, num is in monitorem excandescet? Consimile argumentum inducit Chrysostomus: *c Nos si quem videmus veste breviori, & ex lateribus aperta: vel alioqui indecenter vestitum, admonemus & emendamus; verum videntes vitam unius dissolutam, ne verbum quidem proferimus; videntes mores ejus nefarios, prætermimus; tametsi ridicula sint ea, quæ ad vestes pertinent: periculosa autem & damnosa, quæ ad animam.*

Philippus Macedonum Rex, *d* cùm in publico cœtu, sublata veste parum decorè consedisset, quidam in aurem ei insusurravit: parce mi Rex, chlamydem paulò dimitte, ad istum modum minùs decenter sedes. Monitorem Philippus perhumaniter excepit, & gratia ac libertate donavit, dicens: nesciebam illum mihi tam benevolum & amicum esse. *e Tametsi redicula sunt quæ ad vestes*

a Theodor. lib. 5. hist. cap. 17.
b Amb. l. 5. ep. 28. ad Theodos.

c Chrys. to 5. hom. 13. de ferend. reprehens. *d* Plut. in Philippo. P. David veridicus pag. 163. *e* Chryso. cit.

ftes pertinent; periculosa autem quæ ad animam. Sub sacrificii solemnia; in publico orantium,& cœlitum adstantium cœtu, quis garrit, ridet, jocatur: amicè monendus est, quoniam ad istum modum indecenter sedet. Quis in conviviis,in choreis,familiariùs puellæ adblanditur: monendus quoniam ad istum modū indecenter sedet.Indecenter quis sedet in popinâ, in prostibulo: monitio æqui bonique consulenda est. Indecorè & perniciosè Judæi in Hispaniâ sedem fixerant, malum hoc è visceribus regni sui pellerent, acriter Reges monere vir religiosus non destitit. *a* Porrò Thomas de TurrecremataTheologus, hæreticæ pravitatis in Hispaniâ inquisitor, & Catholicorum Regum Confessarius: cum Reges conclusissent Judæos regnis suis detinere, ob ingentem vim pecuniæ, quam illis Judæi ne expellerentur offerebant. vir zelo Dei incensus, imaginem crucifixi sub habitum religiosum abscondit, & intrepidè ad Reges ingressus, sic exorsus est: Triginta denariis Judas semel Dei filium vendidit, Celsitudines vestræ pro triginta millibus eundem vendere cogitant. Ecce ergo eum vendite: quo inopinato veritatis oraculo, velut fulmine icti obaudierunt, & quamtumvis vehementem perorationem, sibi gratam ostendentes, omnes de facto suis limitibus pestes expulerunt, & præ auri corruptelâ, pretiosam supra omnes divitiarum thesauros,complexi sunt veritatem. Norant hi illud Evagrii: *veritatem tacere, est aurum sepelire*, quod sub Turrecremata repererunt. *b* Haud aliter, quàm de thesauro in sylvis reperto, Antiochus se veritatem invenisse exultabat: venatum hic in sylvas ierat, cùm fortè à viâ, & sociis aulicis longiùs aberrasset, palabundus tandem ad rusticam casam oppido lassus divertit; ubi ut peropportunè plures homines aggrestes discubuerant, se iis ignotum socium adjungit. Sermo prolixior de Rege habitus, & pro innato suo candore: omnia Regis vitia à conglobatis effudêre, & citra fucum nudam veritatem oculis subjecêre. Manè ubi diluxerat, affluentibus aulicis sortem suam deprædicavit, dicens: *Heri primùm ipsam reperi veritatem.* O si Reges, si Prælati, si patresfamilias quandoque post carecta laterent,post januas auscultarent, ignoti inter suos delitescerent,quàm hi salubriter tyrannicum suum in subditos imperium, profusam illi vitæ suæ ac suorum licentiam, sordidam isti in domesticos avaritiam ac tenacitatem,non sine rubore exaggerari audirent. Quam veritatem attendere, adeò necessarium duxit Sanctus Carolus Borromæus, ut eam non ex insidiis aucupari, sed palam suis proponi præceperit.*c* Illam quippe inter familiares suos, numquam satis laudatam consuetudinem instituisse perhibetur,ut stato tempore ad colloquia convenirent, in quibus non modò fas, sed & obligatio cuiq;

a Possev. in apparatu tom.2. tit. Thomas de Turrecrem.

b Beyerlinck prompt. in Festo. SS.Pe. & Paul. Epidorp. Ens. lib. 1. p. 207. Simile quid de Francisco I. Galliæ Rege memorat.

c P. Rho, var. virt. hist.l.1.c.11.p.151.

esset, invicem in veritate admonendi de his, quæ minùs eorum in moribus, Philosophiæ Christianæ congruerent. *Hoc ille consilio* (inquit auctor) *id quod Principibus vix umquam contigit, videtur consecutus, ut veritatem audiret loquentem.*

Quod Ludovicus Pius Galliarum Rex, *a* postremum filio moribundus inculcavit: cujus hoc aureum etiamnum exstat monitum: Ita te geras fili, ut confessarii ac familiares tui, possint te liberè admonere mali, quod feceris. *b* Hanc utilissimam non modò sed propè necessariam, ad res optimè atque feliciter gerendas veritatem, ita suis Magistratibus familiarem voluit esse Societas JESU, ut singulis, ipsique etiam Præposito Generali monitores addere, utque illos audiant latis legibus decernere ad publicam salutem putarit pertinere. *Providit*, inquit, *ne veritate carerent, cujus caritate aulæ pleraque omnes laborant.* Atque hoc illi chariores & majori in pretio, quo promptiùs veritati aures præbere consueverunt.

a In vita S. Ludovic.

b P. Rho variæ virtut. hist. l. 5. c. 4. p. 570.



EMBLE-

EMBLEMA XX.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21.



NATVRA MITIS. a

DOMINICA PALMARUM.

De eximia Domini Jesu mansuetudine, quam non modò per omnem vitam exercuit, sed & nobis, cùm verbo tùm exemplo suo, ad imitandum proposuit.

§. I. Mansuetudinis Magister hanc suis doctrinam tradidit: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* b

§. II. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem.* c

§. III. In omnibus *affabilem te facito.* d

a Ovid. epist. 45. b Matth. 11. c Prov. 15. d Eccl. 4.

DOMINICA PALMARUM.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21.

ÆLIANUS lib. 14. cap. 40. hanc de Rege apum quæstionem movet, utrum aculeo omninò careat? quâ super re varii in varias abiêre sententias: Philosophus Rom. lib. 1. de Clement. cap. 19. Regem apum omni spiculo inermem asserit. *Iracundissima*, inquit, *ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt:* Rex ipse sine aculeo est. *noluit illum natura, nec sævum esse, nec ultionem magno constaturam petere: telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit.* Cui hoc præclarum documentum subjungit: *exemplar hoc Regibus magnis ingens est. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores cum tantò hominum moderatior esse animus debeat, quantò vehementiùs nocet.*

Senecæ consentit Petrarcha, cujus hoc votum est: *utinam natura ut apum, sic hominum Reges, aculeo exarmasset.* Quod Diogenes, Alexandrum probè armatum intuitus, edocuit; *a* dum Regium ei signum deesse, liberè pronuntiavit: id Alexander admiratus; nonne, inquit, modò dicebas, nihil esse opus Regi, Imperii signis? ita per Jovem inquit, externa signa, tiara & purpura, Regem non faciunt; at signum aliud, quo animus insignis fit, in te requiro. Et quodnam illud quærit Alexander? an non audisti, inquit, quòd Rex apum cæteris emineat, quòd solus aculeum non habeat, nec arma circumferat; tu verò mihi videris etiam dormire armatus; addens timidi esse, gestare arma. Quâ velut parænesi Alexandrum incitabat, lenitate ac mansuetudine potiùs, quàm rigore & armis Regnum firmare ac ampliare conaretur. Hinc & tribuni militum apud Romanos enses ferebant sine acumine, innuentes Principem debere (ut Rex apum facit) neminem ferire. Spectavit hoc Ferdinandus Medicæus, magnus Hetruriæ Dux, *b* qui uti erat simul præfectus alæ nobilium cataphractorum in civitate Senensi, & uti proposuerat, sola dignitate eis præesse; pro gentilitia tesserâ, Regem apûm cum choro & satellitio pinxit, cujus symboli lemma fuit: *c majestate tantùm. Sed enim*, inquit Ambrosius, *leges naturæ non literis scriptæ, sed moribus impressæ: ut leniores sint ad puniendum, quò maxima potestate potiuntur.* Ita videre est baculum aut scipionem oblongum esse militum centurioni, chiliarchæ breviorem, Duci exercitus brevissimum, quemadmodum & Regibus ac Imperatoribus, quod sceptrum vocitamus. *d* Id cùm quidam Rex Gallorum, victor Insubrum, urbem ingrediens typo quodam, aut symbolo indicare vellet, Regiam suam chlamydem multis apum figuris distinctam, atque has inter Regem eminentem,

a Dio. Chrysost. orat. 4. de regno.

b P. Silv. Petra S. in symb. heroic. l. 1. pag. 34. *c* V. Aldrov. de insectis l. 1. c. 1. *d* Aldrovand. cit.

tem, opere phrygio non minùs ingeniosè, quàm pretiosè effingi curarat. Vt eleganter Baptista Mantuanus cecinit:

In medio Rex victor equo sublimis in alto
Murice conspicuus, rutilanti splendidus auro
Signabatur, apum sparsim toga tota figuris:
Cumque apibus, regnator apum fulgebat in ostro,
Pictus acu, scriptumque notis epigramma Latinis:
Rex mucrone caret, quo significare volebat,
Rex pius & clemens, qua mente intraret in urbem,
Quove animo debent populis convivere Reges.

Nunc vos oro, oculos animumque convertite ad Regem nostrum, qui hodie Hierosolymam triumphabundus ingreditur: *Ecce*, inquit Euangelista, *a Rex tuus venit tibi mansuetus*, benignus, suavis, omni felle & amaritudine carens, nullo satellitio stipatus, nullis armis formidandus, unico hoc Regis apum symbolo gaudens: *Rex mucrone caret.* Quæ ad mores Regum ac Principum terræ, Ambrosius traducens, ait: *b morum mansuetudo in Rege præcipuum.* & Doctor mellifluus ad omnes Prælatos extendit: *c omnibus*, inquit, *optanda est quidem ista perfectio* (mansuetudinis) *propriè autem optimorum forma est prælatorum.*

Aliter Philosophorum princeps Aristoteles, & solertissimus rerum naturalium indagator Plinius censuerunt, Regem apum aculeô instructum esse; in eo tamen nobiscum consensêre, quod eum nunquam exerat, aut in quemquam defigat. *Aculeum*, inquit Aristoteles, *d Reges & Duces habent quidem; sed eo non pungunt; quare quidam nec habere eos censent.* Ac unà hoc tacitus monet: respice parvum, sed divinum animal: pone & tu non in vulnere, sed ante vulnus aculeum: plebejum enim illud, hoc regium. Alioqui sine clementia & mansuetudine Rex non eris, at ne homo quidem, sed quod in fabulis dici solet: *coronatus Leo.* Plinius verò non constare inter Auctores affimavit, *Rex nullumne solus aculeum habeat, majestate tantùm armatus: an dederit quidem eum natura, sed usum ejus illi tantum negaverit.* Sed his omissis, audire libet magni Basilii oraculum, breve quidem verbis, sed auctoritate viri venerandum: *est*, inquit, *e & ipse Rex aculeo præditus, spiculoque armatus; at numquam irritatur ad ultionem, numquam utitur illo. Leges quædam istæ naturæ sunt, institutaque, non literis mandata; tardos, inquam, eos ad vindictam pœnamque sumendam esse oportere, qui maximas obtinent potestates.*

Vbi promptiùs Rex noster aculeum, quàm in Judæos exerere potuit? quem ut represserit, attendite: erant Judæi duræ & indomitæ cervicis, adversa & rebellia cœlo capita; & tamen ad eos venit *Rex mansuetus*; excoluerat illos per annos omnino triginta tres, eoque amplius, & quà vivæ vocis oraculis, quà sanctioris vitæ exemplis edocuerat; & tamen

a Matth. 21. b S. Ambr. l. 5. hexam. c. 21. c S. Bern. serm. 25. in Cant.
d Arist. l. 5. hist. animal. c. 21. e S. Basil. lib. hexam. hom. 8.

ei pervicacius resistebant. Nec ideo abit, illis iratus & durus, sed potius ad illos venit *Rex mansuetus*. In eorum oculis ingentia patrarat miracula, naturamque totam propè commoverat, & maria, & ventos, & morbos, & mortem, & inferos ipsos edomuerat, ut suæ Doctrinæ fidem adstrueret; & tamen eam negabant perfidi & contumaces Judæi, nec ideo decedit ab illis offensus, sed venit potius *Rex mansuetus:* ut animarum Pastoribus, Prælatis ac patribus insigne daret patientiæ & mansuetudinis vel exemplum, vel documentum. Quærit solerter Chrysol. *a quid est, quod posteaquam terribilis Deus* (qualē se in lege veteri præbuit) *mitißimi pastoris elegit officium, personam pastoris induit?* respondet, ut ferocientes anteà gentes, discordes, inimicas, & morum crudelitate barbaras, *ad ovium duceret ac redderet lenitatem.* & hic cæteros inter est fructus illius appellationis, quâ se Jesus pastorem bonum & dici & esse voluit; rara scilicet & insignis quædam mansuetudo, quæ tum in vultu, tum in oculis eluceat: tum etiam audiatur in voce, sentiatur in opere. Aberrarat ovicula, imò & pastorem suum dura fronte feriebat, infandus proditor Judas: ad quem blanda voce Dominus: *b Amice ad quid venisti?* noverat quo animo, quo pede venisset: infido scilicet ac crudeli, ut vincula, ut mortem inferret. Neque tamen ideo aut acriori pupugit voce, aut graviori pœna mulctavit, aut fulmina cœlo expedivit; sed inauditâ post homines natos

a Chrysol. serm. 6. *b* Matth. 26.

mansuetudine, *Amicum* appellavit; nimirum mel & lac sub lingua ejus. Vbi Bernard. *c dulcis erat Iesus in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine, dulcis in opere.* Vt ii quoque essemus *& nos*, illius exemplo vel præcepto. *Mel semper sit in ore*, ajebat Chrysostomus: *per ora mittamus nihil nisi mellitum, nil asperum, nihil amarum; sed omnia cœlis ipsis digna.*

c Bern. serm. de Cœna Dom.

§. I.

Mansuetudinis Magister hanc suis Doctrinam tradidit: discite à me quia mitis sum & humilis corde. *Matth.* 11.

AUreum hoc sponsi sui monitum, ne unquam animo excideret, *d* Joanna Portugalliæ Princeps, cum formæ ac virginitatis florem intra Religionis septa tutò collocasset, in eo corio quo colus obligatur, inscribi fecit: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* In quem locum doctè Jansenius: bene Dominus omni ple- " nus virtute, harum duarum se " proponit exemplum. Tum " quia singulariter has in tota sua " conversatione expressit, tum " quia hæ virtutes, & omnibus " sunt parabiles, & requiem ani- " mabus unicè præstant. Quare " Juditha, cujus in muliebri mun- " do duæ illæ pulcherrimæ gemmæ fuerunt, in Dei luce id recognoscit: *e humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Hinc Paulus suis precibus vim sum-

d Vasconcell. de Reg. Lusitan. pag. 247.
e Judith c. 9.

mam

mam additurus : *a obſecro vos,* inquit, *per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti*; quam per omnem vitam mortalibus imitandam propoſuit. Illam docuit infans, illius pulcherrimis exemplis, velut floribus reſperſa fuit adoleſcentia & juventus. Denique ad extremum vitæ diem, tamquam in publico, & latè ſonante auditorio, de colenda & retinenda animi manſuetudine mundum erudivit. In hac ſchola informatus S. Leo, & magiſtri divini memor: *b nec puero,* inquit, *tolerantia paßionis, nec paſſuro defuit manſuetudo puerilis.* Ille mortalium genus, teſte Hieronymo, *c* non fulminans & tonans; ſed in præſepi vagiens, & tacens ſalvavit in cruce. Quare cum à diſcipulis invitaretur, ad evocandum è cœlo ignem, arguit illos, & efferveſcentium animorum motum compreſſit, dicens: *d neſcitis cujus ſpiritus eſtis.* Spiritus Chriſti non iracundus, non turbulentus; ſed ſpiritus manſuetudinis, ſpiritus lenitatis: non enim in commotione Dominus. Hinc cum Elias ſe ad videndum cœli Regem compoſuiſſet, *e* auditus primum eſt ſpiritus grandis & fortis, ſubvertens montes, & conterens petras ante Dominum; deinde commotio, pòſt ignis: ad extremum ſibilus auræ tenuis, in quo Deus ut vehiculo ad Prophetam adlabebatur. Vt oſtenderet, ait Procopius, *f* quod facilè ſibi ſit, fulmina è cœlo latè cladem ferentia demittere, concutere orbem, petras conterere; *ſed placet mihi manſuetudo,* inquit, *non in ſpiritu, non in commotione Dominus, ſed in animi placabilitate.* Hunc ſpiritum patris ſui Chriſtus eſſentialiter hæreditavit, utque in hominem transfunderet, nunc columbæ, nunc agni, aut ovis ſymbolo ſeſe manifeſtavit. Hieroglyphico enim cœleſti, hoc in baptiſmo Chriſti fuit expreſſum, ut Chryſoſtomus advertit: *g* quærit enim, cur tunc ſpiritus in effigie columbæ apparuit? *manſuetum,* inquit, *hoc animal ac mundum eſt: quia igitur ipſe ſpiritus, manſuetudinis eſt ſpiritus, propterea in ejus ſpecie videndum ſe exhibuit.* Sub ovis verò ſpecie, picto genere orationis ſacri ſcriptores celebrarunt. Qui de ſeipſo dixit: *h ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.* Vbi in ſermone græco obſervandum occurrit, nomen Societ. Ιησῦς, hoc eſt Jeſus, per anagrammatiſmum verti: *σὺ ἦ ὄϊς, tu ovis*; quod etiam grande & pretioſum nomen cum exprimere vellet Zacharias, non ovem, ſed quod repræſentat ovis, *manſuetum* poſuit. Sic enim D. Matthæus ſacrum illius dictum producit, cum de placidiſſimo ejus triumpho Jeroſolymam ineuntis memorat: *i Ecce Rex tuus, venit tibi manſuetus.* Meſſiæ nomine duo complectitur; cum dicit Regem, Chriſtum Domini, hoc eſt unctum intelligit: cum *manſuetum,* Jeſum ſignificavit. Jure itaque Leſſius, *k* efficaciſſimum ad hanc virtutem excolendam incitamentum adducit: « conſiderationem manſuetudinis di- «

a 1 Cor. 10. *b* S. Leo. ſerm. 7. de Epiph. *c* Hieron. epiſt. 62.
d Luc. 9. *e* 3 Reg. 19.
f Procop. in l. 3 Reg.

g Chryſ. ho. 13. in Matth.
h Ierem. 1. *i* Matth. 21.
k Leſſius de jure l. 4. c. 4. dub. 3.

vinæ,

„ vinæ, quæ infinitis mortalium „ peccatis provocata, iram cohi- „ bet; & solita beneficia largissi- „ mè effundere non cessat. Se- „ cundò, considerationem man- „ suetudinis Christi, quæ tota vi- „ ta in conversatione cum pecca- „ toribus & rudibus enituit. Sed maximè in injuriis & contumeliis tempore prædicationis, & præsertim passionis. Stupendam Christi mansuetudinem, à filio mater, velut sibi propriam hæreditavit: ut enim in orbe nil similius Dei filio, quàm hæc Dei mater, ita nihil mitius potuit reperiri. Miratur Bernardus Mariam, mansuetudine omnibus omnia factam; nec porrò ei defuit occasio virtutis hujus exercendæ, hostes habuit, & multos & potentes: cum enim filium omnes penè sacri ordinis homines, Pharisæi, Scribæ, Sacerdotes, Pontifices, acerbissimis odiis sint insecuti, plebem ut secum sentiret, in eum instigarunt, contemptim hæc in vulgus spargentes: *a nonne hic est fabri filius, nonne mater ejus dicitur Maria? & scandalizabantur in illo.* si invidiâ pleni, hostes filii, matris certè amici non erant. hos omnes mater mitissima tam incredibili morum suavitate pertulit, ut Ecclesia hanc jure mansuetudinem extollens canat: *Virgo singularis, inter omnes mitis; nos culpis solutos, mites fac & castos.*

Cum Augustus Imperator arrogante censu orbem universum turbaret, virgo Deum utero gestans, Nazaretho Bethlemum proficisci compulsa, promptissimè paruit: nec Cæsari, nec alteri malè precata, nec Regii sanguinis à Davide stirpem jactans, iter suscepit instar pauperculæ: & cum ubique repulsam passa, undique exclusa, vix demum stabulo recepta; ne verbo mansuetudinem læsit, eam edocta ab illo, quem intra viscera gestabat. hinc meritò de hac virgine Bernardus: *b Revolve*, inquit, *Scripturæ seriem, & si quid in Maria austerum repereris, de cætero eam suspectam habeas:* Porrò regiæ hujus virginis laudes, pluribus prosecutus Bonaventura: *c* Maria, inquit, mansuetissima fuit per patientissimam lenitatem, contra omnem adversitatem; gladius quidem cor ejus pertransiit, sed per odium non occidit, nec per impatientiam vulneravit. *nam sermo ejus*, ut Damascenus loquitur, *d jucundissimus, ex leni animâ progrediens: est enim mansuetudo animi dulcedo, quam non vincit amaritudo.* Eodem spiritu lenitatis, omnes mitissimi magistri discipuli imbuti fuêre; qui, velut oves missi in medio luporum, ovis mansuetudinem inter atrocissima tormenta comprobarunt. nam si verè ac sapienter Romanus scriptor dixerit: *e tunc præcipua laus mansuetudinis, cum ira justissima causa est*, quis eos satis à mansuetudine collaudarit, qui pro odio amorem, pro injuriis gratiam retulerunt, & hostes suos infensissimos, ut amicos ac filios complexi sunt? ex his Antesignanum, Hilarius deprædicat dicens: *f nescisse Stephanum inimicis irasci*, nescisse iis malum

a Matth. 13.

b S. Bern. serm. 4. super missus.
c S. Bonav. in speculo c. 8.
d S. Damas. orat. 1. de Nativ. Virg.
e Plin. l. 9. ep. 21.
f S. Hilar. serm. de S. Steph.

malum imprecari; sed oratione mansuetudinis plena, amico animo, hoc Deum obnixè postulasse: *a Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Paulus, qui antea lupus rapax, factus à Deo est agnus mansuetus: sic enim ad Thessalonicenses scribens, morem suum exponit: *b facti sumus lenes, & placidi in medio vestrûm; tamquam si nutrix foveat suos filios.* atque hanc virtutem ita fidelibus commendare solitus, quasi foret sanctimoniæ flos; nam Titum monet, Ecclesiæ novæ præsidem, ut doceat Christianos omnem ostendere mansuetudinem. & alio in loco, in iisdem *c spiritum lenitatis* requirit. & cum Timotheum Hierarcham divinis monitis imbuit, hortatur imprimis, ut *d sectetur mansuetudinem*; & eâ causâ, *hominem Dei* illum appellat. quo virtutis elogio, jure etiam nuncupandus mitissimus ille Præsul Genevensis Franciscus de Sales, *e* qui, quanta mansuetudine in omni vitâ exstiterit, ex eo colligere est: quod à morte, nihil fellis habuisse compertus est; sed exiguum fellis in lapillos concreverat, qui dein auro & annulis intexti, amuleto iis, qui nil nisi fel & bilim vomunt, futuri. Ipsius verò divini numinis mansuetudinem, in tolerandis peccatoribus, perfectissimè in se expressit Moyses, qui norat & expertus fuerat in tantâ Pharaonis pertinaciâ, quia verè Dominus *f longanimis, & multæ misericordiæ,* quia *g suavis, & mitis est.* quam virtutem inter cæteras divinæ naturæ perfectiones & attributa, velut Deo propriissimam, studiosissimè æmulando (erat enim *h vir mitißimus super omnes homines, qui morabantur in terra*) ad eum dignitatis & sanctitatis apicem evectus est, ut alter Deus in terris haberetur: *ecce* ait Dominus, *i constitui te Deum Pharaonis.* quod fecit, mansuetudinis & longanimitatis gratiam ei unà conferendo, ut Oleaster hîc testatur: *expende, quæso, quanta sit dignitas sancti Moysis, quem Deus sic evexit: ut Deum Pharaonis constituerit. & similiter quanta sit prudentia & misericordia, ut non eum statim occiderit, sed patientiâ quasi Dei tulerit, & admonuerit, quis enim hominum habens Dei potestatem in inimicum suum tam sævum, ad momentum illum ferret? sed Dominus simul cum potestate, dedit sancto viro longanimitatem, quâ Regem æquo animo ferret.* Themistius oratione 5. quærens, cur Lycurgus ab Apollinis oraculo, Deus vocatus sit, respondet: *quid in Lycurgo tandem animadversum, cujus gratiâ Deum potiùs, quàm hominem appellandum censuerim? facilitatem nimirum, justitiam, atque pietatem: harumque principem omnium humanitatem; cujus unius beneficio, Reges ad Dei similitudinem accedunt.* Non potuit hujus virtutis excellentiam altiùs attollere, quàm dicere, hominem mansuetudine Deum fieri. quod & S. Gregorius Nazianzenus affirmavit orat. 17. nam cum publicè concionem haberet, audiente Præfecto, quem iratum lenire cupiebat: *nihil*, inquit, *tam divinum homo habet, quàm benignitatem ac beneficentiam; licet tibi*

a Act. 7. *b* 1 Thess. 2. *c* ad Gal. 5. *d* 1 Tim. 6. *e* In vita. *f* Psal. 102. *g* Psal. 85.

h Num. 12. *i* Exod. 7.

nullo

nullo labore Deum fieri. noli divinitatis consequendæ occasionem abjicere: alii opes suas effundunt, alii exhaustam carnem spiritui mancipant, & propter Christum emoriuntur, alii charissima pignora Deo consecrant, nec tibi Abrahæ sacrificium inauditum est. horum nihil à te postulamus, pro omnibus hoc unum offer, nempe benignitatem, quâ Deus magis, quàm cunctis rebus in unum collatis, delectatur. Scire quippè vultis, quid Moysen in tantam cum Deo familiaritatem induxerit, ut loqueretur cum eo, sicut loqui solet homo ad amicum suum? induxit *mansuetudo.* quid ad summam dignitatem & principatum in terris extulerit? extulit mansuetudo. quid ei potestatem, prope dicam divinam, contulerit? contulit mansuetudo. quid denique non modò superis, sed & mortalibus eum maximè gratiosum reddiderit? reddidit mansuetudo: etenim ut Ambrosiano ore loquar, *a sic totius plebis mentes devinxerat, ut plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.* Rex David, cum Moyse certans mansuetudine morum, ab hac virtute, apud Deum & homines benevolentiam captat: *b Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* ubi Mediolanensis Antistes, Regium hoc affabilitatis exemplum ingerens: *Rex David,* inquit, *quàm mitis, quàm blandus, humilis spiritu, sedulus corde, facilis affatu, fortis in prælio, mansuetus in imperio, patiens in convitio: ferre magis promptus, quàm referre injurias. ideo tam charus erat omnibus, ut juvenis ad regnum etiam invitus peteretur, & resistens cogeretur. senex ne prælio interesset, à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quàm illum pro omnibus. itaque parentes eum filiis, filii parentibus præferebant.*

Tantarum virium est affabilis mansuetudo, ad conciliandos animos. quin ipse Regius Propheta, mansuetudinem sibi bonorum omnium scaturiginem fuisse, testatus est, idque cecinit in egregio poëmate, quod plenus jam dierum, & victoriis multis nobilitatus sospitatori suo Deo consecravit, sic enim l. 2 Reg. c. 22. *mansuetudo mea multiplicavit me,* auxit, promovit res meas, opes, honores, regnum, diadema contulit, innumeris bonis cumulavit, & super hæc omnia, copiosam Dominus gratiam impertivit, quà mites, apud Deum & homines gratiosi, velut uno humero ad summos honorum apices evehuntur. hanc sapientissimi Regis promissionem Chrysostomus expendens: *c mansuetis dabit gratiam,* sic ait: *d mirabile Salomonis promissum. an iis nihil dabit gratiæ, qui jejuniis, qui castimonia, qui eleemosynis, qui virtutibus aliis suo conditori sese commendarint? imò verò dabit, sed mites erunt primi, qui optimam partem, qui totos principatus auferent in præmium;* quod Siracides apertissimè confirmat: *e sedes ducum superborum destruxit, & sedere fecit mites pro eis.* qualis subditorum exultatio, dum inhumanos illos, immites, asperos, ferrei oris homines, sede suâ excuti, & in eandem mites reponi

a S. Amb. l. 2. off. c. 7.
b Psal. 131.
c Prov. 3. *d* Chrysost.
e Ecc. 10.

reponi vident? Florentius Cadurcensis Episcopus hac virtute, ut aureo gradu viam sibi munierat ad sublimem honoratamque dignitatem, hinc S. Paulinus propriis eum laudibus ita exornandum putavit: *a proculdubio per mansuetudinem ovis, & agni innocentiam, pastor esse meruisti.* Cui hæc prædicata competunt, is in Pastorem, in Præsidem, in Præsulem, in Principem deligendus est. homo immitis, ferox & barbarus, leo aut lupus, se & regnum suum destruit: non me, sed ipsum Hieronymum attendite: *b qui scorpionibus cadit, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, cito regnum mansueti David dissipat: certè Romanus populus, ne in Rege quidem superbiam tulit.* tum à contrario regimẽ mansueti commendat: *Dux ille Israëlitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cujus Imperium cœlum, & terra, & maria serviebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generavit, mansuetissimus prædicatur: & ideo per quadraginta annos obtinuit* (supra sedecim centena millia virorum) *principatum, quia potestatis superbiam* lenitate & mansuetudine *temperabat.* Tanto tempore rebellem, refractarium, durissimæ cervicis populum, numquam gubernare, nisi mansuetudine potuisset: quâ solâ Reges ac superiores, sibi regnum ac regimen stabiliunt. Vnde Chrysostomus & Aug. & cum illis Jansenius in illud: *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram,* dicunt: *bujus certè terræ possessio, rectè intelligitur promitti mitibus,* tum quod frequenter contingat, ut tales stabilius & quietius *sua possideant, quàm immites, qui multoties & animam & hæreditatem paternam contentionibus suis perdunt.* Hinc addit Jansenius: *mansueto homini totus mundus patria est; totque locis habet fundum, quot locis reperit amantes.* Experti sunt, qui post lene ac mansuetum regimen; in ordinem redacti, omni loco velut Angeli è cœlo delapsi excipiuntur. cujus rei rationem reddit S. Thomas 2. 2. q. 157. art. 4. ad 2. *quia mansuetudo reddit hominem Deo & hominibus acceptum.* Est illud perpetuâ memoriâ dignum Agesilai apud Plutarchum: rogatus qui tutò imperaret? *si sic* imperet suis, inqnit, ut pater filiis. Quid non potest apud filios pater? Nihil tàm arduum erit, quod sub paterno imperio, & nomine non mollescat; fella illis mella sunt, à patris manibus, à matris uberibus propinata. Hîc memini pulcherrimi dicti Hieronymi, qui Theophilum Alexandrinum, cujus mansuetudinem extollit, sic affatur: *c blandiris ut pater, erudis ut Magister, instituis ut Pontifex.*

Appellantur in Scripturâ prælati matres: Isaias c. 66. *Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Paulus verò Doctor gentium: ad Galatas 4. *Filioli mei quos iterum parturio*; non gigno ut pater, sed parturio ut mater. Vnde Bernardus: *d audiant hoc Prælati,* inquit, *qui sibi commissis, semper volunt esse formidini, utilitati rarò: erudimini qui judicatis terram, discite subditorum matres*

a S. Paulin. ep. 32.
b S. Hieron. epist. ad Theophil.

c Hieron. epist. 62.
d Serm. 23. in Cant.

vos

vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quàm metui. Vt suis, quod matrum est, dent làc; ut suis, quod matrum est, ubi possunt, indulgeant; si quid peccatum est, tegant & tergant; & post hæc, prolem suam non baculo, sed basio excipiant. Quod idem etiam ante D. Gregorius præclarè docuerat, iis verbis: *necesse est talem se, qui præest, exhibeat, cui subjecti quique, occulta quaque sua prodere non erubescant: ut cum tentationum suarum fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem, quasi ad matris sinum recurrant: & hoc, quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus prævident, exhortationis ejus solatio, ac lachrymis orationis lavent*; quod pluribus in epist. I. ad superiores Societatis, comprobat R.P. Claudius Aquaviva. Quem mansuetudinis affetum (ut rationali pectoris, nomina etiam Patriarcharum insèramus) Moyses ostendebat: cum reputaret & diceret, Deum ita sibi populi illius curam demandasse; quasi ipse eam omnem multitudinem concepisset ac genuisset, eique Dominus expresè præcepisset: *a porta eam in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.* Hinc & illæ Apostoli Pauli voces: *b facti sumus parvuli in medio vestrûm, tamquam si nutrix foveat filios suos.* Et ad Gal. 9. *filioli mei, quos iterum parturio.* Nec matris officium homo detrectet, cùm Deum viderit materno complecti amore mansuetos, de quo exstat insigne illud Davidis præconium: *c suscipiens mansuetos Dominus.* Non dixit ait Chrysostomus hîc; opem ferens mansuetis, sed quod est longè majus: *suscipiens. Quid est autem suscipiens?* recreans, fovens, bajulans, & velut mater ulnis gestans, hoc *d audiant mansueti, & lætentur.* Notabilis ea fuit in S. Ignatio benignitas: Petrum Ribadeneiram *e* adolescentem ferocioris ingenii, atque à summa sui veneratione, malo dæmonis instinctu in aversionem datum, ut ne conspectum quidem S. Patris ferre posset, ideoque discessionem meditaretur, blandissimè mitigavit ac fovit. Etenim & languenti assidere, & ferocienti blandiri, & multa falsò querenti, factorum rationem reddere, quamquam penè puero, & quem ipse in sinu suo educaverat, non dubitavit. Quæ omnia, de ipso Ribadeneira sæpius audita, norat Ignatius superioris partes esse, infirmitati ac fragilitati suorum consulere, vitra enim ac fictilia, optimè in stramine, gausipio, aliave molli materiâ asservantur, quæ si in durum impegerint, confringuntur. Innumeros durum ac despoticum fregit imperium ac perdidit, quos lene ac benignum servasset. Hinc in constitutionibus exigit, ut superiores potiùs amari, quàm timeri studeant, atque ut memores sint benignitatis & mansuetudinis Christi, & formulæ Petri & Pauli Apostolorum. Præcipua siquidem inter Ignatianas laudes locum obtinet mansuetudo; quod ad eam Lojola vir militaris non à natura factus, sed cum præfervidi esset ingenii, à virtute & diuturno studio, atque labore sic ela-

a Num. c. 21. *b* I. Thess. 2. *c* Psal. 146.

d Psal. 33. *e* P. Rho. variæ virt. hist. l. 7. c. 13.

bora-

boratus est, ut medici ac magis domestici, naturâ lenem ac mitem judicarent, & naturam ipsam exuisse videretur.

Hunc omnes imitentur, qui ad regendum accedunt. Si animo ferociori aut minus benigno antea fuerint, nunc usurpent illud Theobaldi Regis apud Cassiodorum: *a mutavimus cum dignitate propositum, & si antea justa districtè defendimus, nunc clementer omnia mitigamus.*

Neminem à principe tristem abire fas esse, mansuetudinis olim vox fuit, in quo ut in benignis sideribus, vis quædam inest animos ad spem hilaritatemque revocandi. *b* Sentiebat hoc Maria Maximiliani II. quæ cum uni ex virginibus, nescio quid minus opportunè petenti negasset, quòd ita sibi videretur; sanctiorem mox cellam, in qua sacri Martyrum cineres asservabantur, precum causâ ingressa, subvereri cœpit, ut audiretur, quæ non iniqua petentem abegisset. Nec mora, vocatæ ilicò ad se virginis in amplexum ruit, & deprecata quam illi attulerat ægrimoniam, se in preces dedit, audiri jam secura. Hanc viri, hanc superiores, & prælati à fœmina virtutem sibi deposcant, & æmulari studeant. neminem à se cum bile, cum amaritudine, cum aculeo dimittant. *c* Albertum Belgarum Principem, bello maximo ac diuturno, suorumque militum importunissimis seditionibus diu exercitum, aliquando iratum fuisse negant, qui ejus res gestas composuerunt. Quod mihi quidem eò videtur admirabilius, quòd plerique imperitantium irasci decorum putant; quasi verò leonum instar tum maximè timeantur, cum rugiunt. Plura hîc non congero, quia luculentiora in Carolo V. in Philippo II. aliisque primatibus suprà commemoravimus, *d* quo lectorem non sine fructu remitto.

a Cassiod. l. 10. varior. *b* Rho. l. 7. c. 8. §. 4. *c* Rho. cit. n. 5.

d Part. 1. Dom. 20. post. Pent.

§. II.

Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem. Prov. 15. *e*

IN Antonini Pii nummis cernere est, fulmen molli thoro impositum, ubi vires frangat. Quod Symbolum Hugo Cardinalis, ita ad mores traduxisse videtur: *f Mansuetudo*, inquit, *est in lecto conscientiæ, hominis culcitra; ubi molliter, & suaviter anima requiescit; quæ etiam* (fulmina verborum) *lapides contumeliarum, detractionum, & injuriarum quarumcumque sibi inflictos, amplexatur leniter, & sine læsione recipit.* Machinæ bellicæ fragorem ac furorem, objecto sacco laneo eliseris; nam si silicem silici, ferrum ferro colliseris, quid exspectes præter ignem? miraculi loco est, quod sævi maris fluctus ac rabies, mollissimâ arenâ frangitur & quiescit: edixit enim Dominus: *g hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Vbi verò fluctus concitati æquoris in saxa, & præruptas cautes inciderint, illisi & repercussi, vehementius despumant, & in omnes partes quasi iram diffundunt. Adamantem in pulvino confringes; fulmina, ro-

e Pierius l. 43. *f* Hugo Cardin. in illud, Beati mites. *g* Iob 38.

bora

bora sternunt, & ossa comminuunt; lanâ ac lino eliduntur & animos quantumvis efferos ac barbaros, lenitate flectes. Robertus Santarellus Dux Neapolitanus, *a* dum terram sanctam lustraret, & è sepulchro Domini in montemSinam pergeret, latrones Assyrios offendit. Quid ageret? Socios suos sarcinulas & peram explicare jussit, ac prandium exponi: illisque ipse obviam, pro ea, quâ erat singulari humanitate, perbenignè ac officiosè invitavit, ut fessi se reficerent, quâ animi moderatione ac benigna humanitate, etiam barbari victi, cum gratiarum actione, læti recesserunt. 1 Reg. 24. fregit David viros, sitientes sanguinem hostis sui Saulis, molli sermone eos compellans, ne manum suam mitterent in Christum Domini: & *confregit David viros suos sermonibus*, inquit sacer textus. Ipsum quoque ferro duriorem, Saulis animum flexit ac fregit; ut qui suum prius sanguinem sitiverat, ejus mansuetudine victus, lachrymas dederit: *b levavit Saul vocem suam, & flevit*. Quod ut insolens prodigium admirans Chrysostomus: *c non perinde*, inquit, *miror Moysem, quod è saxo prærupto fontes eliciat aquarum, ut admiror Davidem, quod ex oculis lapideis, fontes eduxit lachrymarũ* Quin etjam quem paulò ante, cane pejus angue oderat, nunc dulcissimo honoris titulo compellat, eundemque filium nuncupat: *numquid vox hæc tua fili mi David?* Doctrinam nostram confirmat

a Boteri polit. l. 1. c. 8.
b 1 Reg. 4. *c* Chrysost. hom. de David. & Saule.

coronatus sapiens *d patientiâ lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiem*. Quantumvis ferus ac ferreus superior, Magister, Paterfam. si subditus mansuetè, benignè; obtemperanter respondeat, flectet. Et contrà quantumvis effervescentem subditum, leni sermone superior franget. Musica sopit iram, ut sapientes putant viri, quod Pythagoreorum comprimis fuit documentum, qui fidibus iracundos mitigabant. Sic & Indorum Reges ajunt certos adhibere tibicines, dum cubitum concedunt, ut animus eo cantu & dulcedine soni delinitus, facilius, quasi prius fracto ac sopito omni rancore, indormisceret. Sed quis fidium cantus, aut inanima vocum harmonia, tàm potens, quàm mollis & dilecta placidi subditi, aut placidæ conjugis oratio, ad superioris aut viri iracundiam mitigandã, ad facilem, missis rixis, viro somnum conciliandum? Abigail fœmina sanè prudentissima, quantum incendium leni ac suavi verborum flumine restinxit? Ibat David Nabalis domum eversurus cædibus, *e* in viâ occurrit Abigail, eaque orationis suadâ, tamque molli sermone Regis impetum sedavit, ut homini strenuo & generoso & potenti, arma è manibus ciciderint, sibique ac iracundiæ temperarit. Si sic uxor maritum aut iracundiâ inflammatum, aut infortunio aliove incommodo perturbatum, concubia nocte reducem, aut post crapulam & temulentiam hesternam, jam jejunum byssinis verbis, salutaribus monitis aggrediatur, profectò franget

d Prov. 25. *e* 1 Reg. 25.

furorem,

furorem, sedabit turbas, à poculis revocabit.

a Frangitur in tacito fœmina sæpe viro.

Festivum est, quod occurrit, & ad mores facit maximè: prudenti viro fœmina querebatur maritum suum vix ullo die non ebrium esse, *b* & omnia susque deque rotare, ac domum miscere. Querelas benignis auribus vir accipiens, arbitrabatur, id quod res erat, insanam viri crapulam, solutâ uxoris linguâ mirè stimulari. *c* Remedium ergo non tantum spondebat, sed etiam in manus dabat. en ajebat, ô bona mulier, hanc tibi in lagenula aquam cape, & ubi maritus tuus appotus domum venerit, tu hunc ipsum liquorem (erat aqua è proximo fonte) quàm primum sorbe, & eum in ore retine, dum in lecto virum composueris. Quantarum sit virium hæc aqua, res ipsa loquetur; experieris conjugem non multa turbaturum. Dicto audiens fuit mulier, comperitque spei suæ respondisse omninò, tam arcanæ virtutis pharmacum. Hìc fœmina solicitè quærere: & quæ obsecro hæc aqua esset, & quo pretio comparari posset? ô bona, è proximo quovis fonte petere illam licet, sine ullis impendiis: quod enim liquori tribuisti, hoc silentio tuo adscribendum est. Quisquis contentiosam sibi sentit esse linguam, obsecro emat hanc aquam, contra omnem iracundiam, & querulam Xantippen. Sed aqua hæc ore retinenda est, & quidem clauso. Hoc certè Hebræus sapiens appositè monet: *d qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* Cui congruit illud Gregorii: *aqua dimittitur, cum lingua fluxus effunditur.* Ergo mi litigator, mi molitor, *e* si vis ut illa litigiorum rota non currat, siste aquam, contine linguam: quod si hæc rota permittatur agitari, quivis volet ultimus dixisse; Echo sylvarum tamdiu clamoribus respondet, quamdiu clamatur: vis illam tacere? Tu tace prius. Nec mireris si te litigante, ad unicam vocem, septenæ resultent?

f Sex etiam ac septem vidi loca reddere voces,
Unam cùm faceres: ita colles collibus ipsi
Verba repulsantes, iterabant verba referre.

Eadem penè ratio litigantium. Vis ut sileat *hæc Echo?* A tuo id discat silentio, mitesce, & scopulis cede. *g* Contentiosa quædam mulier, cui maritus iracundo ingenio, cum merulas à se coemptas daret assandas, dicens: assa nobis hosce turdos; replicavit, merulas appellas turdos? Respondit ille, turdos esse, negavit rursum illa, & merulas esse contendit. Tùm maritus eam pugnis contudit. Anno vertente cum rediret dies ille, memor verborum mulier, en ait hic est dies anniversarius, quo me ob maledictas merulas malè excepisti: tum vir & adhuc negare audes fuisse turdos, nec quiescentem rursus pulsavit. Ita hæc Echo toties repercussa rediit, quoties vox

a Tibul. l. 2. eleg. 18.
b Drexel. de vitiis linguæ c. 10. §. 4.
c P. David. in Veridico, c. 56.

d Prov. 17. *e* Greg. l. 5. mor. c. 11.
f Lucret. *g* Attica Bellaria part. 1.
Fab. Dom. 4. post, Pet. conc. 6.

pro-

provocavit. Vidisti quandoque in atrio aut cubili, ventorum turbine per patulas fenestras irruente, omnia perturbari ac commisceri. Quid remedii? Alteram fenestram occlude. Hoc observavit Chrysostomus *a convitiatus est quisquam, vituperavit? Tu claude os tuum; si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus, quando è regione duæ januæ* (seu fenestræ) *oppositæ sunt, & flatus vehemens irruerit, si alteram clauseris, nihil valeat efficere flatus? Ita & hîc duæ sunt januæ, os tuum & os illius, qui te vituperat; si tuum occluseris, omnem istum flatum exstingues.* Id ipsum inter familiares: inter ancillas & famulos: frequentius inter subditum & superiorem conniventem, inter servum & Dominum reprehendentem, usu venit, quem Apostolus monet: vide mi Christiane, *b ut nihil per contentionem à te fiat;* nam *servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* Nulli certè promptius ac facilius obtemperant, quàm qui à Christo mites esse, & humiles didicerunt: atque ut mollissimam ceram videmus digitis extenuari, & quamlibet in formam duci, ita qui habet animi lenitatem, sapientis epistatæ ductum in omnibus sequitur; ubi alii reluctantur, & superiorum mandatum, onus æthnâ gravius esse putant, quod S. Leo effato suo gravissimo comprobat: *c nihil arduum est humilibus, nihil asperum mitibus.*

a Chrysost. in epist. 1 Thessal. 5.
b Philip. c.2. 2 Timoth. c.2.
c S. Leo, serm. 5. in epiph.

§. III.

In omnibus *affabilem te facito.* Eccl. 4.

QUærit doctissimus Aquinas; utrum hæc, de qua agimus, mitis humanitas seu affabilitas, virtus sit? ad quæstionem dilucidè respondens, his omninò verbis sententiam pronuntiat: *d affabilitas est quadam specialis virtus, secundum quam inter se homines bene disponuntur simul conviventes.* Perit omnis humana societas, ejectâ ex cœtu hominum hac virtute. Non homines sed feræ sumus, quæ mutuis in se morsibus eunt, si virtutem hanc negligimus. idem & Priscorum sapientum sensus: naturali debito ac jure hominem obligari, *e ut aliis delectabiliter convivat.* Hæc comitas & suavis humanitas, maximum amicitiæ vinculum est, nullum philtrum potentius, ad omnium voluntates & animos nobis conciliandos. Mel verborum gulam etiam hostium delinit, & propitiat. hoc Siracides testatur: *f verbum dulce*, ait, *multiplicat amicos, & mitigat inimicos: & lingua eucharis* (seu gratiosa) *in bono homine abundat.* Amarus homo sit, & mordaci aceto subactus, cui hæc Siracidæ cohortatio, mel verborum in os ingerere non possit; quibus, quod rarissimum est, consequetur: ut omnes amicos, neminem inimicum habeat. Etenim uti falernum aut creticum per guttur, dulces musicorum moduli per aures blandissimè illabuntur; ita affabilitas animum

d D. Thom. 2. 2. q. 113. a. 1. & 2.
e Macrob. l. 3. saturn. *f* Eccl. 6.

audien-

audientis ſubit, eumque ſibi fortius, quàm Hercules Gallicus, catenis aureis ſibi devincit. Hac miti ſuaviloquentiâ B. Mechtildis prædita, ita omnes ad ſe rapiebat, ut loquentem Angelum audire ſibi viderentur, quam ſuavitatem ſermonis, ex illo mari hauſerat, de quo ſacer codex teſtatur: *mel ſub lingua ejus.* Tullius olim de virtute hâc diſſerens: *a difficile dictu eſt*, inquit *quantopere conciliet animos hominum, comitas affabilitaſque ſermonis.* Hic memini Junii Valenſis, qui in prætorio Auguſti Imper. centurio fuit, roboris invicti præconio celebratus: *b* cujus ſpecimina illius ſepulchro magnificè inſculpta viſebantur. Is ut alia taceam, currum magna equorum vi tractum, contra obnixus, manu unâ retinebat, quod vulgò cæteri ut prodigium ſuſpiciebant; ſed hominis manſueti id commune eſt miraculum: ſiſtit enim iracundiæ & malitiæ quadrigam, ut non ulteriùs in furoris veluti campum, laxis ſolutiſque habenis feratur.

Efficacius hac ſuper re, primæ veritatis exſtat teſtimonium. Eccle. 45. inter ſtupenda prodigia quæ Moyſes patravit, refertur: *Moſes verbis ſuis monſtra placavit*, leones & Tigrides humanâ diſciplinâ imbuit, id eſt efferos ac pervicaces populi ſui mores, ſuo melliloquio cicuravit. Quare eleganter Auguſt. in illud: *c molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula.* ſic ait: *molliti non virtutem amiſerunt, ſed in jacula ſunt converſi: molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi molliti ſermones, ipſi ſunt jacula.* Nec mirum, quòd levis ac manſuetæ orationis tanta ſit poteſtas, nam jacula amorem excitant: quod in Pſalm. 44. idem Doctor confirmans ait: *d Sagittæ tuæ acutæ potentiſſimæ; verba cor transfigentia, amorem excitantia; unde dicitur in Canticis Canticorum: quia vulnerata charitate ego ſum, dicit enim vulneratam ſe eſſe charitate: id eſt, amare ſe dicit, æſtuare ſe dicit, ſuſpirare ſponſo, unde accepit ſagittam verbi.* Ita non ſemel ſuperior ſubditum, Magiſter diſcipulum, Dominus ſervum, qui ante oderat, in amorem ſui, ſagittâ verbi, ſermone levi inflammabit, & quidquid per rigorem extorquere nequiverat, ad hoc manſuetudine velut alis inſtructum, volare compellet. Tantum abeſt, ut lenitas, quæ ob mollitiem quibuſdam effœminata videtur, ſuperiorem conculcet, ut longè nobiliſſimas victorias pariat; & cum aſperitate vincantur mille, manſuetudine ſubdantur decem millia, Dum Goliatho proſtrato, David amputatum ejus caput ferret in Jeruſalem, egreſſæ de univerſis urbibus Iſraël fœminæ in occurſum Saul, cantantes, choroſque ducentes: ſæpius feſtivum illud acroama ingeminabant *e percuſſit Saul mille, & David decem millia*, cùm neq; Saul neq; David de hoſtibus tot interfecerint. Vbi pro reſponſo ſervit illud Ambroſii in Pſal. 43. *in te inimicos noſtros ventilabimus, &c. ideo Sauli in millibus, David in decem millibus: quia durus in paucis, manſuetus in pluribus.* Compello vos, qui imperare ſive in ſacris, ſive

a Cicero l. 2. off.
b Chreſol. antolog. p. 2. pag. 125.
c Auguſt. in Pſal. 54.
d Aug. in Pſal. 44. *e* 1 Reg. 18.

in profanis familiis consuevistis, an non experti longè valentiorem amorem ad obtinendũ quæ voletis, quàm timorem? cum, ut rectè Scribanius: *a nolentibus imperare durum sit*. Quò illud Senecæ conducit: *quidquid exprimitur grave est*. Fuit hîc in Flandria vir, qui peregrè profectus, homini agresti occurrit, qui asinum sacco onustum, fuste ante se summo nisu agebat: ac crebris verberibus impellens, etiam onere sublato, ne hilum promovebat; ad hæc alter, ex quo rei seriem intellexi, rustici stoliditatem ridere, imò nimiam in innocuum animal inclementiam arguere: fuste non opus esse, aliam se methodum in promptu habere; moxque in vicinum agrum, avenæ manipulum colligens, scipioni suo (quo pedes utebatur) alligavit; itaque asinum conscendens, ad exiguam distantiam ante nares asini fasciculum prætensum gestabat: quam avenam dum asinus appetere ac prensare nititur, gressum eò alacriter movet. Praxim hanc rusticus edoctus, gratias egit, ac commodum iter confecit. Est qui subditi tarditatem, famuli aut ancillæ pigritiam fustibus excitandam existimat, nec proficit hilum; sed magis reluctantes, ac recalcitrantes habet. Aliud extremum tentet: avenæ fasciculum, labori præmium, meliorem haustum, aut è mensâ bolum offerat, & currere, imò volare faciet, quò volet. nec modò somnolentum, sed & mortuum suscitaverit. Miserat Elizæus baculum suum, ad excitandum puerum à morte: *b* posuit *baculum super puerum, & non erat vox neque sensus*: nec plus in puero, quàm in baculo sensus. At ubi Elizæus ipse, puerum convenit, *& posuit os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus, & incurvavit se super eum, calefacta est caro pueri*, & resurrexit. Ita subditus non baculis ad vitam spiritualem & vigorem resuscitandus, sed superioris flexibili mansuetudine, condescendendo ad infirmitatem subditi. Apocal. 5. ubi cum sermo sit de Principe Regum terræ Christo Dom., duplici depingitur symbolo, & dicitur simul agnus & Leo. Quid sibi vult connexio tam " dissimilis? audi Bernardum. " *c Leonem Ioannes audierat, & agnum viderat; agnus occisus est, agnus accepit librum, agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique dignus est, ajunt seniores, agnus, qui occisus est, accipere fortitudinem, ut agnus maneat, & Leo sit*. Vt vides, tunc Leo apparet, cùm se exhibet æquum agnum, tunc à fortitudine commendatur, imo fortitudine donatur, cum mansuetudine se spectandum præbet. Habetis ô Reges & Rectores in eo, qui Rex Regum est, quasi in exemplari, superiorem omnem vel debere esse fortitudine mansuetum, vel fieri mansuetudine fortem. Longè potentius mansuetus rogando impetrare, quàm despoticus imperando poterit. Imperium mansueti ut suavissimum, sic efficacissimum est; S. Ignatius Martyr epist. 2. *d* laudans Antistitem Polybium, *cujus*, inquit, *mansuetudo imperium est*. Quò ut

a Scriban. Superior Relig. l. 1. c. 1.
b 4 Reg. 4.

c S. Bern. serm. 1 Paschæ.
d S. Ignat. epist. 2.

prom-

promptius se inclinet, expendat illud Trajani: *Imperatorem privatis esse oportere, qualem privatus sibi optat habere.* Ad quæ verba, superiorum norma Scribanius, *a* sic
„ superiorem Religiosum instituit: dicam superiorem inferioribus talem esse oportere, qualem ipse inferior superiorem in se esse desiderat, comem, benignum, & humanæ conditionis memorem memoremque sui, votorumque suorum ante imperium. Humanissimos imperantes optabat? expleat olim sua, nunc suorum vota. talem se præbeat, quales sperabat.

Talem se suis sanctissimus Fundator noster præbuit, *b* qui rationabile à suis obsequium summa animi lenitate exigebat, omnesque ea humanitate excipiebat, ut neminem coram se aperto stare capite pateretur: & cum aliquid mandaret faciendum, rogantis non imperantis sermone uteretur. Hunc imperandi modum potentissimum ad quidvis impetrandum extollit Hieronymus: *c nemo plus impetrat à libero, quàm qui servire non cogit.* Non vulgariter excelluit in hac prudentia David, cum dixit ad omnem populum Israël: *d si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor: mittamus ad fratres nostros, &c.* ad quem locum Carthusianus: *Ecce,* inquit, *quàm humiliter loquitur subditis & ministris: non procaciter jubet, nec per se absolutè determinat; sed sub conditione loquens, inferiorum judicio verba sui committit propositi. Quo multorũ indiscretio atq; elatio reprimuntur, qui statim in verba jußionis prorumpunt, & gladium suæ educunt auctoritatis sine neceßitate; imò frequenter in grande periculum subditorum.* Clarius hanc prudentem mansuetudinem, & mansuetam prudentiam expressit D. Paulus ad Philemonem: *e multam,* inquit, *fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obsecro:* quæ verba expendens Ambros. *dignum erat (inquit) imperare discipulo magistrum, fiduciâ Apostolicæ auctoritatis: sed quia vir bonus erat Philemon, per affectum illum provocat obaudire.* In qua parte adeo non peccat superior contra prudentiam, aut quidquam de auctoritate deperdit, ut ipsa sapientia patris, & caput nostrum Christus, *f* ascendens in navim *Simonis*, non imperarit, *sed rogaverit eum à terra reducere pusillum.* Vbi Theophylactus: *vide,* inquit, *mansuetudinem, quomodo obsecrat Petrum, ut à terra abducat. Vide & quomodo Petrus morigerus fuerit: ita ut homini, quem non viderat, in omnibus obedierit.* quare Princeps Apostolorum ab hoc Magistro edoctus, hanc imperandi mansuetudinem omnibus viris Apostolicis præscribit, monens ut gregem Dei pascant, *g non coactè sed spontaneè, neque ut dominantes in Cleris, sed ut forma facti gregis ex animo.* Quod è Purpuratorum Patrum senatu, eminentissimus Cardinalis Bellarminus factitavit: *h* qui Collegio Romano Rector præfectus, in prima ad nostros

a Scriban. superior Relig. l. 1. c. 2.
b P. Rho. l. 7. c. 2. *c* Hieron. ep. 62. ad Theophil. *d* 1 Paral. 13.
e Ad Philem. v. 8. *f* Luc. 5. *g* 1 Petr. 5.
h In vita l. 2. c. 10. per P. Fuligatium.

exhortatione, illud Ecclesiastici sibi in thema desumpsit: *a Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi unus ex ipsis.* Memor esto humanitatis, & homines regere te puta, non belluas. Non Tartarorum te Regem existima, qui neminem infra se hominem, nisi mancipium reputet; ita nec se observari existimet, nisi plura prementem, quàm dicentem, lentius loquentem, quàm euntem; nisi denique plus de statua, quàm de homine præ se ferat: & totam auctoritatem in negationibus sitam esse existimet; sed quod honestè concedi potest, ne deneget. Si negata benefaciendi potestas, nulli negata comitas, nulli huma-,, nitas est. *b* & inter non infima ,, beneficii genera numeratur, ,, humana in superiore compella-,, tio. nemo ad hanc pauper est, ,, tantamque vim habet illa, ut ,, gratior apud plerosque sit be-,, nignis negata res verbis, quam ,, concessa morosis. Austerior vultus, vox elatior, aut etiam morosum superioris silentium, omnem subditi ad se recursum præcludit, omnem fiduciam præscindit, & hunc & illum omnesque suos, à se alienos, ad justas querimonias, rixas, calumnias, & in suum suorumque exitium concitat. Compone obsecro Isaiæ oraculum, cum sententia Senecæ: Isa. c. 3. dicitur: *non sum medicus, nolite constituere me Principem.* Quid habet commune Princeps cum medico? audi Senecam: *c non minùs principi sunt turpia multa supplicia, quàm medico multa funera.* Ita turpes superiori frequentes subditorum, non modò mulctationes sed & mutationes patriſam, crebræ domesticorum aliò commigrationes & vicissitudines. Plus dico, si hoc maximum & æternâ memoriâ dignum Periclis encomium est: *d nemo pro me atram vestem* sumpsit; huic longè certè superiorem prætulero, qui illud verè ac liberè jactare poterit: nemini lachrymulam excussi: nemini gemitum movi: neminem verbo læsi, vel torvo oculo notavi. Occurrit hîc ignavi hominis objectioni, in politico suo ad moderatores omnes urbium & orbis, Scribanius: *e* auctoritatem hac lenitate labefactari, inglorium socii lenem dicent; " eandem de Christo, Apostolis, " sanctorum reliquis sententiam " ferent. Generositatem laudo, " cui prudentia, non furor impe- " rat: aut generosiorem quis di- " cat Catilinam Christo, Petro, " Paulo, Laurentio, Stephano? " dæmone, & inferno: non Deo " & cœlo magistris, generositas " illa nata est, quæ contumeliam " contumeliâ, verbũ verbo, imò " & verberibus repellere docuit, " sanguinem sanguine diluit. Aut " erravit mansuetissimus Domi- " nus, & peccavit in generosita- " tem, aut inglorius Deus, qui in " omnem peccatorem, juratum " suum hostem, non insurgit in " vindictam; cui parcendo, vel " maximè ostendit potentiam suam: & mitis ac misericors Dominus, facit potentiam in brachio suo. Adeò ut mansuetudinis atque modestiæ lenitas, non modò fortitudini adversetur sed à se in-

a Eccl. 32. *b* Scriban. cit.
c Seneca l. 1. de clement. c. 24.

d Plut. de viris illust.
e Scriban. polit. Christ. l. 1. c. 2.

vicem

vicem neutiquam divelli ac disjungi queant: nullus enim vir fortis esse potest, nisi idem sit mansuetus atque moderatus. Longè enim fallitur, qui iracundiæ ac furori habenas pro impetu laxare, fortitudinis esse ducat, & non potiùs eas æquitatis & humanitatis studio adducere. Quæ fusè & eloquenter prosequitur Chrysostomus: *a hoc enim certissimum signum* (obsecro notemus ista) *quo internoscitur vir ratione præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus & quietus: si non quasi servus ducatur & trahatur, aut ab ira, aut ab aliis affectionibus. Sed ratione vincat illos incompositos motus, nobilemque suam generositatem servet, ne in brutorum ferociam negligentiâ degeneret.*

Quare ut concludam, moveat quemque vestrûm illud divino instinctu prolatum oraculum: *b fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.* Hac virtute instructi omnium animos, magnates velut magnete quodam ad se pellicient. Avena trahit equum, ramus ovem, nuces puerum, monile fœminam, magnes ferrum, cæcias nubem, succinum festucam; sed longè omnium potentissimè hæc virtus, hominum animos rapit, imò & Deum: qui velut filios suos dilectissimos, *c exaltabit mansuetos in salutem.* Seu ut Hieronymus legit: exaltabit mansuetos in Jesu: hoc est, ut ego quidem sentio (inquit Chressolius) *d* elevabit usque ad thronum Jesu honoratum. Et ne quis fortè de amplissima gloria dubitet, deque hujus virtutis excellentia: Dei filius eam inter beatitudines reposuit, dicens: *e beati mites quoniam ipsi possidebunt terram*, non hanc spinas & tribulos germinantem, ait Hieronymus, sed terram fluentem lacte & melle, terram illam, ad quam Propheta anhelans clamat, *f credo videre bona Domini, in terra viventium.*

a Chrysost. hom. 85. in Matth.
b Eccl. 3.

c Psal. 149.
d V. Chresol. antol. p. 2. pag. 128.
e Matth. 5.
f Psal. 62.

EMBLEMA XXI.

Surrexit, non est hîc. Marc. 16.



ALBUM MUTOR IN ALITEM. a

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Ut cum Christo resurgamus, & in novitate vitæ ambulemus, exuere oportet veterem hominem; bombycem imitando, quem M. Basilius resurrectionis typum ostendit. b

§. I. *Quomodo* expoliare veterem hominem cum actibus suis *valeamus.* c

§. II. *Ut in novitate vitæ ambulemus.* d

a Horat. b Basil. lib. Hexam. cap. 8. c Coloss. 3. d Ad Rom. 6.

DOMI-

DOMINICA RESURRECTIONIS.

Surrexit, non est hîc. Marc. 16.



AD celeberrimum Ecclesiæ Doctorem Augustinum, *a* misit olim Carthagine Honoratus quinque quæstiones enodandas, quas inter illud Regii Psaltis solerter disquirit: *b Ego sum vermis & non homo.* Quod cum ad rem nostram mirificè faciat, loquar cum Augustino; *c Non est contemnenda altitudo secreti profunditasque mysterii*, cur Deus Majestatis, se vilissimum vermiculum compellarit, *d Quod videtur*, inquit, *ad commendandam humilitatem simpliciter dictam, ut se in oculis persequentium abjectissimum quiddam, & contemptissimum demonstraret.* Quot aliquando Sanctæ Brigittæ declaravit, dicens: *e* ,, Ego reputor quasi vermis, in quem ,, transeuntes expuunt & calcant. Sic fecerunt mihi Judæi ,, hodie, quasi vermi, quia abjectissimus & indignissimus ab ,, eis judicatus sum. Talis Salvator noster in passione suâ habitus est.

Hinc nemo quisquam mirabitur, si Christum huic vermi compararo, de quo Sandæus noster in Theologiâ suâ Emblematicâ: *f* Illustrius fortasse, inquit, haud est symbolum Resurrectionis, verme Indico, qui bombyx appellatur, è quo sericum habemus, fuitque Europæis olim incognitus, ut tradit Zonaras in Justiniano: quo imperante, (ut tradit Procopius) bombyx è Perside Romam delatus est: Monachis operam suam præstantibus. Hic serico inclusus domicilio: *operitur, dum operatur.* Quod P. Petra Sancta hominis modesti typum esse asserit. *g* At, quàm Salvatori nostro, sub mortalitatis nostræ exuviis hic operanti, aptè conveniat, compertum est. Ex hoc angustissimo tandem ergastulo admirandâ naturæ vi, innovatus prosiliens *in speciem avis* (ut Ambrosius libro quinto hexam. capite tertio loquitur) *convertitur*: ex quo Magnus Basilius probat Resurrectionem, eos, qui fidem illi derogant, sic compellando: *h Quid dicitis vos, quæso, qui Divo Paulo non creditis de eâ mutatione, quam in resurrectione fore dicit? qui plerasque videtis aëris animantes, formas permutare; qualia de verme Indico narrari solent. Hic in erucam vertitur primùm; fit deinde temporis progressu, id quod bombyx appellatur: atneque hac in formâ persistit; sed illis præmollibus corniculorum bracteolis sese sensim prolatantibus in alarum speciem, ita demum fit volucris.*

Tum singulari documento ex bombycis innovatione, sic ad mores sermonem convertit: *i Cùm igitur vos ô mulieres, repetitis vicibus ordimini, & retorquetis vestram operationem sedentariam, fila*

a Aug. ep. 120. ad Honorat. & l. 2. retr. c. 36. *b* Psal. 21. vers. 7.
c Aug. ep. 120. cap. 8. *d* Aug. ibid.
e L. 4. Rev. cap. 99.
f Sand. lib. 4. comment. 6. cap. 16.

g P. Petra S. in Symbolis pag. 53.
h S. Basil. lib. Hexam. cap. 8.
i Basil. cit.

nimirum, quæ ad vos usque Seres transmittunt, ad raras illas & præmolles vestes concinnandas: veniat vobis in mentem hujusce varietas animalis in formas, atque mutatio, indeque resurrectionis dilucidam certamque sententiam sumite, neu fidem futuræ immutationi abrogetis ei, quam hominibus omnibus communem fore ipse D. Paulus pollicetur. Quare ut & nos cum Christo resurgamus, hoc Pauli monitum spectemus: ut exuentes veterem hominem in novitate ambulemus. Quod fiet primò, si, ut Aldrovandus memorat, *a bombyces imitemur*, qui *senectam more serpentum exuunt.* Quo alterum consequemur, ut in novitate vitæ juxta illud Augustini ambulemus: *b Ego sum vermis & non homo, Christus non Adam. A veteri veteres fuistis, à novo novi estote.*

a Aldrovand. de insect. lib. 2. cap. 6.
b Aug. ep. 120. cap. 8.

§. I.

Quomodo expoliare veterem hominem cum actibus suis *valeamus.* Coloss. 3.

SEnectutem vivacissimis coloribus depinxit Ecclesiastes: *c Quando* (inquit) *commovebuntur custodes domus* (costæ) *& nutabunt viri fortissimi* (coxendices & crura *d*) *otiosæ erunt molentes in minuto numero* (dentes) *& tenebrescent videntes per foramina* (oculi) *& obsurdescent omnes filiæ carminis* (aures) *florebit amygdalus* (canities) *impinguabitur locusta* (senex similis locustæ præ pedum longitudine, & ventre prominente) *& dissipabitur capparis* (gustus peribit) quæ si quibusdam obscuriora videantur, audiant clarissimum Ecclesiæ Doctorem Hieronymum, gravissima senectutis incommoda enarrantem: *e Caput incanescit, decidunt tamquam ab arbore capilli, dentes cadunt, balbutit lingua, fluunt salivæ, tremunt genua, & fronte obsenium rugis aratâ, instar boum à mento palearia pendent: caligant oculi, accedunt dolores podagræ ac chiragræ, premit pituita ac tussis molestissima. Tantis denique afficiuntur senes infirmitatibus, ut ipsa senectus morbus sit*, & quidem teste Philone incurabilis. Cicero ait: senectus est quidam occasus vitæ. Diogenes de ea rogatus, respondit: senectus est vita brumalis, tempestatibus obnoxia, iisque tantis, ut Poëta Aquinas exclamet:

f Heu quàm continuis, & quantis longa senectus
Plena malis! deformem & tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui: deformem pro cute pellem,
Pendentesque genas, & tales aspice rugas,
Quales umbriferos, ubi pandit Tabraca saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.
Vna senum facies: cum voce trementia labra,
Et jam leve caput, madidique infantia nasi.
Frangendus misero gingiva panis inermi:
Quid refert, magni sedeat qua parte theatri,

c Eccl. c. 12. d Pineda hic.
e Hieron. ep. ad Furiam.
f Iuven. Sat. 10.

Qui

Qui vix Cornicines exaudiat, atque tubarum
Concentus? clamore opus est, ut sentiat auris,
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas;
Præterea minimus gelido jam corpore sanguis,
Febre calet sola: circumsilit agmine magno,
Morborum omne genus &c.

Quæ omnia cùm gravissima sint, non futilis, nec inutilis quæstio esse videtur: an ulla vi humana, arte vel industria, senex juvenescere, occasus vitæ in ortum redire, & vita brumalis, in vernum aut æstatem ætatis reduci queat? quod Problema, more suo doctè, & disertè exponit Mendoza noster: *a An viribus naturæ possit juventa senibus restitui?* de quo, inquit, non levis inter Doctores controversia est. Imprimis, qui affirmativam tuentur, inducunt primò, quod apud omnes in confesso est, juventam Aquilæ renovari, regio attestante Hymnographo: *b renovabitur ut aquilæ, juventus tua.* ubi Hieronym. legit: *innovabitur ut aquila, senectus tua.* modum verò, quo hæc renovatio fit, infra in animi renovatione contemplabimur. Nunc illud Ambrosii audisse sufficiat ser. 54. *Hæc avis*, inquit, *assiduâ commutatione habitus sui, longam ducere fertur ætatem: & vetustis jam fatiscentibus plumis, nova pennarum successione juvenescere, ita ut depositis antiquitatis exuviis, rediviva indumentorum nativitate se vestiat.* cui consentit Augustinus: *c non sine causa dictum esse, renovabitur sicut aquilæ juventus mea; resurrectionem etenim quandam significavit nobis, & quidem renovatur juventus aquilæ, sed non ad immortalitatem.* idem præstat natura beneficium, abjectis & venenosis serpentibus:

d Nam positu novus exuviis, nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga.

Sed ut tandem ex his, ad humana exempla deveniamus. sunt, qui putant arte diabolica, posse juventuti senem restitui, & hac usam fuisse Medæam, ac alias sagas, ut Poëta narrat, AEsonem Jasonis patrem, medicis herbis juvenescere cœpisse, dum

e —— barba, comaque,
Canitie posita, nigrum rapuere colorem.

Uti & de Bacchi nutricibus fabulantur; verùm hisce missis, an divina & altiori vi, è divis aliquis, juventam seni restituerit videamus; quod ut inter stupenda Redemptoris nostri prodigia non legatur, per suos tamen (uti prædixit: *majora his facietis*) fieri voluisse, *f* historici testantur. narrat Jocelinus de S. Patritio: fuisse virum senem, Rium nomine, qui gravissimè dolebat de fratris ad orthodoxam fidem conversione: hic enim, cum totus terrena saperet, fratrem amisisse se putabat, quia is in Christum credens, ad futuram gloriam anhelabat, eapropter indies non desistebat impugnare Patritium, & impedire, ne verbum Dei illic seminando, plures ab errore revoca-

a Mendoza viridar l.4. Probl.17. *b* Psal.102. *c* Aug. in Ps. 102.

d Virg.l.2.Æneid. *e* Ovid.7.metam. *f* Nierenber. hist. nat. in Europa l. 2. cap. 46. pag. 443.

ret; Patritius hominem Christo lucrari studens, his eum rationibus aggressus est: cùm omnium artuum, sensuumque tuorum officia, in te sopita, & senio velut emortua sint, vitæque lumen in limine jaceat, si Christus tibi restitueret vires, & venustatem vernantis juventæ, nonne jure in illum credere tenereris? addixit ille: oravit ergo Patritius, & manus imponendo, eum benedixit, statimq; in statum juvenilis ætatis refloruit: cunctis, qui aderant stupore defixis, & in laudes Dei ac Patritii effusis. Hanc corporis juventam, & vegetum omnium membrorum vigorem, quanto impendio sibi senex decrepitus comparare studeret? at verò, quantum animæ præstantia, illam corporis antecellit, hoc ardentiùs nos senectam animæ, instaurare velle par est, & posse, Doctor irrefragabilis asseverat: *si quis,* inquit M. Basilius, *a tibi diceret, se arte quadam atque industriâ, juvenem te ex sene esse facturum, nonne desiderares illam illucescere diem, in qua te, pristino vigori restitutum conspicere posses? at nunc, cum pœnitentia promittat animæ tuæ, velut novi germinis renovationem, quam tu veterem effecisti, & pravitate rugosam atque maculatam reddidisti, contemnis benefactorem, & promissionem non accipis, nec desideras videre magnum illud promissionis miraculum; nimirum quomodo sine matre, renasci soleat homo: quomodo senio confectus juvenescat ac repuerascat, ad verumque juventutis florem redeat.* Sed ne prodigia, & quæ supra nos sunt, sectemur, lubet cum Pererio investigare, *b* quare naturalia remedia non possint inveniri, aut ejus virtutis herba vel planta, qualis fuit lignum vitæ, è quo comedentes, humidum radicale restaurassent, atque adeò, ut Suarez, *c* aliique, immortales fuissent. Nec desunt, qui in Indiâ quandam insulam repertam testentur, *d* Bonicam nomine, in qua fons scaturiat, cujus aqua vino pretiosior, epota senium cum juventâ commutet; utut sit, optimè instituitur rei probatio, ab actu ad potentiam. Refert Delrio, Anno. 1531. *e* Tarenti fuisse centenarium senem capularem, qui pilis, cute, unguibus, situ ac squalore ætatis, decidentibus, & in meliorem ætatem omnibus commutatis, de sene juvenis prodierit, & quinquaginta post annis supervixerit. *f* Nec minus mirum, quod Valesius Tarentasius scribit, se vivo, Sagunti fuisse Abbatissam Monialium vetulam, cui subitò dentes renati, comæ denigratæ, rugæ sublatæ, ubera vegeta, facies ac corpus vegetum, ut in juvenculam mutata sit. Sublimiori certè metamorphosi tradit Gregorius, *g quod homo in juniorem ætatem per justitiam reformetur, & quamvis fessus senio rursus in puerum innocentiæ moribus renascatur; ita ut interveniente mysterio ex vetulis iterum videamus infantes.* Stupenda magis adferam, quibus tamen nemo prudens fidem derogabit: *h* P. Melchior Fonseca, & alii Scripto-

a Basil. serm. 4. de pœnit.

b Pererius in Gen. c. 3. l. 3. q. 3. *c* Suarez de opere sex dierum l. 3. c. 15. n. 2.
d Mendoza viridar. l. 4. prob. 7. *e* Delrio disp. Mag. l. 2. q. 23. Nierenb. hist. nat. pag. 136. *f* Nierenb. cit.
g Greg. serm. 54. *h* Mendoza cit.

res fidei probatissimæ, inter quos est Petrus Maffæus historiæ Indicæ l. XI. qui sic scribit: Rem dicam, quæ omnium hominum opinionem excedat, tot tamen testibus, omni exceptione majoribus probatam, ut non adhibere fidem, turpius sit, quàm decipi. Vir est Cradezani, qui quartam nunc hominum vivit ætatem, in optimâ valetudine: trecentos & quadraginta annos vixit, ter senuit, tertiòque rediit ad florentem ætatem, tres uxores senio confectas sepelivit; filiam, nepotes habet nonagenarios. ejus regni 18. Reges sibi succedentes vidit. aliaque ejusmodi narrat, quæ nisi vidisset & interfuisset, homo literarum ignarus, discere non potuisset. & quidem, inquit Mendoza, juventæ florem ter exaruisse & refloruisse, vera est fides; enim verò, illum agnoverunt, & allocuti sunt nostræ Societatis Patres, ut à juratissimis ipsorum literis accepimus. Sed ne longior sim, de aliis senibus repuerascentibus v. Nierenb. histor. nat. l. 8. c. 8. & 9. Hæc nos ad animum referamus, cujus vetustas hoc magis deploranda & execranda, quo animus corpore, majori intervallo præcellit, hocque impensiori studio adnitendum, ut veterem illum hominem exuamus, quem pulchrè describit Bernardus: *a duo homines sunt, vetus & novus; ille terrenus, ille cœlestis, illius imago vetustas, illius imago novitas; est autem triplex, vetustas* (spiritualis) *& è contrario triplex novitas: est enim vetustas in corde, in ore, in corpore, in quibus tribus modis peccamus, cogitatione, locutione & opere. in corde sunt desideria carnalia & secularia, id est amor carnis & amor seculi. similiter in ore est gemina vetustas, arrogantia & derogatio, item gemina in corpore, flagitia & facinora. hac omnia sunt imago veteris hominis; & hac omnia renovanda sunt in nobis*, exhortante gentium Apostolo, *b* ut *expoliantes veterem hominem cum actibus suis, induamus eum, qui renovatur in agnitione secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* ubi notat Cornelius: quòd vetus homo, sit homo " vitiatus, scilicet infectus concu- " piscentiâ Adæ, seu, ut ait in il- " lud ad Eph. 4. v. 22. *deponere* " *secundùm pristinam conversatio-* " *nem veterem hominem*: vetus " homo, est vetus hominis pec- " catoris vita; hujus actus sunt " concupiscentiæ, iræ, gulæ, su- " perbiæ &c. novus homo, est i- " dem homo, quatenus spiritu " & gratiâ Christi renovatus est. " Hunc veterem hominem ex- " spoliare, & deponere nitebatur, qui dicebat: *c inveteravi inter omnes inimicos meos*; unde exemplo inprimis aquilæ edoctus, exclamat: *d renovabitur ut aquila juventus mea.* Aldrovandus, Athenæus, Albertus M. aliique rerum naturalium magistri, docent aquilam renovari 1. super limpidum fontem, summo nisu in cœlum adversus solem volitando, ubi calore & agitatione vetustis pennis excussis, in fontem subjectum dilabitur: inde emergens, inter alas pullorum fota, novas plumas assumit, & juvenescit. haud aliter suffragante Magno Grego-

a Bern. serm. 30. inter. parvos.

b Coloss. 3. *c* Psal. 6.
d Psal. 102.

rio, *a* vetus homo, per fervens melioris vitæ desiderium, ad misericordiæ solem evolare contendit, cujus calore in Dei amorem exardescens veteres pennas, id est, pristinos mores, quibus ad vias devias avolabat, generosè excutit, ac tandem in fontem lachrymarum delapsus, homo novus novis pennis exoritur. *polluta*, inquit, *dudum conscientia, lachrymis baptizata renovatur. vis compunctionis cordis poros aperit, & pennas virtutum fundit; cumque se studiosè mens pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit.* ut novis desideriis cor æstuet, novis suspiriis in cœlum evolet, totum denique per compunctionem innovetur. 2. mutat fortitudinem, ut Isaias ait: *b qui sperant in Domino mutabunt* (Heb. innovabunt) *fortitudinem, assument pennas ut aquilæ.* quæ idem doctor expendens: *c mutant*, inquit, *fortitudinem, quia fortes esse student in spirituali opere, qui dudum fortes fuerant in carne.*

Qui prius irruerunt fortes ad vindicandum, ad fundendum sanguinem hostium: nunc fortes ad ignoscendum, ad suum hosti propinandum; qui prius fortes in bello, in dissidio concitando, nunc fortes in pace ac charitate conflanda; *qui prius d potentes ad bibendum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem*: nunc fortes ad bibendum Calicem Domini, & ad manducandum panem Angelicum.

Tertia aquilæ innovatio est, quæ omnem renovat vetustatem; Augustinum hîc disertissimum audiamus: *e dicitur Aquila cùm senectute pressa fuerit, immoderatione rostri crescentis, cibum capere non posse. hoc ei facit vetustas. Pragravatur languore senectutis, & inopiâ comedendi languescit, nimis utraque re, ætate & egestate accedente.* Quid medii, quid remedii adinvenit? *Modo quodam naturali, in mensura reparandæ quasi juventutis, aquila dicitur collidere, & percutere ad petram ipsum quasi labium superius, atque ita conterendo illud ad petram excutit. Accedit ad cibum, & omnia reparantur: erit post senectutem tamquam juvenis aquila; redit vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, volat excelsa sicut ante; fit in ea* quædam resurrectio. Haud aliter veterem hominem renovandum docet, dum subdit. *Non ergo præsumas de viribus tuis, firmitas Petræ tibi excutit vetustatem: petra autem erat Christus. In Christo renovabitur ut aquilæ juventus nostra: Etenim inveteravimus inter omnes inimicos nostros. Unde inveteravimus? Carne mortali, carne ista fœnea: & ideò percussum est sicut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Crevit vetustas, os clausit, atteratur in petra.* Quid mirum si ex vobis infirmi multi, qui inveterati, dierum & annorum spatio, numquam ore suo panem vitæ admiserunt, numquam sanguinem Domini degustarunt: Lessius de Jure l. 4. cap. 3. dub. 2. quærit an licitum sit in senectute, ad vires restaurandas, vesci carne humana, & bibere sanguinem juvenum? Et an prodesset?

a S. Greg. l. 21. mor. *b* Isa. 40.
c S. Greg. lib. 19. mor. cap. 16.
d Isa. 5.
e Aug. in Psal. 102.

Respon-

Respondet: *licitum est haurire sanguinem humanum, ex venâ adolescentis detractum, ut concilietur vigor corpori senili; unde quidam medici, ut Marsilius Ficinus lib. de sanitate tuenda, hoc tamquam singulare medicamentum, ad illum finem præscribit.* Nemo quisquam inficias iverit, quin caro & sanguis Christi, plus vigoris vel guttâ unâ contineat, quàm quidquid è corpore, quantumvis vegeto, elici posset. Ioan. 6. *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* Qui cibus, & potus, ut Aug. ait, *a immortales facit, & incorruptibiles,* super omne nectar, & ambrosiam. De quo Aristoteles tacitè reprehendit Hesiodum, *b* dicentem Deos, qui eo cibo & potu vescerentur, reddi immortales: quia quidquid, inquit, cibo vescitur, natura sua senescit, dissolvitur & moritur. Sed ignorabat Philosophus cibum animæ, & panem vitæ. Altera vetustas oris, de qua 1. Reg. 2. dicitur: *recedant vetera de ore vestro.* Ubi 70. legunt, cum Theod. Cyprian. Orig. Aug. *Non procedat magniloquentia de ore vestro.* Verba enim superba, non immeritò dicuntur *vetera*, quia teste Hieronymo, ab origine mundi in Angelis, & hominibus reperta: *c veternosa, atque antiqua superbia est.* Abulensis ex Hebræo legit: *recedant pinguia ac crassa colloquia.* Vatablus vertit: *cesset asperior sermo ex ore vestro. Alii verbum durum.* D. Gregorius: *recedant verba vana, & profana; vetera enim loquitur, qui postpositis sanctæ Scripturæ eloquiis, secularibus verbis occupatur.* Veteres planè habent linguas, qui secularia loquuntur; qui verò cœlestia, *d linguis loquuntur novis.* Unde paulò post idem Gregorius: *Cum inquit, tot nova habeamus, quæ loqui possumus, vetera loqui sine culpa nullatenus valemus.*

a Aug. tract. 26. in Ioan.
b Arist. lib. 3. Metaph. sect. 15.
c Hieron. in Iob. 39.

Deniq; ut consilio Doctoris gentium, *expoliare* valeatis veterem hominem: *estote prudentes sicut serpentes qui* ut Hipponensis Antistes docet, *e deposita tunica, senectutem deponere, atque in juventam redire perhibentur*; ad quorum astutiam, inquit, *nos imitandam, Dominus exhortatur: ait enim, estote astuti sicut serpentes. Quid est astuti sicut serpentes? offer omnia membra tua percutienti, dummodò caput integrum serves. Caput viri Christus. Sed gravat quasi pondus corii cujusdam, & quasi senecta veteris hominis. Audi Apostolum dicentem: exuentes vos veterem hominem & induentes novum. Quod quemadmodum fiat, ex* tanto Doctore discere juvabit: *quomodo exuo, inquis, veterem hominem? imitare astutiam serpentis: quid enim facit serpens, ut exuat se veterem tunicam? Coarctat se per foramen angustum. Et ubi, inquis, invenio hoc foramen angustum? audi: arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui ingrediuntur eam, ibi ponenda est vetus tunica.* Ibi avare ponendus injusti fœnoris gibbus, ibi ponenda vetus sarcina. Ibi ebriose ponendum abdomen, & vetus ebrietas. Ibi superbe elatus vertex ponendus, & veternosa superbia. Veteres inimicitiæ ponendæ, veteres consuetudines potandi, jurandi, peie-

d Marc. 16. *e* Aug. l. 8. de. civit. c. 15.

pejerandi, si per angustam portam intrare velitis. Quò fiet ut vetustate posita tandem,

§. II.

In novitate vitæ ambulemus. ad Rom. 6.

AD quam, ubi ubi oculi inciderint, ipsa rerum natura, quæ indies innovatur, nos tacitè invitat. Ubi primò experrectus auroram intueris, nonne novam lucem, jam primo productam, conspicaris: a *Dies moritur in noctem*, inquit Tertullianus, *& rursus cum suo cultu nitescit, redornantur & specula lunæ, quæ menstruus numerus attriverat.* Vere novo nonne renovatur facies terræ? *Revolvuntur hyemes & æstates, & verna, & autumna cum suis frondibus, floribus, fructibus; frondes novæ, flores novi*, fructus novi, *& hæc omnia*, inquit Hugo Victorinus, b *novitatem referunt, & novitati congruunt, ut in novitate vitæ ambulemus*, ut quotannis, quot mensibus, quot diebus innovemur. Picturæ & statuæ quantumvis eximiæ, in atriis aut ædibus sacris collocatæ, longinquitate temporis sordescunt, & sordes ac pulveres contrahunt, qui sub solemnitatem paschalem, aliásque per annum excutiuntur, & tabulæ velut renovantur. Idem de animis, divinitatis statuis, ut etiam in sacris claustris, & Religiosis atriis asserventur, sentiendum: pulverem colligunt, quo minus Deo, Angelis & hominibus speciosæ videntur; etenim ut nullus carbo tam ignitus, qui cinerem non creet, & suum ipse fulgorem sepeliat, nisi assiduo flabello renovetur: ita nemo quisquam tam fervidus & ardens in virtutis studio, qui non sensim remittat, & pulvere quodam obsolescat. Quare exclamat Isaias c *Excutere pulvere*, nam si cœli, id est, interprete Augustino, viri Religiosi *veterascent*, non quantum ad corpus, quod tamquam vestimentum veterascit, sed quantum ad spiritualem animæ vitam, quasi ad senectam & vetustatem, per tepiditatem & infirmitatis humanæ pulveres, tendant: quantò magis, qui inter mundanas sordes medii volvuntur, excutere eas debent? Quod scitè S. Leo observavit, dicens: d *dum per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere, etiam Religiosa corda sordescere. Quantò magis secularium?* Hanc verò Religiosi, imò cujuslibet Christiani hominis innovationem, ut Claudius Aquaviva inducat, e graphicè senectutis interioris notas depingit: ut planiùs, inquit, intelligatur, qua " in re hæc instauratio consistat, " quid *inveteratum* sit, animad- " vertamus necesse est. Quòd si " attenderimus, reperiemus " mentem illam ardoremque " animi nobis initio datum à " Deo, *consenescere*; hoc est uti " res veteres, neque nitorem, ne- " que celeritatem, neque usus " cæteros habere, quibus prædi- " tæ sunt recentes ac novæ. Ve- " tustatis illa argumenta esse " possunt: orare ac meditari di- " vina sine sensu animi, atque "

a Tertul. lib. de anima cap. 44.
b Hugo Vict. instit. Monast. serm. 49.

c Isa. 52. d S. Leo ser. 4. Quadrag.
e In epist. de renovat. spirit.

,, fru-

„ fructu. Secundò ægrè sese colligere, & ad cor redire. Tertiò „ cogitata, dicta, factaque sua, sine pudore ac proposito emendationis cursim examinare. „ Quartò in res externas libenter effundi. Quintò jamque „ non proximi juvandi gratiâ, sed „ tædii vitandi, solatiola à rebus „ creatis cupidiùs emendicare. „ Sextò liberiùs obloqui, & aliena dicta ac facta carpere. Septimò Religionis disciplinam, levem olim ac suavem iniquo animo ferre. Octavò ad otium „ aspirare. Nono in animarum „ zelo languere, laboresque earum causâ suscipiendos, qui „ dulces olim erant, acerbos ducere. Decimò ægrè, tardè, repugnanter obtemperare. Undecimò honorificè ab omnibus „ indulgenterque tractari velle. „ Duodecimò immunitates & „ commoda singularia postulare. „ Decimotertiò in animum inducere, se laborare plus æquo, „ nihilque esse, quod sibi non „ debeatur. Aliaque generis ejusdem.

Ad quæ innovanda, universa, quæ in hac mortali vita esse habent, cum aliquandò innoventur, ne pereant, nos invitant. Regna innovantur, & ideo Samuel ad populum ait: *a venite & eamus in Galgala, &* innovemus *ibi regnum.* Tot novas ædes conspicimus, civitates reædificantur; quare Jonathas habitaturus in Jerusalem, cœpit ædificare *b* & innovare civitatem. Templa instaurantur: nam & Israelitæ post captivitatem, venerunt *c innovare & suscitare templum in loco suo.* Amicitiæ resarciuntur, unde & Jonathas misit viros Romam, statuere & innovare cum eis amicitiam. *d Hæc omnia novitatem referunt, & novitati congruunt, ut in novitate vitæ ambulemus,* ut renovemus Regnum Dei in nobis, quo super cor & affectus nostros prædominetur. Ut restauremus civitatem animæ, & quod per incuriam collapsum, erigamus; ut templum Dei, Spiritus Sancti, in nobis reædificemus. Eleganter S. Paulinus epist. 2. *novitatem vitæ in nobis ædificantes, necesse est ut vetustatem destruamus.* Amicitiam per peccatum gravissimè violatam, novo pacto, summo dolore ac emendationis proposito renovemus: ubi non levem quæstionem Augustinus movet, dicens: *e nonnulli inquirunt, quomodo renovari dicimur, si non hoc recipimus quod perdidit primus homo, in quo omnes moriuntur? hoc planè recipimus secundum quendam modum, & non hoc recipimus secundum quemdam modum: non itaque immortalitatem spiritualis corporis recipimus, quam nondum habuit homo, sed recipimus justitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo. Renovabitur ergo à vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spiritale, cùm efficiemur æquales Angelis Domini; ubi escâ quæ corrumpitur, non egebimus. Renovamur ergo spiritu mentis nostræ, secundum imaginem ejus, qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit.*

Quòd si & vos spiritu mentis vestræ renovari vultis, commo-

a 1. Reg. 11. *b* 3. Esd. 5. *c* 1 Mach. 12.

d Hugo victorin. instit. Monast. serm. 49.
e Aug. tom. 3. l. 6. super Gen. c. 24.

dam quam piissimus doctor praxim præscribit, arripite, qui circa præcipuas Sanctorum solemnitates, huic innovationi insistendum præcipit, dum ait: *a circa principalia festa, renovanda sunt bona exercitia, & sanctorum suffragia ferventiùs imploranda. De festo in festum proponere debemus, quasi tunc de seculo migraturi simus, ad æternum festum transituri*: inolevit enim jam illa consuetudo, & à majoribus usurpata, festis solemnioribus novas vestes assumere, vasa omnia pristino nitori restituere, domum everrere, parietes novo colore inducere, supellectilem omnem super nivem dealbare, denique omnia innovare; quæ ut ad animum Domini domus transferamus, hortatur Ambrosius, *b* qui docet, quod *rectè renovatur, qui de tenebris peccatorum, in lucem virtutum mutatur & gratiam: ut qui tetra priùs colluvione sordebat, supra nivem, albenti nimis fulgore resplendeat.* Tales profectò animæ, vetustate positâ, rursus lacte cælestium consolationum replentur, rugas omnes & maculas ponunt; & cœlesti sponso placere incipiunt, de quo Cant. 1. *Adolescentulæ dilexerunt te*: quod expendens Origenes hom. 1. in Cant. *Non illa vetula, ac veterem hominem induta anima, neque rugas habentes neque maculas, sed adolescentulæ in novitate vitæ ambulantes*; quam novitatem, ut velut vestem novam induatis, atque ab ipso sponso, cujus forma numquam deflorescit, cujus decor numquam marcescit, juventâ perpetuâ decorari valeatis, Hieronymus hortatur: *c induite novum hominem, id est*, inquit, *ut alio loco dicit* (ad Rom. 13.) *induite vos Iesum Christum. Iste quippe est novus homo, quo universi credentes debemus indui, atque vestiri. Quid enim in homine, qui à Salvatore nostro assumptus est, non novum fuit? Conceptus, nativitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes, & ad extremum crux & passio. Expolians in ea principatus, & contrarias fortitudines ostentui habentis. Resurrectio quoque & ascensus ad cœlum. Qui igitur conversationem illius imitari potest, & universas in se exprimere virtutes, ut sit mansuetus, sicut ille fuit mansuetus & humilis corde: & ponat animam suam pro amicis, ut ille posuit pro omnibus suis, verberatus non respondeat, maledictis non remaledicat, sed vincat in humilitate superbiam: ille indutus est novum hominem.* Atque ita fiet *d ut faciat se, vetustus annis, meritis novum*, ita fiet, ut homo non ampliùs instar vermis serpat humi, volutetur in carne & sanguine, sed quod bombyci proprium est, assumat pennas, album mutetur in alitem, & ad superna contendat.

a Thom. à Kem. lib. 1. de contemptu mundi cap. 19.
b Amb. lib. de interp. David.

c V. Corn. ad Ephes. 4. v. 24.
d Sidon. Apolli. lib. 4. epist. 13.

EMBLE-

EMBLEMA XXII.

Cùm serò esset, & fores essent clausæ. Joan. 20.



NOCVIT DIFFERRE PARATIS. a

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Omnes vos hodiernâ die, quantum confido: b *quasi modò geniti infantes*; sed ut infantibus familiare est cadere, ita & citò surgere. Documento nobis relicto, ut, si per fragilitatem lapsi simus, non maneamus infixi luto, atque interim serus vesper ingruat, & divina clementia fores occludat.

§. I. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* c

§. II. *Pœnitentia sera, rarò vera.* d

a Ovid. de arte. b 1 Pet.2. c Eccl. 5. d Aug.

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Cum serò esset, & fores essent clausæ. Joan. 20.

ROBERTUS BELLARMINUS, quem S.D.Clemens VIII. in purpuratorum patrum senatum, hoc titulo adlegit: *quod sapientia merito in Ecclesiâ Dei non invenisset Roberto parem*; a hic vir, qui ad purpuram erubuit, sceleratis non semel è suggestu pallorem induxit, atque hoc potissimum argumento ad frugem reduxit: Porta illa, inquit, b quæ sancta appellatur, quam Romæ anno Jubilæi Pontifex summus aperire solet, tam diu est aperta, quamdiu tempus jubilæi durat. Tempore illo evoluto, subitò clauditur, ac deinceps etiamsi Rex quispiam adveniret, atque ingredi cuperet, ea porta aperiri non posset. exinde sic ad mores velificatur: ad eundem modum porta Cœli, quam ipse Christus Pontifex summus ac sempiternus, sua morte & passione reseravit; nunc quidem patet, sed non nisi jubilæo durante patebit: Dominus enim cùm portam aperuit, simul Jubilæi annum instituit, cujus quidem jubilæi spatia, tametsi verè ad mundi consummationem extendantur; tamen si homines singulos consideremus, uniuscujusque annus jubilæi tamdiu durat, quamdiu vita ipsius durat: vitâ deficiente, annus jubilæi finitur; & porta salutis æternis seris & repagulis clauditur, sigillo duplici obsignanda: *semper* & *numquam*. Semper clausa, numquam reseranda. Quare dum tempus est acceptabile, & dies salutis, dum tempus jubilæi & indulgentiæ, contendite intrare, *c ecce indulgentiæ dator aperit tibi ostium, quid moraris?*

a Imago 1. seculi Societ pag. 597. Alegambe in Biblioth. script. Soc. Iesu.
b Bellarm. conc. 21. Dom. Quinquag.
c Aug. in instruct. Spir. Adol. tom. 2.

§. I.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Eccl. 5.

IN urbe quavis celebriori, priscæ ac probatæ consuetudinis est, ære campano sub obscuro vespere, signum dari, quod novissima hora sit; portas urbis brevì occludendas, accelerandum, properandum, & prædia, & pocula deserenda. Quòd si vel camporum amœnitate, aut sodalium compotantium illecebris, quis omnis solicitudinis expers, moras nectat: dum sol in occasum vergit, admotis bis calcaribus, contentione animi summa, corporis defatigatione gravissimâ, in urbem curriculo festinat; sed eccum, ubi appropinquat, advertit, quia *d clausa est janua.*

Tum moram, tum serò compotitationes & socios suos execrari, suam à chara conjuge, à liberis, à familia, à patria & domestica

d Matth. 25.

ſtica quiete, quoddam exilium deplorare, diverſorium circumſpicere, nec invenire; aut ſub Jove frigido, aut in ſemirutum tugurium laſſus ſe recipere cogitur. Quæ incommoda ut gravia ſint; longè tamen graviora incurruntur ab iis, qui mundi ac carnis illecebris irretiti, in hujus vitæ viâ tamdiu moras nectunt, donec à cœleſti illâ patriâ extorres, à beatorum contubernio excluſi, non in pauperis tugurium, ſed in horrendum tartarum cogendi ſunt: quorum hominum ſtultitiam, magnus Gregorius perſtringit his verbis: *a ſtultus viator eſt, qui in itinere amœna prata conſpiciens obliviſcitur ire, quò tendebat, & clauſa eſt janua.* Stultis ac fatuis, ſanctiſſimus Pontifex hos jure accenſet; cum non abſimiles virginibus iſtis, quas hîc dormitantes, pigritantes ac moras nectentes, jamque occluſâ januâ, nequidquam clamantes ac pulſantes, cœleſtis ſponſus verè fatuas & compellavit & propulſavit: Quod expendens Hipponenſis Antiſtes, ſic ſuos noſque omnes commonet: *b intelligimus ergo chariſſimi ad omnes nos, id eſt, ad univerſam Eccleſiam, iſtam pertinere parabolam: quinque virgines, omnes omninò ſunt animæ.* At verò ne fatuas inter numeremur, numquam non animo volvenda, pauca illa verba horroris plena: *clauſa eſt janua:* Etenim ſi Regi Babyloniæ, *c* tria verba manu hominis in pariete exarata, tantum terroris ac perturbationis injecerint, ut pallorem mortis induxerint, genua collidi fecerint, omnis luxus in luctum, & amaritudinem reciderit; nemo quiſquam demirabitur, ſi anima jam corporis ergaſtulo ſoluta, penitius mentis acie ſummi boni jacturam conſiderans, ad has tres fatales voces: *clauſa eſt janua,* vehementius longè commovenda ſit. Quæ ne & nos ſerò conturbent, amantiſſimi patris hoc votum eſt! *d ô ſi ſapere in cordis palato poſſet, quid admirationis habet, quod dicitur: venit ſponſus! quid dulcedinis: intraverunt cum eo ad nuptias! quid amaritudinis, clauſa eſt janua!* minimè mirum foret, ſi totis oſſibus contremiſceret, ſi facies impalleſceret, ſi omnes mundi cupediæ amareſcerent, ubi animo occurſat illud: *clauſa eſt janua.* Emblema ſiquidem, hoc eſt, inquit " doctiſſimus Cornelius noſter, *e* " ſignificans in hac vita bene a- " gendi, pœnitendi & merendi " eſſe tempus; hoc verô claudi " in morte: tunc enim *in ictu oculi* " *clauduntur omnia.* tunc ſerò pulſatur, clamatur: quoniam *tunc,* ſcilicet in morte, *f regni janua lugentibus claudetur, quæ modò quotidie pœnitentibus aperitur. erit namque & tunc pœnitentia, ſed fructuoſa non erit; quia nequaquam tùm veniam invenit, qui modò aptum veniæ tempus perdit.*

Verùm non levis hinc controverſia exoritur, quemadmodum idem ſpiritus veritatis, Matthæi 7. enuntiet: *Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis,* Joannis verò 7. *quæretis me, & non invenietis, & in peccatis veſtris moriemini.* Nec fatuis pulſantibus

a S. Greg. hom. 14. in Euang.
b S. Aug. ſerm. 23. de verbis Dom.
c Daniel. 5.

d S. Greg. hom. 12. in Euang.
e Corn. hic. *f* S. Greg. cit.

ſantibus regnum cœlorum apertum ſit. quæſtionem hanc Doctor ſubtilis, quem Hieronymus *a amicum ſibi chariſſimum, ætate filium, dignitate patrem compellat*, in rem noſtram ingenioſè diſſolvit. Chriſtum Matth. 7. in præſenti dicere *quærite, omnis enim, qui quærit, invenit.* omnis, qui nunc quærit, eum exaudiri à Domino; qui nunc quærit miſericordiam; qui nunc quærit accedere ad thronum gratiæ; qui nunc ſincera contritione pulſat, tundendo pectus, eum *b non ejiciam foras.* Sed ubi tempus hoc abierit, ubi tempus jamjam propinquæ mortis advenerit, ubi janua miſericordiæ obſerata fuerit, tunc cum Judæis quæretis me & non invenietis, clamabitis, & non exaudiam. Tunc tempus iræ & indignationis, tunc *c tempus eſt, ut incipiat judicium.* Sic itaque concludit: *d dictum eſt, verum eſt, non fallaciter dictum eſt: pulſate & aperietur vobis; ſed modò quando tempus eſt miſericordiæ, non quando tempus judicii: non enim poſſunt confundi iſta tempora, cum miſericordiam, & judicium Domino ſuo cantet Eccleſia, tempus eſt miſericordiæ, age pœnitentiam.*

Ferunt Alexandrum Macedonem, cum urbem aliquam obſidione cinxiſſet, facem accenſam ante urbis portas, hoſtibus conſpicuam ſtatuere conſueviſſe, ac publica præconis voce proclamari juſſiſſe: omnes obſeſſos perbenignè in gratiam recipiendos, ſi ſe, dum fax hæc arderet, victoris humanitati ac clementiæ tradere decernerent; eâ verò exſtinctâ, ſpem omnem ſalutis præciſam, aditum miſericordiæ præcluſum, omnia ferro ac flammis evertenda, quemque benigniſſimum patrem agnoſcere detrectaſſent, ſeveriſſimum vindicem experturos. Ita nobiſcum comparatum eſt, quamdiu fax vitæ hujus ardet, tempus eſt acceptabile, dies ſalutis, dies paciſcendi; at ubi hæc lucerna exſtincta eſt, nil ſupereſt clementiæ. Auguſtinum audite: *e magna eſt ejus ſeveritas poſt judicium, cujus ante judicium inceſſabilis eſt miſericordia.* 2 Reg. 2. legimus inter Abner & Joab grave prælium per integrum diem exarſiſſe, jamque ſub veſperam animadvertens Abner exercitum ſuum debilitari, miſit caduceatores ad Ioab, qui inducias paciſcerentur; ille, *vivit Dominus, quod ſi locutus fuiſſet manè, receſſiſſet populus perſequens*, nec quidquam tibi cladis intuliſſet.

Haud aliter peccatores, cum Deo tota die conſtituerunt prælia, jamque vitæ ſuæ veſperâ ingruente, Dei clementiam fruſtra implorant, quam antea facilè impetrare potuiſſent, dum dies eſt. Dum tempus negotiandi eſt, oleum miſericordiæ comparare oportet; ſtultus mercator eſt, qui poſt nundinas merces emere parat. Nundinæ æternitatis, momento vitæ noſtræ ſtant; omnia vili, imò nullo pretio veneunt: venite, emite ſine argento. at *fatuæ poſtea venerunt*, quando forum ſolutum; dum officinæ clauſæ; *f numquid* tunc *oleum emerunt, aut à quibus emerent invenerunt?*

a Hieron. ep.92. ad Auguſt.
b Ioan. 6. *c* 1 Petri 4.
d Aug. ſerm. 23. de verbis Dom.
e Aug. ſerm. 22. de verbis Dom.
f Aug. ſerm. 23. de verbis Dom.

Mi-

Minimè; *sed januas clausas invenerunt.* Dum repentinus clamor intempesta nocte exoritur: *ecce sponsus venit*, serius emere oleum contenderunt. Nec minus stolidi habendi sunt, qui subitâ dejecti corporis infirmitate, tunc pœnitere incipiunt, dum à medicis jam conclamatum est: dum propinquorum gemitus, dilectæ conjugis vociferatio, liberorum clamor personat; tum media nocte curritur ad extremum oleum, atque omnia eo tumultu ac perturbatione peraguntur, quemadmodum in trepidatione civium, ad inopinatos hostium insultus fieri consuevit: exoritur clamor, signo dato imperati accurrunt, hic hastam mutilam, ille sclopum inermem, alius ferrugineum acinacem arripit, atque ita miseri obruuntur & trucidantur. *a* Quare *attendite ne superveniat in vos repentina illa dies.* Eusebius Emissenus: *b immittit diabolus securitatem, ut inferat perditionem; nec dinumerari possunt, quantos hac inanis spei umbra deceperit.* Arcem mihi considera, copioso militum præsidio instructam, vallis ac propugnaculis probè munitam, machinis bellicis terrificam, hanc gubernator securus incolit, nullius hostis incursum formidat. Luditur, lascivitur, otia miles agit; media nocte adest hostilis exercitus, fit clamor, ad arma concurritur: mandat quantocyus gubernator æneas machinas explodi, ignis foculo admovetur, nec quidquam præter inanem & vanam flammam conspicitur, nullus in hostem ferreus globus immittitur, tormenta omnia clavis adactis obstructa serò deprehenduntur. Interea hærent parietibus scalæ, hostis habet muros, arx occupatur, gubernator captivus detinetur, & in hostium potestatem traditur.

Prô Deum immortalem! quantò hôc acerbius ac luctuosius exitium peccatoribus indiès infertur! quam sibi robustâ & obesâ carnis mole cincti, pollicentur, finguntque securitatem! quàm quieti & omnis curæ expertes, suis in sceleribus altum obdormiscunt! quàm tu lascive, infami lupæ per plures noctes consuescere non formidas! quot menses, quot annos ô avare, ex usuris, aut lucris injustis, nihil animæ ac cœlestium bonorum jacturam metuens, divitias congeris! quo usque tandem homo iracunde, viperinum illud odium animo fovere perges? quot soles super iracundiam securus adhuc occumbere cernes? ecquando tandem pectus tartareo pulvere, ac gravi irarum glande onustum exonerabis? nullum tibi ab inopinato hoste exitium imminere perhorrescis? Minimè, inquit, potentiis animæ ut potentissimis machinis in omnem occursum instructus sum; unam intellectus ejaculabitur glandem ardentissimæ orationis, cum actibus fidei, qui meritis Christi subnixi, vires habeant non retundendas. Voluntas ex imo corde ardentem contritionem excitans, grave plumbum iræ, æs alienum, ac scortum ipsum excutiet, omnesque tartareas legiones, uno *peccavi.* uno: *Deus propitius esto mihi peccatori.* uno: *Domine memento mei.*

a Luc. 21.
b Emissen. hom. de Latron.

mei. difflabit. O te hominem perditiſſimum! an ignoras te dormiente, has potentes machinas obturari? an non advertis tot flagitiis, tantâ in ſceleribus pertinaciâ intellectum obſcurari, perverti voluntatem, liberumque arbitriũ debilitari? ô te miſerum! *a venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique*; circumdabunt te fortiſſimi inimici, morbus acutiſſimus, qui te proſternat, & vires elidat; irruet coarcervatim exercitus vitiorum, quibus cœleſtem vindictam concitaſti, & ut vermes viſcera tibi erodunt. tunc ſe tibi offeret puella violata, pauper oppreſſus, Deus offenſus: aderunt infernales legiones, ut leones, qui te dilacerent. de quibus ſacer vates; *b vadent, & venient ſuper eum horribiles*. Quis tunc tibi animus erit? fateor, moribundi lectulo affuſi, ignem admovebunt: dulciſſimum Jeſu nomen, misericordiæ matrem, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, inclamare ſuadebunt: & extremis labris hæc fortè pronuntiabit, & velut inanis flammula pietatis abſiſtet; ſed intellectus jam gravitate morbi obſtructus; voluntas ſceleribus agglutinata, vires omnes dejectæ, omnes ſenſus proſtrati. Quid acturus in hoc tam anxio conflictu? ſubitò irruent in te crudeliſſimi hoſtes, & captivum abducent ad tenebras ſempiternas, ad ergaſtulum flammarum, ad locum tormentorum; ac verô illud verius Euſebii Emiſſeni comprobabitur: *c immittit diabolus ſecuritatem, ut inferat perditionem.* Quod accommodâ Plutarchus hiſtoriâ confirmat: *d* Archias Rex Thebanus, lautam ſuis cœnam inſtruxerat, omnia luxu ac deliciis diffluebant: jamque capaciores pateræ poſcebantur, hauſtus lætitiæ, ac philotheſia inſtruebantur; cùm eccum tibi citatis equis tabellio adeſt, Regique literas defert, addens iis *ſeria* contineri. Rex, qui jam inter familiares regni ſui optimates accubuerat, pergræcari ac genio indulgere perrexit, literaſque pulvino ſupponens, hoc genialiter prolocutus, *ſeria in craſtinum*; ignarus hac fatali epiſtolâ, ſicariorum nomina contineri, qui eum eadem nocte incautum trucidarunt. Atque utinam & nos, quorum exitus formidamus, eorum veſtigia non ſectaremur: Eſtur, potatur, ſcortatur; monet interiùs conſcientia, monent quotidiana funera, denuntiant tibi cœleſtes tabelliones è cathedra, præſens imminere periculum, ſeriò recurrendum ad Dominum, ſincera exomologeſi animum expiandum, jam tempus indulgentiæ, jubilæi ſeria negotia perurgere; ad hæc ille: *ſeria in craſtinum.* Omnia differimus, exceptâ nequitiâ, quæ plerumque hodiernum diem occupat, non craſtinum. In cæteris ſemper promiſſores ſumus, & dicimus: cras hoc fiet, altera hebdomada nulla erit mora, ſequenti anno illud expedietur. Ita dies, ita menſes & anni labuntur, dum procraſtinamus, dum promittimus, & numquam promiſſis ſtamus. Optimè Seneca: *e audies,*

a Luc. 19. *b* Iob 20.
c Hom. de Latrone.

d Plut. l. de genio Socrat.
e Seneca de brevit. vitæ c. 4.

inquit,

inquit, *plerosque dicentes à quinquagesimo in otium secedam; sexagesimus annus ab officiis me dimittet: & quem tandem longioris vitæ prædem accipis? quis ista, sicuti disponis, ire patietur? non pudet te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri posset?* ac tandem aureo epiphonemate concludit: *quàm serum est, vivere incipere, cum desinendum est! quæ tam stulta mortalitatis oblivio, in quinquagesimum & sexagesimum annum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quò pauci pervenerunt.*

Sigismundus II. Rex Poloniæ, ob perpetuam cunctationem, ac segnitiem in gravissimis negotiis: *Rex crastinus* vocabatur, tales certè nos sumus, homines crastini, nulla longiùs quàm animæ negotia differimus, & omnia perdimus. Verè dixit Chrysologus: a *semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit.* Quando mors orandi tempus ademit, quando mors jejunandi tempus ademit, quando mors pœnitendi tempus ademit. *Ecce*, inquit S. Gregorius, b *hunc diem, de quo loquimur, ad inducias conversionis accepimus*, & salutis nostræ incurii procrastinamus. tum subdit:
„ Rem fratres charissimi refero, „ quam si attentè audire vult charitas vestra, ex consideratione „ illius vehementer instruitur. „ Quidam vir nobilis in Valeria „ Provincia, nomine Chrisaorius „ fuit, superbiâ tumidus, carnis „ suæ voluptatibus subditus, in acquirendis rebus, avaritiæ facibus accensus. Sed cùm tot malis Dominus finem ponere decrevisset, sicut à Religioso viro quodam, qui nunc superest, propinquo illius didici, corporis languore percussus est. qui ad extremum veniens, eâdem horâ, quâ jam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, ut ad inferni claustra se raperent. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere, filiumque suum nomine Maximum (quem ipse jam Monachus monachum vidi) nimiis & turbatis clamoribus vocare: Maxime curre: numquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me suscipe. turbatus mox Maximus adfuit, lugens & perstrepens familia convenit. eos autem, quos ille insistentes sibi graviter tolerabat, ipsi malignos spiritus videre non poterant; sed eorum præsentiam in confusione, in pallore ac tremore illius, qui trahebatur videbant. pavore autem tetræ eorum imaginis, huc illucque vertebatur in lectulo: jacebat in sinistro latere, aspectum eorum ferre non poterat, vertebatur ad parietem, ibi aderant. cumque constrictus nimis relaxari se jam posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicens: *inducias vel usque mane, inducias vel usque mane*; sed cùm hæc clamaret, in ipsis suis vocibus de habitaculo suæ carnis evulsus est. *De quo nimirum constat, quia pro nobis ista, non pro se*

a Chrysol. serm. 125.
b S. Greg. hom. 12. in Euang.

se viderit, ut ejus visio nobis proficiat, quos adhuc divina patientia longanimiter exspectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petiisse, quid profuit, qui easdem inducias, quas petiit, non accepit? Nos ergo, fratres charissimi, nunc solicitè ista cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum vivere, cùm jam compellimur de corpore exire.

Nunc solicitè ista cogitemus; nunc in pauperes superflua effundamus, nunc bonis operibus insudemus; nunc vitiis renuntiemus; nunc ebrietati metas ponamus; nunc luxuriæ terminos statuamus; nunc salubri scelerum omnium detestatione ac dolore, animum expiemus; ne *a tunc quæramus ad bene agendum vivere; cum jam compellimur de corpore exire.* Ne nobis nimium præfidentibus eveniat, quod Adolescenti illi nobili quem sibi notum refert Cæsar Recupitus: *b* novi adolescentem, inquit, nobilem, qui lascivis amoribus implicatus, dictitabat satis sibi fore ad salutem, si ante mortem, unam horam vel alteram ad pœnitendum haberet; tunc porrò actum à se perfectæ contritionis eliciendum, quô salvus fieret. Infelix cùm quadam nocte post epulas ad flagitium properaret, repentino lapsu, confracta cervice, non una aut altera die, sed paucis horis supervixit; frustrà ad medicos, ad chirurgos concursatum, sine voce, sine sensu, ac nullo edito pœnitentiæ signo miserè periit. tales amarissimis lachrymis mellifluus Doctor prosequitur: *c multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt qui dissimulant in vitâ suâ agere pœnitentiam, & de extrema confessione præsumunt: quomodo sub unius horæ articulo, revocari posse æstimant omnia animæ membra, cujus concupiscentiæ & desideria, per totum mundum sparsa sunt?*

Tunc enimverò seriùs usurpabunt illud infidelis villici: *d quid faciam?* non vacat jam recogitare, & rationem inire eorum, quæ à pueritiâ, à 20. à 30. annis peracta sunt: *quid faciam?* quomodo nunc longam illam seriem peccatorum, cum omnibus suis circumstantiis, per plures horas confessario enarrare potero? *quid faciam?* quomodo nunc ex animo temulentiam, luxuriam, injusta lucra, inveterata odia aversari, execrari, omnem amorem carnalem ad divinum, ad Christum cruci confixum convertere sincerè valuero? *quid faciam?* cum pro commissis his satisfacere nequeam, cœlitum opem, quos numquam colui, quomodo invocare non erubescam? Interim, inquit Chrysologus, instat Judex: redde rationem, jam enim non poteris villicare. *e Quare? quia venit finis vitæ, tempus mortis.* Pergit porrò dicens, *sed villicus quid responderit, jam perscrutemur: ait intra se, quid faciam? quid faciam modò? semper homo bona facere tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. ait intra se. quærit, inquit, intra se consilium, qui foris, unde sibi jam succurreret, non habebat. ait intra se.*

a Greg. cit. *b* Recupit. in opusc. de signis prædest. c.4.

c Psal. 15. Bern. in serm. parvis ser. 38. *d* Luc. 16. *e* Chrysolog. serm. 125.

pungit cor suum, stimulat mentem suam, & omnia vexat interna, ut à se pœnitentiam extorqueat. fodere non valeo. non vires illi, sed tempora defecerant ad laborem. fodere non valeo, mendicare erubesco. confusionem futuri judicii pertimescit, in quo jam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum. mendicare erubesco. & quis non erubescit in cœlestibus mendicare? & ab iis, quos hîc sprevit & contempsit? Superest nunc ut & Theologicis argumentis doctrinam nostram paucis stabiliamus. Coninck, *a* Suarez, Henriquez, Magister sent. Antonin. aliique Theologi disertè docent, eum qui vellet differre pœnitentiam ad finem vitæ, indubiè peccaturum mortaliter, ob præsentissimum periculum æternæ damnationis, cui se exponit; & qui tam diu manet alienus ab amicitia divina, ipso facto ostendit, se eam parvi facere: quod continet gravem injuriam in Deum. Secundò inquit Coninck, in rebus humanis fieri videmus, si v. g. Paulus debeat notabilem summam Petro, quam facilè possit solvere; quamvis hic non ægrè ferat aliquamdiu solutionem differri, tamen existimabit sibi gravem fieri injuriam, si per multos annos differatur; præsertim si Paulus sæpius monitus ut solvat, id negligat. Eadem autem est ratio respectu Dei, qui eum sæpius per gratias prævenientes ad pœnitentiam excitando movet, ut debitum solvat, quod ipse cum quodam interpretativo Dei contemptu negligit.

a V. Coninck disp. 3. de Sacram pœnit. dub. 3. concl. 3. Suar. disp. 15. de pœnit. sect. 6. n. 3.

§. II.

Pœnitentia sera, rarò vera. August.

—serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

OMnem frontem exuerit necesse est, quem efficacissima hæc Antiocheni Præsulis, à corpore ad animum non convicerit argumentatio. *b Si fortè,* inquit, *parum aliquid morbi corpus pulsaverit, statim & medicos adhibemus, & pecuniam profundimus, & omni observantiâ, quod convenit, agimus; nec priùs cessatur, quàm quæ molesta sunt, mitigentur. Anima verò cùm quotidie vulneretur, cùm per singula lanietur, uratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, ne parva quidem pro eâ nos cura sollicitat.*

Filius à ludo litterario redux, matrem accedit, queritans: *c caput meum doleo*, caput meum aut ventrem meum doleo; ilicò ad medicum properatur: in lectulo collocatur, fovetur, nihil non curæ adhibetur. Maritus acutos lateris dolores uxori exponit, quàm mox è vestigio ad medicum concurritur: atque unà Chirurgus quantocyus adesse jubetur, pleuritidis malum, citra periculum, non prorogandum, principiis obstandum. Ardentior febris charam conjugem invasit, omnis medicorum turba convocatur, pecunia in potiones, quantumvis pretiosas grataner effunditur, mitto imbellem sexum, nec ustiones, nec lanienam ullam per-

b Chrysost. l. 1. de compunc.
c 4 Reg. 4.

horrescere, modò incolumitas corpori restituatur. Frater aut filius sero vespere, in pectore vel capite graviter saucius, totus cruentus domum deducitur; num mater aut frater mensæ accumbere, cubitum secedere, vulnus in diem crastinum obligare different? *anima verò, cùm quotidie vulneretur, nulla nos cura sollicitat.* Congruit huic alter Doctor & Medicus animæ Augustinus: qui ab osse confracto, aut brachio luxato, hoc argumentum deducit: *a In ipsis vulneribus vel fracturis corporum, infirmitates cognoscere possumus animarum.* Repentinum in domo tuâ exortum est incendium, ilicò clamatur, concursatur, auxiliares manus & lymphæ implorantur: laboratur, sudatur, donec sopiatur ac prorsus restinguatur. Anima verò cum uratur, cum libidinis flammis, iracundiæ tædis inflammetur, non ad fontes Salvatoris concurritur, *nec parva pro eâ nos cura sollicitat.* Puer è ponte in præterfluentem rivum præceps abripitur, vicinia omnis opem deposcit, donec navigio, aut natatoris auxilio, periculo eripiatur. Anima verò cum præcipitetur in abyssum omnium flagitiorum, & inde in stagnum sulphuris, *ne parva quidem pro eâ nos cura sollicitat.* Myoparo pretiosis Indiæ mercibus opulentus rimas agit, quanta hic nautarum, ac epibatarum solertia, quàm strenuè aqua noctes diesque exantlatur, quanto studio ac labore rima, stuppâ, aliove adminiculo obturatur? *Anima verò cum modis omnibus pereat, ne parva quidem pro eâ nos cura sollicitat.*

a Aug. serm. 58. de tem.

Quæ lædunt oculos, festinas demere, si quid
Est animum, differs curandi tempus in annum.

Vultis motivum his omnibus longè potentius & maximè obvium? Homicidam attendite; jamjam à cæde patratâ, asylum sollicitè circumspicientem, ut justitiæ ministros sese insectantes effugiat. Non cibum, non somnum cogitat, nisi intra monasterii septa, tutum sibi asylum repererit.

Tu ô homo! lethali noxâ, longè crudelissimo mortis genere animam trucidasti, &

b —— *potes hoc sub casu ducere somnos?*

Vindicem Dei manum imminentem, immanes illos inferorum satellites, non times? En tibi Ecclesia asylum pandit. Arcanum cælat mysterium, hæc Christi comminatio: *c Orate ut non fiat fuga vestra hyeme vel Sabbatho.* Compertum est hyemis tempore, dies breves esse, & longas noctes, solem citò occumbere, serò exoriri, magnos ventorum turbines ac cœli injurias; vias fractas atque ob nives invias; iners gelu membra constringere &c. Aptè Ambrosius: *d hyems* (ait) *non temporis, sed infirmitatis* hîc designatur. Tunc fugam meditari, & stygium hostem velle effugere, serius est, cum jam lumen intellectus occidit, cum sol divinæ clementiæ longiùs recessit, dum horrida nox peccati mentem occupat, dum frigidus sudor & glacies cordis moribundum constringit, dum viæ ad cœlum inviæ. In Sabbatho verò,

b Virg. l. 4. Æneid. *c* Matth. 24.
d Amb. apol. 6. de David.

cum

cum otiatur, cum genio indulgetur: tunc mensis ac poculis relictis, debere fugere arduum est; in die solemnitatis, hostem subitò irruentem propulsare, perquam difficile. Quo argumento conatus est Divus Gregorius ad mentem revocare saniorem, Venantium, qui Monachus, spreto claustro, Cancellarius Italiæ effectus. Is dum salutis suæ immemor vagatur, hoc salubri telo configitur; *a In hyeme ergo vel Sabbatho fugere conatur, qui iram districti judicis tunc appetit fugere, quando ei non licet ambulare.* Augustinus, *b pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; pœnitentia, quæ à moriente tantùm petitur, timeo ne & ipsa moriatur.* Arborem multo tempore radicatam evellere, non infirmi aut debilis hominis est: iram multis annis per intimas corporis fibras dispersam, ab infirmo eradicari, & ex corde remitti posse, lucra injusta per plures annos possessa, & in varios dispersa, colligi ab infirmo, & justo Domino refundi, scortum cui ab adolescentiâ tenaciter adhæsit, ab infirmo exturbari, ac sordes suas aversari posse, quis credat: *c quia pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est.* Qui enim gravi morbo laborant vel doloribus impediti, vel debilitate aut deficiente judicio, vel horrore propinquæ mortis, vel amore charorum, quos inviti relinquunt abrepti, hi, ut Cardinalis Bellarminus testatur, *d* satis imperfectam confessionem peccatorum faciunt, & valde ægrè contritionem veram & perfectam in illis angustiis, in se ipsi excitare queunt. Testis ego, inquit, possum esse hujus difficultatis, quam ægroti ut plurimum patiuntur: nam cum aliquando inviserem amicum, virum divitem & nobilem, qui ex peccato quodam gravi perpetrato in morbum læthalem inciderat; atque ei dicerem, nihil ei salutarius in eo temporis articulo esse posse, quam veram peccatorum suorum pœnitentiam & contritionem; quia Deus cor contritum & humiliatum nunquam despicit: Respondit ille: Et quid est contritio? non capio quid à me requiras. Subjeci ego: hoc requiro, ut ex vero corde displiceat tibi, quod in Deum peccaveris, & omnino statuas, si diutiùs vixeris, nunquam amplius Deum offendere; idque totum procedat ex vero amore Dei, qui tibi innumera beneficia præstitit, cui tu ingratissimus pro beneficiis injurias reddidisti. Respondit ille: non intelligo, non sum capax rerum istarum. Ita obiit; signa damnationis suæ aperta nobis relinquens. Ex quo terribili eventu, hoc nobis salutare documentum subdit. Hæc & similia exempla nos monent, ut cum benè valemus, sic conscientiam nostram exoneremus, & pœnitentiam veram agamus, ac si illa confessio ultima nobis esset futura. Quid enim inquit Basilius (serm. quarto de pœnitentiâ) *Ut te tum febris ad pœnitentiam vocet, cùm neque salutaria verba ampliùs proloqui, neque quidquam auribus accipere poteris: cum in ipso capite morbus inhabitet, non manus ad cœlum ampliùs tollere, non commodè doceri,* non

a Greg. l. 1. ep. 33. ad Venant. Canc.
b Aug. serm. 57. de temp.
c Aug. cit. *d* Bellarm. de arte benè moriendi. l. 2. c. 6.

non certò confiteri, non redire in gratiam cum Deo, *&c.* Nam quod omnes meritò in causâ æternæ salutis sollicitos & cautos reddere debet: *Pœnitentia sera rarò vera.* Quæ veritas duabus Ecclesiæ columnis Ambrosio & Augustino nititur. *a Si quis positus in ultimâ necessitate ægritudinis suæ, pœnitentiam accipit, & hinc vadit; fateor vobis non illi negamus quod petit; sed non præsumimus, quia bene hinc exit.* Amplius Divus Ambrosius, quam non fidem suam interponat pro ejusmodi homine considerato: *b Non præsumo* (inquit) *non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto.* Et pergit: *An securus hinc exeat, ego non sum securus, pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum.* Vnde concludo cum eodem Ambrosio: *Vis à dubio liberari, vis quod incertum est evadere? age pœnitentiam, dum sanus es. Si enim agis pœnitentiam, dum sanus es, & invenerit te novissimus dies, securus es. Ergo curre ut reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus?* Subtilem sed veram & pluribus inculcandam subdit rationem: *Vis dicam tibi? quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. ecce dixi, quare securus es. Si autem tunc agere vis pœnitentiam, quando peccare jam non potes. peccata te dimiserunt, non tu illa.* Adeò ut interpretativus affectus ad peccatum, in ejusmodi non rarò superfit. Si in duello prostratus, nudo mucrone gutturi imminente, clamet se omnem injuriam remittere, veniam postulet: extortum est eo animo, ut si assurgat, majori furore hostem invadat.

Audi hac de re è Scholasticis quàm plurimis Scotum, non tam subtiliter, quàm ad mores utiliter sic disserentem in 4. sentent. dist. 20. quæst. unicâ, quam sic resolvit: si quis in extremis gravi valetudine vel discrimine (ut est submersio aut aliud quidvis) constitutus, verè pœnituerit, & plenè ad Deum, vel dolore interiori (debitis circumstantiis instructo) vel pœnitentiæ Sacramento sese converterit; utique salutem consequetur. Nihilominus pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis vix est vera, & sufficiens ad salutem consequendam, ut suprà dictum, *pœnitentia sera, rarò vera.*

Quia admodum difficile est, tunc verè pœnitere; cum tunc impediatur liber usus rationis & voluntatis ex dolore vel timore inhærentibus. Vnde Psalmista: *c Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Hujus rei testem induco Patrem Deaponte illîc commorantem, ubi ea quæ commemorat contigerunt, *d* Scio quemdam Compluti, in-„ quit, ubi hæc scribo, in flumi-„ ne se lavantem, casu in profun-„ dum descendisse: & dum se „ præfocabat, in memoriam ve-„ nisse, ut actum contritionis eli-„ ceret, nec elicere potuisse ex „ metu ac desiderio evadendi; „ unde si miraculosè non eva-„ sisset, in æternum periisset. Sub-„ nectit alterum non minus re-„ cens, ejusdem argumenti testi-„ monium. Princeps Serenissi-„ mus Carolus Austriacus, Phi-„

a Aug. hom. 41. ex 50.
b Amb. in fine l. 2. de pœnitent. to. 4.

c Psal. 54.
d Deapont. in Matth. c. 5. v. 29. p. 460.

„ lippi III. filius; dum repentè „ loquelam perdidisset, & illam „ intercessione Virginis de *Atochâ*, seu B. *Mariæ* de refugio, „ recuperasset, eo ipso quo Sanctissimæ Virginis imago in cubiculum allata: affirmavit millies se recordatum fuisse, ut a„ ctum contritionis eliceret; attamen ad eum eliciendum non „ pervenisse. Vt videas, quàm te „ decipias; qui actum contritionis in mortem differas: *Hac enim*, ut Doctor Angelicus signanter observat; *a* *animadversione percutitur peccator, ut in morte obliviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei.* Ego ipse, inquit Bellarminus, *b* vir omni exceptione major, invisens aliquando ægrotum, morti propinquum: cum inciperem loqui de præparatione ad exitum è præsenti vitâ: respondit constanti animo, & sine ullo metu, acdixit: *Ego, Domine, cupivi alloqui te, non pro me; sed pro conjuge meâ, & filiis meis. ego enim propero ad inferos, neque est quod aliquid pro me agas.* Hæc verè protulit animo tranquillo, ac si de itinere ad villam, vel oppidum aliquod loqueretur; siquidem *oblitus videbatur*, inquit, *non solùm Dei, sed etiam animæ suæ.* Summa est; cum multis verbis illum ad meliorem mentem revocare tentassem, nihil efficere potui. Hoc olim verissimè questus Propheta: *c* *Non est in morte qui memor sit tui.* Atque utinam quod optat Cyprianus: *exempla sint omnium, tormenta paucorum.* Notat Chrysostomus rem prodigiosam in funestâ illâ Absolonis nece. *d* Ad condensam quercum, implexis crinibus hærebat, & quasi omni corporis robore, & animi viribus, quæ tum potissimum exerendæ, destitutus, nec brachia attollere, nec manum admovere conatus est, ut nodum illum fatalem solveret, seque imminenti hoste expediret, cumque tot militum millibus imperitaret, neminem subsidio accurrere, neminem mandati Regii, *e* *Servate mihi puerum Absolon*, memorem, qui præsenti discrimini eriperet, invenit. Arbitraris hæc quæri Chrysostomus, casu accidisse? minimè inquit: *Sed ut scias, quod factum est, non humana industria, sed totum fuisse divini judicii.* Ad hæc omnia: unicum sceleratis perfugium est, ad felicem illum latronis, cum Christo patientis, obitum, qui in instanti, & veniam meruit obtinere, & paradisi portas introire. Quos ut à temerariâ prorsus præsumptione reducat S. Bernardus, sic eos terret: *f* *Si bene memini in toto canone Scripturarum, unum latronem invenies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ exspectationi credere temetipsum; maledictus qui peccat in spe.* *g*

A Genesi ad Apocalypsim, unicum illud tam prodigiosæ conversionis exemplum reperitur; idque modo, tempore, circumstantiis non usitatis, Redemptoris nostri beneficio prorsus singulari. Quod facilè quis assequetur, qui has duas voces *tibi & hodie* penitius expenderit. *Tibi* non cuilibet; *tibi*, qui me extremum spi-

a S. Thom. op. de erudit. Princip. l. 5. c. 8. Aug. serm. 3. de SS. Innocent. *b* Bellarm. de arte bene moriendi l. 2. c. 11. *c* Psal. 6.

d Chrysost. in Psal. 7. *e* 2 Reg. 18. *f* Bern. in ser. de parv. ser. 38. *g* Psal. 15.

 ritum

ritum trahentem invocas; *tibi*, qui Iudæis blasphemantibus, Discipulis aufugientibus, inter summa opprobria, & ignominiosissimam mortem me Dominum agnoscis, & Regem confiteris. O verè *magna est fides tua*; *tibi*, qui te mihi advocatum præbuisti, & alterum latronem increpasti; *tibi*, quem & me inter mater mediatrix intercessit.

Idque *hodie*, quo Iubilæum illud universi orbis celebratur; *a hodie*, quo pretium Redemptionis tam prodigè persolvitur; *hodie*, quo fontes omnes gratiarum & misericordiæ Dei copiosissimè scaturiunt. *Hodie*, quo omnia tela divinæ justitiæ recondita, & in unum Iesum reflexa. *Hodie*, tali, inquam die, audire meruit: *Mecum eris in paradiso*. Serò quidem hæc conversio accidit, & januis cœli per quinque millia annorum clausis; *b* sed rarò Redemptor se ita manifestat. Augustinus: *Vix ex centum millibus hominum quorum mala fuit vita, in morte divinam indulgentiam obtinebit unus.* His siquidem evenit, quod illi cui, cum flumen transeundum esset, cujus aquæ deciduæ, manè vadum præbebant; moras traxit in vesperam, cum exundasset, nec citra discrimen trajici posset. Consimile quid Regius Vates expressit Psalm. 31. *Orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno; veruntamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* Quare *c ne dicas, erit tempus, quando converti licebit: multi dum malè ac vitiosè viverent, subitò perierunt; time ne tibi idem accidat. Sed multis inquit, dedit Deus spatium, ut in ultimâ senectute confiterentur. Quid igitur? numquid & tibi dabitur? fortasse dabit, inquis. Cogita quod de animâ deliberas; proinde de contrario etiam cogita, & dic: Quid autem si non det? quid autem si det, dicis? Esto, dat quidem ipse; verumtamen hoc certius, & utilius.*

Quid si hodie litem mille aureorum lucrari queas, an perinde asseres, si in crastinum, aut etiam si in menses differatur? quid si hodie opportunitas sit, pingue beneficium filio, splendidum officium marito impetrandi; num parum sollicita, in animum induces, ejusmodi occasionem sæpius posse occurrere? quid si hodie amicus moribundus te accersat, cui voluntas est, ut te hæredem scribat, num cras aut perendie ad eum visere statues? Fortassis equidem te hæredem constituet, fortasse eadem omnia commoda consequeris; sed fortasse non: & ideo agis quod *certius & utilius.* Vt verò hodie pœnitentiam agas, *cogita quòd de anima deliberas.* Expendit Doctor Angelicus illud Bernardi: *d Quid de futuro miser præsumis, tamquam Pater tempora & momenta in tuâ, & non magis in suâ posuerit potestate?* Irrisor ille meritò haberetur, qui summam mille aureorum è thesauris tuis sibi deposceret, adpromittens quod cum fœnore ex classe Indicâ, ubi appulerit, omnia refundet. *e Viri illusores, audite verbum Domini, qui dixistis percussimus fœdus cum mor-*

a Damian. ferm. de Paff. Dom.
b V. Fabri in Parasc. conc. 8. § 34.
c Chrys. hom. 22. in 2 ad Cor.

d S. Thom. op. de erud. Princip. l. 5. c. 8. cit. Bern. *e* Isa. 28.

te,

te, & cum inferno fecimus pactum. Ita illusus & turpiter irrisus, qui pactum cum inferno & dæmone inierat, *a* ut triduò ante mortem suum exitum sibi prænuntiaret. Quo promisso securus, vitam variis in flagitiis traducebat. Tandem in ægritudinem lapso, adest iniquus fidejussor, & instantem mortem post paucos dies prædicit. Ilicò hîc adstantibus tristem nuntium exponere, qui, dum omni diligentiâ eum ad pœnitentiam hortarentur, continuò obdormiebat, Nec expergisci poterat. Si verò conticescerent, aut parerga quædam proferrent, mox experrectus, aures arrigere & confabulari; sed rursus audito nomine pœnitentiæ, altum obdormiscere: donec horrendæ morti traditus, ad inferos devolutus est. Postmodum verò per plures noctes nigra canum turba non cessavit sepulturæ ejus assidere, & quasi depositum custodire, ita ut non minimo videntes horrore concuterentur. Hactenus Cardinalis Damian. Audite ergo filii matrem vestram Ecclesiam Dominica 1. Quadrag. monentem: *Emendemus in melius, quæ ignorantes peccavimus; ne subitò præoccupati die mortis, quæramus spatium pœnitentiæ, & invenire non possimus. b Ecce delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit.* Quod si fecerimus, nunquam erit serò, nec fores cœli erunt clausæ.

a B. Pet. Damian. in ep.

b Isa. 28.



Illas oportet me adducere. Ioan. 10.



QVEM TRAHAT E MVLTIS FORSITAN VNVS ERIT.[a]

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Omnes nos quasi oves erravimus [b]; ſed bonus ille Paſtor cœleſtem gratiam, velut viridem ramum porrigit, ut errantes ad ſe trahat & adducat.

§. I. *Ramus divinæ gratiæ ſufficienter omnibus porrigitur, quo diſperſos bonus Paſtor ad ſe trahat. idque primò per locutionem internam. ſecundò per externam, etenim,*

§. II. *Ramus divinæ gratiæ per ſacros Eccleſiaſtas, animos Auditorum efficaciter trahit, dum juxta Apoſtolum fit* [c] verbum inſitum.

a Ovid. lib. 3. de arte. b Iſa. 53. c Iacob. 1.

DOMI-

DOMINICA SECUNDA POST PASCHA.

Illas oportet me adducere. Ioan. 10.

PRinceps humani generis parens, ubi in altissimam omnium miseriarum voraginem prolapsus, omnes posteros nexu quodam indissolubili, secum unà præcipites egit: jamque in teterrimo illo omnis horroris & doloris barathro, humanum genus omni medio ac remedio, omnibus divinis ac humanis adminiculis per plura secula destitutum, non sine gemitu ingeminare poterat, quod olim ille, de quo Hipponensis Præsul testatur: *a cùm quidam ruisset in puteum, ubi aqua tanta erat, ut eum magis exciperet, ne moreretur, quàm suffocaret, ne loqueretur; accessit alius, & eo viso admirans ait: quomodo huc cecidisti? at ille: obsecro, inquit, cogita quomodo hinc me liberes, non quomodò huc ceciderim quæras. Ita quoniam fatemur, b & fide Catholica tenemur de reatu peccati, tanquam de puteo, curandum magis est, sive in parvulis, sive in grandibus, quo anima sanetur auxilio, quàm quo vitiata sit meritò.* Curandum magis, & inculcandum, quo anima infixa luto, & demersa in limo profundi, extracta sit auxilio, quàm quo præcipitata sit vitio. Quod immensa Dei bonitas prospiciens ex alto, *nostros miserata dolores*, effecit, dum torquem charitatis aureum, tot annulis, quot beneficiis & gratiis innexum dimisit, juxta illud Oseæ vaticinium: *c in funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis.* Hieronymus legit: in funiculis hominum, id "est funiculis illis, quibus sole- "mus homines ad nos trahere "& devincire, nempè benefi- "ciis & donis, quibus velut vin- "culis obligantur. ideoque Chaldæus vertit: *sicut moris est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis.* neque hoc profundo præcipitio dumtaxat extraxit, sed & ad se traxit, dum ait: *d charitate perpetuâ dilexi te, ideo attraxi te miserans*; nosque hoc alto miseriarum puteo ereptos, benignissimus ille Pastor, velut oves suas, in amœnis Ecclesiæ pascuis, quæ pretioso sanguinis sui imbre rigavit, collocavit; carnem suam insuper stupendo amoris artificio in pabulum lubens communicavit. Ab eo tamen, quàm longe *e velut oves erravimus!* hic vagari incepit post gregem lascivorum sodalium: illum seduxit auri fulgor, alius abiit post desideria sua &c. quid agat, ut reducat? tres modos tradit Cassianus, quibus Deus ad se mortalium trahit voluntates: 1. per internas inspirationes, & gratias excitantes. 2. per monita & exempla. 3. per comminationes & flagella. de postremo satis superque actum part. 1. de duobus aliis nunc luculentius disseremus.

Ac primum quidem celeberrimus gratiæ Magister, nobis facem præfert, qui tract. 26. in

a Aug. epist. 29. *b* Aug. l. 5. contra Iul. cap. 3. *c* Oseæ cap. 11.

d Ierem. 31. *e* Isa. 53.

Ioan. c. 6. exponens illud: *nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum*, ita in rem nostram: *a noli te cogitare invitum trahi, trahitur animus & amore.* tum ne quis ethnicus aut hæreticus à Christi grege seductus dicat: *quomodo voluntate credo, si trahor? ego dico parum est voluntate ire, etiam voluptate traheris.* dein exponit, quemadmodum quis voluptate trahi possit: porrò si Poëtæ dixêre: *b trahit sua quemque voluptas, non necessitas, sed voluptas, non obligatio sed delectatio, quantò fortiùs nos dicere debemus, trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, quod totum Christus est.* & post pauca: *da amantem, & sentit quod dico. da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem. da talem, & scit, quid dicam.* quod eleganti exponit similitudine: *ramum viridem ostendis ovi, & trahis illam. nuces puero demonstrantur, & trahitur. amando trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur.* ubi attentâ mente juverit hunc viridem ramum ruminare, èjusque naturam ac virtutem comprobare. Ramum olivæ, aut ramum palmarum, vel etiam è vite palmitem, quis fortè arbitrabitur; at longè his præstantiorem, ac pretiosiorem æterna patris sapientia pronuntiavit Eccli. 24. *rami mei honoris & gratiæ*, qui nimium quantum aureas Pompei platanos, Pygmalionis pinus, Magni Cham Tartarorum Regis aureas vites, ramos aureos pro baccis, pretiosis margaritis turgidos, antecellunt. *c Rami ejus pulcherrimi, rami ejus honoris & gratiæ*, cujus bonitatem ac pretium, peritus istiusmodi frugum æstimator Aquinas, omnibus universi orbis gazis & thesauris appendit, dicens: *d bonum gratiæ unius est majus bono totius naturæ universi.* quid mirum, si in densissima hujus mundi sylvâ, quantâ possunt contentione, mortales exclament:

e Si nunc se nobis, ille aureus arbore ramus,
Ostendat nemore in tanto! ô si! ô utinam!

Cœlestis ille Pastor, optatum illum gratiæ ramum nobis porrigat, & suavi quodam incitamento ad se redire compellat, quod quemadmodum præstet SS. Patrum testimoniis, ac variis, iisque selectis historiis probare aggredior.

a Aug. tract. 26. in Ioan. c. 6.
b Virg. Ecc. 2.

c Maioli Canic. tit. lapides. colloq. 18. Causin. symb. l. 11 c. 3. 4. Dan. 4.
d S Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. ad. 2.
e Virg. 6. Æneid.

§. I.

Ramus divinæ gratiæ sufficienter omnibus porrigitur, quo dispersos bonus Pastor ad se trahat.

S. Thomas non tàm politè & copiosè, quod Oratorum est, quàm eruditè & nervosè, quod Doctorum est, hanc subtilem juxta ac sublimem Euangelistæ sententiam: *nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, f* de gratiæ illicio ac incita-

f S. Thom. in Ioan. c. 6. v. 44.

citamento intelligit, dicens: *magna gratiæ commendatio! nemo venit nisi tractus.* Suarez verò super hanc eandem Joannis doctrinam disserens: *a quid aliud*, inquit, *quàm actualem Dei gratiam significat?* consimili sensu Toletus „ noster: *nemo potest venire ad me* „ &c. nemo mihi credit, nemo „ mea verba capit, nisi qui à pa- „ tre tractus est, qui à patre illu- „ stratus est. vos autem (Phari- „ sæi) culpâ vestrâ lucem hanc non habetis. Hoc porrò lumen, potentiùs mentes trahit, quàm stella olim Magos, qui non tam à sidere isto oculos, quàm ab ipso, qui est *lux vera*, animos eorum illustrans, attracti sunt. *b* Hinc Doctor sanctitate & eruditione eximius, P. Ludovicus de Ponte (quo cum hic multum usurus sim, qui vir fuerit attendite) ad biennium propè tumulatus citra graveolentiæ vestigium, & quod majori miraculo fuit, cerebrum in exeso jam cranio, prorsus illibatum. multis à morte visus est claro in lumine, peculiari doctoratus aureolâ, & prærogativâ conspicuus, quod inspirante Deo, salutarem Ecclesiæ doctrinam in suis lucubrationibus propinasset; hic doctor illuminatus, gratiam *trochleæ* conferre non dubitavit, *c* per trochleam ingentia pondera, sarcinæ, cistæ: informes & enormes trunci: magna vasa: saxa luto mersa subitò elevantur in aëra, in altum attolluntur, & veluti in sublimiorem mutata naturam, quæ nulla vi humanâ loco moveri posse videbantur. Ita sæpenumero accidit homines gravi corde, pondere peccatorum humi pressos: sub ingenti onere hujus vel illius criminis gementes, non posse sursum eniti, nec ulla prece, pretio, commonitione, comminatione, spe, re, consilio, imperio, illecebris, promissis, aut ullâ humanâ industriâ ad celsiora perduci. Adeo omnis Orator est instar illius

——— *qui robore toto*
Saxum trudit nitendo, nec proficit hilum.

Quid tandem? trochleæ suæ gratiâ utitur Christus: machinam suam adhibet gratiosè, id est suaviter simul & fortiter movendo. & ecce gravia sursum corda tolluntur, corpus quod aggravat animam & terrenus sensus ad cœlestia, ad Deum trahitur, ut illum totus homo sequatur, illique ut ferrum magneti, festuca electro adhæreat. Amabo te, quæ suada, quæ vis humana valuisset Matthæum à telonio dimovere, cumque suis cistis argenteis, aureis, cum tot sarcinis sursum attollere? Quis latronem ingentem illum & informem truncum, inter sylvestria ligna robustissimum, potuisset è terra vel tantillum levare? Quis Saulum inter vasa iræ iniquissimum, vas nitreo pulvere plenum & spirans minarum, diris & blasphemiis onustum, in sublime rapere? Quis Davidem clamantem: *infixus sum in limo profundi, & iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me.* quis, inquam, Davidem velut saxum humo altâ infixum, extrahere in alta valuisset? Nemo hercule, nemo. Adhibet suam trochleam

a Suar. de gratia l. 3. c. 4.
b Alegambe in Bib. scrip. Soc.
c P. de Ponte in Cant. l. 1. exhort. 3. §. 1.

Deus, citò loquitur Matthæus, cujus Euangelicum Emblema alatus homo vel humanus Angelus. Ilicò latro attollitur in Paradisum. In tertium cœlum rapitur Paulus & fit vas Electionis. David à se alter factus exclamat: *quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo.* usque adeò efficaciter cœlestis Pastor hac gratiosâ machinâ oves ad se trahit. Ecquæ modò Concionatorum facundia avarum Euclionem, Matthæo aut Zachæo consimilem, omnes thesauros & saccos pecuniarum, quibus indormit, in sinus pauperum effundere, omnibus relictis nudum Jesum sequi compellat? compulit gratia, & indies compellit tot Adolescentes ætate, ingenio, opibus ac sanguine florentes, spretis omnibus, ad Christi castra concedere. Ecquis adulterum, ab inveteratâ fœdæ libidinis consuetudine avellere? pellicem vel prece, vel pretio ex profundo vitiorum cœno abstrahere? avulsit, & abstraxit gratia, abstraxit Magdalenas, Pelagias, Thaides, atque indies tot teneras, speciosas, sybaritice educatas filias, à parentibus, patrimoniis matrimoniis, divitiis, deliciis, quasi ab uberibus mundi, ad Christi vulnera efficaciter invitat & pertrahit. Invitat & vos, manum extendit, ramum porrigit, & sequi recusatis, ac vos minimè trahi, perperam insimulatis; quisquis hac falsâ opinione ducitur & seducitur, doctorem maximum obaudiat dicentem, ac docentem: *a cor humanum ex se ad inferiora tendens, non potest sursum elevari, nisi tractum: si verò non elevatur, non est defectus ex parte trahentis, qui quantum in se est, nulli deficit, sed est propter impedimentum ejus, qui non trahitur. Deus autem omnibus ad trahendum manum porrigit, quantum in se est, & quod plus est, non solùm attrahit manum recipientis, sed etiam aversos ad se convertit.* Ac tandem concludit: *ex quo ergo Deus paratus est dare omnibus gratiam, & ad se trahere, non imputatur ei, si aliquis non accipiat, sed ei qui non accipit*, & potiùs sequitur trahentem carnem, quàm spiritum; terram, quàm cœlum, diabolum quàm Deum. *b trahit* quippe *sua quemque voluptas*, sua libido, sua voluntas: fulgor auri trahit avarum: mensa opiparè instructa, trahit gulosum: vinum flavescens in vitro trahit ebriosum: beneficium aut dignitas vacans, trahit ambitiosum: venustas formæ trahit libidinosum, *c* quia *anima amans fertur votis, trahitur desideriis.*

d Trahit & mentes nostras *candor lucis æternæ*; quo perquam splendido elogio, Magister sententiarum gratiam definivit trahit splendor virtutis, trahit *e lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, & velut pharos in nocte, errantes ad portum salutis invitat: *f vult enim omnes homines salvos fieri.* Unde Theologorum Princeps Aquinas: *g Deus, quantum in se est, paratus est omnibus suam gratiam dare: vult enim omnes homines salvos fieri. sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis, gratiæ impedimentum præstant.* Quod simili-

a S. Thom. in cap. 6. Ioan. l. 5. q. 3.

b Virg. Ecl. 2. c Aug. in manual. c. 20. d Magist. sent. in 3. q. 79. e Ioan. c. 1. f 1 Tim. 2. g S. Th. l. 3. contra gentes cap. 159.

militudine, ad vulgi captum, clarissima illustrat: *sicut*, inquit, *sole mundum illustrante, in culpam reputabitur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur* (v.g. in foveam cadat) *licet videre non possit, nisi lumine solis praeveniatur.* Iisdem propè verbis Chrysostomus: *a* sed præ his omnibus Doctorem gratiosum audiamus: *b illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium, se ad ejus praecepta servanda convertunt, quod omnes possunt, si velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat, venientem in hunc mundum*: sicut enim omnis natio quæ sub cœlo est, sive sub nostro Zenit sive Nadir: seu polo Arctico seu Antarctico: sive etiam extra tropicum Cancri & Capricorni, omnis, inquam, natio illustratur à sole; ita & Deus usquequaque gratiæ suæ radios diffundit, etiam quò sol non penetrat, *& illuminat omnem hominem.* Quid clarius, quid præclarius? illuminat omnes, pauperes, divites, nobiles, ignobiles, juvenes, senes, justos, peccatores, hæreticos, gentiles, qui sedent in tenebris, & in umbrâ mortis, *omnes* converti *possunt, si velint*, omnes, omnes. quæ fusiùs deducenda sunt, quia hac tempestate lupi in vestimentis ovium Christi gregem seducunt; Quærunt enimverò ac queruntur, quomodo Deus omnibus de sufficientibus mediis prospiciat, cùm tot gentiles, ac idololatræ in extimis mundi partibus degant quò nullus divinitatis radius, per ullum fidei præconem penetravit; cùm tot gravissimi peccatores, & hæresiarchæ, in reprobum sensum dati, & in peccatis mortui sint; cùm tot agrestes homines, heterodoxi, innocuæ mulieres, Lutheri ac Calvini præceptis, à majoribus imbuti, citra pertinaciam errores suos tueantur, quia sol intelligentiæ non luxit illis? quos ut in viam reducamus, Doctorem Angelicum ducem constituisse sufficiat, qui quæst. 14. de veritate ar. 11. ad. 1. asseverat: *si quis nutritus in silvis, ductum naturalis rationis sequeretur, in appetitu boni, & fuga mali, certissimè tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt credenda: vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Quam doctrinam vario rerum eventu confirmabimus. *c* Anno 1553. magnus ille Brasiliæ Apostolus, & seculi nostri Thaumaturgus P. Josephus Anchieta, obibat de more suam hanc provinciam, cum à comitibus digressus, solus in sylvas, nullo certo consilio, sed quasi alterius manu duceretur; penitiùs ingressus, in senem decrepitum, centenario, ut apparebat majorem, humi abjectum, atque arbori applicitum incidit. Quærit ex eo Pater, quinam sit, quave ex terrâ, vicove, eò advenerit? respondit senex, patriam suam mari imminere, aliaque adjecit, ex quibus Anchieta facilè intellexit, illum non ex ulla Brasiliæ ora, sed ex remotioribus terris, vel ministerio suprà quam

a Chrysost. hom. 7. in Ioan.
b Aug. l. 1. de Gen. contra Manich. c. 3.

c In vita P. Anchietæ lib. 2. Alegambe Bibl. script. Soc.

humano

humano, eò translatum, vel divino aliquo monitore ac duce, suis gressibus venisse, atque adeò labore & ætate fractum ibi quievisse. Pergit ex illo sciscitari, quid eò venisset? quid sibi vellet? respondit ut rectam vitam percipiam; quo loquendi modo divinam legem, & iter ad salutem barbari istic intelligunt. Ad hæc cum totius vitæ genus, per omnes ætatis partes accuratè perscrutatus, omnia illius facta, cogitata excussisset, cognovit ipsum unam dumtaxat conjugem habuisse, numquam arma nisi in sui defensionem arripuisse; denique omnibus diligenter expensis, deprehendit hominem nullâ unquam lethali culpâ, naturæ legem violasse. Comperit præterea suopte eum ingenio, quo pollebat honesto, æqui & iniqui rationes discernere, atque non obscuram naturæ auctoris notitiam consecutum: pleniorem verò ardentissimè ille ultrò efflagitabat. Quare cum sensim viribus deficeret, præcipuis fidei nostræ mysteriis satis imbutum, labore & ærumnis fractum, atque ætate confectum (quoniam solutio instabat) aquâ pluviâ ex carduo collectâ (nulla enim alia in arenis illis suppetebat) baptizavit, & Adami nomen illi indidit. Qui tam divino cumulatus beneficio, operante intus virtute Sacramenti, divinæ in se gratiæ sentiens charismata, oculis manibusque in cœlum sublatis, læto vultu divinæ bonitati primum, tum etiam patri gratias agit, & quasi expetiti voti compos, cum superesset nihil, quod in terris moraretur, animam sacro fonte expiatam, in ipso primo suæ regenerationis vestigio, Deo reddidit, corpusque exanime Josephus sabulo sepelivit. Stupendum magis magisque fortunatum miraculum, *a* quo jam mortuo Deus gratiam non denegavit: in oppido Sanctis, homo Brasilius, nomine Didacus, jam pridem Christianâ religione susceptâ, & Christianos inter, tamquam Christianus diu versatus, in domo Lusitani civis, sed per errorem sine baptismo diem suum obierat, jacebatque exangue cadaver ad sepulturam ritè compositum: & ecce errantem à corpore animam, in viam Anchieta reduxit, vitæque restitutam, salutaribus undis abluit, iterumque dimisit, longè iter æternitatis securius ingressuram. Quis non verissimam hic D. Thomæ doctrinam confitebitur? quis Dei gratiam, nisi suis sceleribus obicem objecerit, ulli defuturam arbitrabitur? quasi qui seipsum fontem gratiarum propinasset, guttam negaret.

Alterum consimile, nisi quod recentius testimonium, quod referunt Annuæ 1635. *b* ex Peraquaria. Vetula erat à vitæ morumque integritate nota omnibus: hærebat illi anima in extremis labris, in horas, imò in momenta singula, quasi abituriens, atque id mense toto, quo in agone decertabat non sine stupore adstantium, quos inter Pater, qui excussis conscientiæ latebris, nihil grave, nedum mortiferum deprehendit; scrutanti porrò, quid sibi vellet istud in moribun-

a In vita P. Anchietæ l. 3. imago 1. seculi Soc. pag. 634.
b Lobbet. Dom. Sept. q. 2.

dã prodigium, dixere sodales duo: indubiè isthæc mulier baptizata non fuerit, & id erit caussæ, cur tamdiu lucta teneat. Hæc ubi audiit Pater, è vestigio unà cum ipsis ægram revisit, multaque à domesticis sciscitatur, ac tandem numquam lustrali fonte expiatam, sed tantùm Christianæ nomine, à parentibus donatam comperit, moxque eam sacro lavacro tinxit. mirum dictu, visuque, ad singula sacerdotis verba attendit ac respondet, atque ubi ipse finem pronuntiandi fecit, fecit & ipsa vivendi. in quo miraberis amabiles divinæ gratiæ influxus, & manifesta immensæ illius in nos bonitatis argumenta, quæ neminem vult perire, sed ad *a agnitionem veritatis venire. b*

Hæc & alia his similia nobis innotuerunt, plura certè indubium, quin suavis Dei providentia inter gentiles ductum rationis, ac leges naturæ sectantes, operatur. quod ipsum gravissimi Auctores de iis, qui inter hæreticos à teneris educati, eorumque erroribus imbuti censuerunt, quibus nulla umquam dubitandi ratio, nec de perversa, quam in simplicitate cordis insistunt via, scrupulus incidit. quales hisce in partibus pauci reperiuntur, qui non cum pertinaciâ tuentur errorem, aut saltem dubii in incertum currunt, certam in patriam viam percunctari detrectant, atque adeò certum incurrunt exitium juxta illud:

b Qui amat periculum, in illo peribit.

a 1. Tim. 2. b Vide Biconum (aliàs Socuellum) in analysi fidei, c Eccl. 3.

Quod homines maximè sceleratos ac sacrilegos spectat, nemo eò impietatis devenit, aut in profundum vitiorum usque eò demersus est, ut si velit, non resipiscere, & gratiâ adjuvante extrahi queat; cùm Deus nolit mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat; quod cùm innumeræ, eæque illustrissimæ animorum metamorphoses testentur, suffecerit si unam alteramve hominis sceleratissimi, hactenus fortè inauditam in medium protulero. *d* quod gestum Salmanticæ, ab annis plus minus sex supra triginta, Doctor Theologus eo loci agens tum temporis, sic enarravit.

Erat Salmanticæ Mercator olim prædives & opulentus, qui aleæ lusu omnibus fortunis exutus, simul pietatem Deique timorem prorsus exuerat: quare odio plusquam vatiniano in ipsum Deum ac Dominum nostrum concepto, quò eum ampliùs offenderet, ô diabolicum commentum! in animum instituit, omnibus quibus posset modis & scelerum generibus, quàm gravissimè Deum lacessere, illi nihil non injuriarum inferre, nullis eum non maledictis impetere, quidvis non impietatis comminisci, omnia denique ex ordine in se flagitia admittere, ut exacerbare optimum Dominum ampliùs posset: & velut paratam in se vindictam provocando, eum animare, & ultrò ad pœnas de se sumendas hortabatur. quo fine ut potiretur, deliberatò Summam casuum Navarri sibi comparat, quæcumque in eo libro

d P. Uwens in Ionam c. 2, lect. 11. n. 47

pro conſcientiarum arbitris ſunt, ad inſtitutionem aliquam pro cognitione ſcelerum deſcripta, hæc ipſe omnia ſingulaque opere explere contendens, in cœptis ſuis præfidenter pergebat. Pervenerat ergo jam ad tractatum de inſtituenda confeſſione, agendaque pœnitentia, ubi immane ſacrilegii piaculum ſeſe obtulit, quod ut cæteris quaſi palmarium adjungeret, ſacerdotem accedere ſtatuit, ut interim graviora quæque celando, novo peccato & ſacrilegio accumularet; neque aliter fecit. Verùm in palæſtrâ tractandorum animorum diu exercitatus ſacerdos, protinus obſervavit, eſſe aliquid, quod hominem angeret vehementiùs & affligeret, neque liberum in denuntiandis vitæ ſuæ rationibus eſſe pateretur. itaque ſuſpicatus ex criminum enormitate, præpoſterum pudorem ſuccreviſſe, multa egregiè de Dei infinitâ bonitate ac miſericordiâ primò diſſeruit, hunc velut viridem olivæ ramum ovi deperditæ porrigens; quam gratiæ virtutem ruminando, ubi altiùs in animum immiſiſſe deprehendiſſet, comiter ad detegendum omne, quod latebat in pectore, venenum, benigna prece & commonitione provocavit.

Hic commoveri ſenſim mercator, dare victas Deo manus, gemere, ſuſpirare, imò ex pectore, atque inter lachrymas & ſingultus ſciſcitari à ſuo quem præter mentem nactus fuerat, optimo conſiliario & patre: *Ergone peccatis meis major Dei clementia eſt?* ubi etiam infinities eſſe majorem ex illius ore cognovit, in copioſiores ſolutus lachrymas, rupto jam velut obice, recogitare cœpit in amaritudine animæ ſuæ, omnes graviores vitæ anteactæ noxas ſumptoque ſimul pœnitendi ac ſingula eluendi ſpatio aliquo temporis, non ſegniter ſe comparavit. comparatus edixit, auſim dicere, etiam eluit, ſua prolocutus ferè quot verbis, tot lachrymis. ac tum demum, quaſi ſolutus vinculis, animum Religioni adjecit, in qua vixit, jam mutatus in virum alterum, non ampliùs triennio: cùm tentari morbo cœpit, qui illi extremus fuit. quod ubi diminutis paulatim corporis viribus ſibi eſt viſus ſentire, crucifixum amplexus, affuſis ac collachrymantibus ſociis, hæc ſingultiens ac lachrymans noviſſima verba pronuntiavit. *O quàm me præterita vitæ pudet, pigetque! horreo me ipſum conſiderans, ſed & ad amorem tuum liqueſcit anima mea, bone Ieſu! agnoſco, agnoſco immenſam bonitatem tuam. prorſus talis eſſe debebat Dominus, qui tantum in gratiam reciperet peccatorem; tantus verò peccator non poterat, niſi à tali Domino admitti in gratiam, & veniam ſuorum accipere peccatorum.* Dixerat, cum infinitam Dei, quam corde & ore teſtatus bonitatem, eâdem, ut credere fas eſt, fruiturus in cœlis, ex hac mortalitate piè & feliciter ad immortalitatem demigravit.

Veriſſimè itaque Doctor Angelicus: a *Erroneum eſt, peccatum eſſe in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, aliàs non reſipiſcentia, non poſſet illi imputari.* Licet obduratis & hæreſiarchis, ac

a S. Thom. part. 3. q. 88. art. 1.

magnis

magnis peccatoribus, qui in peccatis suis inopinatò moriuntur, aut in flagranti delicto obtruncantur, Deus aliquando gratiam dederit ante actum peccaminosum, vel immediatè ante mortem, quâ dum uti renuunt, deseruntur, & æternæ suæ ruinæ existunt auctores. Quod Adrianus Papa, VI. hac similitudine exponit: *a* plurimorum manus, inquit, à Deo apprehenduntur, „qui tametsi extra puteum non „trahuntur, quia semetipsos ju„vare non satagunt; ut si jacenti „in puteo chorda porrigitur, „quâ se valeat liberare, sed quia „laboris piget, aut pœnam refu„git, suâ culpâ, non offerentium „restim, in puteo perseverat. Tum ne quis hanc Dei singularem gratiam ita Salmanticensi huic peccatori communicatam arbitretur, ut non cuivis conferendam existimet, Hipponensem præsulem auscultet, *b* quemvis peccatorem sic paucis adhortantem: *ô homo, qui peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœlestis medicinæ non attendis? cum enim Deus velit misereri, quia bonus est, & possit, quia omnipotens est; ipse contra se divinæ pietatis januam claudit, qui Deum sibi misereri, aut non velle, aut non posse credit, eumque aut bonum aut omnipotentem esse diffidit.* Perditam jam ovem, & Tartareo lupo prædam factam, benignissimus pastor non destituit, sed ad ovile adducere statuit, & oblato cœlestis gratiæ ramo, efficaciter revocavit: atque ut paulò ante gravissimum peccatorem ad ovile Christi reducem vidistis: ita & nunc peccatricem, ovem verè perditam attendite, ut uterque sexus habeat quod confidat. Gratam totius rei catastrophen ex Cardinale Vitriaco sic refert Julius Mazarinus: *c* formâ & gratiis puella prædita, juvenilibus annis, parentis oculos incurrit, & nescio quas animo, *Tartarea libidinis* (ut Augustinus loquitur) flammas concepit: quas ut restingueret, filiam incendit, atque improbo suasu ad gravissimum flagitium, quod vel natura abhorret, ad incestum inquam, pellexit, & lupus ovem seduxit: verùm ut magna non latitant mala, admissum facinus, facilè Agalmæ matri, lectæ pietatis matronæ oboluit, & ex absistentibus scintillis incendium detexit, quæ filiam, ut decebat severè pro rei indignitate increpitam despexit, impotenter tulit hoc suum crimen matrem rescisse, adeoque coarguisse impudens filia: nec diu cunctata, absente patre, vitam matri veneno sustulit; quod ut parens domum revisens cognovit, minus quidem graviter in illam animadvertit, quia affectum uxoris ad illam transtulerat, cùm tamen non omnem humanitatem exuisset, verbis acrioribus eam perstrinxit, & graviùs animum exulceravit, quàm putârat. Etenim parentis se jam odium incurrisse rata, quæ pridem pudorem omnem & frontem exuerat, in caput suum exurgere non dubitavit, atque ipsa nocte intempesta parentem stertentem securi obtruncat. Tot ergo tantisque

a Adrian. Papa. quodlib. 7. quæst. 1.
b August. serm. 58. de temp.
c Mazarin. in Psalm 50. p. 1. Marchant. hort. Past. tract. 1. de spe. lect. 8. prop. 2.

designa-

designatis facinoribus, fugit ablatâ secum præcipuâ suppellectilis parte, seseque dæmoni devovet, stygio lupo in prædam cedit, inque omnia flagitia ad ejus nutum sese fingit. Sed & *illam oportet me adducere.*

Suavi Dei providentiâ factum est, ut quodam die templum subiret, atque eodem temporis puncto, animarum pastor è suggestu immensam Dei misericordiam mirificè extolleret, quâ velut cœlesti radio menti objecto, commoveri cœpit: sacrum Ecclesiastem demissâ concione adit, dicti veritatem exquirit, & confirmari poscit; in lachrymas solvitur, sacra exomologesi animum expiat, quem dum graviùs commotam sacerdos animadvertit, jussit pro medicinali pœnitentia die proximo insequenti rursus sese concioni sisteret, & ecce in confertâ hominum turbâ, tanto cœpit præteritorum scelerum horrore concuti, dolore tanto obrui, ac cœlestis gratiæ dulcedine ita colliquescere, ut ibidem loci spiritum exhalârit. Rectà autem ad beata illa pascua deductam oviculam, divino oraculo ilicò manifestatum est, congratulantibus omnibus, Angelis & hominibus, quia perierat, & inventa est. *a Æmulare & age pœnitentiam, ego sto ad ostium, & pulso.* Nemo diffidat, nemo desperet, nemo exprobret hanc sibi gratiam denegari, atque adeò impossibile sibi esse converti ad Dominum, & reverti ad pastorem suum JESUM, cum supremi illius Magistri magnus discipulus, & Doctor egregius S. Prosper de gratia differens affirmavit, dicens: *b quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos, sive manifestos omnibus,* (nemine excepto) *adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitia, & quod à multis suscipitur, & gratia est divina & voluntatis humana.* Quod quò manifestius fiat, quid causæ fuisse existimatis, quod elatus ac blasphemus ille Nabuchodonosor pœnitentiam egerit, contra verò Pharao pertinax permanserit, inque pecatis suis mortuus sit? An fortè quod prior gratia efficaci adeò potenter tractus sit, eâ autem alter destitutus, non potuerit pœnitere? In hac arena exercitatum attendite: *c Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam: nonne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnum quod perdiderat, rursus accepit? Pharao autem ipse in flagellis durior est effectus & periit. Hic mihi rationem reddat, qui divinum consilium minus alto, sapientique corde dijudicat? Cur medicamentum unius medici manu confectum, alii ad interitum, alii valuerit ad salutem? Nisi quia Christi bonus odor, aliis est odor vitæ in vitam, aliis est odor mortis in mortem; quantum ad naturam, ambo homines erant; quantum ad dignitatem, ambo Reges; quantum ad causam, ambo captivum Dei populum possidebant; quantũ ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti: quid ergo fines eorum fecit esse diversos? Nisi quod unus Dei manum sentiens, in recordatione propria iniquitatis ingemuit: alter libero contra misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio.* Ubi cùm omnia

a Apoc. cap. 3.

b S. Prosper. de vocat. gent. c. 26.
c Aug. de prædest. & grat. c. 15.

ſint paria, vides ut opinor, vitam & mortem, hujus ſalutem, illius interitum ſempiternum, ex ſolo libero profectum arbitrio. Quod altero, eoque obvio eventu comprobat: *a ſi aliqui duo æqualiter affecti animo & corpore, videant unius corporis pulchritudinem, quâ viſâ unus eorum ad illicitè perfruendum moveatur, alter in voluntate pudicâ ſtabilis perſeveret. Quid putamus eſſe cauſæ ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala? Neque enim pulchritudo illa corporis, nam eam non fecit in ambobus. An caro intuentis in cauſa eſt? Cur non & illius? An verò animus? Cur non utriuſque? ambos enim æqualiter & animo, & corpore affectos prædiximus. Non tentatio, quia par in utroque ponitur. Cur hic ſuccumbit tentationi, non alter?* Reſpondet: *unde? Niſi ex propria voluntate.* Quod tu Adoleſcens conſpectâ puellæ formâ, ſequaris, velut bos ductus ad victimam, aut eam jam mœchatus es in corde tuo; alius verò cogitationes, quæ aſcendunt in cor, ilicò melioribus diſſipet, licet pari gratia inſtructus, *b unde niſi ex propria voluntate?* Quod tu avare oblata injuſti lucri occaſione, iniquum contractum ineas; alter (ſint cætera paria) eum detrectet; *Vnde, niſi ex propria voluntate?* Quod tu homo potator, in lauto convivio, vino liberaliùs propinato ad ebrietatem abutaris, alius verò ſibi temperet; *Vnde niſi ex propria voluntate?* Non ex defectu gratiæ, quam inſtar uberrimi fontis dat *omnibus affluenter. Nec à jure potandi,* inquit Arnobius, *c quiſquam prohibetur, aut pellitur. Si tibi faſtidium tantum eſt, ut oblati reſpuas beneficium muneris: quin imò ſi tantum ſapientia prævales, ut, ea quæ offeruntur à Chriſto, ludum atque ineptias nomines, quid invitans peccat, cujus ſolæ ſunt partes, ut ſub tui juris arbitrio, fructum ſuæ largitatis exponat?* Omnibus cœleſtem ſuæ gratiæ ſpiritum inſpirat abunde; quod autem quis organo (gratia aſpirante) ad Dei laudes utatur, alius verò ad profana & ludicra, proprio imputandum eſt arbitrio.

a Aug. l. 12. de civit c. 6. b Iob 1.
c Arnob. ſenior. l. 2. adv. gentes.

Denique ut alterum, quem admovet arietem, retundamus: ſi nempè gratia Petri, collata fuiſſet Judæ, illum ſalvandum fuiſſe, imprimis non arguit Judæ ſufficientem, ad ſui converſionem defuiſſe; accedit illum fortè majori fuiſſe præventum: docet enim Leſſius: *d multi torquentur apud inferos, qui multò majoribus auxiliis ad ſalutem à Deo donati fuere, quàm nonnulli alii beati; hic enim eſt communis ſenſus fidelium, & patet manifeſtè in Angelis: plurimi enim ex iis, qui ceciderunt, majora auxilia naturalia, & ſupernaturalia ad ſalutem acceperant, quàm multi ex iis, qui ſteterunt: idque ſæpe fit inter homines; quis enim neſcit multos Religioſos & SS. viros, qui ingentia à Deo auxilia acceperunt, ſua inertia cecidiſſe, & damnatos fuiſſe; ſeculares autem plurimos tota vita flagitioſos, tandem in fine per aliquod ſacramentum ſalvatos. Quis dixerit hos majora ad ſalutem adjumenta habuiſſe, quàm illos? Omitto communem ſanctorum ſenſum, ſe non ita gratiæ cooperatos fuiſſe, ut debuiſſent. Et B.*

d Leſſius de gratia cap. 10. n. 64.

Fran-

Franciscum dicere solitum, si alius gratiam accepisset, quæ ipsi data erat, illum melius fuisse cooperaturum.

Concludo aureo Præsulis Antiocheni oraculo, qui eandem suo tempore controversiam agitatam elidit. a *Aggrediuntur itaque hic nos quidam dicentes: & quid mirum, si Paulus ad fidem pervenit, cùm Deus vocem illam quasi funem cervici ejus injecerit, atque ipsum ad se duxerit? Attendite diligenter: etenim sermo iste communis est, gentilibus, Judæis, & nostris. Quæ igitur accusatio est? vi & necessitate ipsum* inquit, *attraxit Deus.* Opportunè ad hominem, hîc quærit aureus orator: *qualis illa vis & necessitas, dic ô homo? vocavit eum supernè. Igitur & te hodie vocat per illam vocem, cur & tu non obedis? Vides non esse necessitatis negotium: nam si necessitas quædam foret, oportebat & te obedire. Et ut discatis, quòd multum quidem fecit ad salutem Pauli vocatio, sicuti & ad aliorum omnium hominum facere solet, non tamen nocuit ejus libero arbitrio, sed voluntarius advenit ipse, atque sua bona voluntate.*

Nec quis arguat Saulum in terram dejectum, fulmine conterritum, lucis usurâ privatum, oculos mentis aperuisse: cum idem dominus te, aliosque hîc stantes non semel morbo correptum, in terram dejecerit; fulmine, terræ motu, aliisque adversitatibus terruerit: uxorem, filios, lumen oculorum sustulerit, ut oculos mentis aperires. Quod ut aliquando facias, perversam tuam voluntatem, non Dei gratiam incusa. Pergit porrò idem Doctor, dicens: *faciam hoc & alio exemplo liquidum. Audiverunt & Judæi vocem supernè loquentem, non filii, sed patris de Christo dicentis, circa Iordanis fluenta: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et dicunt ei: hic est deceptor. vides ubique opus bona voluntate, ecce & illic vox, & hîc vox; sed hic obtemperat, illi autem contradicunt. Et non solùm illic vox auditur, sed & spiritus in specie columbæ videtur. & ob hæc Ioannes quoque clamabat: non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti. Insuper plurima alia testimonia, tàm verborum, quàm operum attestabantur; sed post hæc omnia, Judæi in cæcitate sua manserunt.* Denique ut Calvinisticos gratiæ patronos, gratiam omnem sufficientem velut monstrum detestantes, confutemus ac confundamus, aliud ejusdem gravissimi Antistitis argumentum adduco, quo non gratiæ, sed voluntatis propriæ defectu, in pervicacia suâ Judæi perstitisse & etiamnum cum illis complures persistere convincuntur. Itaque si non fatigamini, inquit, dictorum prolixitate, dicemus aliud exemplum adhuc proximius. b *Etenim* (Judæi) *& filium audierunt, & sic audierunt, ut Paulus audivit, & neque sic crediderunt. Nam sicut Paulus audivit vocem, cum adhuc fureret, & in discipulos sæviret: ita Judæi aliquando audierunt alicubi vocem, cùm egrederentur cum facibus & laternis, ad comprehendendum eum. At ille volens docere eos virtutem suam, & se Deum, eosque* fru-

a Chrysost. tom. 3. hom. de ferendis reprehensionibus & conversione S. Pauli.

b Chrysost. cit.

frustra contra stimulum calcitrare, dicit eis, quem quæritis? Oculos eorum excæcaverat, & voce sua eos prostraverat: nam ut dixit, ego sum, voce ex perculsi, retrorsum abierunt, & ceciderunt omnes. Omnia ubique paria, imò efficaciora pro Judæis argumenta instituit. Itaque ut Paulum vox postravit, ita & illos: & sicut Paulus non vidit eum, quem persequebatur, ita & illi non videbant, quem quærerent; sicut Paulus tempore, quo furebat, excæcatus est, ita & illi tempore furoris sunt excœcati: & sicut Paulus cùm iret, ut comprehenderet discipulos, hæc passus est, ita & illi cum exirent, ut comprehenderent Christum, talia passi sunt. Tandem exclamat: *utrobique vincula, utrobique persecutio:* & ut utrobique sufficienter virtutem Christi, ejusque auxilium attendas, subdit: *simile utrobique virtutis Christi judicium, similiaque remedia; at non similis correctio. Hæc igitur omnia inter se confer diligenter, & disce quòd Paulus non ex necessitate, sed omnia sincera, bonaque voluntate ad fidem accessit.* Plura quidem hìc Chrysostomus, ad quem gratiæ studiosum remitto; mihi sufficerit, & cum eodem *vellem vos sermonem hunc diligenter memoria tenere: Deus enim nolentes non cogit, sed volentes trahit, qui autem trahit volentem, trahit humique jacentem ac manum porrigentem. Et ut discas, quod nullum cogit: si ipse vult, nos autem non volumus, ad nostram salutem nihil proficiunt ea, quæ alioqui efficacia sunt; non quia infirma sit ejus voluntas, sed quia cogere neminem vult.* Hæc uberiùs, & præter morem prolixiùs deduximus, non ut coram imperita plebe, aut mulierculárum grege, hæc temerè quis effutiat, & animos inquietet; sed ut, ubi opus sit, conscientias etiam religiosas, quibus subtile perversi dogmatis venenum propinatum est, evomere faciat.

§. II.

Ramus divinæ gratiæ, per sacros Ecclesiastas, animos auditorum efficaciter trahit, dum juxta Apostolum fit verbum insitum. Iacobi. 1.

SOlertia humana singulariter enituit, dum sylvestres atque ad omnia, nisi ut in ignem mittantur, inutiles truncos, non minùs ingenioso, quàm gratioso naturæ artificio, in frugiferas, ac omni præstantissimorum fructuum genere feraces arbores, convertit. Quod quemadmodum inserto melioris succi, ac indolis ramo, fieri consuevit, virgineus Poëta non sterili avenâ modulatus est: *a*

Finditur in solidum cuneis via; deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos:
Miraturque novas frondes, & non sua poma.

Non poma gomorrhæa, sed cœlestes, peregrino è solo, è cœlo fructus petitos profert.

b ——— & amaros succos oblita priores,

Omnium virtutum suavitate dulcescit.

a Virg. Georg. l. 1 *b* Georg. 2.

cescit. Ut scitè Cassiodorus: *a arboribus, quod melius putatur, inseritur, & ad illas peregrina veniunt, ut de illorum suavitate dulcescant.*

Quam arborum hortorumque culturam Apostolus Jacobus salubri documento ad animum transtulit, dum ait: *b suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*; metaphorâ ab arborum insitione desumptâ, ut Beda, Cajetanus, Catharinus, aliique interpretantur. Divinum etenim verbum, dum sacri Ecclesiastes frugiferum velut ramum, auditorum animis inserunt, cœlestis gratiæ adjumento, uberem fructum ferunt, depravatam naturam exuentes, novam, quæ secundùm Christi similitudinem est, induunt; *c Concupiscentias carnis,* ut Irenæus loquitur, *tamquam sylvestria fructificantes; secundum suam naturam infructuosi ad justitiam constituuntur; sed velut insitionem accipientes verbum Dei, in pristinam veniunt hominis naturam, qua ad imaginem & similitudinem factus est Dei.*

Hactenus ostendimus, divinum Pastorem ramum gratiæ per internam ferè locutionem ovibus præbuisse; nunc quemadmodum per voces externas ad se errabundas oves attraxerit, videamus. Quàm potenter increatum patris æterni verbum, corda ad se hominum traxerit, ex eo compertum est, quod Petrus & Andreas, Jacobus & Joannes, Philippus & Matthæus, brevissimo hoc Domini diverbio, *sequere me*, continuò relictis omnibus secuti sunt eum. Quam suavem illecebram D. Hieronymus divinitati, humano in vultu relucenti tribuit: *d fulgor*, inquit, *ipse, & majestas divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie Christi relucebat, ex primo aspectu, videntes ad se trahere poterat:* quod aptissima probat eorum similitudine, quæ attractivâ virtute prævollent: *si enim in magnete & succinis hæc esse vis dicitur, ut annulos, & stipulam, & festucas sibi copulent, quantò magis Dominus omnium creaturarum, ad se trahere poterat, quos volebat?* Sed ut hunc divinum fulgorem, ab amabilissima ejus facie absistentem mittamus, sat virtutis ac saluberrimi lenocinii, suavissimo illius oris eloquio, ad animos sibi devinciendos fuisse, testatur ille qui dixit: *e Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* Quasi diceret, hîc Princeps Apostolorum, nomine omnium, quis nos ab ore tuo pendulos separare poterit à te, qui nos obstrictos tenes verbis tuis, in quibus felicitas, salus, & vita nostra æterna sita est? *f Vox enim tua dulcis, & facies tua decora, mel & lac sub lingua tua,* longè potentius animos, quàm Hercules catenâ aureâ, auditorum sibi corda devinciens. Sed quid hoc, quod Judæorum animos, quantumvis ferreos, divinus ille magnes non attraxerit, nec vox ejus aures eorum mentesque penetrarit: Ut ad confertam turbam exclamarit: *g qui habet aures audiendi, audiat.* Quæ sic Gregorius magnus exponit: *h omnes qui illic*

a Cassiodorus l.6. variar. Epist. 14.
b Iacobi c. 1. *c* Irenæus l.5. c. 10.

d Hieronym. Matt. 9. *e* Ioan. 6.
f Cant. 2. Cant. 4. *g* Matth. 13.
h S. Greg. hom. 15. in Euan.

aderant,

aderant, aures corporis habebant; sed qui dicit, si quis habet aures audiendi, audiat, procul dubio aures cordis requirit; quas ut & in nobis aperiat, non sufficit vox extus sonet in aure, sed & gratia ejus pulset in corde, illudque cœlesti radio velut telo configat. Ita ovem illam perditam, mulierem peccatricem, bonus pastor ad ovile suum traduxit: nam ut S. Chrysostomus solerter advertit, Magdalena divini hujus concionatoris, ac suavissimi illius eloquii famâ excita, ad audiendum Redemptorem nostrum accurrerat, & ilicò concione soluta, ut cognovit, quo Christus divertisset, Maria, jam altera Maria, ad pastorem accurrit. Quàm stupendam de lupâ in ovem metamorphosim, ingenioso ad rem nostram commento, quod apud D. Cyrillum exstat, *a* illustrabo: juvenem ille venusta specie præcellentem (quem Phœbum, seu Apollinem vocant) arcu & sagittis instructum, non feram sed unam aliquam è speciosissimis sylvarum nymphis sectantem, inducit; *b* quam ut configeret; inusitato sagittarum genere usus, pro jaculis, lucidissimos radios evibrabat. Opportunum enimverò accidit, nympham penitiùs lucum ingressam, per devia, invia & avia cervam venari.

c Vertitur interea cœlum, & ruit oceano nox.

Quid agat ignara viarum? Per sentes & dumos sibi viam quærit, dum tandem labore exhausta, sudore perfusa, toto habitu lacero, sæpius collapsa, ad obscurum quoddam antrum devenit: quod ut illa velut quietis portum, & deliciarum locum se nactam gaudebat; innumeris tamen horrebat colubris, bufonibus, serpentibus, quos sibi alta in caligine domesticos suos planè ignorabat: quid, quod hos inter se ad quietem secura composuit: Interea

d Ipse amor admisso sequitur vestigia passu,
Et pennis adjutus amoris.

Phœbus noster, eam assecutus, terrifico in spelæo stertentem advertit; continuò hic in eam collimat, & sagittam inusitatam, præfulgidum, inquam, lucis suæ radium, in pectus ejus ejaculatur: quo illa perstricta expergiscitur, & derepentè illustri hoc jaculo collustrata, velut ipso in meridie conspexit se virulentos inter colubros & immanissimas belluas mediam versari. Quis illi tunc animus? quæ mens? Quæ cogitatio? *Quanto tremuerunt ossa pavore!* Quam è vestigio inde pedem referre; Phœbo quem manifesta in luce videbat, ad genua accidere, cujus radianti telo incolumitatem, vitam, salutem omnem acceptam referre, seque totam ac sua ei devovere: ne deinceps ambulet in tenebris, se posthac in luce sagittarum, illius secuturam, sanctè promisit. O benignissime JESU, qui cœlestes nymphas, animas venaris, *e illuminans tu mirabiliter à montibus æternis!* quod Hieronymus, aliique vertunt, de montibus prædæ. Divini porrò venatoris

a Cyrill. Alexand. l. 6. de adorat. in spiritu. *b* V. Lanuza hom. 38. de convers. Magdal. §. 13. *c* 2. Æneid.

d Ovid. lib. 1. metam.
e Psal. 75.

specie

ſpecie ſe manifeſtum exhibuit F. Antonio Martinio, *a* arcum manu tenens, & pharetrâ accinctus, cupidineo habitu, mortalium corda ſe prædas ſectari, nec aliis jaculis, quàm lucidiſſimis amoris ſui radiis configere aſſeverans, juxta illud Prophetæ: *b in luce ſagittarum tuarum ibunt.* O quàm velox, *nomen ejus accelera*, poſuit pedes ſuos, quaſi cervorum: ecce iſte venit ſaliens in montibus Galileæ & Judææ, nympham in denſiſſimo hujus mundi luco venatur, quam tandem horrido in ſpelęo deprehendit. Magdalena anima vaga, ad ſentes occaſionum, & divitiarum ſpinas, pretioſam virtutum cycladem miſerè dilacerârat, horrenda inter flagitiorum ſpectra tetraſque belluas ſecura degebat, donec divino lucis ejus jaculo ſaucia, cohorruit ſe ſociam videns draconũ, ſtruthionum, ſerpentum, ſuam, inquam, animam, factam ſpeluncam latronum infernalium, immaniſſimis ſcelerum monſtris infeſtam, cujuſmodi per viſum D. Joanni ſpectanda objicitur: *c facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi*; & qualem Iſaias vates deſcribit: *d requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi ululæ, & ſirenes in delubris voluptatis.* Hoc miſero in ſtatu Phœbus noſter, *e qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere*, ipſe illuxit in corde Magdalenæ, & luce ſagittarum ſuarum eam confixit, id eſt ſermonis ſui jaculo ſauciavit: nam ut præclarè Illuſtriſſimus Doctor diſſerit: *f Iacula Dei in lumine ire, eſt verba ejus aperta veritate reſonare.* quæ cœleſtis lucis jacula, celeberrimus Prædicator Lanuza per aures ad intima cordis penetrare, animumque illuſtrare contendit, Dionyſii Carthuſiani (quem Bellarminus appellat *g Virum ſanctiſſimum & doctiſſimum*) nixus teſtimonio, hoc primum à Deo peccatori conferri beneficium, ut radium lucis in cor ejus ejaculetur, quo ſeipſum intimiùs agnoſcat: *h primum donum, quod datur homini ex reſpectu ad lumen, cognitio ſui eſt.* ut cognovit Magdalena, exterrita ſurgit, & immanes ſcelerum ſuorum belluas exoſa, de tenebris ad lumen acceſſit, divino huic Phœbo ſupplex, ita in luce ejus ambulavit, ut animum aſſidua dolorum nube involverit, quæ uberrimum lachrymarum imbrem die ac nocte largè profunderet. Alteram prædam, lupum rapacem, ferocem in montibus Damaſci aprum, venator Chriſtus aggreſſus eſt: nec aliud ſpiculum, quam verbum illud *Saule, Saule*, divina luce præfulgidum, in eum contorſit, animumq; everberavit, ut agnoſceret, quàm lubricam damnationis viam inſiſteret, & tremens ac ſtupens, velut ovis paſtorem repeteret; ita & Chananæa, verbo Domini, veluti *percuſſa ſolis ſpiculo*, reverſa eſt.

Vultis & alteram ovem, quæ extremam paſtoris ſui vocem

a Nierenb. de vita divin. cap. 21.
b Habac. 3. *c* Apoc. c. 18. *d* Iſa. 13. & 34. *e* 2 Cor. 4.

f S. Greg. lib. 30. mor. cap. 2.
g Bellarm. de ſcript. Ecc.
h Dionyſ. Carth. ep. ad Titum.

agno-

agnovit,&ad ovile aggregata est? Marc. 15. *a videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: verè hic homo filius Dei erat.* stupenda militaris viri confessio, ubi cæteri super vestem ejus mittebant sortem, ipse pectus suum percusserit, inter atroces Judæorum blasphemias, omnibus discipulis dilapsis, illustrem se confessorem præbens, exclamarit: *verè hic homo filius Dei erat!* undè hæc tanta, tam repentina mutatio? non aliam Euangelista rationem assignat, quàm *b quia sic clamans expirasset.* quod attenta mente mellifluus Doctor expendens, *c ex voce*, inquit, *agnovit filium Dei, & non ex facie: erat enim ex ovibus, de quibus dicitur, vocem meam audiunt.* Clamor hic morientis Pastoris centurionem confixit; crucem porrò Augustinus pro arcu fuisse solerter deducit, ex illo Davidis: *d posuisti ut arcum æreum brachia mea*, ex quo amor tot jacula ignita, quot verba emisit. Venatur & vos auditores, illumina & vos mirabiliter, & non semel per divini verbi præcones, cœlestis gratiæ ac lucis suæ radios, in te lascive adolescens, in te filia vaga, in te sordide adulter jaculatur, ut videas quàm horrendo ac periculoso loco consistas, & resipiscas. *e Sancti enim Prædicatores verbis suis, quasi quibusdam jaculis adversarios feriunt.* Luculentus hujus rei testis, disertissimus è divi Dominici familiâ Orator Reginaldus, *f* cujus tantum erat flumen dicendi, ut totam propè Bononiensem urbem secum raperet; unum Monetum, virum contumacem, & ingenii pervicacis, qui contra torrentem ferebatur, si exceperis. quantumvis tamen animum obfirmarat, & aures occluserat, ne umquam Reginaldum audiret, ictum tamen non effugit: ipsâ enim S. Stephani festa luce, propter templum fortè obambulans, importunis Sodalium precibus, in concionem pertractus, primo statim congressu hisce verbis: *g ecce video cœlos apertos*, brevi eorum januam claudendam, divino velut jaculo tactus, extemplò Reginaldum solutâ concione convenit, novæque vitæ propositum, voti vinculo confirmavit.

Hortatur & vos Regius Psaltes: *h Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra*; quasi dicat, non semper eam auribus nostris insonare, ac providè dulces ejus susurros, quàm avidissimè captandos. præstitit hoc promptè ac sedulò, felicis memoriæ Claudius Aquaviva, Generalis Societatis nostræ Præpositus: *i* cui cùm melioris vitæ consilia parturienti, cœlestis illa vox animum pulsasset, *k oves meæ vocem meam audiunt.* cœlesti quadam luce afflatus, & salutari timore compunctus, veritus ne si huic monito non obtemperaret, non esset ex ovibus Christi, ilicò Societatem ingressus, ad Jesu pascua convolavit. O quot hodie auribus illa vox insonat, *oves meæ vocem meam audiunt*; sed auditu cordis non audiunt,

a Marc. 15. *b* Marc. 15.
c Bern. serm. 28. super Cant. *d* Ps. 17. Aug. hic. *e* S. Greg. l. 30. mor. c. 2.
f Platus de statu Relig. l. 3. c. 38.

g Act. 7. *h* Ps. 94. *i* Tollenaer Ecc. c. 8. sec. 3. *k* Ioan. 10.

atque adeò non sunt ex ovibus Christi, quibus terribile illud Gregorius intonat: *qui ex Deo est, verba Dei audit. propterea vos non auditis, quia ex patre diabolo estis.* O quot hodie sacri Ecclesiastes illa verba velut jacula emittunt: *a omnes nos sicut oves erravimus, unusquisque in viam suam.* & quis revertitur ad Pastorem? quis obedit voci Domini, quis internæ illius lucis radium non excludit? quod frequenter deplorare solebat S. Ignatius, *b* asserens nullius mentem aut cogitationem capere posse, quantum obstaculi plerique mortalium objicere soleant divinæ gratiæ, quæ nos ad meliorem frugem perduceret, si quantum ipsi misericordiæ est ad invitandum, tantum nobis alacritatis esset ac promptitudinis, ad obtemperandum.

Cum Augustinianus quidam in publicâ plateâ ad confertam concionem verba faceret super illo Joannis: *c nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*, Nicolaus Tolentinas ætate florens adolescens casu affuit, adeoque hoc brevi dicto incensus est, ad humana omnia deserendum, ut rectà cum ipso Concionatore ad monasterium perrexerit, ejusque vitæ institutum arripuerit. ita Antonium traxit breve illud dictum: *d omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores &c. centuplum accipiet.* Sanctum Paulinum: *e si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Sanctum Eucherium: *f sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum.* hæc feralis clausula: *g factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. & facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum & mortuus est &c.* Guerricum virum eximium salubriter commovit. Babylam verò magum & mimum, fœdo concubinatus vinculo obstrictum, illud Matthæi: *h pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* aliosque innumeros in densa hac mundi sylva, brevi verbo in viros alios commutavit. quoties hæc in vos jacula contorta, quoties illud centuplum, & beata pascua ovibus Christi promissa, quoties inevitabile mortis spiculum, illud salutare monitum: *pœnitentiam agite*, inculcatum est? & non audistis. unde verissimè æterna patris sapientia pronuntiavit *i non omnes capiunt verbum istud.* ubi unum ex omnibus, & præ omnibus Chrysostomum audite: *k ideò non omnes capere possunt, quia non omnes volunt. palma proposita est* (en ramum viridem) *qui concupiscit gloriam, non detrectat laborem.* consimili sensu Hieronymus, in illud Matthæi: *qui potest capere, capiat, quasi hortantis vox Domini est, & milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis.* & lib. 1. contra Jovinianum: *proponit Agonotheta præmium, invitat ad cursum, tenet in manu bravium, & clamat, qui potest capere, capiat.* Augustinus ingeniosè vertit, *qui captat, capitur,*

a Isa.53. *b* Tollenaer cit. Maff in vita. *c* 1.Joan.2. In vita. *d* Matt. 19. *e* V. Cornel. in Canonicas pag. 75.

f 1 Cor.3. *g* Gen.5. *h* Matt. 3. *i* Matt.19. *k* Chrysost. hîc.

sicut

ſicut piſces hamo. Quare cùm Deus per externam concionatorum vocem ad vos clamitet, & intus per internam inſpirationem, toties mentem illuſtret, ſuæ pervicaciæ eſſe agnoſcat, quod ad ovile Chriſti non redeat, quod vocem Paſtoris ſui non auſcultet, quam etiam homines ſceleratiſſimi obaudierunt. Feſtivum eſt, quod hîc in medium proferam, & plurimis inauditum: quemadmodum divinus amor, latrones ac prædones, quos ad ſe adducere volebat, verborum jaculo ſuaviter & fortiter ſauciarit. P. Nicolaus Bobadilla unus è decem viris S. Ignatii, dum Neapoli vallem Telinam peteret, *a* à prædonibus (Banditas vocant) occupatus, quaſi viæ comites nactus, ſuaviſſimè voce modulari occœpit, ut eum non aliter, quàm Orpheum, aut cœleſtem Amphionem auſcultarent: ubi feros animos non nihil mitigarat, hanc lepore & ſale aſperſam, appoſitam illis concionem inſtituit, pro themate illud Apoſtoli aſſumens: *b habetis formam noſtram*, id unum comprobans, ipſos per omnia Chriſto non abſimiles videri. 1. inquit, Chriſtus inter peccatores verſabatur, talis & veſtra converſatio eſt. 2 Chriſtus exultavit ut gigas ad currendam viam, per montes & valles; ita & vos. 3. Chriſtus non habuit ubi caput reclinaret, ſub dio, in dura, incerta ſede vagabatur. item & vos. 4. Chriſtus non venit pacem mittere, ſed gladium, item & vos. 5. Chriſtus volebat diripienti tunicam donandam & chlamydem, item & vos. 6. Chriſtus perſequebatur divites & opulentos, *væ vobis divitibus* Luc. 6. item & vos. Chriſtus commovebat populum univerſum, qui non ſemel voluit eum apprehendere, item & vos. 7. Chriſtus multis odio erat, item & vos. 8. ad Chriſtum clamant, tolle, crucifige, crucifige. & ad vos. 9. Chriſtus latroni Paradiſum ſpopondit, & in illo omnibus vobis, ſi converſi fueritis, & pœnitentiam egeritis &c. qua brevi ſed nervoſa dictione, non modò ſibi vitam, ſed & efferatis ſicariis, ſincerâ converſione ſalutem animæ paravit, completumque eſt illud Iſa. 11. *habitabit lupus cum agno*: imò lupos in agnos converſos hic bonus Paſtor ad ovile Chriſti adjunxit, dum opportunum ad captum ipſorum ſermonem habuit: ubi Salomonicum illud expreſſum video: *c mala aurea in lectis argenteis, verbum dictum in tempore ſuo.* V. Beda hîc: *verba prædicatoris appoſitè ad captum Auditorum concinnata, ſunt mala, quia de arbore vitæ, hoc eſt de Dei Sapientia ſunt orta. aurea, quia charitatem menti infundunt. lectis etiam comparantur, quia requiem præſtant animabus audientium. Argenteis, quia ſplendore fulgent veritatis.* Ita in tempore opportuno,

Quandoque eſt olitor verba opportuna locutus: Ingentem Deus prædam, potentiſſimum orbis monarcham, Carolum Imperatorem V. ex regni ſtrepitu, & bellorum tumultu, ad quieta Religionis paſcua, ex aula ad ovium

a Tylingen paradys der wellusten pag. 186. Ludov. Garon. cent. 1. §. 28. *b* ad Phil. 3.

c Prov. 25.

ſuarum cauſam, ſpreto Regno, inaudito hactenus exemplo ſuaviter pertraxit. ſed amabo vos! quid cauſæ fuiſſe exiſtimatis tantæ viciſſitudinis? tam raræ & ſtupendæ metamorphoſeos? quid orbis Dominum ac domitorem, Regno ſe ultro abdicare, in Religioſum clauſtrum ſeſe abdere coëgit? quis hanc ei mentem injecit? a narrat Famianus Strada à viro militari ſalubre illi telum infixum: vetus quippe equitum centurio, rebus humanis renuntiaturus. cum miſſionem à Carolo Imp. peteret, ilque novi conſilii cauſam exquireret, ingenuè reſpondit, *inter vitæ negotia, & mortis diem oportere ſpatium intercedere.* quod ſcitum hominis dictum, tamquam immiſſus cœlo radius, ita Caroli animum illuſtravit, ut inanem mundi vanitatem, & honoris fumum attentiori mentis oculo contemplatus, lucem ſagittarum ejus ſecutus, *inter vitæ negotia, & mortis diem, ſibi aliquod ſpatium* maturè delegerit. Hoc precor, ne ſine fructu dies hic abeat, & vos expendite, opifices, mercatores, cauſidici, ſenatores, viri Principes, qui hîc ſecularibus negotiis tot dies & annos vitæ veſtræ inſumpſiſtis, cur inter hæc inania ſtudia, & mortis diem, vobis brevî imminentem, ſpatium non quæritis: tu ô filia, poſt biennium, & plures tui ſimiles, eſca vermium erunt, nonne inter vitæ non dico negotia, ſed nugas, *& mortis diem, oportet ſpatium intercedere?* Tu Adoleſcens, quem plurimi æquales præceſſerunt, intra annum, ad domum æternitatis abducendus es, nonne oportet inter laſciva vitæ otia, & mortis diem, aliquod ſpatium intercedere. tu vir divitiarum, intra paucos menſes ad ſupremum illum Regem, rationem redditurus abripiendus es, nonne oportet inter inanes vitæ curas, & mortis æternæ ſomnum (cùm nihil invenies in manibus tuis) aliquod ſpatium intercedere? Tu maturæ ætatis Cauſidice, ſenator, paucas poſt hebdomadas, ad horrendum Judicis tribunal ſiſtendus, nonne inter vitæ tuæ fraudulenta ſtudia, & mortis diem oportet ſpatium intercedere? Hodie ſi hanc vocem audieritis, confidite vos eſſe ex ovibus Chriſti, ac deducendos ad beata illa paſcua, ubi paſcit, & cubat in meridie cœleſtis gloriæ.

O dulciſſime JESU, ô dulciſſime Paſtor animarum noſtrarum, b *ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Pateant aures noſtræ ad ſuaviſſimum internæ inſpirationis tuæ ſibilum. ſaluberrimo lucis tuæ jaculo corda noſtra confige, ut ad te vitæ fontem, velut cervæ ſauciæ recurramus, aureo cœleſtis gratiæ ramo errabundas oves trahe ad te, c *trahe nos poſt te, curremus in odorem unguentorum tuorum, trahe quodammodo invitam, ut facias voluntariam, trahe torpentem, ut reddas currentem. erit quando non indigebo tractore, quoniam voluntariè & cum alacritate curremus.*

a Strada. anno 1555.

b Cant. 2. c Bern. in Cant. ſerm. 21.

EMBLE-

EMBLEMA XXIV.

Plorabitis & flebitis vos. Joan. 16.



HINC ILLÆ LACHRYMÆ. a

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Pretiosæ guttæ & virtutis stupendæ, quæ ex ardenti pœnitentis corde per oculos eliquantur.

§. I. *Est pretium*, b est honor & lachrymis, *si modo pro peccatis fluant.*

§. II. *Anima lachrymis baptizatur.* c

§. III. *Lachrymarum vis cœlum aperit.*

§. IV. *Beati qui lugent.* d

a Horat. l. 1. epist. 19. b Ovid. 10. Metam. c Chrysost. hom. 9. de Pœnitent. d Matth. 5.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Plorabitis & flebitis vos. Joan. 16.



OSTENTUM olim Ezechieli ostensum fuit: *a mulieres plorantes Adonidem.* Ex ære solido hic consistebat, cui intus substructo igne, plumbeæ ex oculis lachrymæ defluebant: quibus non potuerunt non præsentes in fletum uberrimè solvi, & Deo suo flenti collachrymari. Adonis hîc seu Dominus doloris, Adonai noster est; qui corde intus divino amore succenso, non fictis nec plumbeis; sed veris iisque pretiosissimis lachrymis ubertim flevit; ut nos, Doctore suffragante Angelico, fletum doceret: *b quare*, inquit, *flevit Christus* (Lazarum) *nisi quia homines flere docuit.* Optimi siquidem Tragœdi officium explesse videtur, cujus primariæ partes sunt, eos in se affectus concitare, quos in aliis exprimere conatur, juxta illud:

c Si vis me flere, dolendum
Est prius ipse tibi.

Quod adeò efficaciter præstitit, nosque per omnem vitam ita exercuit, ut gravissimus Auctor Petrus Calentinus, in Via Crucis, asserere non dubitarit. *d* Christum in ipsa passione fudisse lachrymas ad ducentas, supra sexaginta duo millia. mitto phrasim Doctoris melliflui: *e Christum non solùm oculis, sed membris omnibus flevisse*; de quibus rectè illud Poëtæ pronuntiaro: *f uberibus flent omnia guttis.* Flevit in cunis, flevit in sylvis, flevit in montibus, flevit in urbibus, ut illud jure usurpare possit:

Totum penè meum vivere, flere fuit.

Dedit undam, imò flumina, inquit Bernardus, *g* cùm gutta sufficeret. Vindocini in Gallia, perdurat lachryma Christi, *h* quæ stupenda etiamnum pietatis edit testimonia: & summâ quidē, sed numquam dignâ satis in veneratione, & pretio habenda est; cùm vel unica, *i* omnes orbis margaritas nimium quantum dignitate sua antecellat. ut rectè Poëta:

a Ezech. c. 8. *b* S. Thom. in Ioan. c. 11. Aug. tract. 49. in Ioan.
c Horat. de arte.
d Lobbet. vita & mors. c. 2. §. 2.
e S. Bern. serm. 3. Dom. Palm.

f Lucret. l. 11. *g* Bern. serm. 22. in Cant. *h* Lorin. in Psal. 55.
i Lobbet. cit.

§. I.

Est pretium est honor & lachrymis, k si modo pro peccatis fluant.

QUare si usque antehac flere miserum, molle, muliebre, & prorsus indecorum fuerit; si Ezechiam Regem suppuduerit lachrymarum: & fletu exorto se ad parietem converterit, ne ab adstantibus, teste Hieronymo, Rex flere videretur. hoc enim, ut Refert Isidorus, è prisci Philosophi sententia, adeò à Regia majestate alienum & prorsus indignum habebatur: ut Alexander orbis

k Ovid. l. 10. Met.

Domi-

Dominus & domitor, Tragœdum capitis reum condemnarit, quod funebri dramate, Regi lachrymas excussisset. multò magis à diis immortalibus, omnem fletum veteres remotissimum esse asseverabant:

a Neque enim lachrymare Deorum est.

At verò jam immutata sunt omnia; ubi Rex Regum, cœli gaudium, voluptas Angelorum, ipse Dei filius lachrymatus est, lachrymæ in vinum, lachrymæ in electrum, lachrymæ in gemmas, ut videbis, divina quadam metamorphosi conversæ sunt. Pactolus quondam communes aliis fluviis aquas devolvebat, postquam verò Midas in eo, os oculosque abluit, cœpit aureus fluere, accinente Poëta:

b —— vis aurea tinxit
Flumen.

Haud aliter lachrymæ, quæ priùs vanæ, ac viles; ubi cœlestis illius Regis genas oculosque attigêre, aureæ ac prætiosæ factæ sunt. non vanus in eo vates cecinit, Heliadum lachrymas Phaëtonta plorantium, in electrum versas esse; cujus gutta dum fortè formicam implicat, eam pretiosa morte consepelivit. ut eleganter Martialis lusit lib. 6.

Dum Phaëtontaa formica vagatur in umbra,
Implicuit tenuem succina gutta pedem.
Sic modò qua fuerat vitâ contemta manente:
Funeribus facta est, nunc pretiosa suis.

Exiles nos & viles homunciones pretiosa tamen sanctorum morte defungi facit; si vel unicam Christi lachrymulam incurramus, nostrasque illi attemperemus. sed parum hoc, Electro lachrymas conferri, majus est pretium, *c est honor & lachrymis.* *d* Pierius eas eleganti symbolo per margaritas expressit, Auctorem Suidam inducens: qui refert somnianti persuasum, margaritas genis inhærere, quas experrectus lachrymas colliquatas deprehendit. Ipsi verò rerum naturalium inventores tradunt, uniones ex guttâ roris, quæ lachrymam refert, concrescere. ne quis autem hæc Poëtarum figmenta, aut vana somnia arbitretur, quam Ecclesiæ patres, periti rerum æstimatores, eas appenderint, attendite: Orator aureus: *e quidnam, dic oro, illis oculis Davidis formosius, perpetuo lachrymarum imbre, quasi margaritarum decore ornatis?* Sanctus quoque Macarius, lachrymas pretiosos uniones disertè affirmare non dubitavit. ipse psaltes Regius quasi de re pretiosissima: *f posuisti*, inquit, *lachrymas meas in conspectu tuo.* Nostis non nisi pretiosissima Regibus contemplanda proponi. quid, quod cœlestis sponsus, eas in capite suo, pro diademate gestare non dedignatur. Etenim *g in sanctarum nuptiarum dulci epithalamio* (ut Hieronymus loquitur) sponsus ad sponsam properans, sic eam compellat: *h aperi mihi soror mea sponsa; quia caput meum plenum est rore.* Hieronym. *quia capilli mei pleni lachrymis, &*

a Ovid, l. 4. Fast. b Ovid. l. 11. Metam.

c Ovid. l. 10. Metam.
d Pierius in hierog. l. 28. c. 80.
e Chrysost. hom. 30. in Gen.
f Psal. 55. g Hieron. ep. ad Paulin.
h Cant. 5.

cincinni guttis oculorum; quâ vel unicâ, pretiosissimâ margaritâ, cui Regnum cœlorum simile perhibetur, comparari queat: eamque ut à nobis impetraret cœlestis negotiator ad terras descendit, *atque omnia sua dedit*, labores, sudores, vitam, sanguinem; ut vel unicam ex corde contrito margaritam, id est lachrymam obtineret. jam toto corpore saucius largissimum sanguinis imbrem effuderat, illudque vatis Regii piè queri videbatur: *a aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea hæsit faucibus meis*; unde exclamat, *sitio*. Aureè Chrysologus serm. 93. *Deus delinquentium gemitus esurit, sitit lachrymas peccatorum*. unicam ex oculis tuis pro tanto sanguinis flumine, guttam Deus emendicat.

Ardore amoris summo exæstuans, ut Origenes, Dionysius, aliique sentiunt, jure in has voces prorupit: *b dolores inferni circumdederunt me*; siquidem *c fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis atque flammarum*. *d* Hoc ardentissimo amoris tui incendio flagrans, vel guttam unam lachrymarum à te efflagitat, ut refrigeret linguam suam in hac flamma. sed heu perversam hominis insaniam Augustinus deplorat, dicens: *e nescit flere, qui flenda committit, & cum sit ipse lachrymabilis, non habet pœna lachrymas sua*; nescit homo lachrymarum pretium, qui eas adeò vili & nihili pendit, ut pro re futili & caduca eas largissimè effundat. amens sit oportet, qui domo sua incensa, & flammâ per atria, elegantes tabulas, acu picta peristromata, pretiosissimam supellectilem depopulante, aquas omni studio & solertiâ ad stabulum equorum restinguendum affundit; hoc agis dum defles jacturam mercium, amissas opes, sublatum filium: quæ longè minoris æstimanda sunt, quàm vile stabulum, in comparatione augustissimi palatii. Rerum fluxarũ defles incendium, incendium verò animæ, & flammas libidinis, imò & inferni restinguere non satagis. *f Multus siquidem peccati ignis est, & modica lachryma illum exstinguit*. peccati ignis iracundia est, peccati ignis invidia est, peccati ignis luxuria est; quem ignem suis se lachrymis restinxisse fatetur Hieronymus: *g mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum, jam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus ad Iesu jacebam pedes, rigabam lachrymis. memini me clamantem, diem crebrò junxisse cum nocte, donec rediret animo tranquillitas*, & velut nube depulsa serenitas. opportunè natura oculis, qui lumina vocitantur, suppeditavit flumina, quæ ardorem attemperarent, *h hac est lachryma, sancta compunctionis soror, quæ motus illicitos exstinguit*. Ut in his flammis salubre illud sanctissimi præsulis Mamerti valeat consilium: qui ut urbem Viennensem in Galliis luculenter vidit incensam, monuit assiduò aquâ potius oculorum, quàm fluminum restinguendam.

a Psal. 21. *b* Psal. 17. *c* Cant. 8.
d Lauredan. tit. lachrym.
e Aug. serm. 7. in Psal. 118.
f Chrysost. l. 5. de pœnit.
g Hieron. ep. 9. ad Eustoch.
h Aug. serm. 11. ad frat. in Erem.

Ad

Ad incendium rerum fluxarum sopiendum accurrimus, aquas affundimus; dum interim flammas animæ, siccis oculis intuemur. hanc suam insaniam Doctor subtilis incusat: a *quid miserius misero*, inquit, *non miserante seipsum? & flente Didonis mortem, quæ flebat amando Æneam, non flente autem mortem suam, quæ flebat non amando te Deus meus.* Pub. Scipio, cum Carthaginem deletam vidisset, adeò collachrymatus est, ut fumantes adhuc cineres lachrymis restinguere velle videretur. flumen lachrymarum tibi concessum & semper in promptu est, ut flammas tartareas tibi imminentes exstingueres: b *lachrymæ enim ipsum etiam gehennæ incendium norunt exstinguere.*

Tu illas aliò derivas, tu illas effundis super defunctum filium; c quid quod reperti, qui equum exstinctum amarissimis, uberrimisque lachrymis prosecuti sunt. Hortensius murænam flevit, Ulysses canem, & nos in morte animæ ridemus. heu quot & quantæ d *lachrymæ volvuntur inanes!* de quibus verissimè dici posset: e *erraverunt ab utero.* Petrus Cellensis hunc fletum, velut sterilem imbrem despiciebat: f *sterilis est*, inquit, *omnis effusio lachrymarum, quæ non effunditur propter regnum cælorum.* Longè feracior, teste Philosopho, cœlestis seu pluvialis aqua, quam fontium seu fluminum: aquæ cœlestes fertilitatem nobis conferunt in terris; aquæ terrestres, id est lachrymæ, fructificant in cœlis: si non inanes, evanidæ, & steriles, quæ nec fructum spiritalem nec temporalem valent impetrare; quia per hunc fletum, nec divinam gratiam acquirimus, nec temporalium jacturam restauramus. *multos occidit tristitia*, ait Ecclesiast. 30. *& quæ est utilitas in ea.* Vbi notanda aurea Chrysostomi sententia: g *tristitia nobis data est, non ut in morte aut alia in re doleamus; sed ut deleamus peccata. tristitia peccatum tollit, non alias ægritudines. v. g. pecuniâ quis mulctatus est: doluit, non recuperavit, filium amisit: doluit, non resuscitavit mortuum. contumeliis affectus est: doluit, famam non revocavit. Infirmatur: dolet, morbum non aufert, sed auget. at peccavit quis, tristatus est: peccatum delevit. ergo tristitia tantùm facta est propter peccatum, à quo nata est.* Quæ lachrymæ, quæso, justiori de causa, quàm ex commiseratione redemptoris nostri, sibi crucem bajulantis profusæ? eas tamen Christus prohibet, dicens: h *nolite flere super me*, tanto Deus lachrymas in pretio habet, ut non nisi gravissima de causa eas velit impendi. Cur autem ô bone Jesu, flere nos vetas? tu fundis sanguinem, & nostras prohibes lachrymas? omnia lugent elementa, vel ipsa plorant saxa, ipsi tecum lugent Angeli: & nos, pro quibus moreris, hæc oculis siccis transmittamus? memini me legisse Romanum oratorem dixisse: *quid dicam de Socrate, cujus morti illachrymari soleo, Platonem legens.* Et nos non Socratis, sed

a Aug. l. 1. confess. c. 13.
b Chrysost. hom. 1. in Luc. c. 16.
c Petrarcha l. 1. dial. 16.
d Virg. 4. Æneid. e Psal. 57.
f B. Petrus Cellen. de panib. c. 12.
g Chrysost. hom. 5. ad pop.
h Luc. 23.

Servatoris nostri acerbissimos cruciatus, dirissimam mortem, sine fletu legamus, vel legi audiamus? flere tamen vetat Christus; quia flebant hæ mulieres solâ miseratione humanâ, non ex supernaturali charitate. flebant diram illam Christi lanienam; sed caussam propter quam patiebatur, id est, scelera filiorum, non plangebant, mortem Christi temporalem lamentabantur, & mortem æternam, quæ sacrilegos hos Deicidas manebat, non lachrymabantur; unde ait: *sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*, ex quo gravissimi Doctores deducunt; si arguantur flentes Christum, eò quòd præstet lugere scelera propria, quid sentiendum de his, qui deflent scorta à se auferri: qui deflent mancipia diaboli à se morte separari: occasiones peccati violentè sustolli, & irremediabilibus lachrymis amasiam exstinctam prosequuntur? hi verè margaritas, quibus lachrymas comparavimus, ante porcos abjicere non dedignantur. nescit flere, qui externum funus luget, & domesticum non plorat. quod credibile Ægyptios fecisse in illa nocte, quâ in omni domo jacuit mortuus: qui enim eorum ad alienas ædes fortè tum diverterant, illic mortuum plangebant; ignari domi suæ prædilectum filium primogenitum eâdem plagâ percussum; adeò ut hoc alter alteri meritò dicere potuerit: *nolite flere super me, sed super vos ipsos flete, & super filios vestros*. Hoc & nos faciamus, qui intus mortuum habemus, peccata propria ac proximi lugeamus, Dei offensam eluamus.

Hanc flendi methodum Rex, vir ille secundùm cor Dei, nos edocuit, dum ait: *a exitus aquarum deduxerunt oculi mei*: quid ploras potentissime Rex? num Bersabæam, quam adeò stultè deperisti, repentina morte sublatam? num filium aut filiam exstinctam? num cladem Regio exercitui ab hoste illatam? qui hæc flent, flere nesciunt. David artem flendi percalluit, & utilissimè & diutissimè flevit; adeò ut deficerent oculis lachrymæ, ideo dumtaxat: *quia non custodierunt legem tuam Domine*. cui congruit illud Ambrosii: *b à sancto viro plus culpa quàm ærumna defletur*. Quare hunc primum lachrymarum fructum referemus, ut peccata lugeamus, quandoquidem ut plenius deducemus, aureo teste Chrysostomo. *c*

a Psal. 118.
b Ambr. in Psal. 118. serm. 17.
c Chrysost. hom. 6. de pœnit.

§. II.

Anima lachrymis baptizatur.

VEteres, dum hominem ad lachrymas damnatum viderent, & in causa invenienda magis, quàm in Nili origine laborarent, hanc fabellam commenti sunt: *d* Prometheum cum ex terra hominem effingeret, aquam ad manum non habuisse, ejusque defectu lachrymas luto attemperasse, atque inde *animal flebile*, veriùs quàm risibile exstitisse; quod à fletu vitam auspicatur, & non nisi dum in pristinum pulverem resolvitur, exsiccari. quod

d Stobæus.

Hippo-

Hipponensis Præsul & quotidiana experientia confirmat: *a* dum *infantia non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem, quid malorum ingressa sit, nesciens prophetat quodammodo.* fuerunt, qui ipso in utero, lucis timorem & mala obventura fletibus præsagierunt. *b* ut suprà commemoravimus. veteres illi, originis culpam, & omnium miseriarum scaturiginem, peccatum ignoravêre, nosque ex horto deliciarum in vallem hanc lachrymarum exules deturbatos. sed divina manu artifice effectum, ut pro spiritali regeneratione, hæc aqua subserviret, & ex oculis, per quos velut fenestras, mors egressa est, vita profflueret; ut juxta illud: unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. quo fiat, inquit scriptor Venetus, *c* homo resurgat ex oculis, quasi ex loculis, & pupillæ quæ dicuntur esse absque patre, incipiant non esse sine filio: etenim si justus rectè *filius lucis*, in sacris paginis indigitetur, unde is congruentius, quàm ex luminibus (sic oculi vocitantur) nasci comprobabitur? Apprimè cadit in lachrymas, quod de saliva Christi pronuntiavit Chrysologus: qui sermone de cæco, sic ejus virtutē extollit: *d Dominico sputo vacuas oculorum replet lacunas; divino ore luciferam dat salivam, ut sancti roris guttâ baptizaret oculos peccatoris.* Non minor vis & virtus lachrymarum est, eodem aureo Doctore contestante: *e ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, & ipsius civitatis facta fuerat ipsa peccatum. lachrymis rigabat pedes ejus. ô quanta vis in lachrymis peccatorum! rigant cœlum, terram diluunt, exstinguunt gehennam, delent in omne facinus, latam divina promulgatione sententiam.* Vt autem noris hîc Æthiopissam mutasse pellem suam, & veluti baptismi fonte dealbatam, subdit: *& capillis suis tersit. Dominicos pedes lavat lachrymis, crinibus tergit, in peccatricis caput purgandis criminibus refluebat unda, ut suo fonte mulier in novum baptisma, suorum dilueret illuviem peccatorum.* Nec minùs disertè purpuratus Doctor Cyprianus: *f usa est capillis pro linteo, oculis pro catino, lachrymis pro baptismo.* Errat ille gravissimè, quisquis aquam rosaceam, aquam vitæ, aquam cinnanomi, aliosve pretiosos succos ex electro aut aromatibus per alembicum, aliave arte chymica expressos, ad baptizandum usurparit; ast aquæ illæ quæ ex corde pœnitentis, ab ardentissimo amore Dei instar fornacis accenso, per oculos eliquantur, animam baptizant. Sed parum hoc, baptismo aquæ lachrymas cōferri; baptismo sanguinis, ipsique martyrio Chrysostomus adæquavit, *g dicam tibi*, inquit, *quid valeant lachrymæ: Martyres sanguinem fundunt, peccatores lachrymas fundunt. meretrix illa non fudit sanguinem, sed fontes lachrymarum profudit, & delevit peccata sua.* Triplicem baptismum S. Isidorus describit, aquæ, sanguinis & lachrymarum. atque hic, ex eo, longè priores antecellit, quod in adultis nec aquæ nec sanguinis baptismus juvet, si quis impœnitens persistat.

a Aug. l. 22. civit. c. 14. *b* Domin. 1. Advent. *c* Lauredan. tit lachrym.
d Chrysolog. serm. 176.
e Chrysolog. serm. 93.

f Cyprian. serm. de lotione pedum.
g Chrysost. in Psal. 50.

Alterum est quod hunc præ aliis sæpius iterari contingat; ut in rem nostram apposité deprædicat Augustinus: a *O aqua salutaris*, inquit, *per quam omne peccatum destruitur! ô felix lavacrum! quod toties valet ad purgandum, quoties purgandum indiget cor humanum.* Confirmat id ipsum Bernard. b *est & baptismus aliquis in lachrymarum assiduitate, & quoniam baptismi Sacramentum iterari non licet, qui sæpe in multis offendimus, frequenti oportet ablutione suppleri.* Hoc lavacro frequenter usus, atque totus innatans Psaltes Regius, super nivem dealbatus est. Pontificiæ de plenariis indulgentiis, aut Jubilæo bullæ, hunc baptismi effectum sortiuntur, ut omni peccatorum nævo, & reatu omni hominem exsolvant. Quare S. Raymundum legimus, Catharinam Senensem obnixè rogasse, ejusmodi bullam sibi impetraret. & ecce minimum cogitanti, imber lachrymarum Raymundo oboritur, quem postea intellexit indulgentiæ, aut Jubilæi amplissimi loco, sibi precibus Catharinæ concessum; quo velut baptismi fonte ablutus, & peccatorum sordibus detersis, animo serenitas reddita est. peccatorem inter & Deum, nubes omnino densa interponitur, de qua Isaias cap. 59. queritur: *peccata vestra diviserunt inter vos, & Deum vestrum*; At ubi nubes dissolvitur, & in tennes guttas, quasi lachrymulas deplait, ilicò cœlum serenatur: & quæ suopte ingenio amaræ, ac salsæ prius aquæ è mari in nubem concreverant, in dulcia stillicidia resolvuntur. unde ille pro tessera gentilitia, nubem è mari collectam, dulci pluvia decidentem assumere non dubitavit, subjecto lemmate:

Redit agmine dulci. c

Quid, quod tonitrua & fulgura, non rarò cessare videmus, dum cœlum in pluviam se quasi exonerat. Nec minùs ira Dei, pluvia lachrymarum ingruente defervescit. Vrbi Bethuliæ ferocissimus Dux Holofernes extremam calamitatem attulit, dum d *incidi præcepit aquæ ductum illorum*, & omnia quâ interdixit. similiter Theodosius Imperator d gravi se injuriâ à civibus Constantinopoleos læsum sentiens, inusitato in eos supplicio severè animadvertit; omnes fontes obturari, omnes balneas occludi jussit, ne cives jucundissimis aquis fruerentur; unde necesse erat, corpora magnis ac diuturnis sordibus obsolescere. tormenti genus gravius, dum cœlestis lachrymarum imber, peccatori denegatur: dum stygius Holofernes hunc saluberrimum aquæ ductum præcidit, & alio derivat. quo fit ut anima vitiorum cœno tota sordescat. hanc sibi aquam deesse, Prophetæ verbis piè queri potest peccator, in terra deserta, & invia, & inaquosa: f *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* quia ut lacte lotus Bernardus: g *aquæ inopia non modò aridum sed & sordidum facit, dum non est, quo laveris. & humanum cor lachrymas nesciens, non modò durum sed & impurum esse necesse est.*

a Aug. serm. 11. ad frat. in Eremo.
b Bern. serm. 1. in oct. Paschæ.

c Symb. heroic. Petra S.
d Iudith c. 7. e Baron. an. Chri. 388.
f Ierem. 9. g Bern. serm. de nimia fallac. vitæ.

Ecquis

Ecquis non indies faciem & manus abluit, ne sordidus appareat? de animo parum soliciti sumus: *a Faciem corporis tui*, inquit Chrysostomus, *quotidie abluis, ne qua fortè macula faciei inhærens, fœda appareat: sic & animæ curam habe, quotidie lachrymis eam abluens.* Quisquis ô peccator! hoc saluberrimo balneo destitutus es, à summo cœli Imperatore, hoc aperiri, cum Augustino ardenter exposce, dicens: *b rogo te ô bone Iesu per illas pretiosissimas lachrymas tuas, da mihi gratiam lachrymarum, quam multum desiderat, & appetit anima mea: quia sine dono tuo non possum habere eam, sed per Spiritum Sanctum tuum, qui dura corda peccatorum mollit, & ad fletum compungit. Da mihi gratiam lachrymarum, sicut dedisti patribus nostris, ut plangam me in omni vitâ meâ, sicut ipsi se planxerunt nocte ac die:* qui ad clepsydram lachrymarum, per omnem vitam plangentes, illud Maronis usurpare poterant.

c Nos flendo ducimus horas.

Insanus mundi amor, ingeniosam non ita pridem clepsydram efformavit; *d* Puella amantis cineres, quem dum viveret, stultè deperierat, studiosè collegit, atque intra vitrea vascula conclusit: horasque ad illos dilecti sui cineres, noctes & dies lachrymando metiebatur: cui horologio hoc Christianum documentum pius Poëta adscripsit:

Irrequiete cinis, miseros testaris amantes:
More suo, nullâ posse quiete frui.

a Chrysost. hom. 21. in Gen.
b Aug. medit. c. 36. *c* 6. Æneid.
d P. Spoelbergen Wercken der Saligen. fol. 578.

Non cessabat nocte & die plorare, ad hanc clepsydram, mortem amantis, hominis mortalis. At cum clepsydra Romanorum tempore in usu, effecta fuerit ex aqua, quæ sensim stillas velut lachrymas fundens, horas metiebatur, unde & nomen sortita est à κλέπτω & ὕδωρ, proprias ac longè pretiosiores, è sanctorum hominum lachrymis, nobis clepsydras comparare poterimus, quibus nostras assiduò affundendo dicamus:

e Nos flendo ducimus horas.

Hos inter, Propheta Regius censendus est, qui non modò per diem vel horam, sed per noctes singulas, per omnem vitam, ex oculis lachrymas stillare non cessavit. quod si

f Non nihil aspersis gaudet amor lachrymis.

Vt in accensa fornace, flammâ paucis guttis respersâ luculentiùs exardescit, quid de ardentissimo Prophetæ pectore sentiendum est, quod non pauca stillicidia, sed ingens torrens natare fecit. *g Lavabo*, inquit, *per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* in Hebræo est: *natare faciam lectum meum.* quasi ea fuerit lachrymarum copia, & velut exundatio, ut cum strato suo inter lachrymas ipse nataret. unde Chrysostomus: *h audiant, qui lectos habent argenteos, qualis erat lectus Regis: non ex auro contextus, sed ablutus lachrymis.* Lintea frequenti aquâ aspersâ, sensim instar nivis dealbantur; haud aliter Psaltes Regius, hâc pluviâ jugiter aspersus, imò im-

e 6. Æneid. *f* Propert. l. 1. el. 12.
g Psal. 6. *h* Chrysost. hom. 30. in Gen.

mersus.

mersus, *super nivem dealbatus est.* unde Chrysostomus homil. 6. in Marc. sic Davidem loquentem inducit: *lachrymæ meæ, mihi fuerunt pro baptismate.* ne quis verò hæc hyperbolicè dicta autumet, subjungit idem Propheta: *exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* ex quibus verbis S. Ambrosius concludere non dubitavit, quod cum fletu *a ipsi descenderint oculi. habet enim hoc vis summi doloris ut cum lachrymis oculi, quodammodò videantur descendere; eò quod tanta vis lachrymarum sit, ut putentur oculi in fletus resolvi, & in lachrymas effundi.*

Addit Philo, *b* & ex eo S. Hieronymus, lachrymas Davidis & Jonathæ collectas, vas seu dolium replevisse, & in terra repositum. quod si tum temporis amore Jonathæ, tantum lachrymarum David fuderit; quin illæ in *rivos*, & in *juge profluvium* (ut Ambrosius loquitur) *c* proruperint, quo detestandum suum peccatum expiaret. quin & S. Petrum fluenta lachrymarum fudisse testantur canales, quos assiduo cursu suo, teste S. Clemente, non vi sed sæpe cadendo, in genis excavarant. quo factum, ut S. Leo serm. 9. de Passione, lachrymas Petri extollens, dicat: *d sancte Apostole! lachrymæ tuæ, ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis.* Doctor Gentium de se ipse testatur: *per triennium nocte & die non cessavi cum lachrymis, monens unumquemque vestrûm.* Quare si

Flumina magna vides, parvis de fontibus orta:

Non miraberis è Pauli lachrymis, fontes aquarum & flumina redundasse. Chrysostomum audite: *e ex quonam fonte tanta emanarunt fluenta, ut ex illius oculis lachrymæ?* & paulò post: *quemnam fontem vis comparare cum his lachrymis: eumne qui est in paradiso, qui irrigat universam terram? sed nihil dices æquale.* Denique unicum mihi votum est, S. Patris nostri Ignatii lachrymas colligere, cujus oculi raræ ac præclaræ instar clepsydræ, lachrymas jugiter stillabant; ut socii illo inscio à Pontifice impetrarint, Ignatius ab officio horarum eximeretur, ob præsens ex assiduo fletu cæcitatis periculum; libello supplice, quem Romæ legi, inquit Lancicius, *f* ad hoc oblato.

Hæc omnia nos siccis oculis & surdis auribus excipimus, & quemadmodum perfrictæ frontis pueris, quantumvis à Deo corripiamur, ne una quidem lachrymula exprimitur.

g Quæ quibus anteferam?

Hîc lachryma lavat, illic urit; hîc ungit, illic pungit; hîc gemmæ sunt, quæ diademati inserantur, illic in liquidas plumbi guttas resolvuntur, quæ genas excruciant. eam ob causam Bernardus: *h quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut præveniam fletibus fletum?* qui licet in Oceanum excrescat, ne minimum reatus tum delere, aut ignis extinguere valebit, cum hîc vel guttula sufficiat. Non rivi, non flumina, non ipsum mare Atlanticum inferorum flammas valet

a Ambr. serm. 17. in Psal. 118.
b Philo lib. antiq. Iud.
c Ambr. cit. *d* Act. 20.

e Chrysost. hom. 12. in epist. ad Colos.
f Lancicius opusc. spirit. 9. c. 6. n. 204.
g 4. Æneid. *h* Bern. serm. 16. in Cant.

restin-

restinguere , nedum scintillam attemperare ; hac tamen virtute pollet vel unicum à contrito corde per oculos expressum stillicidium , ipso Augustino contestante : *a omnes aquæ non extinguunt unam scintillam in inferno ; sed una lachryma, si de contrito corde processerit, totum ignem inferni extinguit.* Considerandum hîc sese offert locus ille Daniel. c. 3. ubi flammæ è fornace Babylonica exundantes, adstantes ministros continuò absumpsere , & in favillas, cineresque redegere; prodigio tamen simile quod Regi propiùs accedenti , & pueros illæsos in flammis , curiosè exploranti nil damni intulerint. Rationem hanc adfert S. Chrysostomus : *b* Regem sceleris sui pœnituisse , & madentibus oculis fornacem accessisse , ipsum audite : *non pertimescebat flammas comburentes , qui secum ferebat lachrymas ipsas extinguentes.* Quam quis non videat luculentam esse figuram , fornacem illam tartaream, peccatoris lachrymis restinguendam ?

Macedonum Regi Alexandro, cum graves calumnias de matre scripsisset Antipater , Rex literis perlectis, ignorat Antipater , inquit , unicam matris lachrymulam, multarum calumniarum epistolas esse deleturam. idem ego de noxiis sceleratorum hominum capitibus dixero, qui ignorare videntur, unicâ lachrymulâ, si seria & matura, omnes noxas aboleri, & infernum restingui : *c tales lachrymæ, quales erant Davidis, ipsum gehennæ incendium norunt extinguere* , & vectes ferreos confringere. Rem miram Antiochenus Præsul commemorat de servis fugitivis, *d* quod pedes ferrea compede colligatos , ejusmodi aquis immergant, quibus ferrum adeò mollescat, ut saxo illud percutientes confringant. & de facto, aquas fortes, ut vocant, reperiri, quæ ferrum exedant & frangant , indubitatum est. omni tamen aqua forti , & quantumvis efficaci major vis lachrymis, cœlo indita est , ad gravissima & solidissima pectorum vincula , non emollienda dumtaxat, sed vel momento disrumpenda. quæ ne quibus mira videantur ipsos cœlos , quos Propheta velut ære fusos describit , lachrymas perrumpere , vectesque ferreos , ac portas cœlorum adamantinas perfringere , sacrarum literarum, sanctorumque Patrum testimoniis comprobabo. Petrus Cellensis : *e* lachryma *portas refringit inferni , carbones exstinguit ferreæ fornacis.*

a Aug. serm. 19. ad frat. in Erem.
b Chrys. hom. de tribus pueris.
c Chrys. in c. 16. Luc. hom. de Lazaro.
d Chrys. hom. 9. ad pop.
e B. Pet. Cellen de panibus c. 12.

§. III.

Lachrymarum vis cœlum aperit.

PAradoxa quibusdam, imò propè pugnantia videbuntur , hæc primæ veritatis documenta: Matt. 18. *nisi efficiamini sicut parvuli , non intrabitis in regnum cœlorum.* & Matth. 11. *regnum cœlorum vim patitur , & violenti rapiunt illud.* quod parvulis robur , ad cœlos ære fusos perrumpendum , ad portas empyrei adamante clausas infringendum ? quæ teneræ ac imbelli

imbelli ætati, cum validis ac violentis viris comparatio? utrumque solerter componit Chrysologus: *a* dum *viros* robur habere in lacertis, pueros in lachrymis ingeniosè observat: ipsum audite: *infantiam dico, fratres, quæ semper totum obtinet; quæ plus lachrymis quàm virium robore contendit.* si pater minetur, si lac negetur, puer arma sua, lachrymas promit, quibus semper victor evadit. Huic magni Ambrosii accedit auctoritas, dicentis: *b vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo, non provocando injuriis, sed lachrymis exorando.* Hunc arietem agni aliquando admoverunt, & Henrici Imperatoris animum, etiam efferatū expugnavere. *c* obsidebat hic Trojam, Apuliæ urbem, ac civium pertinaciâ variè lacessitus, juravit nec imbelli ætati parcere. suppetiis auxilioque omni præciso, cives seriò sed serò supplices, in urbem repulsi. extrema jam omnibus imminebant; dum ecce necessitas ingeniosum, nec minus pium stratagema adinvenit,

d miserisque venit solertia rebus. Puerile totius urbis agmen instruunt, signum crux præit, laxatis portis legationem istam emittunt, hæ copiæ flentes ac ejulantes ad Imperatoris tentorium sensim perrepunt. quis credat? innocuam turbam amarè flentem contuitus, derepente Imperator ad lachrymas eorum collachrymatus est, & misertus super turbam, urbem libertate donavit. paradigma est, quemadmodum Divini Imperatoris animus expugnandus sit; cœlestis illa, quo ariete, Jerusalem impetenda.

Primæ veritatis pronuntiatum est: *e omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis.* si quidquid orantes impetrent, quomodo non quidvis plorantes? Hieronymus: *f oratio Deum lenit, sed lachryma cogit.* oratio impetrat, sed lachryma imperat; piæ lachrymæ precatio, peroratio efficacissima est. dictis fidem adstruit Doctor Angelicus in illud Lucæ 14. *legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.* fatetur acria quæ peccatores contra Deum constituerunt prælia optimè componi posse, si legationem, qualem Trojani ad Henricum misêre, instituerint. sic enim ait: mittamus ad eum legationem lachrymas nostras. Hæc est nostra legatio quæ Deum iratum placat: lachryma enim omni Oratore facundior in cœlesti curiâ perorat. Testis Ambrosius: *g lachrymas Petri lego, satisfactionem non lego: non invenio quid dixerit, sed quod fleverit.* idem de Magdalena censuit. ut verissimum illud Poëtæ comprobetur:

h Interdum lachrymæ pondera vocis habent.

Thren. 2. Hieremias inculcat: *non taceat pupilla oculi tui.* & David Ps. 38. *Percipe lachrymas meas.* quæ omnia paucis complexus Ambrosius ait: *O lachryma humilis! tua est potentia, tuum regnum. Tribunal judicis non vereris, amicorum tuorum accusationibus silentium imponis. Quid plura? vincis invincibilem, ligas omnipotentem.* Sed quæ-

a Chrysol. serm. 128.
b Ambr. sub finem l. 4. in Luc. c. 5.
c Bell. de SS. principib. Raderus aula S. Theodos. *d* L. 6. Meta.

e Marc. 11. *f* Hieron. c. 38. in Isa. *g* Ambros. sup. Luc. *h* Ovid. ep.

ret aliquis, quomodo hi Oratores in aulam cœleſtem penetrarint? lachrymæ enim aquarum pondere in terram decidunt. unde vis illis & impetus, ut in cœlum uſque ſalire valeant? qui fontium originem inveſtigarit, facilè agnoſcet, hòc altiùs eos in valle ſcaturire, quò è vicinis montibus per ſubterraneas venas, profundiùs aqua deſcenderit: ita & ex corde humili & contrito, excelſos in cœlum lachrymarum fontes divina virtute proſilire comperiet, juxta illud: *a aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lachrymarum.*

Pineda exponens illud Jobi: *b ad Deum ſtillat oculus meus.* mirum, ait, quod lachrymæ, quæ in ſinum ſeu in terram decidunt, aſcendere dicantur; atque id fieri aſſeverat, quemadmodum in vaporibus fieri conſuevit, quos ſol calore ſuo rarefactos attollit. ita à Charitate Dei, velut cœleſtis Solis radiis, has lachrymas in cœlum elevari. quod in lachrymis viduæ Eccleſiaſticus fieri inſinuavit: *c nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, à maxilla autem aſcendunt uſque ad cœlum?* cujus typus maxilla fuit, è qua Judicum c. 15. fons in altum ſcaturire cœpit. Gen. 7. refert Moyſes aquis diluvii arcam elevatam in ſublime à terra: ita animus in limo profundi & luto peccatorum defixus, attollitur exundantiâ lachrymarum; quas Gregorius Nazianzen. in cœlum extollit dicens: *d O felix diluvium! ô felices lachrymas, quæ animum dolentem levant, & peccatorem imo tartaro infixum, ſublevant in ſublime.* noſtis ad quantam altitudinem lachrymarum fontes aſcendant?

Appoſitum ænigma quæſtionem enodabit: quæri ſolet, quo umquam tempore, aquæ altiſſimæ ſteterint, & maximè ſublevatæ fuerint? in promptu reſponſum videtur, id in diluvio accidiſſe, dum

e —— alta cacumina montis
Unda tegit, preſſaque latent ſub gurgite turres.

Dumque ut ſacer textus loquitur: *f aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram, opertique ſunt omnes montes excelſi; quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.* An altius quis aquas aſcendere poſſe arbitrabitur? imò vero, & aquas ſupra cœlos, ad ipſum firmamentum in ſublime elatas, eædem ſacræ paginæ teſtantur. Gen. 1. *fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* & Pſalm. 148. *aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* Vbi non levis Doctorum controverſia, ut quid aquæ, violentè illic aſſerventur? Pererius quæſtionem non modo difficilem, ſed quorumdam judicio *g inexplicabilem* dicit. Cæterùm cum D. Auguſtinus *h hanc diligentiam conſiderationemque, laude digniſſimam* judicet, paucis quid SS. Patres de iis cenſuerint audiamus: Juſtinus Martyr, Baſilius, Theodoret. *i* ad ſiderum ardorem, & igneæ ſphæræ virtutem attemperandam, aquas ſupra cœlos

a Pſal. 83. *b* Iob 16.
c Eccl. 35. *d* Naz. orat. 3.

e Ovid. l. 1. Metam. *f* Gen. 7.
g V. Perer. in Gen.
h Aug. de Gen. ad litt. l. 2. c. 84.
i Iuſtin. 93. q. orthod. Baſil. hom. 3. ſup. Gen. Theodoret. q. 11.

cœlos repositas affirmant. quemadmodum Ecclesia canit:

Immense cœli conditor,
Qui mixta ne confunderent;
Aquæ fluenta dividens,
Cœli dedisti limitem.

Idque, *ut unda flammas temperet.* Analogiam sumit Augustinus à microcosmo seu homine, *a* supra cujus cor igneæ naturæ, locatum est frigidum ac humidum cerebrum. Beda verò ait: aquas has à Deo supra firmamentum collocatas, ut earum ingenti copia, laxatis cœli cataractis, generale orbi diluvium, quod præviderat, induceret. *b*

Sed appositè ad rem nostram, Thomas Anglicus Cardinalis in Psalm. 1. aquas super cœlos, lachrymas intelligit, quæ propter causas cœlestes & æternas fusæ, laudant Dominum; nec quemquam ad Deum pervenire, nisi has aquas penetrando, viam sibi lachrymis straverit. verùm enim verò, adhuc altiùs & longè sublimius aquam conscendisse, & ad ipsum numen lachrymas penetrasse Chrysologus adinvenit, ex quo disces non modò aquas altissimas stetisse in Christi baptismate supra ejus verticem, sed & dum Magdalena super Redemptorem nostrum lachrymas fudit: *c mutatur*, inquit, *ordo rerum, pluviam terra cœlum dat semper; ecce nunc rigat terra cœlum. imò super cœlos, & usque ad ipsum Dominum imber humanarum prosilit lachrymarum: ut juxta Psalmistam, & de aquis fletuum cantetur illud: & aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.*

a Aug. l. 11. de civit. c. ult.
b V. Lorin. in Psal. 148.
c Chrysol. serm. 93. de Magdal.

§. IV.

Beati qui lugent. Matth. 5.

UBi cœlum se ingenti pluviâ quodammodo exoneravit, detersa nube solare jubar radios spargit, & orbi universo post nubila Phœbus, post ventos & imbres, serenitas arridet. solatium hinc non vulgare Redemptor noster mutuasse videtur, dum dixit: *d tristitia vestra vertetur in gaudium*; quæ sententia aureis Chrysostomi verbis sic intelligenda est, *e sicut post vehementes imbres, mundus aër ac purus efficitur; ita etiam lachrymarum pluvias, serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas: omnisque illa de peccatorum tenebris offusa caligo dissolvitur.* noctem illam noxæ ac peccati detergunt lachrymæ; ipsas verò lachrymas, benignissima Dei manus in omnem æternitatem, *f absterget Deus ab oculis eorum.* quod beneficium S. Bernardus expendens, *felices* ait *lachrymæ, quas manus conditoris abstergit.* felix fletus, qui in risum perpetuum & gaudium æternum commutandus. multas & copiosas vidimus Davidis lachrymas, sed audite quid dicat: *secundùm multitudinem dolorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* ac si diceret inquit Hieronymus, *g hic unam fudi lachrymam, unam merui consolationem: decem fudi lachrymas, decem consolationes merui: quantumque fuit pondus lachrymarum, tantus fuit & consolationum numerus;* qui

d Ioan. 16.
e Chrysost. hom. 6. in Marcum.
f Apoc. 7. *g* Hieron. in Psal. 93.

tantus, ut liquidissimis paradisi gaudiis, quandoque sibi interesse videretur: ipse *a mihi testis est Dominus, post multas lachrymas, post cœlo inhærentes oculos, nonnunquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum.* vultis ipsius primæ veritatis testimonium? ipse Salvator noster non modò consolationem, sed ipsam beatitudinem in lachrymis ac fletu sitam esse voluit: sic enim ait: *beati, qui nunc fletis.* & alibi: *beati, qui lugent.* Chrysost. *b flere, & simul beatus esse quis queat? neque putet hoc ænigma esse.* Et August. *c non est res tam vicina miseriæ, quam lachrymæ: & nulla longior à miseria, quam beatitudo, & tamen dicitur: beati qui lugent.*

d Est enim & quædam flere voluptas.

Vt fusè Mendoza noster ostendit. *e* organum ex aqua seu hydranticum in symbolum Academia humoristica adlegit; hoc lemmate subjecto *concino dum concidis. f* concentum suavissimum in eo eliciunt, decidentes singulari artificio guttæ. tale è lachrymis Magdalena construere visa est, ut Chrysologus testatur: *g ad delicias Deitatis totas, totam pulsat cordis sui & corporis symphoniam: organi planctus dat clamorem.* quod quanta cum delectatione fieri consuêrit, experti loquantur; *h nihil est porrò his lachrymis jucundius; quovis risu sunt hæ jucundiores. sciunt, qui lugent, quantam hæ res habeat voluptatem.* Quæ omnem plausum, omnem jucunditatem, quam animus ex rerum pulcherrimarum spectaculis capere potest, longè antecellit. etenim si Augustino credimus? *i dulciores sunt lachrymæ orantium, quam gaudia theatrorum.* Aliam lætitiæ segetem, è lachrymis educit Bernardus, dum dulciores vult esse lachrymas pœnitentium, quàm sit suavissimus sapor & excellentia præstantissimi falerni. *Lachrymæ,* inquit, *pœnitentium, vinum sunt Angelorum.* generosissimum vinum, quod in terris reperitur, *lachryma Christi* nuncupatur. ab hoc lachrymæ pœnitentium saporem, odorem & colorem participant. hoc vinum pincernæ oculi ubertim promunt. felix profectò, de quo illud prædicare potest: *k pulchriores sunt oculi ejus vino:* cujus ea vis, & divina virtus est, ut sanctam quamdam ebrietatem inducat: hac extra se raptus exclamat Augustinus: *l calix tuus inebrians Domine, quàm præclarus est, da mihi gratiam lachrymarum, tribue pro pietate & bonitate tua, ut iste calix tuus inebrians, satiet sitim meam.* quôd si lachrymæ non verterentur in vinum, minimè inebriarent; aqua enim inebriare non potest. unde locum illum Psalmi 79. *potum dabit nobis in lachrymis:* Paraphrastes vertit, *potum dedisti eis vinum lachrymarum, lachrymam Christi.* Denique ut plenè beatos hîc lugentes fateamur, unicum Chrysostomum adduxisse sufficerit, qui norat quidem, beatitudinem in visione Dei si-

a Hieron. ep. 9. ad Eustoch. de Virg.
b Chrysost. hom. 15. in Matth.
c Aug. in Psal. 85.
d Ovid. l. 4. trist. el. 3.
e V. Mendoza l. 1 Reg. c. 1. annot. 9. sect. 2. *f* Petra S. symbola heroi. l. 9. pag. 430. *g* Chrysol. serm. 93.
h Chrysost. hom. 12. in ep. ad Coloss.

i Aug. in Psal. 127. *k* Gen. 49.
l Psal. 22. Aug. medit. c. 36.

tam esse; longè tamen beatiores Pauli oculos æstimat flentes, quàm Christum intuentes. *a Viderant*, inquit, *paradisum isti oculi, viderant tertium cœlum: sed eos non tam censeo beatos propter hoc spectaculum, quàm propter lachrymas, per quas viderunt Christum.* Vnde cum Paulus maximè gloriaretur dicens: *nonne Christum Iesum, Dominum nostrum vidi?* Subdit Chrysostom. *sed est beatus, quòd fleverit.* Quare oremus hîc, ploremus hîc; & cum Hipponensi Antistite, ardenter hoc lachrymarum donum à Deo efflagitemus dicentes: Domine Jesu, *b da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lachrymarum fontem jugiter manantem, ut ipsa quoque lachrymæ, tuum in me testentur amorem. ipsæ prodant, ipsæ loquantur, quantum te diligit anima mea.* Et in æternum tecum, & de te, & in te merear gaudere. Heraclitis cœlum refertum est; mundus Democritis:

Iste nihil, nisi risit; & iste nihil nisi flevit.
Istene ridendus, flendus an ille magis?

Qui voluerit hîc esse Democritus, timeat ne in alio seculo fiat Heraclitus: nam *c væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis* dum in ergastulum detrusi: *ubi erit fletus, & stridor dentium;* qui verô hîc voluerit esse Heraclitus, in cœlis Democritum induet, & *tristitia ejus vertetur in gaudium* & risum sine fine duraturum.

a Chrysost. hom. 12. in epist. ad Coloss.
b Aug. medit. c. 36.
c Luc. 6.



EMBLE-

Quò vadis? Ioan. 16.



QVO ME RAPIT. a

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Maxima pars hominum ignorat quò vadat, currit in incertum, & in præceps agitur, dum quò vel quà eundum sit, non interrogat.

§. I. *Quid faciendum ei, qui nescit quò vadat, nec quidquam statuit de statu vitæ?*

§. II. *Consilium de statu vitæ non petendum à parentibus, aut propinquis.*

§. III. *Inspiratio quâ quis se sentit vocari ad statum Religiosum, certissimè à Deo est.*

§. IV. *Vocatio ad Religionem, manifestum divinæ prædestinationis signum.*

§. V. *Reprobationis signum certissimum iis, qui vocationem distulerunt aut neglexerunt.*

a Virg.

DOMINICA QUARTA POST PASCHA.

Quò vadis. Ioan. 16.

FAbulator ille à sapienti morum instructione, & ingeniosis apologorum commentis celeberrimus: *a* cum à Xanto hero suo in balneas aliquando amitteretur visum, an multa turba adesset, quæ lavare cupientem impediret; inter eundem casu obvium habuit urbis Prætorem: qui cùm eum Xanti servum esse cognovisset, interrogavit *quò iret*; curiosa interrogatio dignam retulit responsionem. Siquidem servus nequaquam serviliter, sed Philosophicâ quadam libertate ilicò respondit: *nescire se quò iret.* Hoc tam audaci dicto, imò ut videbatur mendacio, Prætor existimans se contemni: lictoribus qui se comitabantur, extemplo mandavit, ut homini pervicaci manus injicerent, & vinctum è vestigio ad carcerem abriperent. Ducebatur Æsopus, novus & inopinatus captivus; cumque aliquot passus processisset, subitò constitit, & ad Prætorem respectans succlamavit: *vides ô Prætor, quàm rectè responderim, nescire me quò irem? quippe qui non praevideram, me tibi in viâ occursurum; & planè nesciveram me hodie ab his in carcerem compingendum. Vado igitur, quò nescivi.* Hoc omnibus contingit, qui nesciunt quò vadunt, qui stolidum illud ac stultum de se profitentur: *nescio quò vado.* Nil aliud responsi, puellæ ac adolescentes adferre possunt, qui otiosi plateas terunt, & affectu vario abripiuntur: horum quemque percunctare, *quò vadis?* tu adolescens, tu filia annos pubertatis adepta, *quò vadis?* tu juvenis, qui forum inambulas, tu puella, quæ limen domus teris, *quò vadis?* tu studiose, qui manum ferulæ subduxisti, qui humanioribus perfunctus, quasi in actâ & littore constitutus! *quo vadis?* tu nobilis virgo, è sacrâ canonicarum Parthenone in familiam redux, *quo vadis?* Hoc à plerisque referemus: *nescio quo vado*; ut in quemque eorum, aptè illud Persii cadere videatur: *b*

An passim sequeris corvos, testaque lutoque,
Securus, quò pes ferat, atque ex tempore vivis?

Qui sanè commiseratione dignissimi sunt; utpote quos stygius ille Prætor, & animorum prædo, ad carcerem & mortem abducit sempiternam, hac solùm de causâ, quòd nemo quisquam se ipsum interroget: *quò vadis?* cui ut occurramus, in hac tantâ varietate viarum, quà eundum sit, ut ad portum salutis appellere valeatis, quasi intento digito demonstrare aggredior.

a In vitâ Æsopi.

b Persius sat. 3.

§. I.

Quid faciendum ei, qui nescit quò vadat: nec quidquam statuit de statu vitæ.

INfinitas lineas curvas ac distortas facere & reperire facile est, unam rectam atque omnino perfectam perdifficile. An fructuosas semitas erroresque innumeros, in hoc mundi labyrintho, indies mortales involvere ac seducere, perpaucos sese expediendi callem tenere videmus. Quin & mari plurimos tractus & anfractus, à patria, à portu naves jactare, unum eumque inter syrtes & vada angustum canalem, qui in cœlestem patriam, in portum voluntatis deducat, sectari permolestum esse nemo diffitebitur. Cùm ea res sit & momenti & moliminis maximi: suffragante Tullio quantumvis ethnico, qui libro primo de officiis sic monet: *Inprimis autem constituendum est, quos nos & quales esse velimus, & in quo genere vitæ. Quæ deliberatio est omnium difficillima.* In quam omnes spiritus nequitiæ, omnes furiæ infernales, omnes potestates tenebrarum, omnes visibiles & invisibiles hostes: mundus, caro, dæmon, & his omnibus longè nequiores, inimici hominis domestici, propinqui ac parentes non raro conspirant: qui omnes ut *conjurati veniunt ad classica venti*, & adolescentes jam de statu vitæ quid certi statuere meditantes, plusquam decennali errore, ut alteros Ulysses jactant, ac tandem ad syrtes & scopulos illisos, æternæ salutis naufragium facere compellunt. a *Videas plerosque*, inquit Seneca, *sine proposito vagari; quærentes negotia, qui non quæ destinaverunt, agunt; sed in quæ incurrerunt.* In quæ fortuna, vel casus, vel occasio, seu spes commodi aut utilitatis: vel naturæ impetus, vel socii; potissimùm verò parentes pellexerunt: b *plerumque autem parentum præceptis imbuti, ad eorum consuetudinem moremque deducimur.* Hinc tu fili caussidici, *quò vadis?* ad jus, ad praxim. Tu fili medici, *quo vadis*, ad scholam Galeni & Hippocratis, ad medicinæ disciplinam. Tu fili mercatoris, *quo vadis?* ad avunculum meum, ad viri prædivitis officinam, ut rationes accepti & expensi, ut libros rationum condiscam. Tu fili Centurionis, Chiliarchæ, *quo vadis?* Ad militiam, ad castra, ut sub Rege merear, &c. sed amabo te, num hoc vitæ genus unquam in deliberationem venit? num hunc vitæ cursum, ad felicissimam illam beatitudinis metam, ab omni æternitate tibi à Deo propositam compertum habes? Minimè. Sed puerorum aut brutorum in morem ea sectaris, quæ obvia sunt. Atque hic primus isque frequentissimus error est; quoniam ut rectè Philosophus Romanus observat; c *Non eadem hîc quæ in cæteris peregrinationibus conditio est: In illis comprehensus aliquis limes; & interrogati incolæ, non patiuntur errare; at hîc tritissima quæque via, & celeberrima maxime decipit. Nihil ergo magis præstandum, quàm ne pecorum ritu, sequamur anteceden-*

a Seneca l de tranquil.
b Cic. lib. 1. de offic.
c Senec. lib. de vit. beata cap. 1.

tium

tium gregem: pergentes non quà eundum est, sed quà itur. Tum ne turbam, & viam latam perditionis sequamur, sic cavet: *Atqui nulla res majoribus malis implicat, quàm quòd ad rumorem componimur; nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium: quod in strage hominum magna evenit, cùm ipse se populus premit: nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat, primi exitio sequentibus sunt. Hoc in omni vitâ accidere videas; nemo sibi tantùm errat.* Quæ si vera sint de hac vitâ, ut hîc agitur; quantò veriora erunt, si finem sublimiorem, ad quem creati sumus, respiciamus? *a ubi*, ut gravissimus Theologus docet, *agitur de re non exigua, sed omnium maxima: nempe de æternâ vitâ, de æterna morte.*

Quare maximè nobis Christianis enitendum est, ne æstu feramur, aut turbam sectemur; sed potiùs semitam angustam, quæ ducit ad vitam, & quam pauci inveniunt, disquiramus: quod ævo suo Cicero questus est: *b Illud autem maximè rarum genus eorum, qui aut excellente ingenii magnitudine, aut præclara* (dicam ego Christianâ, quam in scholis nostris, aut à probis parentibus hauriunt) *eruditione atque doctrina, aut utraque re ornati: spatium deliberandi habuerunt, quem potissimum vitæ cursum sequi vellent.* Aut potiùs, quem illos Deus insistere velit, juxta illud Poëtæ: *c*

Disciteque ô miseri, & causas cognoscite rerum:
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur?
——— quem te Deus esse
Jussit, & humana qua parte locaberis in re?

quem te Deus, non parentes, non occasio, non spes commodi, utilitatis, honoris esse velint. An te Deus æternâ suâ providentiâ causidicum an medicum, mercatorem an militem, cælibem an conjugatum, Ecclesiasticum an Religiosum jusserit esse? non sinas te honoris, avaritiæ, aut luxuriæ æstu abripi, & quo corruptæ naturæ impetus trahit, seduci; ne tibi accidat, quod Lucianus in Cynico refert. *d* Equidem furibundo ac sternaci equo conscenso, præcipiti cursu per devia & avia abreptum: qui cùm fortè ab obvio rogatus, quò tam concitatè pergeret? equum demonstrans, respondit: *quò illi libitum est.* Ita si quemque vestrûm percunctari voluero, *quò vadis?* hic respondebit: quò iræ; alter quò avaritiæ; tertius quò superbiæ; plurimi quò luxuriæ & libidini collibitum est. Quibus certe longè gravius, quàm hujusmodi equiti exitium imminere, nemo quisquam inficiabitur. Hinc rectè Hipponensis Præsul monuit: *e*

Quisquis amas mundum, tibi prospice quò sit eundum:
Hac via quâ vadis, via pessima plenaque cladis.

Alter error quem observat idem Philosophus: *f Ideo*, inquit, *peccamus, quia de partibus vitæ omnes deliberant, de tota nemo. Scire de-*

a Less. de statu vit. delig. q. 3.
b Cic. lib. 1. de Offic.
c Persius sat. 3.
d Aldrov. de Quadra. pag 114.
e Aug. in manual. cap. 29.
f Senec. de vita beata cap. 1.

bes

tet quid petat ille, qui sagittam vult mittere, & tunc dirigere, & moderari manu telum. Sunt qui deliberant, quem vitæ cursum sibi maximè commodum arripiant, finem sibi ultimum non præfigentes; sed in ipsis mediis quasi in fine conquiescunt. Qui eorum mihi consimiles videntur, qui navem conscendunt, aut currum equumve conducunt! rogati quò vadant, nescire se affirmant. Haud aliter non unum percunctatus sum, quorsum Philosophiæ se daret? ut quid alter se ad jus conferret? quare tertius inGallias ad linguam discendam cogitaret? quem per hæc media finem sibi consequi statuissent? nescire se candidè fassi sunt. Quò fit ut cum gravi animæ detrimento, & magnis parentum expensis, alia atque alia sibi media, ut finem præfigant, & in omnibus fluctuent; aut si tandem quod rariùs accidit, de totâ vitâ & fine, quem Deus iis præfixit, statuant, media certè non à fine aliena, aut longè certè magis proportionata assumenda fuisse. Ut sic filia postquam saltandi, citharizandi artem, mores aulicos edocta, de monasterio cogitat. Atque experientiâ edocti sumus, quosdam se Philosophiæ ac Juri applicare; ac tandem animum ad Religionem conferre, in qua jus illud civile parum confert, & Philosophia citra corporis & animæ pericula, illis longè accommodatiùs tradi potuisset. Istiusmodi præcepta, cùm officii nostri sint, rursus ex officiis mutuemus: a *Cùm in omnibus, quæ aguntur, ex eo, quo quisque modo natus est, quid deceat exquirimus: tum in tota vita constituenda, multò est hujus rei cura maxima adhibenda; ut constare in vita perpetuitate possimus nobismet ipsis, nec in ullo officio claudicare.* Hujus enim deliberationis & conclusionis defectu fit, ut cæco impetu, multi multa delibent, & à limine salutent: ex jure ad medicinam, inde ad mercaturam; ex eâ quandoque ad militiam, ex aliâ occupatione ad aliam convolent, & cùm fine careant, in variis mediis, ut stulti laborent. Tu itaque b *ad summum bonum & propositum totius vitæ respice: illi enim consentire debet, quidquid agimus; non disponet singula, cui nisi jam vitæ suæ summa proposita est.* Ea propter mortales omnes, quid artis, opificii, aut negotii tractaturi, priùs finem ac scopum, quo colliment, spectant: quod cùm in fluxis ac perituris prudenter factitamus: id Seleusiensis Antistes in rebus æternis & negotio salutis, plerosque minimè curare, gravissimè reprehendit: c *quam habet rationem* (inquit) *quod cùm Gubernator haud temerè se ventis committat, sed navim rectà moderetur ad portum; & sagittarii ad metam ac scopum jaculentur: item fabri diligentiâ, seu architecti ex arte sua, rem ad finem aliquem perducunt; nos talibus artificibus sapientia inferiores sumus, ad planè consideranda, quæ ad nostrum profectum animi faciant. Erit itaque operariorum consideratio finis operis, & humanæ vitæ consideratio non fuerit? quem procul dubio finem respicere, & ejus gratia cuncta face-*

a Cic. lib. 1. de Offic.

b Seneca: epist. 71. c S. Basil. hom. 24. de legendis lib. gentil.

re, nisi brutis æquiparari velit, oportet. Atque utinam quod subdit, altâ mente repostum maneat: *Quo sanè neglecto, nostra mens veluti sine arte navigium, nullo dirigente navarcho, hùc illùc temerè exagitatur*, donec tandem infelici naufragio hauriatur.

Quibus positis, ne in tantâ viarum varietate involvamur, & longiùs aberrare contingat, omnes ineundæ vitæ semitas, ad bivium voluptatis & virtutis revocandas esse duxi; quæ est prima, & ad vitam secularem & Religiosam, omnibus in bivio disparis nimium æternitatis, perquam necessaria deliberatio. Hoc bivium Divus Basilius vobis adolescentes præscribit dicens: „ *a* Quòd juveni quondam Herculi, & eâdem ferè ætate in quâ nunc vos estis, secum consulenti ad utram viarum se converteret, an eam quæ ad virtutem per labores ducit, an facilem per voluptates ingrederetur? Duas ei fœminas, virtutem ac voluptatem, quarum mox tacitus apud se ex diverso habitu differentiam agnoverit, apparuisse. Alterâ quidem formâ conspicuâ, molliore facie, lascivis oculis, sermone blando: omnia fausta faciliaque & ad vitæ solatia tendentia per otium pollicendo, Herculem ad se trahere conabatur. Altera tota vultu rigido, squallenti mœstoque ore, magnam fiduciam atque constantiam præ se ferens, nihil molle aut effœminatum ostendebat; sed ad ardua per labores enitendum: Præmium tamen horum immortale, atque inter Deos Herculem referendum dictitabat. Quam Hercules magnanimus complexus & secutus est.

Huic historicæ narrationi, lubet elegantem bivii picturam ex Ambrosio subnectere. *b Vna* (inquit) *via justorum, altera peccatorum. Vna æquitatis, iniquitatis altera. Iustorum via angustior, iniquorum latior: una sobrietatis angustior, hæc ebrietatis laxior, ut possit capere fluctuantes; hic libertas est cupiditatum, illic servitutis injuria; hic convivium, illic jejunium; hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lachrymarum; hic saltatio, illic oratio; hic cantus dulces, hic graves gemitus.*

Quis in hoc bivio constitutus, non videat potenti Dei manu, id est singulari prorsus Dei gratiâ, efficaci mentis & voluptatis impulsu opus esse? ut quis mundi illecebras, cariùs blandimenta, voluptatem, in quam naturâ suâ fertur, aversetur; & pro rosis spinas, virtutem in arduo sitam sectari concupiscat? potissimùm cùm voluptatem oratione blandâ, & vel tacitâ sæpè formâ objectâ perorantem audierit, virtutem ac Deum vocantem non observarit. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* Psalmo quarto. Quibus idem Psaltes mox respondet: *signatum est super nos, lumen vultus tui Domine*. Lumen rationis & gratiæ, manifesta vox Dei quid agendum sit, clamat: *Non laborandum* (inquit Bernardus) *c ut ad vocis hujus perveniatur* audi-

a S. Basil. hom. 24. ad juvenes quando gentilium literis proficerent.

b Amb. in Psal. 1.
c S. Bern. ad Cleric. c. 1. v. 2.

auditum; labor est potiùs aures obturare, ne audias. Nimirum vox ista se offert, se ingerit; nec pulsare cessat ad ostia singulorum; est enim non tantùm vox virtutis, sed & radius lucis. Quæ Bernardi sententia evidentem rationem includit, quod Deus frustrà vocaret, nisi ita vocet, ut à nobis percipi posset. Quis umquam herus servo sic imperet, ut intelligi non possit, aut Magister discipulum instruere volens, ea studia tradat, quæ ab ipso capi non possunt? Vox ergo Christi clara & manifesta, si modò nos ei aures non occludamus aut obtundamus. Cui hoc primum conducet, quod Cicero de Hercule tradit: *a* Eum in solitudinem egressum duas has fœminas in conspectum habuisse, atque istic unam virtutem sectari statuisse. Ita prorsus de vitæ ratione anxius, ad virtutis instinctum, & Dei vocem percipiendam, secessum aliquem per exercitia spiritualia quærat, aut saltem per dies aliquot se à turbis & curis secularibus, cum omni animi indifferentiâ avocet. Hoc monet Sanctus Bernardus Thomam Præpositum, in hac deliberatione versantem; *b Tu ô charissime, huic voci Dei tui, dulciori super mel & favum, si præparas aurem interiorem; fuge curam exteriorem, ut expedito ac vacante interno sensu, dicas & tu cum Samuele: loquere Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit, & lætitiam, si sobriâ aure perceperis.*

a Cic.l.1.de offic. *b* Bern.epist.107. ad Thom. Præposit.

Unde saluberrimum consilium est, ut sepositis omnibus negotiis, ad paucos dies secedas, & alicui viro spirituali, in talibus exercitato, te tradas in disciplinam; ut ab eo in re tanti momenti dirigaris: nam in tonstrinâ aut popinâ, aut puellarum contubernio, sibilus ille aure tenuis non auditur; sed in secreto cordis & secessu mentis: atque hic (quod alterum est) per ardentes preces, *c Vt Deus Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater gloriæ det vobis illuminatos oculos, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in Sanctis.* Dic cum Psalmistâ: *d Notam fac mihi viam in qua ambulem.* Per frequentem Sacramentorum usum, per ferventes gemitus invoca spiritum illum, qui pro salute nostrâ postulat gemitibus inenarrabilibus. Ingemina illud Prophetæ: *e Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.* Columbam viæ suæ ducem, Æneas in nemore errabundus habuerit, nos in hâc umbrosâ mundi sylvâ, è cœlo nobis columbam, in campos illos Elysios, ducem mitti postulemus, dicentes:

f Esto dux, ô si qua via est cursuque per auras,
Dirige per lucos: ubi pinguem dives opacat
Ramus humum.

De hac re unicè sollicitus Innocentius Papa IV. pro symbolo sibi delegit: *g Notas fac mihi Domine vias vitæ.* Aut cum Leone X. qui hanc sibi tesseram assumpserat, exclamet: *h Perfice gres-*

c Ephes.1. *d* Psal.142. *e* Psal. 142. *f* Virg.l.6. Æneid. *g* Spondan. tom. 1. pag. 207. *h* Psal. 16.

ſus meos in ſemitis tuis. Nam à ſemitâ vitæ declinaſſe, æternum erraſſe eſt. Paucis verò hanc viam nobis Dux noſter aſſignat, non diu quærenda. Impreſſa reliquit veſtigia, ſanguine notavit, *hàc itur.* Ut hæc veſtigia ſequamur, ſtimulo eſſe poterit, quod Clemens Alexandrinus obſervavit, ad illa verba cœleſtis Sponſi: *a Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis.* Olim nempe puellas, ſubter calceos ſeu cothurnos ſuos, aureos clavos geſtare ſolitas: quibus verba amatoria ſcitè inſculpta, quæ à deambulantibus arenæ impreſſa, ſtudioſè ab amaſiis veſtigia prementibus legebantur. Non verba, ſed efficaciſſima amoris teſtimonia nobis ſanguinea amantiſſimi Jeſu deſignant veſtigia; ne hæc legere pigeat, præclari Doctoris peroratio impellat: in Pſalmo trigeſimo ſexto. *A Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet. Ipſe eſt* (inquit) *b Chriſtianus, qui non aſpernatur viam Chriſti, ſed vult viam Chriſti ſequi per paſsiones ipſius: noli per aliam viam velle ire, quàm per illam, quâ ipſe ivit; dura videtur, ſed ipſa eſt tuta via; alia fortè delicias habet, ſed latronibus plena eſt.*

Hîc mihi in mente eſt, quod Reginaldus narrat hunc ferè in modum: *c* duo fratres unà iter fecerunt, quorum unus intelligens & providus, alter non ſanæ mentis, homo rudis & bardus: delati ad bivium, litigare cœperunt, quà eundum eſſet. Amens ille, viam prima fronte delectabilem ingrediendam ratus: heus tu, inquit, ad fratrem, hac eamus, invitat jucundiſſima ſemita, en merum viridarium. At ille providus: frater, inquit, hæc viæ facies non diſplicet, amœna eſt; at exitus viæ me terret, ad peſſimum hoſpitium deducit. Itaque tibi mihique ſuaſerim, hanc potiùs nonnihil aſperam inſiſtamus, principii & progreſſus moleſtiam hilari fine penſabit, ad hoſpitium ducet nobiliſſimum. Sed fatuus ſententiæ ſuæ tenaciſſimus: ego inquit, oculis meis malo, quàm tibi credere: hàc eo, ſequere. Sic alter quamvis invitus, ne fratrem deſereret, comes ivit. Dum progrediuntur, in prædonum inſidias deveniunt. Ab his in carceres, ſed diverſos rapiuntur. Poſt aliquantum temporis, è vinculis educti, ad neſcio quod tribunal ſiſtuntur judici. Hic alter fratrum, prudens ille, & ſanæ mentis: mi Domine, inquit, in has ærumnas frater iſte meus, homo fatuus me conjecit: viam adivimus bonam & tutam, at ille ſtultitiæ ſuæ potiùs, quàm verbis meis fidem habere maluit; & aliam, per quam infeſta ſunt itinera, ingreſſus eſt. Ita refractarium ſecutus ſum altera via, amœna quidem, ſed intuta, & hæc latronum nos prædam fecit. Itaque ſi moriendum eſt, ille horum omnium cauſa, pro me moriatur. Contrà fatuus: imò, inquit, non mihi, ſed fratri meo moriendum. Nam ſi tam ſapiens eſt, qualem ſe gerit, cur me tam facilè ſecutus eſt? cur perſuaderi ſe paſſus eſt? cur reluctatus non eſt? cur viam ivit, quam ſciebat latronibus infeſtam? Ad hæc

a Clem. Alexand. in c. 7. Cant. *b* Aug. in Pſal. 36. *c* Petrus Reginal. in ſpeculo retrib. Drex. Triſm. l. 3. c. 4. §. 2.

hæc alter: ô Domine Judex, inquit, verba mea contumaciter rejecit, nulla ratione ab errore abduci potuit. Cui stolidus: si me, ait, reclamante tu viam tenuisses tutiorem, ego vel invitus rediissem, & te secutus fuissem, tu meæ mortis es causa. Mox prudentior: tu stolide, inquit, tu causa es mortis meæ. Ita utrimque verbis acriter certatum est.

His auditis Judex, sententiam in hæc propè verba pronuntiavit: tu fatue noluisti sapienti credere, & tu sapiens secutus es fatuum, ideo pœnas mihi dabit uterque.

Ita prorsus supremo Judicii die, *corpus* & *animus*, per amœnam & floridam hujus seculi viam, in immensam illam ac tenebrosam infelicis æternitatis plateam, à tartareis illis latronibus, ad Christi Judicis tribunal deducti, audient fatalem in se utrumque sententiam: quia corpus fatuum omne consilium animi sprevit, & cæco impetu mundi blanditias sectatum est: & animus sapiens se induci & seduci passus est, uterque reus mortis sempiternæ igni tradetur inexstinguibili. Quod tertium & perquam efficax deliberanti motivum est; attendere ac prospicere utriusque viæ dispares nimiùm exitus: *a est* enim *via, quæ videtur homini recta, & novißima ejus ducunt ad mortem*. Conferet hic, viæ ducem peritissimum sequi Hieronymum: *b vide quanta sit inter has vias separatio, quantumque discrimen: illa ad mortem, hæc tendit ad vitam; illa celebratur & teritur à multis; hæc vix invenitur à paucis: illa enim vitiis per consuetudinem quasi declivior ac mollior, & veluti quibusdam amœna floribus voluptatum, facilè ad se rapit commeantium multitudinem; hæc vero insueto calle virtutum, tristior atque horribilior, ab his tantum eligitur, quibus non tam delectatio itineris cordi est, quàm utilitas mansionis*. De hoc viæ termino, de hac mansione, non de itineris delectatione, solicita quam maximè fuit Margareta Austriaca, Philippi III. *c* uxor, quæ paucis ante extremum morbum diebus inambulans regiâ porticu, vidit piam tabulam parieti appensam, in qua angustæ scalæ in cœlum erectæ; per quas genio tutelari duce quosdam conscendere vidit; infernè verò per latos gradus, turmatim alios tenentes tympanum & citharam, ad tartarum proruentes. Hîc regina in lachrymas profusa: dum à matrona comite rogaretur, respondit: O Soror! in hoc ancipiti bivio collocata sum, dubia prorsus, ubi animus è corpore excesserit, an hàc, an illàc? Quod iter arrepturus. Anceps hæret integerrima Princeps, & nos ad hæc itinera æternitatis securi properamus; cùm summi utrimque momenti sint, quæ Christiano hîc in deliberationem veniunt. Utrimque æternitas est, sed altera æternùm misera, altera æternùm beata: à te pendet utram elegeris. *Alterum è duobus eligamus*, clamat Bernardus, *d aut semper cruciari cum impiis, aut perpetualiter lætari cum sanctis. Bonum siqui-*

a Prov. 16. *b* Hieron. epist. 4. ad Celant.

c In vita. Bourchesius trutina æternit. cap. 6. *d* Bern. l. de anima. c. 3.

dem & malum, vita & mors ante nos sunt.

Hæc B. Cæsario Arelatensi Præsuli, ita tenaciter inhæserunt, ut non interdiu modò, sed & noctu in somnis non semel exclamare auditus sit: duo sunt, nihil est medium duo sunt, aut in cœlum ascenditur, aut in infernum descenditur; voluptas brevis, pœna æterna: momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat, elige, semel malè elegisse, semel periisse æternum est. Has ergo prudentiæ regulas, in deligendo vitæ statu spectemus: Quid optares elegisse in morte, in extremo judicio, quid tota æternitate?

Quid consilii daturus Christus in terris, si eum consuleres? quid æterna veritas, infinita sapientia, Redemptor tuus suaderet? An mundus fallit, an Christus; sed hic per spinas eundum dixit. Ergo. nec potest quis in hoc seculo gaudere & in futuro: hic recipere bona & in cœlo: hic implere ventrem, & ibi mentem. Quid clamat vitæ brevitas, incertitudo, calamitas? Quid infernus, & ex eo damnati?

Quid cœlum & ex eo Beati?

Denique quæ via brevior & securior ad salutem æternam? Duplex via Bruxellis ducit Antverpiam, una commoda & tuta & brevis, navi; altera pedestris. ob excursiones militum periculosa, ob infestam auram molesta, lutosa, longa. Quis hic ambigat, quin priorem secundo vento sequatur? Haud aliter ut quis in seculo salvari possit, nemo tamen inficiabitur (ut pluribus ostendemus) quin certissima via ad cœlum, *è cella sit, quia à cella in cœlum sæpe ascenditur, vix autem unquam à cella in infernum.* Subdit verò alibi idem Bernardus: *a nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.* Una hic occurrit multis familiaris, & à viro nobilissimo proposita D. Hieronymo objectio: *b sed, ait, hoc apostolicæ dignitatis est, & ejus qui velit esse perfectus.* Cui respondet: *cur autem & tu nobis esse perfectus? Cur qui in seculo primus es, non in Christi familia primus sis.* Mirum enim certè est, quod cùm homines cætera extra se, quàm perfectissima habere cupiant, solam animi perfectionem non modò non cupiant, sed sæpè cum facilè consequi possint, negligant. *villam emis* (inquit Augustinus) *c bonam quæris: uxorem ducis, bonam eligis: filios tibi vis nasci, bonos optas: caligas locas, & non vis malas; & vitam amas malam. Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam, ut inter omnia bona tua solus sis malus?* Quod simul altera quorumdam objectio refutatur, & corruit; non jussit hoc Deus, sed liberum reliquit consilia sua sequi. Cui verè stolido argumento, egregiè aliquando responsum est à sacerdote quodam Societatis nostræ, rerum spiritualium perito: *d* qui cùm insignem Theologiæ Doctorem spiritualibus exercitationibus informaret, isque à Deo se vocari sentiens, hac ipsa quam diximus fallacia, vocationem eluderet: dic mihi, inquit, si necessariò in Indiam navigare

a S. Bern. epist. de vita. solit. ad frat. de monte Dei. *b* Hieron. epist. 34. ad Iulian. *c* Aug. de verb. Dom. serm. 16. *d* Platus de bono statu relig. l. 3. cap. 38. epil. ad secul.

vigare cogereris, ac cùm multæ naves præstò essent, aliæ meliores, aliæ deteriores; classis Præfectus in suam te navim invitaret novam & firmam, rebusque omnibus instructam. An tu ejus beneficio contempto, aliam malles quassatam & cariosam, suisque armamentis spoliatam, imperito navarcho, conscendere? An non potiùs summa cum gratiâ acciperes quod offertur? imò etiam ultrò rogares & urgeres? multò igitur magis ad evitandum animæ naufragium, quod æternum est, ejusmodi statum eligere oportet, qui nos tutos securosque littore sistat. Quæ argumentatio ita evidens doctori visa est, ut omni dubitatione deposita, Religionem ut firmissimam navim delegerit.

§. II.

Consilium de statu vitæ, non petendum à parentibus, aut propinquis.

HAnc rem, virtute æquè ac eruditione celeberrimus Leonardus Lessius, sic dilucidè exponit: *a* Omnes stabimus ante tribunal Judicis, ubi quisque rationem pro se redditurus est, non filii pro parentibus, nec parentes pro filiis, iniquissimum ergo esset, si filii ex parentum arbitrio vivere cogerentur, nec saluti suæ securissimo modo possent consulere. Uti iniquissimum esset, ut subditus cogatur fidem, quam Principi seculari jubere placuerit, amplecti.

Ecquid porrò in negotio salutis sani consilii sperandum est, ab homine carnali & animali, *b qui non percipit ea, quæ sunt spiritus?* Non magis, quàm si quis ædificare volens, sutores consulat vel aurifices. Et qui ægrotat, Jurisperitos advocet; cùm ille architectos, hic medicos, & eos quidem peritissimos prudenter adhibere consueverit; ita in hoc tanto opere, quo ædificanda est illa domus spiritualis & turris perfectionis, quæ stare possit adversus ventos & turbines: atque ubi curatio non corporis sed animæ instituenda, non eorum judicium requirendum, qui res istas non intelligunt, vel judicium habent perversum; sed adeundi illi, qui probitate insignes, & hanc ipsam trivêre viam, quique experientiâ edocti, alios fideliter & absque errore dirigere queant. Quid enim stultius, quàm si mari vel terra iter facturus, eum ducem accipiat, qui numquam in vita sua illud iter confecit: cùm alios ad manum habeat, qui nihil aliud tota vita egerunt? Quò spectat ironica illa locutio Eccli. 37. *cum viro irreligioso tracta de sanctitate, cum injusto de justitia.*

Sed hic non humanum, sed angelicum Doctorem audiamus: *c* ab hoc, inquit, *consilio* (de ingredienda Religione) *primò quidem amovendi sunt carnis propinqui, quia inimici hominis domestici ejus.* Nemo autem ab inimico consilium petit; nec mirum si domesticos Christus inimicos dixerit, quando ab obsequio divino avocant, & in æternam mortem præcipitant; quo nihil gravius, teterrimus hostis noster diabolus

a Less. de statu vit. delig. q. 3.

b 1. Cor. 2. *c* S. Tho. op. 17. cont. retrahent. à Relig. c. 10.

moliri valet. Hæc secum S. Bernardus, spiritualis doctrinæ Magister lamentatur: *a quantos mundi sapientia maledicta supplantat, & conceptum in eis exstinguit spiritum, quem voluerat dominus vehementer accendi. Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, diligentiùs intuere. Magnum est quod proponis, & opus habes multâ deliberatione. Experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat.*

Hoc quasi rationi consentaneum, & Deo vocanti contrarium monent, ut in seculo manens, cum secularibus proberis. Quod quid aliud est, quàm si alicui maris inexperto, qui artem nauticam discere velit, suadeas ut fragili cymba det se in altum, & probet utrum in illis fluctibus & tempestatibus, poterit cymbam salvam præstare? vel si mercaturam cogitanti, auctor sis ut antea unius aleæ jactu fortunas suas exponendo, periclitetur, quales imposterum eventus exspectandi? Quid à ratione magis alienum, quàm tanto periculo experiri velle, quod multò certius, & absque periculo cognosci possit? Si hortulanus aliquis accepto semine nobilissimo, ex oriente misso, quod summâ culturâ egeret, conjiciat illud in locum saxosum, spinosum, solis ardori & cœli injuriis, ac conculcantium pedibus expositum, ut probet an crescere possit, cum terra idonea non desit; quis non dicat eum insanire? At longè magis insaniunt, qui semen illud divinæ inspirationis, & vocationis ad Religionem, ut in virtutem & fructum æternæ vitæ adolescat, sterili mundi ericeto committunt. Denique quid hoc aliud est, priùs filius meus seculi delicias experiatur, quàm (ut August. rectè monet) *b* priùs filius meus vulneretur, postea sanabitur? Quis autem recensere valeat, quot puellæ & Adolescentes, dum seculum probant, in sensum pravum dati sunt, & non modò vulnera, sed mortem animæ æternam incurrerunt? Quod parentes ac propinqui minimè curant, quorum consilia ferè semper ex philautiâ seu amore proprio procedunt; ut ex te commodum, solatium, fructum hauriant, non te, nec tuum bonum spectant, sed se. Quare quid tantus doctor de ejusmodi consiliis sentiat, videamus: *c Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Domino vomitum provocare.*

Tum multis probat, non opus hic longa deliberatione, nec propinquorum consilium divino præponendum: *cave tibi*, ait, secularis homo. Respondet Bernardus: *d ut quid enim? cum à Deo verbum esse non dubites, quid opus est deliberatione? vocat magni consilii Angelus, quid aliena consilia præstolaris? quis enim fidelior, quis sapientior illo? deduc me domine, & deducor: fortior esto, & invalesce.* Ac tandem concludit: *amicos consulat, qui non legit: inimici hominis domestici ejus. Quid frequentat Euangelium, qui Euangelio non obedit? at in eo legimus, promittenti cuidam sequi Dominum, sed defunctum*

a Bern, ser. Ecce nos reliquimus omnia.

b Aug. in Confess. *c* Bern. serm. Ecce nos reliquimus omnia. *d* Bern. cit.

ctum prius patrem sepeliri volenti, responsum ab eo, ut sineret mortuos sepelire mortuos suos. Cujus sententia pluris æstimanda, quò ille sanctitate, doctrina, miraculis fuit illustrior, & in magisterio spiritus exercitatior.

Eandem doctrinam præclarè confirmat Clemens Alex. *a* Dicuntur barbari cadaveribus alligare captivos, donec cum ipsis putrescant. Cave ne idem tibi contingat, ne te barbarus dæmon mortuis alliget amicis vel consanguineis, donec cum ipsis putrescas. Quid igitur consilii, quid remedii? Romanum illum Philosophum audi: *b vivere omnes beatè volunt; sed ad pervidendum quid sit, quod beatam vitam efficiat, caligant. Decernatur itaque & quò tendendum & quà: non sine perito aliquo, cui explorata sint ea, in qua procedimus.*

Cum viro profectionis perito, cum magistro virtutum tracta. Hunc viæ ducem assume.

Et ne ab ethnico in religionis negotio, consilium accepisse videamur, magnum illum Antiochiæ Ecclesiæ Præsulem audiamus, qui cum populo religiosæ vitæ pulchritudinem, ac præsertim jucunditatem mirificè deprædicasset, ait ad extremum: *c fortè multi num incaluistis, & tam pulchræ conversationis desiderium concepistis. Verùm quid prodest, si dum hìc estis, hunc ignem habetis; egressi verò flammam exstinguitis, & ardor ille evanescit? Quid igitur remedii? Dum tibi fervens est hic amor, abi statim ad illos ipsos Angelos* (viros religiosos designat) *eumque magis accende, ne dicas, alloquar priùs propinquos, resque meas expediam. Permitte mortuos sepelire mortuos.* Et quod Hieronymus Paulino presbytero suadet *d* religionem meditanti, idem & tibi dictum puta: *festina, quæso te, & hærenti in salo naviculæ funem magis præscinde, quàm solve.* Exempla eorum, qui inconsultis parentibus & propinquis, in portum Religionis confugere, hoc tamen intelligendum, *e* si parentes futuri sint contrarii, & difficiles; aliàs optandum, ut bonâ parentum gratiâ, & benedictione omnia fiant. Unde si putentur non refragaturi, honor illis debitus postulat, ut conceptum propositum illis aperiatur.

a Clem. Alexand. in propempt. ad Græcos. *b* Senec. l. de vitâ beata c. 1.
c Chrys. ad pop. ser. 57.

d Hieron. ep. 103.
e V. apud Less. q. 4. n. 49.

§. III.

Inspiratio, quâ quis se sentit vocari ad statum Religiosum, certissimè est à Deo.

Hoc multos anxios habet: utinam scirem hanc inspirationem esse à Deo.

Beatus Laurentius Justinianus, *f* & apud Cassianum Abbas Moyses, cogitationum nostrarum, & internæ suggestionis tria principia seu origines ponunt: *Naturam nostram, Diabolum & Deum.* Desiderium autem intrandi Religionem non potest nasci à naturâ, quia hæc abhorret à vinculis, quibus Religiosus Deo obstringitur, & à jugo monastico, quod in perpetuâ abne-

f Laur. Iust. de hum. cap. 6. Cassian. col. 1. cap. 19.

S 5 ga-

gatione & mortificatione sui consistit: nam ut verissimè Climacus: *a* *Monachus est perpetua naturæ violentia.* ergo

Secundò non à Dæmone hic pius motus oriri potest; quia hic non impellit ad virtutem & perfectionis studium: non enim est ipse sibi contrarius, nec intendit regnum suum destruere. Tum quia videt, quanta cautela à peccandi illecebris semoti & divinis adminiculis adjuti conserventur. Ergo necessariò illud bonum desiderium est à Deo. Dices: Dæmon excitat hominem ad Religionem, ut postea inde abstrahat, aut in desperationem præcipitet. Respondet Lessius: *b* simili modo dici posse Dæmonem excitare Ethnicos & Judæos ad fidem Catholicam, ut postea reddat apostatas. Atque ita affectus fidei in omnibus passim esset suspectus, an à Deo, an à Diabolo. Quod est contra judicium Ecclesiæ. Item quando quis vovet castitatem, aut suscipit ordines sacros, aut bona distribuit in pauperes, aut aliud magnum opus virtutis molitur, dubitandum erit, utrum his affectus ab albo aut atro spiritu sit. Quæ omnia ut patet, absurda sunt: Non enim Diabolus adeò rudis ac fatuus, ut prædam quam unguibus tenet, dimittat, & in locum adeò munitum abire sinat, ac ultro impellat; eâ spe, ut aliquando cum fœnore illam recipiat. Quare si quis respicit retrò, sibi imputet, ac licentiori vitæ in Religione traductæ. Hinc Sanctus Thomas; *c* *Nec obstat quod aliqui non perseverent, id enim non est signum vocatos non fuisse à Deo: quia non omne quod à Deo, est incorruptibile; alioqui creaturæ corruptibiles non essent. Qui est error Manichæorum. Et illi qui semel à Deo accepissent gratiam, non possent amplius peccare, nec gratiam amittere, quod est hæreticum.*

Tertiò ergo probatur affectum ad statum Religiosum amplectendum, esse à Deo, quæ gravissimorum Doctorum sententia est: Lessius in primis sic docet: *d* Si sola ratio (quod supponimus) quæ impellit animum ad Religionem, est bonum spirituale: nempe ut periculis seculi te eximas, ut Christi vitam imiteris, ut te totum Deo consecres, eique servias perfectiùs, ut saluti tuæ & proximorum consulas, &c. Non est dubitandum quin talis vocatio sit à Deo. Usque eo, ut subdat: tam certum est hunc impulsum ad Religionem esse à Spiritu Sancto, quàm certum est impulsum ad fidem Christi, ad pœnitentiam, aliáque bona opera, imò quàm certum est, actum fidei, quo credimus divina mysteria, esse à Deo. Quia inquit, fide tenendum est, omne bonum velle, & omnem salutaris boni affectum esse à Dei gratiâ, non à spiritu humano; & contrarium est hæresis Pelagii, ut fusè docet Augustinus. Hæc ille. Eandem veritatem optimè tradit Sanctus Thomas 2. 2. quæst. ultimâ, articulo ultimo ad primum. *Illi qui ad Religionem accedit, non potest esse dubium, an propositum, de ingressu Religionis in ejus corde exortum,* sit

a Clim. gradu 1. *b* Leff. de statu vitæ delig. q. 5. n. 59. *c* S. Thom. opusc. 37. contra retrahentes à Relig. cap. 10.

d Less. cit. n. 56.

sit à spiritu Dei, cujus est ducere hominem in terram rectam.

Quam doctrinam efficacissimè confirmat, dicens ac docens: etjamsi Diabolus ad Religionem incitaret, tutò illam, & ut medium salutis, amplecti posses: *Detur*, inquit, *a quod Diabolus aliquem incitet ad Religionem intrandum; hoc opus bonum est; & bonis Angelis congruum. Unde non est periculum, si quis ei in hoc consentiat.* Ex quo alius nodus exsolvitur, fieri quandoque, ut affectus ac propensio in statum Religiosum non oriatur ex motivo pio, sed ex aliquo humano, aut etiam sensuali v. g. bonorum jacturâ, infamiâ, aliove infortunio, vel etiam bonum aliquod Religionis temporale invitet & impellat: non primariò, sed *per modum occasionis*, seu *causæ motricis*. Quæ non obsunt, quo minùs hæc vocatio sit à Deo, si illis quasi motivum primarium, finis honestus & pius superveniat. Hic itaque Doctorum sensus & consensus est: *b* „ Quando quis „ proponit ingredi Religionem, „ animo renuntiandi seculo, & „ servandi ea, quæ Religio præ„ scribit, nullo modo dubitan„ dum est, quin talis vocatio sit „ à Deo; *undecumque originem* „ *traxerit.* Confirmat verbis D. Thomæ; *c Sciendum si cui à Diabolo suggeratur, vel etiam ab homine Religionis introitus, per quem aliquis accedit ad Christum sequendum, talis suggestio efficaciam non habet, nisi interiùs attrahatur à Deo. Et ita Religionis propositum, à quocumque suggeratur, à Deo est.*

a S. Thom. opusc. 17. c. 10. contra retrahentes à Relig. *b* Less. cit. n. 69. *c* S. Thom. cit.

Sicuti si hæreticus vel ipse " Diabolus Euangelium prædi- " cet, ad virtutem inflammet, ad " pœnitentiam moveat, & ali- " quis convertatur, illa interior " conversio animi, est ex impul- " su divino, non autem à Diabo- " lo. Quare nemo temerariè jactet: sentio me ad Religionem, ad perfectiorem vitæ statum impelli; sed nescio an hæc vocatio à Deo sit. Nemo hîc revelationem angelicam, aut signum è cœlo sibi deposcat aut præstoletur: si liberum tibi esset inter duas escas eligere eam, quæ longè sapidior ac salubrior; inter duas vestes eam quæ pulchrior & pretiosior, citra ullam Dei revelationem, optimam eligeres: cur ergo exspectas revelationem, aut signum certum, ut statum meliorem eligas? Consilio hic tibi erit, qui simpliciter, sed confidenter progredi suadebit Frater Ægidius: *d* hic cuidam petenti consilium, num monasterium ingredi deberet, sic respondit: Si quis amicus viro mendico in aurem diceret, in agro reconditum thesaurum, putasne illum è cœlo revelationem præstolaturum, aut ab altero quæsiturum, an eum thesaurum effodere deberet? Quantò ergo magis properare debent homines, ut recipiant æternæ vitæ thesaurum, quem amantissimus ipse Redemptor noster, æterna sapientia in Religione reconditum, non semel in aure cordis insinuavit? Ubi argumento esse potest, quòd nemo revelationem, aut signum è cœlo exspe-

d Surius in vita Wading. annal. min. an. 1262. n. 3.

ctet, ut uxorem ducat, ut filiam suam alteri desponset, ut se mercaturæ, Jurisprudentiæ, aliisque negotiis secularibus applicet. *a* Quod solerter sanctissimus Patriarcha noster Ignatius annotavit: *si à Deo*, inquit, *expetenda sint signa, multò plura & clariora expetenda essent ad retinendum statum secularem, quàm ad amplectendum Religiosum: quoniam ad concilia Christus Dominus apertè hortatus est, & quidem talem juvenem, qui servaverat omnia mandata Dei à juventute sua* (quales nunc valdè pauci) *dicens ei, si vis perfectus esse, vade & vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni sequere me. Contra verò in statu seculari, difficilem ostendit salvationem, statim in eodem loco id asserens: facilius est camelum &c.* Quod strictim S. Thomas exponit:

b *Mundus non mundus, qui mundos polluit: ergo*
Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

a Platus lib. 3. de statu Relig. c. 36.
b S. Thom. in epist. Iacob. c. 1. V. 27.

§. IV.

Vocatio ad Religionem, manifestum divinæ prædestinationis signum.

Hieronymus Platus, *c* probat Religiosum statum tam certam spem, tamque expressum signum continere divinæ prædestinationis, ut citra revelationem, nullum expressius & certius haberi possit. Religiosi enim sunt de quibus Christus Joan. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt.* Hi sunt, qui per angustam portam & arctam viam, quæ ducit ad vitam, gradiuntur, quam viam S. Gregorius religiosam vitam apertè testatur, ubi de Religiosis agens, dicit: *d quid angustius est humanæ menti, quàm proprias voluntates frangere? de qua fractione veritas dicit: intrate per angustam portam. Quid autem latius, quàm nullis propriis voluntatibus reluctari?*

c Platus de bono status Relig. l. 1. c. 32.

Quid? quòd veritas æterna hanc certam spem salutis æternæ consequendæ, Religiosis injecerit, dum Apostolis suis (qui erant viri Religiosi, uti docent SS. Patres) *e* & omnibus aliis vitam æternam promisit: *omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Si ergo nunc veniret Angelus ad te è cœlo, tibique clarè diceret: fias Religiosus, ut bene in Religione vivas usque ad mortem & ego tibi Dei nomine promitto remissionem omnium peccatorum, quæ commisisti, & vitam æternam; dubitaresne Religionem ingredi? At longè certior, & infallibilior est promissio primæ veritatis, quam sacræ literæ, spiritu sancto inspirante, (quibus non potest subesse falsum,) adstruunt: nec est ullus dubitandi locus, sicut in apparitionibus, quibus quandoque se illusiones immiscent. Verùm ut aureo ore loquamur: *f Im-*

d S. Greg. l. 22. mor. c. 17. *e* Chrysost. hom. 17. in Matt. & l. 4. cont. vitup. vitæ Monast. Basil. const. Monast. c. 9. & 23. & epist 79. Aug. de civit. l. 17. c. 4. & epist. 89. ad. Hil. Bern. Apol. ad Guil. Abb. S. Th. 2. 2. q. 88. ar. 4.
f Chrysost. lib. de provid.

possi-

possibile mentiri Deum: promisit autem ille vitam aeternam ista relinquentibus, reliquisti tu omnia ista, & abjecisti? Quid igitur prohibet de hujusmodi confidere promissione, & esse securum? Unde in morte & in Judicio, Christi syngrapham exhibere poteris, & cum Rege illo Scotiae liberè profiteri: *Domine Iesu ego feci, quod jussisti, da quod promisisti.*

Huic suffragatur Doctor mellifluus, dum sic suos conhortatur: *a Felix paupertas voluntaria, omnia relinquentium, & sequentium te Domine Iesu! felix planè quae tam securos, imò tam gloriosos faciat, in illo singulari fragore elementorum, & in illo tremendo examine meritorum, in illo tanto discrimine judiciorum.* En ubi omnes contremiscunt, suos securos & gloriosos fore asserit. Quò illud Seraphici D. Bonaventurae conferendum est: *b Moriens vix unquam aliquis è cella in infernum descendit: quia vix umquam nisi coelo praedestinatus, in ea usque ad mortem persistit.* Sed quid dico vix umquam, quasi quid dubitationis supersit? certissimam praedestinationis tesseram primus Patriarcha Venetus hanc asserit: *c illius coelestis civitatis iste est introitus* (scilicet per Religiosum statum) *iste nempe est locus, de quo* ait S. Iacob. *verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta coeli: qui hic viriliter & perseverantur certaverit, coronabitur illic gloriosè. Ambo Castra Dei* (scilicet Religio, & coelum) ambo sanctorum *Civitates: qui in hac laudabiliter conversatus fuerit, ab illa excludi non poterit.* Et paulò infrà: *securè speret post hanc peregrinationem, ad illam supernam intrare Ierusalem, quicumque in justorum congregationem fuerit vocatus, magnum quippè electionis* (hoc est praedestinationis ad Gloriam) *indicium est, hujus fraternitatis habere consortium; facileque ab illa excluditur, qui ab hac fuerit segregatus: ideò cum omni circumspectione, & animi maturitate se studeat promovere, quisquis in hac sancta collegia* (verba S. Antistiti) *Deo dicata, vocatus est: ne diaboli fallaciâ, aut sua negligentia, seu ignorantia amoveatur ab illis.*

Quae non, ex hac certissimâ divinae praedestinationis fiduciâ, Religioso exultatio? inter omnes asperitates solatium? venerant aliquando Apostoli ad Dominum exultantes, quod eis daemones subjicerentur, quibus Christus, Luc. 10. *nolite in hoc gaudere, gaudete quia nomina vestra scripta sunt in coelis.* Gaudeant alii, vel auro, vel populari aurâ, vel brevi peritura voluptate, nos gaudemus, quia ad nuptias agni vocati sumus, quia torrente voluptatis potandi. Testis hic mihi Franciscus ille Assisias, qui cùm aliquando in ecstasi, de sua praedestinatione certior factus esset, ut sibi redditus est, exclamavit statim: *d laudetur Dominus, ipsi honor & gloria in secula.* Quin etiam morti proximos octo dies sic transegit, ut nec ulla de re loqui, nec horas quidem canonicas recitare posset: sed hoc solùm in ore haberet, idque semper ingeminaret: *Laudetur Dominus.* Hoc jejunus, hoc in cilicio, hoc in dura, hoc in frigore

a Bern. in Ps. 90. ser. 8.
b Bonav. l. 4. Pharet. cap. 17.
c B. Lau. Iustin. de discipl. & perfect. Monast. conver. cap. 7.
d Bonav. in vita.

frigore, hoc in rigidissima corporis asperitate, liquidissimâ dulcedine animi perfusus, decantabat: tantâ intus lætitiâ ac exultatione gestiebat. Igitur si Francisco, ac omnibus quibus ejusmodi facta sit à Deo promissio, tantam attulit solidi gaudii materiam, quanti Religiosus quisque æstimare debet hanc ejusdem Dei vocem, quâ eadem planè beatitudo spondetur? Hoc enim tantum interesse videtur (ut Platus ait) quòd illa promissio facta sit homini, hæc autem facta est statui. Imò & singulis in eo: *qui reliquerit* &c. *& si vis perfectus esse* &c.

Proinde rectè S. Anselmus: *a festina ad tantum bonum, quia nullo bono efficacius pervenies ad summum bonum.* Festina te eripere de medio Babylonis, *b* è mundi hujus fluctibus, in portum tranquillissimum salutis. à quo tantum non aberrarat Adolescens ille, qui anno 1606. lethali morbo dejectus, Deo se devovit, & Religioso statui. Convalescit, & omnis pietatis sensus evanuit, ut tritum illud edocet:

Dæmon languebat, monachus tunc esse volebat.
Postquam convaluit, mansit ut ante fuit.

Oblitus hic itaque voti, & sui, & Dei: paulatim in præceps à sociis, ad gulam & luxum pellectus, hoc solum servavit, ut cœtum Marianum non omninò desereret. Quo factum, ut die menstruo, in suffragio illi hæc Bernardi sententia obtingeret: *c quid tardas ipsum, quem jam dudum conceperas spiritum parturire salutis? nil mortalibus vel morte certius, vel incertius hora mortis: quomodo vivere potes, ubi mori non audes?* Audiit hæc juvenis tacitus, sed quasi fulmine ictus, monitorem è cœlo agnovit; & eodem die, fugam è lubrico in portum paravit, victurus illic, ubi mori non trepidabat.

a S. Anselm. epist. 1. *b* Drexel. Trismeg. l. 2. c. 7. §. 3. tom. 1. pag. 404.
c Bern. epist. 105. ad Romanum.

§. V.

Reprobationis signum certissimum iis, qui vocationem distulerunt & neglexerunt.

R. P. Nicolaus Lancicius, *d* eximius vitæ asceticæ magister, duos fines statuit, ob quos homines vocentur à Deo ad statum Religiosum. Unus est ut fiant meliores & sancti. Hoc modo vocavit S. Thomam Aquinatem. B. Aloysium. B. Stanislaum, atque inter alios quàm plurimos, S. Petrum Martyrem, qui licet nullam mortalem noxam in seculo admisisset tamen in familiam S. Dominici se recepit, ut exigua peccata commissa expiaret. Quò spectat responsum S. Francisci, cuidam objicienti Religionis austeritates & pœnitentias, cùm medicinales sint, non sibi qui integrè vixerat, sed iis dumtaxat competere, qui animum gravioribus flagitiis sauciassent. Itane inquit: An carnem integram, non corruptam sale perfricandam ac condiendam ignoras, ne corrumpatur? exemplo S. Joannis Baptistæ, & illius Adolescentis, qui nullum Dei

d Lancicius opusc. spirit. in procem. c. 1. n. 3.

man-

mandatum prætergressus, Christum sequi jussus est, ut esset perfectus. Atqui si rapiuntur ab hoc seculo nequam, *a ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam.* Ut sæpè sæpius accidere videmus etiam integerrimis, qui Dei vocationem neglexerunt. Alter finis est, ne damnentur in seculo; & hoc modo ordinariè vocat eos, qui malè in seculo vixerunt, aut victuri sunt: prævidens enim Deus eos in peccato mortali morituros, evocat è media Babylone ad Religionem, ut in ea salventur. Ideò S. Gregorius *b* reprehendens Mauritium Imp. ob edictum quo milites Monachos fieri prohibuerat, & asserens hanc legem iniquam esse, causam adfert, quòd per eam multis via cœlorum occludatur: *nam plerique sunt*, inquit, *qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possint.* ejusmodi autem qui vitam dissolutam egerunt, ad Religionem vocantur, ut occasionibus se expediant, & pro peccatis satisfaciant, idque magni Gregorii judicio dicentis: *c Si quis in fornicationis culpam* (*vel fortassè* in aliud grave crimen) *lapsus est, tanto à se licita debet rescindere, quanto se meminit & illicita perpetrasse.*

Hæc causa S. Bernardum, aliosque ad monasterii septa compulisse videtur: scribens enim suo nomine, & Stephani Cistertiensis, & Hugonis Pontiniacensis ad summum Pontificem Honorium, sic epistolam auspicatur: *degentes in monasteriis, ad quæ nos nostra peccata compulerunt &c.* Quod si S. Bernardus se huc confugisse asseveret, *d* qui vitæ integritate eximius extitit, quantò magis ad hoc asylum confugiendum illis est, qui animum gravioribus flagitiis coinquinarunt? ut istic lachrymis sordes abluant, & Dei vindicem manum effugiant. Homicidas quidem videmus, ne in satellitum manus incidant, ad terram sanctam, ad Religiosorum septa confugere: tu ô homo, non unum homicidium, non unam mortem, eamque acerbissimam animæ intulisti, quoties lethale crimen admisisti, aliisque scandalo fuisti, & adhuc de quærendo Asylo dubitas! *e fugite de medio Babylonis, fugite & salvate animas vestras: convolate ad urbes refugii, ubi possitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari.* Quòd si vocantem, si invitantem, non Bernardum modò, sed ipsum Redemptorem suum audire negligunt, obedire differunt, aut contemnunt, cum reprobis computandos, ac divinam Nemesim eis intentam, sibi meritò reformident. quod præclarè exaggerat S. Joannes Climacus: *si vocante nos terreno & mortali Rege, & in suum obsequium nos militare jubente, nil moraremur, neque occasiones quæreremus; sed omnibus dimissis, illi summa alacritate pareremus: attendamus nobis ipsis, caveamusque diligenter, ne fortè Regi Regum, & Domino dominantium, & Deo Deorum nos vocante ad cælestem hunc ordinem, propter nostram desidiam & negligentiam obtemperare recusemus; & postmodum*

a Sap. 4. *b* S. Greg. l. 2. epist. 61.
c Greg. hom. 20. in Euang.

d S. Bernard. epist. 49.
e S. Bern. de conv. ad Cleric. c. 30.

ante tribunal illud horrendum inexcusabiles inveniamur.

Innumeros hic, atque omninò tragicos eventus adferre possim eorum, qui vocationem suam aut distulerunt aut neglexerunt: è quibus, ne longior sim, juverit audire unum, quem P. Lancicius in medium adducit: *a* habui, inquit Romæ, circa annum Domini 1602. nepotem Patriarchæ cujusdam, Convictorem in seminario Romano, præclaro ingenio & omnibus naturæ dotibus eximiè ornatum 18. annos natum: is cùm petiisset à me, ut eum spiritualibus exercitiis S. Ignatii excolerem, eaque fecisset piè & diligenter: ac in eorum fine, confessionem generalem totius vitæ pulcherrimè & sincerissimè coram me instituisset; antequam ei darem absolutionem, petiit à me: an esset peccatum non exequi Dei vocationem, aliquem ad statum Religiosum evocantis? sciebam quò collimaret talis interrogatio, (dictum enim mihi erat, eum à Deo ad Societatem nostram vocari) ideo nulla hujus facta mentione, cautè illi sic respondi: posse quidem sine peccato, vocationem ad statum Religiosum non mandari executioni: quia merum Dei consilium est, & non præceptum, sed multos damnari ob id, quod non executi sint talem vocationem: non quidem ob eam neglectam, sed ob peccata mortalia, in quibus tales morituros Deus præviderat, si in seculo morarentur; & ideo ne in iis morerentur, sed salvarentur, volebat Deus eos abstrahere ab occasionibus proximis talium peccatorum, & ab ipsis peccatis; ac proinde ad statum Religiosum, in quo forent ab iis præservati, vocabat. Et ita huic nobili Adolescenti contigit. Nam pau[illegible] pòst relictis in collegio Romano studiis, perrexit ad Academiam Maceratensem, Jurisprudentiæ daturus operam: ubi (uti quotidie contingere solet) rarò ad confessionem & communionem accedens; sociis impura loquentibus, & liberè viventibus sese adjungens, libros lascivos legens, & quæ inde sequi solent, peccata committens, tandem cujusdam fœminæ amore captus est: ad quam eo inscio, alter socius natu major, turpis commercii causâ venire solebat. Igitur dum quadam vice, hic Adolescens inventus esset, in domo illius fœminæ à natu majore, is mortem ei minatus est, si ampliùs ad illam rediret. contempsit ille minas, & ratus alterum non solere horis intempestivis ad illam accedere, ipse nocte intempestâ (quando nullum putabat esse in domo illius fœminæ) eò se contulit lucente luna; sed cùm esset in medio itinere prope collegium, & sub ipsis fenestris occurrit ille alter, & videns hunc ad illius fœminæ domum euntem, à se vetitam, evaginato pugione statim eum confodit. Confossus miser, & in terram dejectus, alta voce inclamavit Confessarium; sed antequam Confessarius accurreret, infelicem animam jam exhalârat. Atq; in seipso ostendit terribile illud reprobationis certæ decretum, Proverbiorum 1. *Vocavi & renuistis; despexistis consilium meum, & incre-*

a Lancic. opusc. spir. proœm. c. 1. n. 5.

increpationes meas neglexistis ; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, evenerit : cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. Tunc invocabunt me, & non exaudiam ; eò quòd exosam habuerint disciplinam (status melioris) *& timorem Domini non susceperint* (malè vivendo in statu seculari) *nec acquieverint consilio meo* (statum meliorem & securiorem suadenti) unde rectè infert Lessius de statu vitæ deligendo q. 8. n. 94. dicens, qui „ nondum voto se obstrinxit, is „ liber est, nec tenetur sub pec„ cato Religionem ingredi, & „ Christi consilium sequi. Re„ spondet: si conscientia dictet „ tibi (quod sæpe accidit) te de„ sertum iri à Deo, nisi divinę vo„ cationi obtemperes; te peritu„ rum, si manseris in seculo &c. „ tunc peccatum est, non sequi „ divinam vocationem. Hæc res „ movit ac monuit Claudium „ Aquavivam, ducem Atrii, ut „ Societatem Jesu ingrederetur: „ *a* cùm ei in mentem venisset, „ illud Domini dictum: *oves meæ* „ *vocem meam audiunt*, simul in„ vasit eum timor, ne si cœlesti „ illi consilio non obediret, non „ esset ex ovibus Christi: quam ob causam eadem horâ ac pe„ nè momento ad nostros venit. „ seque eis toto animo addixit. „ Est quoque hac in re magni ponderis, S. Thomæ summi Theologi sententia, qui opusc. 17. c. 9. & 10. & in summa 2. 2. quæst. ult. art. ult. *An laudabilis sit hujus consilii diuturna deliberatio?* ubi multis argumentis, gravissimisque rationibus confirmat, obediendum esse Deo quàm citissimè: sic Petrum, Andream, Jacobum, Joannem, Matthæum continuò relictis omnibus secutos fuisse: Quare moveat & te illa D. Anselmi historica Relatio: *b plures vidi promittentes & differentes, quos ita mors tulit, ut neç id perficerent, quo se impediebant; nec id inciperent, quod promittebant.* ne & tu hos inter censearis cave. *Lubrica spes*, inquit Cyprianus, *quæ inter fomenta peccati, salvare se posse sperat; incerta victoria, inter hostilia arma pugnare; & impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere.* In eundem sensum Bernardus, *c periclitatur castitas in deliciis; humilitas in divitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in seculo nequam. fugite de medio Babylonis & salvate animas vestras.*

a Platus de statu Relig. l. 3. c. 38.

b Ansel. ep. 1. *c* Bern. de conv. ad Cleric. cap. 30.

EMBLEMA XXVI.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16.



POENAM PRO MVNERE POSCIT. a

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Cùm prima veritas adpromiſerit, petenti nil denegandum, quî fit, multa peti nec impetrari? rationem Apoſtolus hanc aſſignat.

§. I. *Petitis & non accipitis, quia malè petitis.* b Sunt qui non malè dumtaxat, ſed & mala poſtulant, quibus rectè dicitur:

§. II. *Neſcitis quid petatis.* c

§. III. *Quid ſalubriter petendum.*

a Ovid. l. 2. Metam. b Iacobi 4. c Matth. 20.

DOMI-

DOMINICA QUINTA POST PASCHA.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16.

QUEMADMODUM politicas inter leges, plures Antinomias, seu sibi repugnantes, seque mutuò subvertentes reperire est: quibus conciliandis, ac componendis præcipua Jurisperitorum ingenia desudant; ita & in sacris paginis, quædam primâ fronte, quasi contradictoria, seu Antilogiæ adferri posse videntur, quæ summos Ecclesiæ Patres, ac subtilissimos Doctores exagitarunt. Ex his syllabum benè prolixum Tirinus *a* noster contexuit, nobis suffecerit pauca è curiosâ Garassi doctrinâ delibasse. *b*

Ac primum quidem Gen. 2. cùm enarrasset Moyses, quid quoque die summus ille molitor Deus ex nihilo produxisset, subdit: *complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat*; quibus verbis opponit Eccl. cap. 18. *qui vivit in æternum, creavit omnia simul.*

2. Disertè se jactat Jacob. Gen. 32. *vidi Dominum facie ad faciem*; Exodi verò 33. ipsa increata veritas contestatur: *non videbit me homo, & vivet.*

3. Gravissimè interminando Deus Exodi 20. *ego sum Dominus Deus*, inquit, *fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* cui repugnat illud Ezech. cap. 1. *filius non portabit iniquitatem patris.*

4. Mandat Dominus Exodi 20. *honora patrem & matrem tuam, ut sis longævus super terram*: cui contradicere videtur Lucas 14. *qui non odit patrem suum, & matrem, non est me dignus.*

5. Desumitur ex Psalmo 1. *non resurgent impii in judicio*, cùm Paulus 1. ad Cor. 15. dicat: *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus.*

6. Ait Psaltes Deum semel dumtaxat locutum fuisse, Psalm. 61. *semel locutus est Deus*: Paulus autem docet, quod sæpius, ad Heb. 1. *multifariam multisque modis Deus olim loquens patribus.*

7. Docet Psaltes, quod *omnis homo mendax*. contra astruit Joannes Apoc. 14. se vidisse, qui numquam mentiti sint, *& in ore eorum, non est inventum mendacium.*

8. Joannes cap. 20. dicit Magdalenam venisse ad sepulchrum, *cùm adhuc tenebræ essent.* Marcus 16. contrarium allegat, illam cum aliis mulieribus venisse *valdè manè, orto jam sole.*

9. Ipse Doctor gentium, vas illud sapientiæ sibi quasi contradicit, ad Galat. 11. ubi docet: *alter alterius onera portate*; cum eodem capite v. 5. dixerit: *unusquisque onus suum portabit.*

10. Lucas & Joannes pugnantia adferunt Luc. 10. *beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.* Ioan. 20. *beati, qui non viderunt.* Denique ne longiùs evagemur, antilogiam, quam heterodoxi nostri maximè

a Tirin. tom. 3. in fine. *b* Garass. Doct. cur. l. 5. sect. 19. 20. 21. 22.

maximè exsibilant & explodunt, hæc est: *a petite & accipietis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis: b omnis enim, qui petit, accipit, & qui quærit, invenit, & pulsanti aperietur:* cui non modò manifestæ Scripturæ repugnant Matth. 20. ubi mater Zebedæi petens aliquid, repulsam patitur. Ioan. 14. Iudæi quærunt Iesum, & non inveniunt. Matth. 25. virgines fatuæ pulsant, & audiunt: *nescio vos, clausa est janua.* sed & quotidiana experientia contrarium evincit; unde blasphemo ore Lutherus: *c necesse est Christum hîc esse summè mendacem*, asseverare ausus est. quod impudens os ut obstruamus, observandum est illud Hieronymi: scrutanti Scripturas inhærendum esse *d non pampinis verborum, sed in uvis sensuum.* Tum animadvertendum est, quodquod verbum plures sensus ac mysteria tegere, ut Propheta Regius testatur: *e semel locutus est Dominus, duo hæc audivi.* Ita prædictas Scripturas SS. Patres solerter componunt, ut apud Garassum videre est. hæc autem, *petite, & accipietis, seu, si quid petieritis patrem, &c.* sic exponit Augustinus: *f hoc quod ait, si quid, non quidlibet intelligitur, sed aliquid, quod in beata vita comparatione non sit nihil;* quale est omne bonum fluxum, & caducum, uti dictum part. 1. Dom. 4. post Pentec. *sed quæritur de hoc*, inquit Doctor Angelicus, *g quod dicit Iacobus cap. 4. petitis & non accipitis. contrà verò Matthæus cap. 7. ait: petite & accipietis. Responsio:* verum est hoc, *si assunt conditiones, quæ faciunt orationem efficacem, scilicet per se pie, & perseveranter, & ad salutem.*

Paucis Apostolus causam subjungit, cur Deus sæpe postulata non concedat: *petitis & non accipitis, quia malè* (& mala) *petitis*, quæ negare majus beneficium Dei est, quàm donare, ut jam fusiùs ostendemus.

§. I.

Exponitur illud Iacobi: petitis, & non accipitis, quia malè petitis. Jacobi 4.

PRetiosum illud, & ut Hieronymus loquitur, *h legis & Scripturarum armarium Paulus*, quàm rari boni oratores existerent, olim Romanos edocuit: *i quid oremus, sicut oportet, nescimus.* In quæ verba S. Thomas, qui Paulum meruit habere Doctorem, ab eoque illustre hoc retulit testimonium, tantùm subtilem Pauli doctrinam, penetrasse, quantùm *quidem assequi potest quisquam in mortali corpore*, sic ait: *Considerandum est, quòd duo dicit nos Apostolus nescire; scilicet quid petamus, & modum quo petere oporteat. ita, inquit, aliquis desiderat bonum temporale, quod tamen sibi vertitur in periculum mortis;* quoad modum verò docet: *speciali motu cordis nostri, discernere non possumus, utrum petamus aliquid ex ira, & vel ex zelo justitiæ.*

Primum illustrat Maximus Tyrius è veteri apologo, *k* narrans Regem Phrygiæ Midam auri

a Matth. 7. *b* Luc. 1.
c Lut. in Psal. 23. *d* Garass. cit.
e Psal. 67. *f* Aug. tract. in Ioan. 102.
g S. Thom. in epist. Iacobi c. 4.

h Hieron. ep. ad Paulin. *i* Ad Rom. 8. Cornel. in proœm. ad ep. Pauli. c. 5. *k* Tyrius dissert. 30. an orandus Deus.

cupi-

cupidissimum, aliquamdiu fontem è vino fluere jussisse. ad hunc sitibundus venit Satyrus, qui promulside tam suavi liberalius sitim suam propitians, jam vino gravis, facillimè se capi passus est. Rex huic captivo suo blandiens, petiit ab eo, quod sibi charissimum acceptu, & Deo non difficile factu foret. Petiit ergo, ut quidquid in omni regno suo nasceretur è terrâ, probatissimum aurum esset, & ut Poëta canit:

a ——— effice quidquid
Corpore contigero, fulvum vertatur in aurum.

Non difficulter votis annuit temulentus Deus. cumque jam omnis terræ partus, omne pomorum, olerum, frumentorum genus, verè aureum seculum reddidisset, ingens oborta fames, stultissimum votum publicè damnavit

b Aurea messis erat. demptum tenet arbore pomum,
Hesperidas donasse putes. si postibus altis
Admovit digitos, postes radiare videntur.

Midas suam, suorumque infelicissimam felicitatem deplorans, fatuæ petitionis seipsum damnavit.

Attonitus novitate mali, divesque miserque
Effugere optat opes, & quæ modò voverat odit.

Iamque non unum, sed Deos Deasque omnes impensissimè oravit, restituerent Regno suo fructuosam paupertatem, hostibus darent tam infelicem opulentiam. Dii senatu coacto deliberarunt, quid ad Midæ libellum supplicem respondendum. Consensu demum decretum est: habeat ut nactus, & sciat Deos non in omnem horam mutabiles esse, votis suis fruatur. Hîc Tyrius: placet Apologus, inquit, & latens sub eo veritas. Quanti suum sibi exitium accersunt grandibus votis? *c* Eruditè Romanus Philosophus, qui, à puero senex, cum canis, natus, *Seneca* nuncupatus est. *d Sunt quædam*, inquit, *nocitura impetrantibus, quæ non dare, sed negare beneficium est. sæpe enim noxia concupiscimus, nec despicere quàm perniciosa sint, licet: quia judicium interpellat affectus; sed cùm subsedit cupiditas, cùm impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit; detestamur perniciosos malorum munerum auctores.* Quod præclaris similitudinibus illustrat; *ut frigidam ægris negamus: & lugentibus ac sibi iratis ferrum; sic ea, quæ nocitura sunt, impensè ac submissè, nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus, perseverabimus non dare. sunt, qui dicant: scio hoc illi non profuturum, sed quid faciam? rogat, resistere precibus ejus non possum. ipse viderit, de se, non de me queretur.* cum multis Deus sic agit. Israëlis populus in solitudine importunis precibus carnes postulavit: valde displicuit Deo hæc postulatio; sed tamen annuit iratus magis, quàm propitius. Idem populus, ævo Iudicum Hebræorum, Regem petiit: Æquè id Deo displicuit; sed tamen concessit, non ut beneficium, sed ut supplicium. sciebat, hoc illis non profuturum. Opes, fortunas, ampliores Eulogio, *e* homini

a Ovid. 11. Metam. *b* Ovid. cit.

c Lips. in vita Senecæ.
d Seneca l. 2. de benefic. c. 14.
e Caussin. aula Sancta ex Baron an. Christ. 528. sub Iustin. Imp.

sancte

ſancto Daniel Anachoreta ardenter à Deo poſtulabat, impetrávit, ſed propè in ſuum & alterius exitium. Eulogius ad priorem egeſtatem reſipuit, & Daniel ſaniora Deum impoſterum poſtulare didicit. Nec hujus tamen periculo edocti mortales, nihil aliud quàm divitias, honores, fluxa & caduca poſtulant, pro his Deum invocant. *a Plerumque negotiator venit ad orationem; & avarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate; & putas*, inquit Ambroſius, *quod eum Deus poteſt audire?* hic orat, ut merces ſecurè in portum appellant. alter ut dives ad ſe hæreditas perveniat. alius ut tandem pace firmata, mercatura vigeat. *b qui omnes Deum invocant, ſed non in veritate; quia aliud ab ipſo quærunt, non ipſum quærunt.*

Cujus hæc eſt potiſſima ratio, quia non ipſum amant, ſed alia prorſus ab ipſo: quod ſcitè idem Hipponenſis Præſul notavit: *c quid eſt, quod dicit multis locis Scriptura? quia invocabunt, & non exaudiam eos. certè miſericors omnibus invocantibus ſe; niſi quia quidam invocantes, non ipſum invocant: de quibus dicitur, Deum non invocaverunt. invocant, ſed non Deum. invocas, quidquid amas. invocas, quidquid in te vocas. invocas, quidquid vis, ut veniat ad te. porrò ſi Deum idcircò invocas, ut veniat ad te pecunia, ut veniat ad te hæreditas, ut veniat ad te ſecularis dignitas. illa invocas, quæ vis, ut veniant ad te.* Deum autem ſummum & unicum bonum, ut veniat ad te, non invocas; Regnum Dei, quod primò petendum erat, ut veniat ad te, non invocas, gratiam cœleſtem, ex qua omnia emanant, ut veniat ad te, non invocas. & dum nihil in veritate invocas, nihil venit ad te. atque ita pauper, & miſer, & miſerabilis es. quare ſalubriter nos commonet Magnus Gregorius: *d penſate, quæſo, petitiones veſtras; videte ſi in nomine Ieſu petitis, id eſt, ſi gaudia ſalutis æternæ poſtulatis: in domo enim Ieſu, Ieſum non quæritis, ſi in æternitatis templo, importuni pro temporalibus oratis. Ecce alius in oratione petit villam, alius poſtulat veſtem, alius quærit uxorem*, eamque divitem, ac nobilem, multis conſultius fuiſſet ignobilem, deformem, inopem, eamque honeſtam duxiſſe virginem. his addo uxorum vota pro liberis, Rachelis & Rebeccæ, quæ etſi veniâ dignæ, non tamen ſine aliquo culpæ nævo. *e* Rachel Iacobo data conjux, malignâ videbatur ſterilitate damnata, hinc lachrymæ & crebri ejulatus, hinc immodicæ querelæ; & has inter, illæ ad maritum voces: *f da mihi liberos, alioquin moriar.* Quibus congruæ aliæ ad ſuperos mittebantur, qui tandem annuere viſi: dedit enim Deus ei prolem, & quidem geminam, atque unà etiam mortem, à partu ſcilicet Benjamini, qui ideo audiit *Benoni*, id eſt filius doloris. quales filios doloris, plures matres numerant, quæ importunæ Deum prolem expoſtularent. Neque multò melior Rebeccæ ſors fuit. erat

a S. Amb. l. 6. de Sacram. c. 5.
b S. Aug. in Pſal. 144.
c Aug. in Pſal, 85.

d Greg. hom. 27. in Euang. Ioan. 14. ſi quid petieritis. *e* Lobb. Dom. 5. poſt Paſcha. *f* Gen. 30.

illa

illa prolis amantior, & eò quidem amplius, quò vota distulêre superi; *a deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore suâ, eò quòd esset sterilis, qui exaudivit eum:* & dedit Rebeccæ prolem geminam, non sine ingenti dolore, angustiisque bonæ matris; quæ ubi sensit etiam in utero luctari geminos, quasi evicta, fractaque eo doloris sensu, exclamavit: *si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?*

Quod Rachel, quod Rebecca, id ipsum quâ vivimus ætate, stultæ matres & patres, imò & stulti mortales flagitant, quorum pars invito cœlo ac repugnante naturâ, prolem petit, divitias altera, honores alia, futilesque dignitatum titulos insanis ambiunt votis; de prole spiritali, hoc est, de cœlestis gratiæ fructu, de bonis æternis parum soliciti. Vnde his omnibus meritò dicit Christus: *usque modo non petistis quidquam,* nempè ait Gregorius: *b quod ad veram salutem pertinet.*

Felicem fortè, quis Metellum dixerit, de quo Plinius lib. 7. commemorat: eum decem res maximas exoptasse, ac superos rogasse; utpotè voluisse primarium bellatorem esse. 2. optimum oratorem. 3. fortissimum Imperatorem. 4. auspicio suo maximas res geri. 5. maximo honore frui. 6. summâ sapientiâ pollere. 7. summum senatorem haberi. 8. pecuniam magnam bono modo invenire. 9. multos liberos relinquere. 10. clarissimum in civitate esse. quæ omnia, inquit, illi contigerunt; verùm hæc omnia cum in *c beata vitæ comparatione* (ut Augustinus loquitur) *nihil sint,* non injuriâ usurpare poterat illud potentissimi Principis Amani: *d cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* Accedit hæc Metello concessa fuisse, uti & quibusdam ethnicis, qui prosperâ per omnem vitam fortunâ usi sunt, & ex voto suo vixerunt; quia de iis, æternâ Dei providentiâ conclamatum esse videbat: *atque idcircò tradidit illos Deus, in desideria cordis eorum.* Æger frigidam petit, crudos fructus, haleces, bubulam, suillam appetit: deposito omnia medicus indulget: aptè Gregorius: *e dantur reprobis bona quæ in hac vita appetunt, quia & desperatis ægris omne quod desiderant non negatur;* at vero si spes vitæ superest, quantâ cautelâ solicita mater hæc unico filio subducit, quàm pertinaciter negat? ita, inquit Augustinus, æger petit multa à medico, non dat medicus, non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem. clamet æger, obsecret, opportunè, importunè, noxia non dantur: *f non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad sanitatem.* Paulus calidâ febri æstuabat, liberari petebat, sed minimè exauditus est: petit diabolus Job tentandum & impetrat. disertissimus hic idem Antistes: *g Apostolus rogavit, & non accepit; petiit Iob tentandum diabolus, & accepit. Attendite fratres mei, magnum mysterium discendum, repetendum, tenendum animo, neque obliviscendum propter abundantiam tentationum in*

a Gen. 25.
b Greg. hom. 27. in Euang.

c Aug. tract. in Ioan. 102.
d Esther c. 5. *e* S.Greg. l. 21. moral. c. 4. *f* Aug. in Psal. 85.
g Aug. in Psal. 144.

hac

hoc seculo. quid dicam reverà, comparandus Apostolus diabolo? Apostolus rogat & non accipit: diabolus petit, & accipit. sed non accepit Apostolus propter perfectionem suam; accepit diabolus ad damnationem suam. Hinc concludit: *discite ergo non murmurare adversus Deum, quando non exaudimini. ipse filius unicus Patris. Pater, inquit, si fieri potest, &c.* Regius Propheta *a deprecatus est Dominum pro parvulo* (quem ex Bersabee genuerat) *& jejunavit David jejunio, & ingressus seorsum jacuit super terram.* Nec auditus est, *sed accidit die septima, ut moreretur infans.* Nosse vis, quàm ex hac animi infirmitate, David validus ac robustus assurrexerit? ubi mortuum audivit: *surrexit, & lotus unctusque est; cumque mutasset vestem; ingressus est domum Domini, & adoravit: & venit in domum suam, petivitque ut ponerent ei panem, & comedit.* Multi hodie sibi aliis longiorem vitam, corporis valetudinem à Deo postulant, nec recogitant, quod plura millia damnati gregis, cœlo fuissent recepta, si minùs diù vixissent, aut diutius ægrotassent. hinc quidam dicenti: vitam petebam filii mei, quid mali petebam? respondet idem S. Doctor ibidem: *nihil mali petebas, sicut tu sentiebas: nam quid si iste raptus est, ne malitia mutaret intellectum illius? sed peccator, inquit, erat, & ideo volebam illum vivere, ut corrigeretur. quid si Deus noverit, si viveret, pejorem futurum?* unde aptissimè istiusmodi respondetur:

a Lib. 2 Reg. c. 12.

§. II.

Nescitis, quid petatis, Matth. 20.

ILlustris progenies Phaëton, ipse Solis filius, summo mentis ardore, & verborum copiâ, orationem apud Patrem instituit, quâ usque eò parentis animum commovit, ut rem maximè arduam, nec non *periculosæ plenum opus aleæ*, vel ab invito, nec quicquam reluctanti, ac dissuadenti extorserit: Congruenter hîc Augustinus: *b Fictio* (seu fabula) *non semper est mendacium, sed quandoque figura veritatis.* quod quo maninifestius fiat, Mythologum perquam disertum & eruditum audiamus: Voluerunt, inquit "Natalis Comes, per hoc commentum antiqui innuere, juvenes præfervidos, & imperitos adolescentes, sibi temerè Reip. gubernacula deposcere, animo volventes, quàm illustre sit cæteris præeminere, & currum totius Reipub. arbitrio suo moderari. cujus habenas qua ratione, loco, aut tempore laxandas, aut adducendas cum penitus ignorent: & summos & imos; nobiles, & plebejos; Ecclesiasticos & seculares; urbem universam, aut insano hujus aurigæ furore, aut supinâ rerum omnium incuriâ gravissimè affici ac labefactari, non sine justa stolidi hujus gubernatoris calumniâ, & infausto vitæ ipsius nonnunquam exitio, necessum est.

Hujusmodi tamen postulationes, libelli supplices, quotannis dum magistratus innovandi,

b Aug. l. 2. q. Euang.

aliæ-

aliæque dignitates conferendæ sunt, submittuntur: mortales superique omnes hîc invocantur, implorantur. & quoniam, ut Hieronymus testatur: *a nihil ita percutit, ut exemplum de Scripturis; si relatu oris* (per divinum Ecclesiasten) *immissum*. ipsum sacrum Euangelistam audite: *b accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis: adorans & petens aliquid ab eo.* quid? ad altiora subsellia, super pulvinos consedere, Regni habenas moderari, proximum à summo Imperatore locum obtinere, ardenter illi exposcebant: eorumque nomine mater, quemadmodum & hac tempestate uxores, quasi sic mariti & filii ab omni ambitione longissimè remoti, præfervidè rogabat: *dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo. c* in quæ verba *divinæ voluntatis interpres Thomas Aquinas*, ut eum S.D.N. Clemens VIII. nuncupavit: *egit hæc*, inquit, *sicut cæteræ matres, quæ corpora natorum suorum amant, animas autem contemnunt, desiderant illos valere in seculo isto, & non curant, quid sunt passuri in illo; ut ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum* non ita cœlestis ille parens ac Magister, qui alias orandi formulas suos docuerat, quasi imperitos coarguens, respondit: *nescitis, quid petatis.* scitè disertissimus Velasques hîc quærit, *d* cur nescirent, quid peterent, qui easdem tandem sedes consecuti sunt? nam si de cœlestibus sedibus sermo erat, nonne ipsi inter primos sedebunt, *judicantes duodecim tribus Israël.* Luc. 22. si externam verò familiaritatem Christi, & spirituales Ecclesiæ sedes ambiebant, nonne ipsi inter familiarissimos asciti, & Principes constituti super omnem terram? Psalm. 44. v. 17. vis dicam, cur nescirent, quid peterent? non quòd honore indigni, sed quod malè illum petere, & sordidè ambire videbantur. hinc illud Augustini: *e quid est, non est meum dare vobis? non est meum dare superbis: hoc enim adhuc erant; sed si vultis illud accipere, nolite esse, quod estis. aliis paratum est, & vos alii estote.* alia desideria, alia vota, alias petitiones concipite: etenim quantumvis naturæ ac gratiæ donis quis instructus, si ambitionis notatur, indignus meritò censetur. quod præclarè docuit prudentissimus & æqui servantissimus Hispaniarum Rex Philippus II. *f* qui cùm virum aliquando, cujus vitæ integritas & sapientia, plusquam ambitio innotuerat, Episcopum designasset; jamque adscito Secretario, literas ad eum exarari jussisset: intellexit à Secretario, literis opus non esse, quod Reverendissimus denominatus in Curiâ præsens esset. quo Audito Philippus sua manu chartam, quâ ejus electio detinebatur lacerasse fertur, hoc dicterio addito: *numquam mea mentis fuit, eum in Præsulem designare, qui curiæ adsit.* optimè quidem ô sapiens Rex, nam *Clericum curiam frequentantem* (ut notat Bernardus) *g qui non sit de curia, ad idem noverit pertinere ambientium ge-*

a Hieron. in c. 9. Zach. *b* Matth. 20.
c Lanuza in procem. censura 3. S. Tho. in Matth. c. 20.
d Velasq. in ep. ad Phil. c. 2. v. 6. annot. 1. n. 10.

e Aug. in Psal. 126. *f* Velasq. cit.
g Bern. hom 4. sup. miss.

nus. Tandem subtilissimus hic *a* Paraphrastes, iis qui non vocati sibi sumunt honorem, rectè illud Christi responderi: *nescitis, quid petatis*, umbratilem gloriæ figuram, non formam sectantes: uti dicebat Petrus epist. 1. c. 1. *Configurati prioribus ignorantiæ vestræ* „ *desideriis*, hoc est, inquit, igno-„ rantiam desideriorum figuram „ præferentes. nec enim aliud „ aliquid, plus minusve, quis esse „ possit, quàm ipsius desideria „ fuerint, inanis qui inania, turpis „ qui turpia, vanus & stultus, qui „ vana & stulta desiderat. igitur „ nescitis ambitiosi *quid petatis*. „ nam, ut inquit Tertullianus: *b* „ *hæc erit ambitio, unde & nomen* „ *ejus interpretandum; quod concu-*„ *piscentiâ apud animum ambiente,* „ *nascatur ad gloriæ votum*. unde „ ironicè subdit: *grande scilicet* „ *votum, quod non natura, non ve-*„ *ritas, sed vitiosa animi concupi-*„ *scentia commendavit*. nec omittendum, dixisse Petrum: *configurati* desideriis; cum de iis, qui Christo in humilitate aliisque virtutibus similes evadunt, dixerit Paulus *c conformes fieri imaginis filii sui*, nimirum forma sic figuræ opponitur; & verò forma pro re substantiali, solidâ atque permanente: figura autem pro gestu, aut inani umbrâ, quæ citò transeat & evanescat, accipitur. ex quibus conficitur, inquit, quàm sint ignari, nesciique, qui inanibus & transeuntibus rebus tanto impetu configurari contendunt. Vbi nunc, qui cum Hipponensi Præsule sentiunt dicente: *d nec in alia re video mihi magis Deum iratum, cum indignus essem poni ad remum, positus sum ad gubernaculum*. cum plures iratum sibi Deum autument, quia non admittuntur ad clavum regiminis, digni poni ad remum triremium. Huc facit, dum in rupe Thaborea figuram quandam cœlestis gloriæ Petrus intuitus, postulavit à Domino tria illic tabernacula figi, *e nesciens*, inquit Marcus, *quid diceret*. Chrysostomus: *f non enim intellexit Petrus, quod ad demonstrationem veræ gloriæ, transfigurationem Dominus est operatus*. hinc eruditus ille, sed nebulosus satyricus, fatua & sæpe improba hominum vota, sic irridet:

——— nec tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum, tacitâ libabit acerrâ:
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesq; susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.

Altera & pessima classis eorum est, qui non modò malè, sed & mala petunt: non vana dumtaxat & fluxa; verum turpia & scelerata, Deum omnis bonitatis fontem, in se derivare contendunt. cujusmodi vota S. Cyrillus execratur, dicens: *g quæ ipse Deus odit, quoniam turpia sunt, quomodo cæteris largietur? quomodo dulcedinis fons, amarum aliquid scaturire poterit?* ruborem multis incuteret, & suppuderet, si desideria, quæ animo volvunt, si tacitas preces, quas Deo fundunt, vicini perciperent. optimus morum

a Velasq. cit.
b Tertull. l. de habitu mulier.
c Rom. 8. *d* Aug. ep. 14.
e Marc. 9. *f* S. Th. hic.
g S. Cyrill. l. 9. in Ioan. c. 43.

Magister

Magister Seneca: *a Tum scito esse te omnibus cupiditatibus solutum, cum eò perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. nunc enim quanta dementia est hominum? turpissima vota diis insusurrant. si quis admoverit aurem, conticescent: & quod scire hominem nolunt, Deo narrant.* quod exemplo comprobat: *b in quibusdam civitatibus impium votum, sceleris vocem tenuit. Demades certe Athenis, eum qui necessaria funeribus venditabat, damnavit; cum probasset magnum lucrum optasse: quod contingere illi sine multorum morte non poterat.* quod si Deus quorumdam medicorum, ac pharmacopolarum votis ac precibus annueret, ingens morborum agmen immittere deberet: *c & magnam hominum partem damnabit. cui enim non ex alieno incommodo lucrum? Miles bellum optat. Agricolam annonæ caritas erigit. eloquens* (Causidicus) *captat pretium ex litium numero. Medicis gravis annus in quæstu est.* denique si impia mortalium vota Deus expleret, brevi orbis universus gravissimo rerum omnium inter se exorto dissidio interiret: nemo quisquam egenus, nemo servus, nemo operarius: non sutor, non sartor, non agricola, non pistor reperiretur. mitto imprecationes, quibus alter alterum diris devovet; ut verissimè Philosophus pronuntiarit, *d brevi temporis spatio omnes homines perituros esse, si mortalium preces exequeretur Deus.* si parentes, veriùs peremptores exaudiret, qui filios morti, aut dæmoni devoverunt, quot energumenos, quot repentino fato oppressos cerneremus? si uxorum temulentos, turbulentos viros; & horum furibundas ac contumaces fœminas execrantium postulationes expleret: quot ilicò obtorto collo, fractâ cervice, aut alio miserrimo mortis genere, animam efflarent? si dæmon omnes equos, quos aurigæ illi devoverunt, abstulisset, jam pridem infernus oppletus esset. si inimicorum odiis Deus obsequeretur, in pœnas non satis unus erit. quod floridè tractavit *omnium flos ingeniorum Augustinus*, ut eum Hieronymus compellavit: *e Deus bonus, si det quod vis; quid si malè vis? nonne erit tibi magis non dando misericors? quid enim petebas? fortè mortem inimici tui. quid si & ille petebat tuam? qui te creavit, ipsa & illum; homo es, homo est & ille. Deus autem judex est: audit ambos, sed non exaudit ambos. tristis es, quia non es exauditus contra illum, gaude, quia non est exauditus contra te.* Optasset certè Theseus non exauditus esse, de quo Tullius in officiis: nam si Neptunus, quod Theseo promiserat, non fecisset, Theseus Hippolyto filio non esset orbatus: ex tribus enim optatis, ut dicitur, hoc erat ultimum *quod de Hippolyti interitu iratus optavit; quo impetrato in maximos luctus incidit.*

His talibus votis ac petitionibus, non multum ultrà feroces belluas sapimus: Taurus, & Camelus, ut Poëtæ comminiscuntur, petierunt à Jove cornua. Camelus non tantùm non impetravit quod petiit, sed aures etiam

a Senec. ep. 10. *b* Senec. l. 6. de benef. c. 38. *c* Senec. ibid.
d Beyerlinck theat. tit. petitio.

e Hier. l. 1. cont. Pelag. Aug. in Psal. 85.

perdidit, quas Jupiter præcisas esse voluit: bovi quidem data sunt cornua; sed eum petitionis suæ statim pœnituit; nam cum inermis liber esset, quietus, & à nemine facilè capi posset; enatis cornibus, injectus est laqueus; atque ita miser ad carrum, ad aratrum, ad macellum tractus est.

Frequenter idem cum camelo & tauro petimus. Est qui numen assiduis precibus eò fatiget, ut inimicis & adversariis possit resistere. Hic cornua petit, in malevolos arma & cœlo emissa fulgura. Quod zelo cæterum imprudenti, viri etiam sancti Deum rogarunt Luc. 9. Filii tonitrui, fulmen in Samaritanos cœlitùs ammitti postulabant: *Cùm vidissent Discipuli ejus Iacobus & Ioannes* (quod Samaritani non acciperent Christum) *dixerunt: Domine vis dicamus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos?* At mitissimus Magister conversus *increpavit illos dicens: nescitis cujus spiritus estis.* Non spiritus Eliæ, non spiritus vindictæ, sed spiritus JESU, & spiritus mansuetudinis; spiritus gratiæ, qui est genius novæ legis, à quo discedunt quàm longissimè, qui in subditos peccatores fulmina cœlo devocant, & flammarum globos; ac non potius suave labentem gratiæ rorem, & mollem in vellus cœli pluviam. Exemplo res erit illustrior. S. Carpus pro eo, quo sibi videbatur esse divinæ gratiæ zelo: a cum intellexisset hominem unum aliquem, recens ad fidem conversum, ab eâ abductum, vesana infidelis alicujus persuasione; adeò exarsit, adeò indoluit, ut etiam in morbum inciderit; inclinata jam erat in vesperam dies, à quâ cum se quieti dedisset: nocte mediâ, ut aliàs solebat, assurrexit ut orationi vacaret; vacavit autem adhucdum plenus irâ & æstu: à quo dum magis ac magis incalescit, Deum orare atque obtestari cœpit, ne tantum scelus pateretur impunitum; lenta nimis, & somnolenta videri superum judicia, plumbeosque ac tardos divinæ justitiæ pedes: eundum, eundum esse in pœnas, & devocanda cœlo fulmina, quibus ambo ista scelesta capita perderentur. Hæc ille præpropero nimium zelo, & irarum impete abreptus dum jactat: ecce subitò hinc visa tremere domus ac fatiscere, deinde ab imo ad summum discedere: denique aperire terra, & ingenti facto hiatu, frequentes flammarum globos, ac vortices evomere: inde verò velut è cœli Regiâ spectari Christus, qui septus nobili cœlestium spirituum coronâ, despiciebat ardentem illum, terribilemque terræ hiatum. Quem dum attentius inspicit ipse Carpus: ecce duo hi miselli homunciones, in quos jam animo & irâ exarserat, visi stare in extremâ voraginis orâ, & propè illi imminere, casumque minari miserabilem, in quem erumpentes, inter media incendia serpentes; eorumque pedibus implexi propè rapiebant. Accedebant deinde emergentia ex ipsis inferis monstra, atrâque ac horribili specie Æthiopes, quorum pars miseros illos impellere, pars trudere, pars etiam reluctantes prope raptare.

a S. Dionys. Areop. epist. 8, ad Demophil.

raptare. Horum vim impetumque dum ſpectat Carpus, videtque lenta molimina, velut impatiens moræ, & in eorum ruinam nimis facilis ac pronus: optaſſet & ipſe manum admovere, pondusque addere, quo citius volverentur in præceps. Interea de cœlo labi Christus, & periclitantibus benignè manum præbere, voragini periculoque ſubducere; imò & cœleſtibus geniis jungere viſus, audituſque Carpo dicere. *Extenſa jam manu percute me, quia iterum paratus ſum pro peccatoribus pati.* Hæc ubi vidit, audiitque Carpus, tum ſibi redditus eſt, probeque doctus, quis novæ legis genius, qui Chriſti ſpiritus eſſet; utique lenitatis ac miſericordiæ, qui non ignea vindictæ vota, ſed amoris tela in hoſtes ejacularetur. Hodie quoque animorum æſtus, & inconſulta odia deferveſcerent, ſi in ſanguine Chriſti intingerentur. Verùm ut ad eos revertamur, qui & ſcelerum ſuorum Deum adjutorem invocant. Illud Prophetæ Regii ruminandum erit: *a Domine non confundar, quoniam invocavi te.* Multi enim invocant ad confuſionem ſuam; ut Deus ipſe per Auguſtinum juſtiſſimè queritur. *b. Quid à me petis, ut non confundaris? Nonne quotidie homines, ut impleant fortè adulteria invocant me? nonne quotidie homines, ut moriantur illi, à quibus exſpectant hæreditatem, invocant me? nonne quotidie homines, qui fraudem cogitant, ut eam proſpero exitu compleant, invocant me?* Hi Deum noninvocaverunt, ſed aurum, argentum, ſpurcas ſuas voluptates; quos inter cenſendus

a Pſal. 30. b Aug. in Pſal. 3. conc. 3.

Philoxenus, *c* qui ſummâ impudentiâ collum gruis à Deo expoſcebat, ut eo gratius diſtillaret Bacchicus liquor, quo tubo longiore. Infames hos oratores ſanctiſſimus ac ſupremus Eccleſiæ Pater Gregorius ſic perſtringit: *d Quiſquis ſic orat; in ipſis ſuis precibus contra Deum pugnat; unde & ſub Iudæ ſpecie dicitur: Fiat oratio ejus in peccatum. Oratio autem in peccatum eſt illa petere, quæ prohibet ipſe qui petitur.* Quare ut concludam:

c Bruſonius.
d Greg. hom. 27. in Euang.

§. III.

Quid ſalubriter petendum ſit, videamus.

APud Gentiles olim diſertiſſimi oratores exſtitere; *e* à quibus artificium perorandi & exorandi numē etiam noſtrū diſcere non erubeſcimus. Platonis oratio erat: Jupiter da nobis bona, ſive ea petamus, ſive non; arce verò mala, etiamſi ea non ex errore petamus: qui enim à Deo verè bonum petit, errare nequit. Similirem exponam: fit nonnunquam ut quis comparandæ veſti officinam adeat, & pannum petat; hic ſedulus panni negotiator omnia excutiens: violaceum, praſinum, venetum, multicolorem pannum profert, ut delectus ſit emptoris; ſed enim emptor coloris negligens: bonum, inquit, & durabilem volo pannum, ſive atri, ſive cinerei, ſive alterius ſit coloris, pannum exhibe qui ætatem ferat. Tu eum optimè noſti, verbo tuo fidam. Non aliter ajebat *f Socra-*

e Cornel. in c. 4. Iacobi.
f Valerius Max. l. 7. c. 2.

tes illud *humana sapientia quasi quoddam terrestre oraculum, qui nihil ultra petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent; quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile : nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret. Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quàm latè patentem errorem cacas precationes tuas spargis? Divitias appetis, qua multis exitio fuêre : honores concupiscis, qui complures pessum dederunt; regna tecum ipse volvis, quorum exitus sapenumero miserabiles cernuntur; splendidis conjugiis injicis manum; at hac ut aliquando illustrant, ita nonnunquam funditùs domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum causis, quasi felicissimis inhiare, teque totum cœlestium arbitrio permitte; quia tribuere bona ex facili solent; etiam eligere aptissima possunt.* Hæc ethnicus tam verè quàm Christianè.

Ad particularia magis descendit Aquinas Poëta: *a*

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carentem:
Qui spatium vita extremum inter munera ponat
Natura; qui ferre queat quoscumque labores,
Nesciat irasci, cupiat nihil,

Pudeat hæc multorum vestrûm transcendere vota! nôsti Christiane quid tibi petendum, quid honestissimè à Deo efflagitandum? *Gratia* & *gloria*. Vtrumque petit, qui alterutrum. Gloriam petere dicendus est, qui petit aliquid æternum, qui cum Psalmistâ exclamat: *b Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vita mea.* O mi Deus! Hoc solùm deprecor. Quod ut obtingat, actum sinceræ contritionis tibi cum sancto Raymundo aut etiam aliis deposcas, in quo illustre posteris exemplum reliquit P. Hieronymus Florentia, qui per triginta annos princeps sacræ eloquentiæ Magister exstitit. Hic in eo morbo, qui Philippo Tertio Hispaniæ Regi fatalis fuit, *c* in aulam accersitus, ut ejus operâ Rex instrueretur ad agoniam, quo tempore jussus ob navatam eo in articulo egregiè operam, quid libuisset postulare; hoc tantummodo postulavit: *Vt Deo propitiando contritionis actum, quo maximo posset, ardore conciperet.* Sibi verò gratiam primam peccator, qui ambit, simul etiam gloriam expetit. Gratiam quoque censetur petere, quicunque spirituale quippiam, qui virtutes, qui vitiorum victoriam, qui cœlestem sapientiam petit, uti sapientissimus mortalium, qui non fluxas opes, non regna, non amplissima orbis dominia; sed missum è cœlo purioris sapientiæ spiritum postulavit, dicens: *d Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* Hæc petamus, æterna, cœlestia. Hæc orare debet in Christi scholâ probè doctus discipulus: *e Qui verè Christianus est, non illa temporalia petere debet, sed totum pondus orationis & intentionis sua, ad expetendam aternam beatitudinem debet impendere.* dum interim aliò ver-

a Iuvenal, Sat. 10.

b Psal. 26. *c* Alegambe in Bibliot. Script. Soc. *d* 3 Reg. 3.
e Aug. serm. 2. de verbis Dom.

tuntur

tuntur mortalium studia, flectuntur preces ad quisquilias, crepundia, ad ea quæ præsentis temporis, non quæ æternitatis. Et hanc rationem sanctus Ambrosius pulchrè attigit, non dari quod è cœlo petimus, quia illa minima dari à Deo, Imperatore summo, indigna sunt. *a Tu*, inquit, *cùm oras, magna ora, quæ æterna sunt, non quæ caduca: noli orare pro pecuniâ, quia ærugo est: noli orare pro auro, quia metallum est: noli orare pro possessione, quia terra est: Ista oratio ad Deum non pervenit, non audit Deus, nisi quod dignum ducit suis beneficiis.* Quis enim Cæsarem accedens, has preces fundat: Auguste Imperator, lacerum mihi pallium est, largire tres teruncios ad illud sarciendum; quid ista stolidè à tanto Principe petis? Vti aliqui stolidi à Carolo Quinto. pete digniora Cæsare. Metuendum aliàs, ne Deus nobiscum agat, quemadmodum Antiochenus Rex cum Thrasyllo Cynico; petiit hic sibi drachmam à Rege donari: at Rex eum repellens: non petis, ajebat, munus Regium. ita de Deo sentit Chrysostomus: *b quemadmodum ad Imperatorem nemo pro veste descissa, nec pro decem obolis ereptis audet accedere; ita etiam tu, atque adeò longè amplius, cave ne ad Deum accedas pro rebus vilibus, contemptis & nihili.* Sed magna pete, & ampla, eaque plurima pete, & confidenter, *c quæ digna sunt & Rege & Deo.* Hoc nos edocet Balthasar Alvarez, vir magnæ sanctitatis, Deoque conjunctissimus, qui cùm in illa Domini verba: *petite & accipietis*, altius animum defigeret, intellexit ex alto, nolle Deum nos parcos in petendo esse; & cum semel, pro indigente peteret, sibi audiit dici: *cur tu in petendo tam parcus es, cum Deus in dando tam liberalis?* Tam munificus, & munerum suorum quasi prodigus? *d* Ipsum petamus, id est, omne bonum, & hoc contenti simus. Augustinus in Psal. 36. ponderans illa verba: delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui: *discerne*, inquit, *petitiones carnis tuæ, à petitionibus cordis tui. Petitiones carnis sunt, quibus petuntur carnalia, petitiones cordis, quibus postulantur spiritualia, quæ à Deo facilè consequentur, si à carnalibus fuerint separata.*

a Amb. in Psal. 118.
b Chrysost. tom. in Psal. 142.
c S. Basil. l. const. Monast.
d Lud. de Ponte in vita. P. Alvar. c. 15. §. 2.

Arbitretur obſequium ſe præſtare. Ioan. 16.



——VIAMQUE INSISTE DOMANDI, DUM FACILES ANIMI. a

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

Redemptor noſter, dum ſe ſuis quaſi ſeverum , tum vel maximè ſe verum patrem exhibet : utpote qui noſſet quid conferret non muliebriter aut molliter, ſed viriliter & fortiter ſuos tractari , atque generoſi inſtar equi duris exercitari. Haud aliter ſincerus Paterfamilias, qui non ſegniter liberos educat, ſed effrænes juventæ impetus , metu verberum coercet , arbitretur ſe obſequium præſtare Deo & ipſis.

§. I. *Filii tibi ſunt, erudi illos, & curva illos à pueritia illorum.* b

§. II. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* c

§. III. *Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* d Manſuetudo tamen ſemper ſeveritati attemperanda: quemadmodum,

§. IV. *Manna & virga* e in arcâ aſſervari ſolita.

a Virg. l. 3. Georg. b Eccl. 7. c Prov. 13. d Prov. 23. e Heb. 9.

DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

Arbitretur obsequium se præstare. Ioan. 16.



CUM Atheniensis Respublica gravissimis vitiis ac flagitiis scateret, omnisque populus corruptissimis esset moribus: senatus consilium inivit, deliberaturus quis modus rempublicam olim adeò florentem restaurandi, & in pristinum florem ac vigorem restituendi. dum ecce tibi unus aliquis, putridum omninò pomum in medium protulit, asseverans huic malo persimilem esse corruptissimam Atheniensium Rempublicam; verùm enim verò fieri posse, ut ex malo aliquod bonum suppeteret:

a Aliquisque malo foret usus in illo;

Si nempè semina, seu putridi pomi grana, terræ mandentur, quæ in novos frutices excrescerent, atque hinc frugiferæ plantæ assurgerent: modò tamen luxuriantes ramos amputaris, pro arbitrio flexeris, direxeris, & dum teneri sunt, curvaris. aliàs in inutile lignum, aptum ad comburendum, aut in fatalem truncum & malam crucem adolescerent.

Haud absimili eventu optimè sperandum in hac communi omnium parentum, ac majorum corruptelâ, si juventus velut prima terris enata semina, singulari curâ ac solertiâ excolatur, ut ætate, quasi æstate maturescens, uberrimos aliquando fructus honoris ac probitatis progignat; contra verò si inculta ac neglecta fuerit, in suam ac parentum crucem atque perniciem, animô jam flecti nesciô sylvescat necesse est; unde sapienter monuit Eccl. 7.

a Ovid. l. 2. Metam.

§. I.

Filii tibi sunt, erudi illos, & curva illos à pueritiâ illorum.

ARistoteles optimus morum Magister, in ethicis hæc documenta tradit: *b non parum refert illo vel illo modo à teneris assuescere, sed quamplurimum; imò verò totum in eo consistit:* quod vivo exemplo Lycurgus Rex Lacedæmoniorum oculis subjecit: duos catulos, alterum ollæ, alterum venationi assuefecit; ambos, populo ad spectaculum accito, in forum adduxit, hinc ollam constituens, illuc leporem dimittens: cùm è vestigio, hic gulæ irritamenta sectatus, ille pernici cursu leporem insecutus est. Tum Lycurgus ad populum versus: *c* videtis, inquit, ô cives, quàm dissimiles hos iisdem parentibus prognatos, educatio reddiderit? ita indies hoc, quo spiramus seculo, accidere videmus, hunc puerum pium, morigerum, mansuetum, observantem, sedulum; Alium impium, contumacem, socordem, discolum: unde hæc tanta morum ac studiorum dissimilitudo? à dissimili parentum institutione. vi-

b Arist. in ethic. l. 2. cap. 1. ad Nicomachum. c Plut. in Licurg.

deas quorumdam liberos Angelicos, qui grande ſibi piaculum ducerent, neglectis conſuetis precatiunculis & parentum benedictione, ſtrato exilire aut decumbere. Marianum penſum ludo poſthabere, ad nutum non obtemperare: quorum ſtudia arulas conſtruere, libellos precarios volvere, ad Catecheſim convolare, hiſtoriolas illic auditas domi referre, ſociis enarrare. alii econtrà à teneris jurare, mentiri, pravis ſociis conſueſcere, nequitias exercere, laſcivire, potitare condiſcunt: adeò ut ſi hinc chartas luſorias, illic libellum precum obtuleris, quamplurimos numerare ſit, qui hiſce ſpretis ad priora concurrerent, perpaucos, qui filiam Regis Angliæ imitarentur. Eduardus, cui paris ſanctitatis lectiſſima conjux Elſgiva fuit, filiolam Edburgam nomine; ita à primis cunabulis inſtituerat, ut etiamnum triennis in atrium deducta: ubi in una parte menſæ, omne genus monilium, pretioſaque omninò crepundia, ex altera verò codicem Euangeliorum, cum ſacro Calice proponi conſpexit, puellula non diu cunctata, maturo vultu cimelia aſpernata, ad Calicem & ſacrum Codicem properè advolavit, eaque ſummo honore ac reverentiâ venerata eſt. quo conſpecto Edburgam ſuam parentes oſculati & complexi ſunt, dicentes: perge filia, quo Deus vocat, & ſponſum tuum ſequere. O nos beatos, qui te pietate inſignem, in æternum regnantem videbimus. ſic & veſtros imbuite, hæc præ illis, ſacra profanis, æterna caducis æſtimare, diligere, ac diligere condiſcant. Etenim quis hoc mirabitur, dum filius corrupto Ephebo, filia laſcivæ ancillæ aut lupæ committitur; dum his coram, conjuges à ſermone obſcœno, à liberiori agendi inter ſe conſuetudine temperare non ſtudent, ſi mali corvi malum ovum progignatur: unde vel ethnicus hoc ſanè & ſanctè monuit:

a Maxima debetur puero reverentia; ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos.

Maxima porrò liberorum corruptela, ſunt exempla parentum, qui ſi ſegnes, laſcivi, ſi temulenti, eadem & filiis prædicata congruere, & quaſi per traducem faciliùs corruptos mores, quàm naturæ morbos, (dum podagricos, epilepticos progignunt) derivari, manifeſto deprehendent. Qua ſuper re, cùm in priori parte pluribus actum ſit, *b* ſuperſedebimus, & ad aliam, quæ parentibus incumbit, pueros rectè inſtituendi obligationem, penitiùs vos inducemus.

Optabat olim Crates in editam civitatis conſcendere ſpeculam, & contentâ voce exclamare: *quo ferimini mortales, qui ad poſſidendas opes magno ſtudio incumbitis, filiorum verò quibus illas relinquatis, exiguam curam geritis?* Hic totus in mercimoniis, ille in publicis negotiis, iſte in excolendis prædiis & hortis; minimè ſoliciti, quid filiæ, quid filii agant, quid diſcant, quibus cum agant, quâ horâ domo exeant, quâ revertantur. Quos Chryſo-

a Juvenal. ſat. 14. *b* Parte 1. Dom. 6. poſt Paſcha.

ſto-

ſtomus *iis ſimiles* aſſerit, *a qui cùm malè materiatam & ruinoſam videant domum, ipſam quidem inſtaurare negligunt, amplos autem ei in circuitu hortos diſponunt. Aut illis, qui quamvis morbo conficiantur, cura tamen valetudinis neglectâ, aureas ſibi veſtes contexunt.* Alii ſunt, atque hi honeſtiores ac prudentiores cenſentur, qui toti ſunt, ut filiis lauta patrimonia, latos fundos, amplam hæreditatem relinquant: parum intenti, ut animus excolatur; cujuſmodi parentibus, inquit Plut. *Calceus curæ eſt, & pes neglectus*: vaginam curant, non acinacem. Illud enim verò minimè ferendum eſt, eſſe non paucos, qui majorem curam Pſittacorum, columbarum, canum, equorum, quàm liberorum gerant. Pridem in Italia vir benè dives, & ingenio pollens, *b* ægrotanti equo, quem ſtultè deperibat, aureum cubile ac ſericum cervical ſubſtravit: cumque ipſe podagrâ vinctus detineretur, indies principes urbis medicos adhibens, ad equum ſuum viſendum proreptabat, huic aſſidebat, palpabat, nil ad morbum depellendum intentatum relinquebat. Denique ſic equi curam geſſit, ut propriam; exſtinctum plus luxit, quàm filium. Fuit, *c* qui feli ſuæ teſtamento 500. Philippeos ad honeſtam ſuſtentationem legavit; alii Melitenſem catulum magis fovent, melius inſtruunt, quàm filium. Docetur erectus conſidere, pede perrecto venerationis ſigna exhibere, non priùs cibum ſumere, quàm anteriores pedes junxerit & in cœlum ſuſtulerit: dum interim pueri brutis animalculis rudiores, è nido ad penu, ad paſtum provolant. Quantò laudabilius ſevera & pia Joannis Gerſonis Mater, *d* quæ ut natum utilibus atque ſublimioribus diſciplinis imbueret, cùm jentaculi aut merendæ tempus admoneret, infantem in genua procumbere jubebat, atque à communi ac liberaliſſimo omnium parente Deo, nuces, caſtaneas, ac quæ maximè cuperet, poma poſtulare; preces profectò, ſi ritè conciperet, non irritas futuras. Ubi piæ fraudi adhuc opportunum infantem, ſeriò id agere videbat, tunc illa de ſuperiori loco, in precantis ſinum, quæ optaverat furtim jacere, ut ille de cœlo ea dimitti, nullus dubitaret; his artibus, hic inſtar catelli micas è menſâ domini, qui cuncta ſuppeditat, impetrabat. Ecquid ni teneros infantes, diſciplinæ capaciores brutis ipſis judicabimus? cùm interim ab his ad ruborem noſtrum edocemur: arte, inquit Chryſoſtomus, *e in homines quodammodo mutantur aves, docenturque pſittaci, & picæ humanas voces.* Dum Auguſtus ab Actiacâ victoriâ triumphabundus regreditur, occurrit ei inter gratulantes, corvum tenens, quem inſtituerat hoc articulatim pronuntiare: *f Ave Cæſar victor Imperator*, quem viginti millibus nummorum emit. Et vos matres balbutientes etiamnum infantulos, has duas voces: *Ave Maria*, edocere non vale-

a Chryſoſt. hom. 60. in Matt.
b Petrarcha l. 1. dial. 31. *c* Hiſt. Ciſter. de viris illuſt. Drex. prodrom. c. 3. §. 10.
d P. Rho. variæ virtut. hiſt. lib. 5. cap. 10. §. 10. *e* Chryſoſt. de virt. & vit. tom. 3. *f* Ibid.

tis? *a* Psittacus doctus illam litaniam: *sancte Thomas ora pro nobis*; vos verò & illam Psittaci, & Lauretanas virginis Litanias garrulis cæteroqui liberis indere non valetis? Si nec dum erubuistis, confundat vos Psittacus, *b* qui Romæ in ædibus Cardinalis Ascanii, totum Symbolum Apostolicum promptè recitare auditus est. Sed præ hoc, vos fortè gloriamini, si pueri vestri septennes, duodecim Imperatorum Romanorum gesta recensuerint. Quid mirum si à brutis superentur, cum hæc illis instructiora sint.

Alterum est, in quo homines brutis indignè concedere videntur, quod immanissimas belluas domare ac cicurare; propriam verò prolem ferocientem, sensim frænare, ac subdere non satagant. Quare rectè monet Poeta:

c Tu quos ad studium, atque usum formabis agrestem,
Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi,
Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.

Puerorum indoles ac animus udæ argillæ, aut ceræ instar, omnem formam recipit; scilicet ex eadem cerâ pro libitu nunc Angelum, nunc dæmunculum fingis, ita puerum, qui *cereus in vitium flecti*. Et Juven. sat. 7. inculcat: *d*

Exigite, ut mores teneros, ceu pollice ducat:
Vt si quis cerâ vultus facit.

Nec profani tantùm, sed & Ecclesiæ doctores hoc argumentum pertractarunt: ex his Basilius: *e animus adhuc tener est instar ceræ, quæ impressas in se formas, quascumque facilè recipit.* Cui accedit Chrysostomus: *f magnum habemus, pretiosumque depositum filios, ingenti illos servemus cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat: exerceamus ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos.*

Molle lutum est, nihilque eo vilius, lapide ac trunco informi quid abjectius? si tamen perita magistri manus accesserit, & elaborarit, in pulcherrimam animantur effigiem, ita profectò sine cultu disciplinæ, quasi lutum aut saxum, truncus aut stipes homo est. Unde monet Persius: *g*

Vdum ac molle lutum est, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus sine fine rotâ.
h Et premitur ratione animus, vincique laborat:
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

An simiolus usque eò, ut ita dixerim, est simius, quemadmodum puer? *i innatum quippe à natura pueris est, imitari, eoque differunt à cæteris animantibus, tùm quòd aptissimi ad imitationem sunt, tùm quòd primas disciplinas imitando acquirunt, & unusquisque juxta imitationem gaudet.*

Quòd si pictor, aut fictor optimè se operam collocasse arbitretur, qui in mortua tabula, aut informi trunco desudarit, ut imaginem effingat, quantò præstantiùs allaborarit, qui virtutum

a Nieremb. hist. nat. pag. 39. *b* P. Balingen. Zoophædia tit. educatio.
c Virg. l. 4. Georg. *d* Horat. de arte.

e S Basil. reg. sup. dis. inter. 15. *f* Chrysost. hom. 9. in epist. ad Titum 1. c. 3.
g Persius. Sat. 3. *h* Idem Sat. 5.
i Arist. polit. c. 2. V. Sacchini protrept. cap. 7.

colo-

colores, qui imaginem Dei ac divorum efformarit? Nec *consideramus*, ait Antiochenus Præsul, *a nullam artem hoc artificio sublimiorem inveniri. Quid enim majus, quàm animis moderari? Quàm adolescentulorum mores fingere? omni certè pictore ac statuario, cæterisque ejusmodi excellentiorem eum dico, qui juvenum mores fingere non ignoret.* Unum addo, nec postremum rectæ educationis præceptum subjicio: pueros à teneris non molliter, & muliebriter, sed fortiter & viriliter educendos. *b Conducet statim à puero eos ad frigora assuefacere*: ob calorem enim nativum pueri, quibus *fervet circum præcordia sanguis*, facilè frigus tolerant. Hinc Celtæ infantes natos ad flumina durabant, Thraces quoque gelido stagno immergebant: qui frigore necabantur, eos equidem inertes ac debiles, brevi exstinguendos ducebant; qui ad illa superarant, robusti ac tolerantes laborum perdurabant. Sidon carm. 2.

Excipit hic natos glacies, & matris ab alvo,
Artus infantum molles, nix civica durat.

Scio barbarum id factum esse; sed juxta Aristotelis monitum, non abs re esse, quis prudenter existimarit, tempore hyemali pueros non adeò fovere, ut in lecto ad multam diem pigritare, tum foco assidere, vix frigidum aërem respirare sinant. Quales nunc adolescentes, quales viros conspicamur crispatos, comptos, teneros, delicatos, vix inter puellas dignoscas.

a Chrysost. hom. 60. in Matt.
b Arist. lib. 7. Polit. cap. 17.

Refert Judicium Salomonicum Salianus ex Cedreno: *c* Cùm sapientissimũ hunc regem Israël, qui scientiam omnium parabolarum ac ænigmatum percallebat, Regina Saba accessisset, ejusque magnificentiâ ac responsis attonita stetisset, placuit insolens aliquod ejus sapientiæ specimen capere: sex pueros & puellos formâ præstantes, consimili prorsus habitu & ornatu instructos coram eo constituit, petiitque num ex physiognomiâ, è vultus lineamentis aut variis morum indiciis, dignoscere inter sexum valeret? Rex omnes intuitus, unum ex aulicis vas aquæ adferre jubet, ac singulis faciem, ut frigidâ abluant, imperat: quo astu sexus discrimen ilicò deprehendit: mares quippè intrepidè ac strenuè vultum confricabant; puellulæ timidè ac tenuiter se aspergebant. Quibus consimiles moderni *juvenes* ut fœmina molles; *d ut fœmina compti.* Experientia comprobat, surculos ac frutices, ut in arbores excrescant, non modò opportuno sole & imbre, sed ventis ac frigore, ut firmentur agantque radices, egere. Absque eo, velut flores apricos, ilicò marcescere ac emori, quod in florentissima Borboniorum familia accidisse comperio: Antonius Borbonius Navarræ Rex, *e* cùm pueros suos omnes molliter, & plusquam regali curâ educari jussisset, advertit doluitque singulos immaturo fato sibi eripi: sed & socer ejus Henricus Albretius,

c Salian. annal. anno mundi 3047. n. 27. *d* Ovid. epist. 4. *e* Pisc. Dom. 2. Epiphan. §. 3. pag. 714.

deplo-

deplorabat maximè regnum ad fœminas devolvi debere. Mediis his querelis, Joanna prægnans, enixa est puerum Henricum (quartum postea Galliæ Regem) magno populi plausu, summa soceri & parentis congratulatione; quem ut ille eriperet præmaturæ morti, noluit inter aulæ delicias, ut alios, exquisitè enutriri; sed ruri apud colonum, communi agrestium puerorum victu educari, in campo, bubulci instar pecora agere, sudare & algere, dumque per ætatem licuit, militiæ nomen dare permisit: atque per hæc tam varia atque ardua rudimenta, tantus heros evasit, ut verè corpore & animo Henricus magnus exstiterit. Ite nunc, & liberos à teneris molliter instruite ac instituite, ut in viros fortes evadant. Præter spem duriùs habitum, & crudiùs enutritum superstitem sperate. Certissima res est per vitæ mollitiem, omnes ingenii nervos infringi, nec magnificum quid ab eo exspectandum, quem à teneris calcata indole, voluptas subegit, unde, quæso, in veterum scriptis tam frequentes de expositititiis infantibus historiæ? quales de Nabuchodonosore, Cyro, & Romulo legimus, qui omnes inter aspera montium, & horrida sylvarum, inter humiles casas, duro & rusticano victu adolevêre. Ne putemus hoc forte tantùm contigisse, sed ipsa sæpe destinatione parentum, qui conditionis suæ ignaros, committebant alendos agrestibus, ut austeris rebus assueti, militiæ labores perferrent alacriùs, & à deliciis prorsus abhorrerent. Balearium Insularum matres, victum pueris non dabant, nisi quem arcu & sagittis de pertica excussissent. Tamerlanes ille orbis terror, *a* non barbarus, ut plerique fingunt, sed ut auctor vitæ sapientissimus Princeps, cum de orbis domiti victoria rediret, & filiolum inter nutricum ulnas galero tectum deprehendisset, castigata mulierum mollitie, jussit nudo capite ambulare, nec ullis assuefieri deliciis.

Quin & filias, cæterum sexu & naturâ molliores, Ecclesiasticus etiam minus indulgenter habendas, & non ut Helenas, sed Amazones educandas commonet. *b filiæ tibi sunt? ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas,* aut ita, ut risui semper misceas gravitatem; qua maturitate Job inter liberos suos agebat: *c si quando ridebam ad eos, non credebant*, nec fidebant tantùm, ut qui de observantiâ dependerent. Acutè dixit quidam: perfectus risus, est risus imperfectus, qui non est solutus; nam de sapiente dicitur, quod *vix tacitè ridebit.* Ita rideas, ut non ridearis, *d* ut tuis ludibrio non sis, notum illud: nimia familiaritas parit contemptum, & nimia indulgentia parentum, filiorum perniciem. Unde sacrum illud promanavit proverbium:

a Caussin. de regno Dei differt. 13. *b* Eccl. 7. *c* cap. 9. *d* Eccl. 21.

§. II.

Qui parcit virgæ, odit filium suum. Proverb. 13.

FUit è civibus Cæsari-montanis in Belgio vir laude dignissimus, hic filium ad scholas ductu-

ĉturus, *a* primis literarum elementis erudiendum, ut verum ſe probaret, in ſpeciem ſeverum patrem induens, ita rem aggreſſus eſt: integrum ſcoparum faſcem, velut ludi magiſtro munus, ſub pallium accepit, & ad filium; adeſdum puer inquit, ad ſcholas ducendus es. Scholarum tunc Rector fuerat Nicolaus Steeger, vir egregius; huic unà cum puero hic civis ſe ſiſtens: tibi Domine, inquit, hunc filium meum trado, optimis diſciplinis imbuendum, illumque tuæ curæ commendatiſſimum eſſe cupio. Quod ſi minus morigerum ſe gerat, virgis obſecro ne parcas: & cum dicto pallium reduxit, obtulitque benè magnum virgarum faſcem, additque liberali ſponſione: quod ſi has conſumpſeris, alteras à me accepturus es. Narrat hoc celeberrimus è D. Franciſci familia Eccleſiaſtes Philippus Boſquier, *b* qui tunc puer in eodem illo Houdano Gymnaſio literis operam dabat.

Amabo vos, num parentem hunc, unicam ſuam prolem odio habuiſſe exiſtimatis? profectò, ſi odiſſe eſt, *velle alicui malum*, nolle malum tollere, nolle morbo mederi: ne is ſincero filium animo diligere cenſendus eſt, qui morbos & mortem animæ, id eſt, pravos mores & lethales noxas diſciplinâ medicinali (quâ & corpori optimè conſulit) amoliri conatur? Hoc Spartanos factitaſſe legimus, apud quos, ut Plutarchus refert, *c* ſi puer conqueſtus fuiſſet, quod à Magiſtro vapulaſſet, domi rurſus pœnas dabat. Quo in genere collaudat Auguſtinus parentes ſuos l. 1. conf. cap. 9. *in ſcholam ductus ſum*, inquit, *ut diſcerem literas, in quibus quid utilitatis eſſet, ignorabam miſer; & tametſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam: laudabatur enim hoc à parentibus.* Omnium verò patrumfamilias exemplar perfectiſſimum reliquit ille, de quo Paulus: *d quem diligit dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Id eſt, quem in filium admittit, quem in ſuam diſciplinam & paternam curam ſuſcipit, *e* quem ſuæ familiæ adſcribit, in quo, ut Prov. 3. dicitur, *ſibi complacet*, cui optimè vult, & hæreditatem decernit; nam *f ſi extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri & non filii eſtis.* Quæ præclarè idem Doctor Auguſtinus exponit: *g Duos filios habet homo, alterum caſtigat, alterum dimittit; facit unus male, & non corripitur à patre; alter mox ut ſe moverit, flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille caditur? Niſi quia huic caſo hæreditas ſervatur; ille autem dimiſſus, exhæredatus eſt. Videt eum non habere ſpem, & dimittit eum, ut faciat quod vult*, & velut equus rapietur indomitus. Veriſſimè enim hoc divinus Plato pronuntiavit: *h* nullum ex reliquis a- "
nimantibus atrocius fieri homi- "
ne atque efferacius, niſi tempe- "
ſtivis diſciplinæ auxiliis miti- "
getur. *i Equus indomitus eva-* "
dit durus, & filius remiſſus eva- "
det præceps. Si equus, dum tener "
& docilis, non flectatur, non

a Drexel. Gymn. patient. part. 2. c. 4.
b Boſquier de carcere Bapt. conc. 2.
c Plut. in Apoph.

d Ad Heb. 12. *e* Corn. hic & in Prov. c. 3. *f* Heb. 12. *g* Auguſt. in Pſ. 93. *h* Plato l. 7. de legibus. *i* Ecc. 30.

mon-

monstretur glomerare gressus ad nutum domitoris, si calcaribus non subigatur, si lupatis non infrænet, si metu virgæ non cöerceatur, intractabilis evadet, franget frænos, sessorem excutiet, nec innatam proterviam deponet. haud aliter puer dissolutus, si suæ libidini, & petulcæ naturæ relinquatur nec fingatur manu parentis, nec ferulâ compescàtur: per prona vitiorum, corpore & animo in præceps ruit. Eventus hoc tragicus comprobabit: Dionysius tyrannus, cùm Dioni alio modo nocere non posset, ejus filium ita educari jussit, ut ante annos pubertatis vino, epulis, veneri assuescere, nulloque tempore sobrium esse sineret. Revisit domum parens, pulso tyranno; sed cum vel vi filium ad meliorem frugem, adhibitis custodibus, reducere conaretur, magno suo dolore advertit, quantum momenti primæ educationis rudimenta haberent: filius enim indignatus consuetas sibi delicias subtrahi, ex summâ ædium parte se præcipitem dedit: quanto parentum luctu, quanto universæ urbis obloquio, quantò familiæ dedecore, stultis parentibus cogitandum relinquo. *a De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.*] Juvenilis ætas soli instar feracis est, quò uberius sortitur, ac præstantius ingenium, eò densiorem in sylvam durarum veprium fructificat, atque in segetem vitiorum ac dolorum luxuriat. quò spectant illæ vatis querelæ: *b filii colligunt ligna, patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent.* Quasi diceret Propheta, è filiis, velut incultis & neglectis, pullulant rami noxiarum cupiditatum, quibus parentes quasi ardentes faces, vanæ cujusdam gloriolæ subdunt, & stultæ matres, adipe suarum blanditiarum fovent, ut sacrificent Reginæ cœli, id est vanitati, quæ sub sole regnat: & libent diis alienis, Baccho, Veneri, Plutoni, & sic Deum suum ad iracundiam provocent. De his Propheta regius: *c immolaverunt filios, & filias suas dæmoniis*, quàm aptè hic lamentatio Quintiliani, viri in Imperio Romano sapientissimi, quadrat? *antè palatum eorum, quàm os instituimus. in purpuris repunt, in lecticis crescunt, gaudemus si quid licentius dixerint: verba nec Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & joco excipimus.*

Solerter Tertullianus duplicem benedictionem expendit, quam Isaac jam maturus ævi, & plenus dierum, filiis impertitus est. Jacobo dixit: *d det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ*; Esau autem: *in pinguedine terræ, & in rore cœli, desuper erit benedictio tua.* utrique benedicens, & cœli rorem, & pinguedinem terræ optat; sed animadvertenda est, inquit Tertullianus, *e structura benedictionis istius; nam circa Iacob prima promissio cœlestis est roris, secunda terrenæ opimitatis. Esau primò terrenam benedictionem impertiit.* Quam multi parentes, in liberos suos derivare conantur benedictionem, vel potiùs

a Eccl. 41. b Ierem. 7.

c Psal. 105. d Gen. c. 27.
e Tertul. l. 3. cont. Marcion. cap. 1.

male-

maledictionem infelicis Esau, quam pauci veram benedictionem unius Jacobi, filii longè chariſſimi? quam multi hic iis ad blandiuntur filiis, qui velut teneræ arbores, comas latè ſpargunt, excelſo vertice gradiuntur, formâ venuſtâ, diſciplinis tripudiandi, digladiandi, omni denique aulicismo, & mundi hujus lenocinio apprimè imbuuntur? audiant hi Africanum Præſulem de quodam Cyrillo Hipponenſi, qui filium deperibat unicum, ſic diſſerentem: *a* *filium*, inquit, *unicum habebat, quem ſuperfluè diligebat, & ſupra Deum: ideoque ſuperfluo amore inebriatus, illum corrigere negligebat, dans ei poteſtatem faciendi omnia, quæ placita eſſent illi.* & in hoc ei quærens benedictionem Esau, terræ ſcilicet pinguedinem, non cœli rorem; licentiam vitæ ſecularis, non libertatem filiorum Dei. eoque proſtitutæ nequitiæ devenit, ut vino æſtuans, ſtuprum matri gravidæ inferens, fœtum oppreſſerit, patrem trucidarit, ſorores graviter ſauciarit. hinc ſanctus Præſul, quodam æſtu concitatæ mentis, atque orationis exclamat: *O doloſa libertas! ô grandis filiorum perditio! ô paternus amor mortiferus! ecce filios ſe dicunt diligere, quos jugulare procurant, dicunt eos amare, quibus jam ſuſpendia parant.* Quæ ne quis fortè nimium exaggeratè dicta autumet, fidem eventus alter tragicus adſtruere poterit, quem refert Boëtius de quodam Lucretio, cui filius adeò perditè in amoribus erat, *b* ut velut ſimium deperiret, ad omnia conniveret, in omnem licentiam fræna laxaret; donec tandem in publica flagitia præceps, Magiſtratus juſſu in vincula conjectus, & infami mortis ſupplicio damnatus eſt: cumque omni urbe concurſante, fatales ſcalas præeunte carnifice conſcenderet, noviſſima verba, jam laqueo collo injecto, ſe ad parentem habere profeſſus eſt, qui ad hoc ferale ſpectaculum adſcitus, ubi propiùs ad filium acceſſit, filius quaſi in aurem quid dicturus, nares parenti præmomordit, dicens: ſi à teneris corripuiſſes, non huc denique deveniſſem. Si parentes lenem ac benignam in filios juſtitiam exercuiſſent, non gravem illam & ſeveram, cum amariſſimo ſui, & filiorum cruciatu incurriſſent. Maximilianus Imperator triplici ſpectaculo fertur delectari ſolitus, 1. conſpiciendo campum, copiis militaribus inſtructum. 2. Chorum refertum monachis. 3. patibulum plenum furibus. primum urbes tutari dictitans, ſecundum Religionem, tertium juſtitiam. at ſi longè jucundius parens in domo ſua ſpectaculum deſideret, ſemper liberis ſuis ante oculos ponat *c* *benedictum lignum per quod fit juſtitia.* Serò jam filii & parentes ſapiunt, cùm ad Græcum II deventum eſt: *d* cujus rei oſtentum hoc objectum eſt: parens cum ſero veſpere filium bene potum reducem corriperet, ac ille contumaciùs reſponderet, arreptam quæ ad manum erat, lampadem in filium projectabat; ſed irrito ictu, non vano tamen

a Aug. ſer. 33. ad frat. in Erem.
b Boët. de diſcipl. ſcholarum. P. David. in veridico cap. 49.

c Sap. 14. *d* P. Poiters Ydelheyt der werelt.

augurio in parietem impacta, patibulum cum fure ex eo pendulo, scitè expressit. nec multò post, cum aliis ejusdem farinæ scurris comprehensus, laqueo vitam finivit. proinde vos tempori audite Chrysostomum, etiamnum cœlis tonantem: *a hos ego patres, parricidis immaniores dixerim; illi enim corpus ab anima separant, isti & corpus & animam æternis ignibus tradunt. atque is quidem, qui corpore occiditur, necessariò naturali lege etiamsi necatus non fuisset, moreretur; hic verò sempiternam mortem vitare potuisset, nisi hanc illi consciviſſet paterna negligentia*, quâ se, & suos nonnumquam æterna ruina involvunt.

a Chrysost. l. 3. adversus vituper. vitæ monast.

§. III.

Tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. b

INgeniosè Poëtæ commenti sunt, Mercurium virgulam manu circumferre solitum, tam prodigiosæ virtutis, ut illâ animas ex inferis ad vivos revocaret: Maronem audite: *c*

Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco.

quod si majoris longè beneficii est, præcavere ne sui in barathrum ruant, quàm illuc prolapsos educere; profectò non vanam fabulam experieris, si virgarum metu hoc præcipitium filiis quodammodò obsepseris, & *de inferno liberaris*. de virgâ illâ Mosaicâ, mirabilium effectuum operatrice, sic sensit eruditus interpres: *d* virga est disciplina, correctio " & castigatio, quæ initio pueris " imperfectis & immortificatis " horrida videtur, ut serpens; " sed in fine, cùm ejus fructum " experiuntur, agnoscunt esse virgam paternam & pa- " storalem: nam ut ait Apostolus ad Hebr. 12. *omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet justitiæ*. sed nunc ô tempora! ô mores! complures parentes adeò non ab inferno liberos revocant, ut eo proruentes, quasi propellant, ac stimulos suâ nimiâ indulgentiâ subdant; de quibus serò, sed seriò filii queruntur: *e prodidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas*. in medium adferam luctuosam adeò tragœdiam, ut meritò omnium parentum aures tinniant.

Recens est historia, quam fidus Auctor Societatis nostræ, *f* qui è loco ubi accidit postliminio reversus, sic commemorat: Viro nobili filius unicus erat, ad quem opulenta trium familiarum hæreditas spectabat. hic dum in gymnasio nostro, humanioribus literis imbueretur, in omnibus se vitâ, & moribus integerrimum præbebat. Inde libertati ac omni licentiæ fræna laxare occœpit; eò tandem, pudore excusso, flagitiorum devenit, ut publicus scortator, ac infamis mœchus haberetur. huic tam præsenti adolescentis discrimini, & familiæ dedecori ut occurrerent

b Prov. 23. *c* 4. Æneid.

d Cornel. in Exod. cap. 4. v. 2.
e Cypr. de lapsis. *f* P. Alard. le Roy Pere de famile cap. 12, pag. 216.

rent magiſtri, eum commonitionibus ac obſecrationibus multis ad meliorem frugem reducere conati ſunt; ſed quia manum jam ferulæ ſubduxerat, eorum monita parum curabat. ultimum arietem Societatis ſacerdos, urbis concionator ſuadelâ ſuâ admovit: hic parentem convenit, ac ſeriò expoſuit, & adhortatus eſt, ſeverè in filium animadverteret, à congreſſu cujuſdam mulierculæ conjugatæ ſedulò revocaret. reſpondit parens, hęc adoleſcentum vitia eſſę, fervorem illum non poſſe adeò temperari. quo reſponſo noſter ſancto zelo incenſus, timendum, inquit, & utinam falſus vates ſim, timendum ne tibi ac filio tuo æternum brevì à vindice Dei manu, inferatur exitium. Nec vanus augur exſtitit, etenim vix trium hebdomadarum elapſo ſpatio, dum filius hic prodigus, cum adultera à ſuperveniente marito deprehenditur, iteratis ictibus unà cum ſcorto, in flagranti delicto confoditur. quo facinore perpetrato, foribus occluſis, urbe is ſe proripuit. At verò die inſequenti; cùm officina de more non pateret (fabrum quippè lignarium agebat) vicini in multam lucem fores clauſas admirati, pulſant, & nemo aperit; malum ſuſpicati, admotis ſcalis per feneſtram ædes ingreſſi, cadavera etiamnum cruore ſuo immerſa reperiunt, acerbiſſimum filii unici exitum habetis; qui accidit anno Chriſti 1614. ipſo hebdomadæ ſanctæ tempore, nunc quemadmodum parentes nuntium acceperint, attendite: mater piiſſima fœmina, quæ maritum ſuper effræni filii ſui indulgentia, pluries commonuerat, hujus cataſtrophes ignara, è templo noſtro redux, mœſtiſſimo hoc rumore perculſa, in plateis deliquium paſſa, corruit: ſibique reddita, ita animo dolor inſedit, ut noctu diuque non priùs filium flere deſtiterit, quàm oculos lachrymando deperdidiſſet, hoc aſſiduo iis, qui conſolationem aliquam adferre ſatagebant, reponens, filium ſuum unicum æternis ignibus apud inferos cruciari. pater verò, qui huic præcipitio viam ſtraverat, hoc ferali nuntio in phreneſim actus, pullâ veſte, inculta barba, facie exangui, per urbem curſitans, & velut intemperiis aſſiduò agitatus, vitam finiit. Nonne veriſſimè Auguſtinus: *a valdè pernitiosè ſentiet filius patris lenitatem, ut juſtè poſtea Dei ſentiat ſeveritatem.* Ubi obſervandum, quantò leniùs ac leviùs, paternam filius correctionem, de qua Sapiens: *b ſi percuſſerit eum virgâ, non morietur,* quam vindicem Dei manum, virgâ ferreâ armatam, incuriſſet, ſi puerum quinquennem, ut tradit S. Gregorius, *c* obſcœnas ac blaſphemas voces jactantem, parens pro merito flagellaſſet, tartarei carnifices, filium nequidquam patre obluctante, è ſinu ejus non abripuiſſent; quod haud dubiè divinâ Dei providentiâ factitatum, *d ut exempla omnium ſint tormenta paucorum.* Pueri, cavillos in Eliſæum calvum jactabant, cùm ecce duo urſi è ſaltu proruentes, quadraginta duos ex eis dilacerarunt. ut quid in pue-

a Aug. in Pſal. 50. *b* Prov. 23.
c S. Greg. l. 4. dial. cap. 18.
d Cyprian. 4. Reg. 2.

ros decennes tam atrox carnificina? Respondit Justinus Martyr, quoniam ea verba pueri à parentibus suis, qui Prophetas insectabantur didicerant, idcirco Elisæus cæde liberorum parentes castigavit. Sed cur ab ursis, non autem à Leonibus, quorum ea Regio fertilissima, discerpti sunt? causam insinuat Ambrosius, quia ursi mysticè filiorum educationem exprimunt: *a ursa*, inquit, *fertur informes partus edere, sed natos lingua fingere ad sui similitudinem; tu filios instituere tui similes non potes?*

Quod si fortunarum, si valetudinis, quod filii per nimiam indulgentiam incurrunt detrimentum, si morum, vitæque corruptela, si familiæ nota, & sæpe eversio, si denique eorum tam corporis, quàm animi jactura æterna, minus vos, ô parentes, valet commovere, ipsum vestrum exitium, vestra vobis parata supplicia perhorrescite, quorum gravitatem ex vestrorum scelerum enormitate, quæ ex flagitiosâ filiorum vitâ, vobis imputabitur, pensate: nam ut Theologorum Princeps Aquinas, *b qui talia agunt* (de Heli loquitur) *digni sunt morte, non solùm, qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, præcipue si ex officio incumbat, sicut peccata filiorum imputantur Heli*. Conformis in eo Doctorum sensus & consensus est, *c* Navarri, *d* Reginaldi, *e* Antonini, *f* Sylvestri, Soti, *g* Bonacinæ, aliorumque.

Parens tenetur filiorum curam habere, idque sub ea obligatione, ut Paulus asserat 1. Corinth. 5. *qui suorum, maxime domesticorum curam non habet, est infidelis, & infideli deterior*. Hinc sequitur 1. Patrem, qui non studet, quantū in se est, ut filius catechesi imbuatur, & necessaria ad salutem condiscat, peccare mortaliter. 2. eum, qui non invigilat, ut filius præcepta Dei & Ecclesiæ, servet, ut ab omni graviore noxâ abstineat: qui non objurgat, non castigat, si deliquerit, peccare mortaliter. 3. addit Navarrus, Parentes peccare mortaliter, qui patiuntur filias suas habere amatores ob malum finem, vel eas à suspectis consortiis non avocant. 4. inquit, qui norunt filias turpem vitam agere veluti fucis & irritamentis, ad inducendum aliquem in peccatum mortale, nec ipsam reprehendunt, neque corrigunt. 5. qui consentiunt, ut cum filia sua sponsa, sponsus habeat tactus impudicos; &c. quare permitti eis non debet, ut soli secreto conversentur quanto ergo gravioris sceleris arguendi sunt parentes, qui ut opulentum juvenem, ad contrahendum cum filia inducant, hoc unum spectant, & filiam instruunt, ut in fornicationem cum promissione de matrimonio consentiat, aut etiam pelliciat? Omnia denique liberorum flagitia, quæ parentes ex officio impedire & punire tenebantur, illis imputanda sunt, ut disertè tradit Origines, *h* dicens: *omnia quæ deliquerint filii, de parentibus requiruntur, qui non erudierint, neque corripuerint eos: hi enim filiorum animos, igni inextinguibili in interitum tradunt,*

a Ambr. l. 6. hexam. c. 4. *b* S. Thom. in ep. ad Rom. cap. 1. lect. 8. in fine. *c* Navar. ench. c. 14. n. 21. 22. *d* Reginal. l. 20. c. 3. n. 41. *e* Antonin. p. 1. t. 14 c. 4. §. 6. *f* Silve. verbo. percussio. *g* Bonac. præcep. 4. decal. disp. 6. punct. 6.

h Orig. l. 1. in Iob.

& se-

& semetipsos in furorem judicii demergunt. hujus, inquit, *evidens exemplum in Heli ostenditur:* quorum filii, post fœdæ libidinis ac sacrilegii admissa flagitia, repentinâ morte perierunt, *ipse verò è cella retrorsum fractis cervicibus corruit.* Quem unum ad terrorē omnium, in hac materia induxisse sufficiat. *Heli nempe*, ut Chrysostomus testatur, *a propter filios periit: illos quippe cum acriùs coërcere debuisset, verbis tantùm lenibus monuit. Quocircà dum illis molestus esse severa increpatione recusat, & illos, & seipsum unà perdidit*; quibus verbis gravissimus Præsul quidem fatetur, hunc Heli, filios monuisse, sed leniter prorsus, ac muliebriter, dicendo: *b nolite filii mei: non enim est bona fama, quam ego audio.* Cùm in eos pro sceleris enormitate, acerrimè animadvertere debuisset. ita hodierna die parentes verbis bissinis filios perstringunt, & vulpinâ caudâ feriunt; cùm virgâ ferreâ corrigendi essent: *c neque enim ideo, quòd malos haberet filios puniebatur, sed quia ultra debitum increpationi pepercerat, ut cùm Dei leges violarentur, severiùs in illis ultus non est.* Sanctissimi parentes quandoque perversos habuere filios, ut Jacob, Samuel, David, nec ideò puniti; sed ii, qui tales tolerarunt, leniùs tractarunt, cum à conspectu arcere, incœnatos dimittere, ad graves pœnas ad ipsius hæreditatis privationem procedere debuissent, ut Theologiæ periti in variis casibus ostendunt, ita Theodoretus filios Heli, sacris arceri, & velut excommunicari, dignitate Sacerdotali privari volebat: *d filiorum iniquitates*, inquit, *non egebant lenibus medicamentis, sed acerrimis & asperrimis. oportebat ergo, cum post primam & secundam admonitionem perseverassent in nequitia, eos è templi ambitu expellere.*

Procopius insuper *à Sacerdotum dignitate amovendos fuisse* decernit. D. Cæsarius Episcopus Arelatensis, Hom. 15. de aspera animæ admonitione: *timeo*, ait, *& nimium expavesco Heli Sacerdotis exemplum, qui pro eo, quòd audiens filios suos adulteria committere, dissimulavit eos aut cædere, aut à communione suspendere; sed tantùm leniter admonuit, & non cum grandi feritate distrinxit, & ipse retrò cadens de sella, fractis cervicibus mortuus est, & nomen ejus de libro vitæ deletum est.* Ecce, quàm grave malum factum est, per negligentiam Sacerdotis. ubi expende illud, inquit Mendoza noster, *e nomen ejus de libro vitæ deletum est* quod negligentiam Heli, in filiis arguendis, adeo gravem fuisse significat, ut sentire videatur, pro illa non solùm mortem temporariam incurrisse, sed etiam æternam. Ne quis autem suspicetur, ob alia fortè admissa flagitia, Sacerdotem Heli tam atrociter à Deo punitum fuisse, exponit sanctissimus Antistes, vitæ illum integerrimæ fuisse, non potatorem, non raptorem, non contumeliosum, aut alio quovis vitio commaculatum: *f cujus cùm vita esset irreprehensibilis, tamen quia filios calcantes Dei legem, non cum severitate corripuit, cum illis etiam jure punitus*

a Chrysost. hom. 9. in 1. tim. 3.
b 1. Reg. 2. c Chrysost. l. 3. de provid.

d Theodoret quæst. 10. in l. Reg.
e Mendoza l. 1. Reg. cap. 2. n. 26. annot. 21. circa lit. sect. 1.
f Chrysost. hom. 17. in Matt. c. 5.

punitus est, & grave subiit supplicium. quæ res uberrimis dignissima lachrymis, conjuges reperire vitæ inculpatæ, orationi instantes, necessitatibus pauperum subvenientes, & hac solâ in filios ac filias indulgentiâ, æternum illis ac sibi parare incendium.

Vnum tamen hîc parentes monitos velim, in omni correctione, & pœnis sumendis, modum adhibendum esse, ut sapienter monet Sapiens, *a paterfam. sit in domo sua, sicut leo evertens domesticos suos.* reperire est, qui non patres, sed tyrannos se filiis præbeant, neque lene verbum, nec blandum vultum præbere, nil indulgere, sed assiduò rodere, carpere, jurgare, cædere, non more parentum, sed carnificum consuevêre, quibus *furor arma ministrat*, nec rarò fustem, ferrum, orbem stanneum, in caput vibrant, cum præsenti mutilationis, aut etiam necis periculo; atque hac de causa, non unum à parentibus filium profugum, ac tandem prodigum & in omne scelus projectum novi. meminerint mansuetudinem, semper severitati attemperandam esse.

a Eccl. 4.

§. IV.

In Arca asservabatur Manna & Virga. b

FAmilia vestra hanc arcam referat, in qua virga & manna reponatur, aut potiùs, ut D. Gregorius ait, hæc duo in scrutinio pectoris recondantur: *c in boni Rectoris pectore*, inquit, *si est virga districtionis, sit & manna dulcedinis.* aliam similitudinem idem Doctor à Samaritano mutuatur, *d alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* quorsum hos duos liquores? *ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur sananda, miscenda ergo est lenitas cum severitate. faciendum quoddam temperamentum ex utroque (quasi ὀξύμελι, seu γλυκύπικρον) ut nec multâ asperitate exulcerentur, nec nimia benignitate solvantur.* vidisti quandoque Citharœdum, testudinem suam componentem, ejusq; chordas explorantem, quæ si laxiores sint, absonum quid reddunt, si verò aliquam remissiorem, nimium fortè tendere voluerit, disrumpit; unde illud Poëtæ, hîc subjici potest: *e ulteriùs ne tende.* ita pensandum est, inquit Greg. *f quòd chorda in Citharâ, si minùs tenditur, non sonat; si amplius, raucum sonat*, aut etiam disrumpitur: sit itaque amor, sed non ‟ emolliens: sit rigor, sed non ‟ exasperans. sit zelus, sed non ‟ immoderatè sæviens. sit pietas, ‟ sed non plusquam expediat ‟ parcens: ut dum se in arce re- ‟ giminis, justitia, clementiaque ‟ permisceant, is qui præest, cor- ‟ da subditorum & terrendo ‟ demulceat, & tamen terroris ‟ reverentiam demulcendo con- ‟ stringat. ‟

Id ipsum Romanus Philosophus sapuit & docuit: *g puer inter utrumque regendus est, ut modò frænis utamur, modò stimulis.* Quare poli-

b Ad Hebr. 9. v. 4.
c S. Greg. 2. part. Pastor. c. 11.

d Luc. 10. e Virg. 6. Æneid.
f Greg. in Iob. c. 30. Greg. cit.
g Seneca l. 2. de ira c. 21.

politica hæc parens præcepta teneat: *a* 1. in tenerâ ætate, pœna numquam par delicto esse debet, quia sæpè inconsideratiâ peccatur. sæpè minis sat est terruisse, & umbra virgæ pro verbere est. 2. à contumelioso dicto factoque abstineat, nec leniùs lingua, quàm virga flagellum est, & nihilo expeditiùs temperatur. absint ergo verborum jacula, indecora nomina, vitia corporis & naturæ tangentia, quæ interdum pro cognominibus adhærescunt. 3. omninò imprecationes & blasphemias evitet, quibus dum se, ac suos (ut plurimi luctuosi exitus comprobarunt) devovet, malum corpori aut animæ accersit. Omnis itaque correptio, *b* & punitio, non cæco impetu, sed attento animo & cum discretione infligenda est, ut Deum, cujus vices parentes gerunt, imitentur. *olim Ægyptii*, ut D. Cyrillus refert, *c volentes significare Deum, pingebant oculum, cui baculum substituebant*; in oculo discretionem, in baculo justitiam adumbrantes. hujusmodi Phænomenon, dum aliquando Ieremiæ objectum, exclamat: *virgam vigilantem ego video*; Vega in hunc locum, *virgam vigilantem*, oculatam justitiam interpretatur, ne per errorem supplicium insonti inferatur, ne etiam in reo dissimuletur. Quare ut concludam, illud mellei Doctoris monitum referamus; cùm quisque filios diligat ut pupillam oculi sui, non minorem curam ac solertiam adhibeat, ut illos quam ut istam illæsos servet: *d pupillam*, inquit, *Deus nitidissimo naturæ vallo munire dignatus est, quia innocentia & integritas levi sorde aspersâ violatur; & ideo perspiciendum, ne quis eam pulvis erroris oblinet, aut ulla vexet festuca peccati.*

e Nil dictu fœdum visuque hæc
limina tangat,
Intra quæ puer est.

Tum subdit: *ad hunc etiam modum parentes custodire debent filios, & ab omni labe impudicitiæ puros tueri; præsertim cùm teneriorem ætatem supergressi, adolescentiæ latiorem campum ingrediuntur.* deplorat hic sacer Orator, nomine & re, laureâ dignus, *f* puellam parentibus orbam, quæ pupilla dicitur, minimè ut pupillam oculi asservari, sed sæpe pulveri committi, cui Tutor, velut Argus centoculus invigilare deberet.

a Contzen polit. l. 4. c. 10. Sacchinus. parœn. c. 11. & 12. de pœnis & obiurg.
b V. Drex. de vitiis linguæ tit. lingua imprecans. *c* Cyrill. Alexand. l. 9. cont. Iul.
d Ierem. c. 1. Amb. l. 6. hexam. c. 9.
e Juven. sat. 14.
f Lauredan. Sibria rer. mort. tit. parentes erga liberos.

EMBLE-

EMBLEMA XXVIII.

In me manet & ego in illo. Joan. 6.



IOVIS OMNIA PLENA. a

DOMINICA PENTECOSTES.

Deus universo orbi intimè præsens est, juxta illud Joan. b *in illo manet, & ipse in eo.* quemadmodum bulla, intus & extus, undique in aëre versatur. quæ intima numinis præsentia:

§. I. *Medium ac remedium præsentissimum est, ad omnia flagitia evitanda.*

§. II. *Dei præsentia, efficax ad omnem virtutem & perfectionem, incitamentum.*

a Virg. Eclog. 3. b 1 Ioan. 3.

DOMI-

Apud vos manens. Joan. 14.

CURIOSA quæstio, Philosophos imò & Theologos inter, ventilatur: ubi mundus sit? quid extra mundum sit, si quis caput supra empyreum protenderet, an illic aërem, an lucem, an tenebras reperturus esset? Philosophi passim mundum nullibi, in nihilo, in spatiis imaginariis (in quibus imaginantur plures alios mundos possibiles) ponunt. quod Carolus Borbonius innuit, *a* dum pro symbolo suo, sphæram orbis terrarum, à filo ex manu pendulam sumpsit, cum hac epigraphe: *ex nihilo res maxima.* Sed in rem nostram verè eruditè Lessius, *b* divinam essentiam extra mundum, velut lumen, in immensum diffusam esse docet: sic Deum olim contemplatus David, Psalm. 144. exclamat: *magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Job. cap. 11. *excelsior cœlo est,* inquit. Sapiens 2 Paral. 6. *cœli cœlorum non te capiunt.* unde Deus immensum illud spatium est, non imaginarium, sed maximè reale, licet non corporeum; hæc verò mundi machina, *c ponderibus vibrata suis,* in Deo est, *sicut globus vitreus in lumine Solis: lumen enim interius totum globum penetrat, & exterius ambit, in immensum se diffundens usquequaque.* quid adamante densius, quid durius? hunc tamen Solis radius penetrat & *intima lustrat.* Vel si lubet cum Augustino, divinam essentiam, quasi infinitum Oceanum, in immensum diffusum, in eoque mundum, ut spongiam immersam contemplare: *d constituebam,* inquit, *in conspectu spiritus mei universam creaturam, & feci unam massam grandem, distinctam generibus, sanè finitam; te autem Domine ex omni parte ambientem eam, & penetrantem, sed usquequaque infinitum: tamquam si mare esset ubique & undique, & per immensa spatia, & haberet intra se spongiam quamlibet magnam, sed finitam. sic creaturam tuam finitam, te infinito plenam putabam & dicebam: Ecce Deus, & ecce, quæ creavit Deus, & ecce quomodo ambit & implet ea.* meritò ergo hodie dicitur nobiscum esse, ac nobiscum manere, cùm intimius illi simus, quàm spongia mari; aut globus vitreus soli; aut bulla aëri, quæ *Iovis undique plena:* quia *in ipso vivimus movemur & sumus.* Hæc immensitatis divinæ speculatio non vana aut profana est, sed sancta & salubris, ut ex dicendis patebit.

a Garassus doctrin. Curieus. l. 7. sect. 21.
b Less. de perfect. divin. l. 2. c. 2.
c Less. cit. l. 2. c. 3.

d S. Aug. l. 7. conf. c. 7. *e* Act. 7.

§. I.

Ad flagitia omnia evitanda, medium ac remedium efficacissimum.

SEneca epist. 11. ad Lucilium: *accipe utilem & salutarem epistolæ clausulam, quam te affigere animo volo: aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus,*

habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus: magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. aliquem habeat animus, quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum, qui sic aliquem vereri potest, ut ad memoriam quoque ejus se componat, atque ordinet; qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Christianè à Gentili, cujus doctrinæ veritas in comperto est: quis enim discipulus in conspectu Magistri, quis famulus præsente Domino, quis plebejus coram Principe aut Rege gravius impingere aut flagitium admittere auderet? ut bene observat Magnus Basilius dicens: *a quis latro coram judice furari audeat, quis alterius potestati subjectus, in oculis Principis ausurus sit aliquid, quod displiceat?* quin potiùs si quod animo conceptum aut inceptum facinus, ad præsentiam eorum disturbatur, dissipatur: Job id de se manifestò testatur: *b videbant me juvenes, & abscondebantur, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo*; quid præsentia Dei non efficiet, quomodo non mutabunt sermones & mores, ubi illud occurrit: *Deus adest?* si hoc spectante & audiente, juvenes & proci cum puellis versentur ac fabulentur, quàm castè, quàm cautè! sanctitas unius Bernardini Senensis tantum apud homines valebat, ut qui dissolutiores aut liberiores erant, ad præsentiam Bernardini sermonem abrumpere, sese componere solerent, dicentes: Bernardinus adest. quid quod Tertulliano attestante, olim tanta in veneratione occursus fuit Christiani, ut vel ad aspectum pallii ejus erubescerent: *c de occursu meo,* inquit, *vitia suffundo, ô quàm grande pallii beneficium est, sub cujus cogitatu, vel improbi mores erubescunt.* Narrat P. Suffren, *d* à paucis annis personam magnæ dignitatis in aula Regis Franciæ, sibi dixisse: si illi occurreret obscœna quæpiam cogitatio, aut suggestio mali genii vehementiùs impelleret, conspectum aut præsentiam solam cujusdam Dominæ, integerrimæ vitæ in aula, quam nominabat, ita animum ejus à scelere avocare, ut pudore suffunderetur hac præsente, vel cogitare: sed saniorem mentem reciperet efficacius, quod narrat Ambrosius: quicumque haberet fomitem impudicitiæ, solo conspectu B. Virginis, omnis motus subsidebat, ejusque præsentia pudicitiam oculis afflabat. Vidistis quandoque inter studiosos pugnam, aut dissidium exortum, clamores ac vociferationes; Magistro accedente derepentè omnia componi. in foro quandoque seditio inter plebejos, ingentes turbæ, summus tumultus: Consule aut Prætore adveniente, omnia ilicò sedantur, expressit id graphicè Poëta: *e*

Ac veluti, magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus:
Iamque faces & saxa volant, furor arma ministrat;
Tum pietate gravem ac meritis, si fortè virum quem

a S. Basil. Reg. brev. c. 29. *b.* Iob c. 29.

c Tertull. l. de pallio c. 5.
d l'An. Sacré P. Suffren, pag. 54. fusè.
e L. 1. Æneid.

Con-

Conspexère, silent, arrectisque auribus adstant.

His enarratis appositè subinfert Ambrosius: a *hominis testimonium declinamus, & in conspectu Dei, quæ sunt indigna, committimus. injuria est homini, spectari flagitia; Deum arbitrum omnium esse scimus, & eo teste peccamus.* An plus hominem quàm Deum veremur, & reveremur? compello vos, si quid in familia vestra quandoque indecens, si quid jurgii inter conjuges, inter fratres, ubi vir honoratus adesse nuntiatur, nonne subitò sermo omnis abrumpitur, omnis cholera frangitur? Basilius in Reg. brev. difficile quidem ait esse comprimere choleram, & tamen b *potest miles coram Rege hic non irasci, ob solam Regiæ dignitatis eminentiam. si ergo potest tantum modica differentia inter duos ejusdem naturæ, quantò efficacior erit cogitatio, Deum esse præsentem qui omnes omninò motus perspicit.* Homerus refert Achillem, hominem præfervidum & irâ concitatum, in Atridam irruentem, præsentiâ Palladis supervenientis lenitum, & manum à capulo amovisse, à cæde temperasse. Sunt famuli minùs fidi, qui clanculum sæpe nummum aliquem suffurari: sunt ancillæ, quæ ingluvie stimulante, clanculum quid edulii, quid cupediarum, quid vini promere auderent; sed hero aut hera inspectante, quis id audeat? August. epist. 111. *hoc nempè servulorum linguas & manus coërcet, ut nec flosculum carpant, nec pomulum in horto capiant, nec frustulum panis sublegant, si nullam sibi herilis absentiæ securitatem polliceri queant; hinc crebriores querelæ: Dominus mihi semper à tergo hæret, loco quo minimè formido, deprehendor.* Nonne manifestum est: c *maxima pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis aßistat?* si vir probus præsens sit? putabat certè S. Bernardus sufficere ad omne peccatum vitandum, unum aliquem è cœlesti illa curia dynastam, angelum tutelarem sibi præsentem, ut Pædagogum, ut Magistrum contemplari. quam doctrinam mellifluus hic Doctor ex Ambrosio suxisse videtur, qui serm. 1. in Psal. 118. sic ait: *quamvis cum Ancilla vel meretrice vulgari; si quem fortè spectatorem cognoverit facinoris sui, pudore tamen inceptum deserit; quantò magis, si quis allevet mentis oculos, & consideret plena esse Angelorum omnia, aërem, terras, mare, Ecclesias, quibus Angeli præsunt, concepto potest renuntiare peccato?* ex quo concludit, quantò majorem ruborem incutere debeat, Dominum Angelorum inspectorem habere. Eccl. 23. *quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? & non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, &c.* quæ verba Ambros. sic exponat: d *non reveritus esses Angelorum præsentiam, si præsentes esse crederes? non metueres non dicam facere, sed loqui, aut aliquid cogitare, quod pravum est, si tibi divina Scriptura suasisset, quia Deus cogitationum arbiter est, secretorum testis. hominem vereris præsentem, Dei Patris, & Filii non vere-*

a S. Ambr. apolog. de David. c. 10.
b S. Basil. in Reg. brev. 21. 29. & 30.

c Senec. ep. 11. ad Lucil. S. Bern. in Psal. 90. d Ambr. in Ps. 118. serm. 1.

tis præsentiam. sed non vis credere, ne possis cavere. noli sicut cæcus aut surdus, qui eò quod non potest audire, nec videre præsentes, dum putat nullum esse, perpetrare adoritur, quod arbitratur esse secretum; ita tu putas, quod sine teste delinquas, putas te solum esse cum fornicaris, & non recordaris, quia oculi Domini lucidiores Sole, vident orbem terrarum. adest Pater, adest & Filius, adsunt ministri, adsunt Cherubini & Seraphini, qui dicunt SS. SS. SS. plena est terra majestatis tuæ. putas quod in adulterio te non deprehendet, quem videt adulterium cogitantem?

Cantipratanus refert de quodam, *a* qui pudendum scelus admiserat; nec ausus confiteri, habitu peregrini Christum obviam habuit, qui sic illum paucis affatus: age si te aliqua tui teneat miseratio, si salutis amor, si desiderium veniæ consequendæ, frigida caput mihi ablue: & ecce, videt in vertice oculum; hîc hærere, mirari, exclamare: quid hoc? quod hominis monstrum, cui oculus in vertice? Tum JESUS: ille, inquit, ille est oculus, qui te in abscondito peccantem vidit, quem nulla scelera possunt latere. Ille oculus semper vigilat, semper tibi intentus, & te fixè intuetur assiduò, ac si non intenderet aliis, *b speculator perpetuus, veluti si totius creaturæ tuæ, cœli & terræ oblitus, tantum me solum consideres, & nihil sit tibi cura de aliis.* Dum David in conclavi literas Uriæ exararet, speculator adstat desuper, in eum intentus: *c immota tenebat lumina*, & omnes characteres discernens. Dum Bethsabeam ex summitate palatii spectabat, speculator adstat desuper, *immota tenebat lumina*, viditque adulterium cogitantem, hoc est, quod Nathan ei exaggeravit 2 Reg. 11. *quomodo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu Domini?* Quod Regi pœnitenti semper inhæsit: *peccavi & malum coram te feci*. Dum duo illi senes, pomario clauso scelus anhelarent: *immota tenebat lumina*. Dum tu Adolescens nuper solus in cubili tuo, amatorias literas conscriberes: *immota tenebat lumina*. Dum obscuro vespere cum tali puella in angulo domus, dum tu famule cum ancilla in cavea, in solario: *d immota tenebat lumina*. Dum tu conjugate foris deambulans, in nemore cum aliena uxore: *immota tenebat lumina*. Dum tu Religiose ostio clauso, in oratione evagaris, stertis, studes: *immota tenebat lumina*. Quo non rubore ejusmodi suffundi necesse est? Maximilianus I. Imperator bellum cum Venetis gerens, pecuniam undique collegerat, cumque hæc super mensam in conclavi esset effusa, aulicus solitarius cubile ingreditur, & auri fulgore captus, clam manum implet, & in crumenam immittit. Sed speculator adstabat desuper, qui *immota tenebat lumina*. Imperator, qui rem totam è fenestrâ adversâ conspicatus fuerat, conclave ingreditur, aulicos adesse jubet, adest & fur, ad quem Imperator: numquid ex hoc acervo velit? Hic recusare, agere gratias quasi urbanior. At Imperator, quin accedis, inquit, & manum im-

a Lib. 2. apum c. 20.
b Aug. solil. c. 14. *c* 4. Æneid.
d Drexel, Nicetas l. 2 c. 10.

pleas; quod dum facit, & ad crumenam tendit, Maximilianus apprehenso ejus brachio, depone, inquit, priùs aureos, quos ante in crumenam conjecisti, & videamus si uno pugno tantum, quantum altero sustuleris. Hic se miser ad pedes Imperatoris prosternere, veniam postulare, jussus abesse ab oculis, qui omnia viderant: ope Sphingites à Cæsare conspectum, ait Drexelius. Oculus cœlestis illius Imperatoris semper in nos intentus, numquam dormit; ab hoc si nos undique conspici cogitaremus, quàm circumspectè ageremus, Ægyptii Deum, mundi oculum appellabant. Pausanias refert in Corinthiacis: Jovis simulachrum trinoculum celebrari, ob triplex in superos, medios, & inferos imperium; at Deus noster, Argus centoculus est, totus oculus est. August. epist. 3. ad Fortunatum: *ego*, inquit *dico, quòd Deus totus oculus est, totus manus est, & totus pes est: quia omnia videt, omnia operatur, & ubique est*, Religiosè juxta ac ingeniosè lusit noster Poëta:

Godt is een Pauwen-steert, hy steeckt rondsom vol oogen,
Hoe verr' dat ghy vertreckt, hy is u voor gevlogen:
Elck oogh staet op een pen, en waer wat wordt gedaen,
Dat stelt hy stracks te boeck, en schrijft het wacker aen.

Sive sis in vastissima solitudine, sive in turri ahenea, sive in densissima nocte, clausis ostiis, fenestris, cortinis, nusquam lates. Quod disertè idem doctor expressit: *ipse timendus est in publico, timendus est in occulto: procedis, videris, intras, videris; lucerna ardet, videt te; lucerna exstincta est, videt te; time illum, cui cura est ut videat te; castus esto, aut si peccare vis, quare ubi te non videat, & fac quod vis.* Hac salutari doctrinâ S. Ephrem Syrus, impudenti scorto ruborem injecit: dum adhuc Juvenis esset, coquebat in cellulâ nescio quid olerum in cœnam, dum ad illum fœmina visit, & lascivè per fenestellam prospiciens, numquid pulmentarii deesset perquirit: ille voce agnita, oculis in terram dejectis, deest, inquit, non parum calcis, & quinque lateres, quibus fenestram obturem. Dum hæc procacior instaret, & ad flagitium incitaret, Ephrem piè callidus non difficilem se fore adsimulavit, si in frequenti foro facinus patrare ei animus esset: erubuit, quamvis impudens prostibulum, & an, inquit, in oculis omnium peccare non vereberis? tum enim verò ille, & tu adeò frontem exues, ut ubi, ubi fueris, illum omnia videntem cœli oculum non exhorrescas? audivit, resipuit, & oculum Dei deinceps semper in oculis suis mulier habuit. Vtinam cum illâ nos etiam! minus anguli peccarent. Sic Paphnutius Thaidem, a ad meliorem frugem reduxit, dum militem indutus, lupanar ingreditur, penitius ac penitius penetrare petit; Thaide asserente locum tutum, ab arbitris remotum, à nemine se conspici posse, solo Deo & Diabolo excepto; & hunc, inquit miles, non times? Vt homines latere possimus, Dei oculum lynceum, omnia perspicientem non latemus. Apo-

a Rosweid. vitæ Patrum.

logus est in hanc rem non infacetus: cervus venatores fugiens, in stabulum se proripuit, mulum rogat illic sub fœno delitescere sinat; respondet mulus, parum ibi securum fore, brevi dominum & servum adfore, qui facilè deprehenderent. At tu, inquit, cervus, tantum ne me prodas. Vix se abdiderat, intrat famulus, equum pectit, adornat, nec cervum latitantem reperit, eo abeunte, cervus gestire, omnia salva æstimare. Sed mox adest herus, qui cornu cervi prominere videns, complosis manibus servos inclamat, comprehenditur, trucidatur, ita carcerem pro asylo reperit. Servi sunt homines, quorum oculos fallere facilè, sed non lyncei illius patrisfamilias. Fingant Poëtæ annulo Gygis aut galeâ Plutonis (ut est in proverbio) armatos latere posse, & hominibus invisibiles fieri; at certè nullæ præstigiæ oculos Dei fascinare queunt. Feriat vos magis ignitum illud Chrysostomi eloquium, qui gravissimis verbis exaggerat: *a hoc universum orbem conturbat, quod ad homines aspicientes omnia agimus, & despecto Deo homines formidamus; præsente quidem homine nemo voluerit scortari, sed etiamsi millies malo utatur, vincitur tyrannis vitii ac perturbationis, à pudore hominum; Deo autem vidente non solum adulterium admittitur, & scortatur, sed etiam multa graviora alii admittere ausi sunt & audent: hoc enim solum an non sufficiet, ad mille è cœlo dejicienda fulmina?* Hoc enim solum, nonne sufficiet, ut peccatorem salubri terrore percutiat, cum nusquam se abscondere possit è conspectu Dei, & judicis cuncta cernentis? Vbi documento esse poterit, quod Salianus commemorat: *b* Darius Istrum trajecerat, & pontem solvi jusserat, ut equitatum Scytharum insequeretur, ac prorsus deleret: qui fugam simulantes, exercitum Darii defatigarunt. Cum jam Persæ in desertis Scytharum Regionibus inopiâ laborare cœpissent, miserunt Scythæ ad Darium caduceatorem cum muneribus: *mure, rana, volucri & quinque sagittis*; jubentes eos, si solertes essent, intrepretari, quid illis significarent: Darius Scythas deditionem velle facere dictitabat; at Gobrias, hoc dicere dona rectiùs utique conjectabat: *O Persæ, nisi aves effecti subvoletis in cœlum, aut mures subeatis terram, aut ranæ insiliatis in paludes, non remeabitis unde venistis, his sagittis confixi.* Hoc enim verò de te olim Propheta vaticinatus est, qui illud meritò usurpare potes: *c quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Etiamsi fiam avis, non effugiam: *nam si ascendero in cœlum, tu illic es:* frustrà intimos terræ sinus, talpæ instar penetraro. *Nam si descendero in infernum, ades.* Nec si piscis instar, in profundum maris me recepero: *si sumpsero pennas meas diluculo, & habitaro in extremis maris, etenim illinc manus tua &c.* D. Thomas 1. p. q. 8. art. 3. docet Deum ubique esse *per potentiam*, uti Rex est in toto Regno, in quantum omnia ejus potestati subjecta sunt. *Per præsentiam*, uti spectator præsens est Comœdiæ, in quantum omnia

a Chrysost. in 1. ad Cor. 14. hom. 12.

b Salian. annal. tom. 5. pag. 65.
c Psal. 138.

nuda,

nuda, & aperta oculis ejus. *Per essentiam:* atque ita dicitur aliquid esse in loco, in quo ejus substantia habetur; Deus autem per essentiam omnibus creatis longè intimiùs præsens est, quàm anima corpori, aut ulla res sibi ipsi; singulis arenis maris, singulis guttis profundi, totus intimè præsens, medullis terræ, toti substantiæ ferri, aut marmoris intimiùs præsens, quàm spongia aquæ. Nihil tam durum, tam densum, ubi non intimè Deus noster lateat. Fuit, qui hanc intimam Dei præsentiam scito emblemate adumbravit: dum radium solarem adamantem penetrantem pinxit cum hac epig. *Intima lustrat*, ut enim adamas densissimus ac durissimus sit; undique tamen ac intimè luce pervaditur, ut vel nævi atomique conspicui sint: ita omnia oculis Dei diaphana, omnia crystallina: omnibus intimior, quàm radius adamanti. Hoc si attentè nobiscum expenderemus, parietes, januas, domum crystallinam, totam esse, undique diaphanam, ac oculis hominum conspicuam, qualem vitam duceremus? Seneca epist. 43. *tum felicem te esse judica, cùm poteris in publico vivere: cum te parietes tui tegent, non abscondent: quos plerumque circumdatos nobis judicamus, non ut tutius vivamus, sed ut peccemus occultius. Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros vix, quempiam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Sic vivimus, ut deprehendi sit, publico aspici.* Vbi nunc Romanus ille, cui cum faber offerret, sic in altum domum educere, ac fenestras collocare, ut à nemine, quid intus ageretur videri posset; ille duplex pretium obtulit, si facere posset diaphanam ut ab omnibus conspici posset, sic nos ethnicus vivere volebat Seneca: *Sic certè vivendum*, inquit, *tamquam in conspectu vivamus, sic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum inspicere possit, & potest: quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil Deo clausum est, interest animis nostris, & cogitationibus mediis intervenit.* Nomen JESU, & SS. Trinitatis reveremur, & Deum ipsum præsentem non veremur. S. Thomas opusc. 58. cap. 2. *Si Dominum præsentem, & omnia videntem, & judicantem semper cogitaremus, aut vix aut numquam peccaremus!* S. Hieronymus absolutè loquitur: *a memoria Dei excludit omnia peccata.* Gen. 39. uxor Potipharis sola erat in domo cum Josepho, intrat ille solus cubile, nemine conscio, ad scelus solicitatur: non alio clypeo, inquit, Basilius, se armavit, & victor evasit, quàm præsentiâ Dei, creatoris sui. Susanna videbat ostia pomarii clausa, altos parietes, à nemine mortalium se conspici posse, quid à scelere deterruit? Danielis 13. dicunt illi complices: *Ecce ostia pomarii clausa sunt, & nemo nos videt.* Nemo nos videt? Itane verò secum Susanna, quæ Dei oculum sibi intentum videbat: *melius est mihi*, inquit, *absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in* conspectu Domini. recté Cassiodorus: *qui semper mentis oculum in Deum habebat defixum, se ad peccatum non demittit.* Et Clemens Alex. libro 3. Pæd. *hac solùm ratione fit, ut quis num-*

a S. Hieron. in c. 22. Ezech.

quam labatur si Deum sibi ipsi semper adesse existimat. Hinc S. Basilius contra omnes animi morbos, hanc Dei præsentiam præscribebat: si quis ad eum recurreret, rogaturus quemadmodum distractiones ac evagationes in oratione pellere posset? hoc in medelam adferebat: *Deum tibi semper præsentem cogita*, si quis obscœnis se impugnari cogitationibus, aut alia maligna suggestione, querebatur: id unum pro scuto objiciebat, *Deum tibi semper præsentem cogita, &c.*

Scire vis, quomodo non solum in templo, sed & in cubiculo, inter 4. parietes, mane & vesperi decenter & ferventer orare valeas? *Deum præsentem cogita.* Scire vis, quomodo tentationes ac infestationes carnis, & dæmonis superare queas? *Deum præsentem cogita* intimis animi recessibus. Testatur id S. Ephrem l. de virtute: *nihil pejus graviusque est, quàm ipsius Dei oblivionem capere: continuâ enim Dei recordatione, turpes animæ passiones recedunt instar maleficorum, Prætore accedente.*

Scire vis ô Mercator, quomodo in negotiis ac contractibus omnem fraudem ac dolum evitare queas? Deum tecum contrahentem vide. Scire vultis, quomodo in mensa crapulam & ebrietatem, detractiones, & lascivos sermones cum sexu dispari evitare possitis? Deum vobiscum convivam cogitate, non tantùm spectantem, sed & in singulis accumbentem, uti viri sancti ac Religiosi plurimi faciunt, quibus applaudit Propheta: *a justi epulentur, & exultent in conspectu Dei.* Denique si in foro, si in curiâ, si in templo, si in cubiculo, si in lecto, citra peccatum vivere velis, Deum præsentem cogita. Suffragatur S. Ignatius Martyr epist. 9. ad Heronem Diaconum: *Memento Dei, & non peccabis: duobus autem modis Dei præsentia antidotum peccando præstat, & quia nos Deum intuemur, & quia Deus nos intuetur: etenim, quem memoria Dei occupat, minus patet aliis cogitationibus, & præsertim malis. Deinde quatenus à Deo conspici credimus, coram tanto arbitro & judice nostro, peccandi audaciam cohibemus.* Quo sanè reverentiali timore, vel idololatræ erga suos Deos ducti sunt, ut Cyrillus Alexandrinus catech. 4. ubi ait: *cùm aberraverint quidam ab uno Deo, alii quidem Solem ponebant, ut occidente Sole, noctis tempore sine Deo essent, alii verò Lunam, ut in die Deum non haberent; in hoc saltem in ista impietate pii, quod suorum numinum oculos revererentur.* Cùm verò fides Christianos convincat, omni loco ac tempore Deum nostrum præsentem esse, rectè Athenagoras inferre voluit, nos quasi impeccabiles esse: volens enim probare M. Aurelio Imperatori & filio ejus Commodo, quantum Christiani abessent à sceleribus, quæ ethnici illis imputabant, ut in odium illos adducerent, hanc rationem adfert: quòd fides Christianos obliget credere, quòd Deus illos videat noctu diuque ac omni loco, non modò dicta & facta, sed & cogitationes ac animi sensus. Vnde, inquit, necesse est, in illis sit magnus timor peccandi, & reverentia tantæ majestatis præsentis. Sic ut

a Psal. 67.

ut necessitatem quandam bene agendi inducere videatur, si Deum fide verâ ac vivâ semper ante oculos habeamus. Quod Boëtius affirmare non dubitavit dicens: *a Magna vobis, si dissimulare non vultis, indicta necessitas probitatis, cùm omnia agitis ante oculos judicis cuncta cernentis.* Qui Deum præsentem habet, videtur tam impeccabilis ac ipsi cœlites. Ambr. in illa verba: *hodie mecum eris in paradiso*: pulchrè, inquit, subjunxit, mecum eris in paradiso; hoc est, noli timere, ne tu cadas de paradiso sicut cecidit Adam; sed audi, quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Cujus solius considerationis defectu indies in peccata prolabimur, & omni tempore mortales prolapsi sunt, testante Regio vate: Psalm. 9. *non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius omni tempore*; quomodo hortus, villa, prædium sylvescunt, ubi Dominus abest, ut observat Columella l. 1. c. 1. *non assiduus labor & experientia villici, non facultates, non voluntas impendendi tantum pollent, quantum vel una præsentia Domini: quæ nisi frequens operibus intervenerit, ut in exercitu cum abest Imperator, cuncta cessant officia*, jacent omnia, squallent omnia.

a Boët. l. 5. prof. ult.

§. II.

Dei præsentia, efficax ad omnem virtutem & perfectionem incitamentum.

ABraham 99. annorum audit à Deo: *b ambula coram me, & esto perfectus.* Tobias præcipit filio suo: *c omnibus diebus vitæ tuæ, in mente tua habeto Deum.* Ezechias Rex deprecabundus, hoc in commendationem sui adfert: *memento quæso quomodo ambulaverim coram te.* Ita Christus olim testatus S. Mechtildi, *d* quæ videbat S. Gertrudem ambulantem, semperque oculos in Christum habentem, qui in throno considebat; quod dum Mechtildis admiratur, dixit Christus: Hæc filia semper ambulat coram me, unde & illam manu de cubiculo in cubiculum deducebat, dicens, quòd illam non desereret, quæ semper secum esse vellet. Plura in hanc rem Nierenbergius, *e* è quo pauca hæc delibavi: devotus P. Joannes Suarez, quem, inquit, ego adolescens satis novi Compluti, & veneratus fui: quàm coram Deo ambulaverit, ex eo collige, ita illum exercitio præsentiæ Dei usum fuisse, ut quotquot gressus poneret, tot charitatis actus ad Deum inspectorem sui mitteret. Celebrata fuit illa mulier Lacæna, quæ ad filium ex vulnere in bello accepto claudicantem dixit: macte fili! non gradum pones sine memoria virtutis: melior gratulatio est servis Dei, qui non gradum ponunt, sine memoria divinæ bonitatis. P. Joannes Sebastianus, *f* cùm coram illo transisset P. Alphonsus Cortesius, vidit ad latus Alphonsi comitantem Christum pulcherrima formâ, ac familiariter cum illo confabulantem: cumque illum rogasset Sebastianus, an cogitaret tunc de

b Gen. c. 17.

c Tobiæ c. 4. d Sainct. jure de la cognoissance de Dieu. l. 3. c. 4.
e Nierenb. doctrin. ascet. l. 4. c. 38.
f Nierenb. cit.

Christo Domino fassus est Cortesius, sibi videri Jesum Christum semper ad latus habere, cujus Societate plurimum solatii capiebat. Hoc est ambulare coram Deo. Sic magnus Patriarcha noster Ignatius *a* Deum speculari solebat, in omnibus creaturis existentem, in iisque operantem & laborantem. nonne de his meritò dici potest illud, quod olim Iacob Gen. 5. *Deus in cujus conspectu ambulaverunt patres mei.* Hortatur & nos Regius Psaltes: *b quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Per faciem Domini, inquit Augustinus, *c* ipsa ejus præsentia indicatur, ac consequenter faciem Domini quærere, aliud non est, quàm semper in ejus præsentiâ ambulare; hoc porrò exercitium ait S. Hesychius & Bonaventura, est *d quodammodo beatitudinem cœlestem in hac vita auspicari.* Sanctorum quippè beatitudo in perpetuâ Dei visione consistit, ut ejus numquam conspectu priventur. Cùm ergo in hac vitâ Deum clarè, & facie ad faciem intueri non possimus, sed in speculo per fidem, quantum humana fragilitas patitur, in eo saltem cœlites imitemur, ut semper & ubique eum nobis præsentem cogitemus: quò nos beatis beatiores, (si spectes cumulum gratiæ & gloriæ) efficiamur. Quod in terris, cœlestem ac Angelicam quandam vitam ducere est. Nam sicut Angeli, qui ad nos custodiendos ac tuendos deputati sunt, ita his se ministeriis impendunt, ut tamen beato Dei conspectu neutiquam priventur (ut Raphaël Tobiæ ajebat) *e videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* & Matth. ait: *f semper vident faciem patris mei, qui in cœlis est.* Ita nos quibuscumque occupationibus distinemur, semper oculum mentis in Deum habeamus intentum, exemplo illius, qui inter gravissimas aulæ occupationes, & belli negotia dicebat: *g providebam Dominum in conspectu meo semper.* Ad hoc nos stellæ ac luna, splendore suo excitare tacitè videntur: sicut enim & illæ & illa, omnem suum à solis præsentiâ lumen mutuantur, eoque absente defectum ac Eclipsim patiuntur; ita animus ab hujus solis præsentis radiis, virtutis fulgorem & lumen, quod crescat usque ad perfectam diem mutuatur. Hinc SS. Patres hoc exercitium tam sedulò inculcant: Ambrosii & Bernardi hæc doctrina est: *h Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordiâ, sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria.* Alio verò loco idem Bernardus: *i in omni actu vel cogitatu suo, sibi Deum adesse memoret Religiosus; & omne tempus, quod de ipso non cogitatur, perdidisse se computet.* Nullum verò temporis momentum otiosè transiget, nullam horam sine linea spiritualis profectus ducet, nullum passum sine gradu gratiæ ponet, nullam gratiam in

a S. Ign. lib. exercit. contempl. amoris Dei. *b* Psal. 104.
c Aug. hic. *d* Bonav. L. 2. opusc. de perfect. relig. c. 20.

e Tobiæ 12. *f* Matth. 18.
g Psal. 15. *h* Ambr. l. de dign. condit. hum. *i* Bern. in speculo monach.

vacuum accipiet, qui Deum operum inspectorē attenderit, illudq; assiduò mente volverit: *a vivit Dominus, in cujus conspectu sto*, ambulo, scribo, lego. quam moralem bene agendi necessitatem, ex motivo Dei præsentis, quò sibi efficacius infigeret Alexander Pontifex (ut refert Caraciolus in vita Pauli IV.) solitus erat collo, in globo aureo circumgestare sacram hostiam, ut Deum operum suorum inspectorem attentius contemplaretur. non opus est nobis SS. Christi corpus circumferre, ut Deum præsentem habeamus: nam sicut de fide est, Deum esse in Eucharistia etiam corporaliter, ita de fide est hîc esse præsentem in foro, in cubiculo, in omni loco realiter, secundum divinitatem: de fide est, illum omnia videre, audire, interesse omnibus, & intimis animi recessibus; quod vel ethnicus vidit: *b propè est à te Deus, tecum est, intus est, ita dico Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator. Ipse*, inquit Iob, *c considerat vias meas & cunctos gressus meos enumerat*; quasi diceret, Deus me, ceu testis oculatissimus, desuper contemplatur, ac vestigia mea enumerat. atque inde S. Augustinus in illud Psalm. 32. *firmabo super te oculos meos*, velut paraphrasticè ait: *non à te auferam oculos meos*, quia & tu non aufers à me oculos tuos; semper eos in te defixos habebo, sicut habebat ille, qui dicebat: *d oculi mei semper ad Dominum*. Dicamus ergo cum suavissimo Bernardo: *O Domine Iesu, quomodò potero tui oblivisci, qui mei dignatus es recordari?* qui me dignaris assiduò in omni loco contemplari? unde ut rectè monet Nazianz. *e non tam sæpe respirare, quàm Dei meminisse debemus*: ut quemadmodum ad cor refocillandum, & spiritum ducendum, respiratione opus est, ita ad vitam animæ, Deum *in quo vivimus, movemur & sumus*, aspirare & respirare debemus. plura qui volet, consulat *Sainct Iure* lib. 3. c. 7. & opuscula spirit. Lancicii præclara fol. 164.

Alterum est, hoc exercitium cuilibet afflicto, & quavis corporis infirmitate affecto, solatio; inter gravissimas verò carnis & dæmonis luctas versanti, stimulo esse posse: *f quia juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde*; & alibi: *g cum ipso sum in tribulatione*, in tentatione, in ægritudine, & quavis animi ac corporis infirmitate; quod Regulus ille ignorabat, *h cujus filius cum infirmaretur Capharnaum*, rogabat Iesum ut veniret ad ædes, ægrum accederet, quasi corpore absens illi non adesset: *mementote*, inquit Gregorius, *i quid petiit, & aperte cognoscetis, quia in fide dubitavit: poposcit namque ut descenderet, & sanaret filium ejus. corporalem ergo Domini præsentiam quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. minus itaque in illum credidit, quem non putavit salutem posse dare, nisi præsens esset & corpore. si enim perfectè credidisset, procul dubio sciret, quia non esset locus, ubi non esset Deus*. Quare si vicini, si ami-

a 4. Reg. 3. *b* Seneca ep. 41. *c* Iob 31. *d* Psalm. 24.

e Naz. orat. 1. Theol. *f* Psal. 33. *g* Psal. 90. *h* Ioan. 4. *i* Greg. hom. 28. in Euang.

ci, si filii, si parentis præsentia ægrum soletur, quantò efficacius, si benignissimum Iesum, si filium Dei, parentem optimum, verissimum animæ & corporis consolatorem, ac medicum præsentem sibi, lecto assidentem, sibi inservientem, lectulum versantem certa fide expenderit: quocumque enim te vertis & verteris, suam ille adjutricem manum, longè promptiori charitatis ardore, quàm ullus infirmarius tibi admovet. juxta illud Psaltis: *a Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum stratum versasti in infirmitate ejus.* Sensus est, inquit Lorinus, fore ut Deus tamquam diligens famulus, qui nocte & die ægro adest, componat, sternat, vertat, explicet stratum, aut aliud supponat, ut meliùs ac molliùs æger cubet & quiescat. nec incongruè morbus, Christi visitatio appellatur, quæ arguit præsentiam ejus amicam ac singularem: si dolores invalescant, si dæmonum infestationes insurgant, athletam Christi solate Imperatoris sui spectantis præsentia, brevem hanc non Romani, sed Carthaginensis oratoris adhortationem usurpa: *b dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, qui non sic est, ut servos suos tantùm spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri, & coronat pariter, & coronatur.* Novimus & experientiâ edocti scimus, quantum animorum militibus adferat, in Ducis sui conspectu confligere, hostium cuneos infringere, urbis mœnia incendere, non indecoro pulvere, sed & sanguine notari. quod idem fortissimus ille pugil confirmat: *c ad agonem secularem & exercentur homines, & parantur, & magnam gloriam computant honoris sui, si illis, spectante populo & Imperatore præsente, contigerit coronari. ecce agon sublimis, spectat nos certantes Deus, spectant Angeli, spectat Christus &c.* quid lapides torrentis Stephano dulces effecit? quid inter saxorum grandinem, invictum infractumque animum servavit? nisi Ducis sui adstantis præsentia? *d video*, inquit, *Iesum stantem à dextris virtutis Dei*, quâ mirificè delectatus est, & ut Ambrosius ait: Stephanus interritus inter hostes & saxa stetit, quia immobilis fide, immobilem Christum vidit, illique se totum, animo obtutuque affixit. itaque eo spectante decertavit, ut in æternum meruerit coronari.

a Psal. 40.
b S. Cyprian. l. 3. epist. 25.

c Cyprian. l. 4. epist. 6.
d Act. 7. V. Corn. hic.

EMBLE-

EMBLEMA XXIX.

Date & dabitur vobis. Luc. 6.



——PLENIOR VNDA DEFLVET. a

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

De centuplo: quod eleemosyna refundit, multò copiosiùs quam ullo fœnore aut usurâ queat comparari.

§. I. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* b

§. II. Tullianum illud expenditur: c *Est liberale officium, serere beneficium, ut possis metere fructum.*

a Ovid. b Prov. 19. c Cic.

DOMI-

DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Date, & dabitur vobis. Luc. 6.

MAGNO teste Augustino: *a cujusdam Mimi facetissima prædicatur urbanitas; qui cùm se promisisset in theatro, quid in animo haberent, & quid vellent omnes, aliis ludis esse dicturum, atque ad diem constitutum, ingenti expectatione major multitudo conflueret, suspensis & silentibus omnibus, dixisse perhibetur: vili vultis emere, & carò vendere.* Quàm hic rem acu tetigerit, & ridendo verum dixerit, norunt, qui indies officinas perambulant, aut forum frequentant. Etenim ut Hipponensis Præsul contestatur: *b in dicto levissimi scenici, omnes conscientias invenerunt suas; eique vera & tamen improvisa dicenti, admirabili favore plauserunt.* Hæc negotiandi ratio utilissima, hæc mercaturæ ars quæstuosissima est: *vili emere, & carò vendere,* decem, viginti, imò centum in unum lucrari; quod ut nonnulli dolis, usuris, monopoliis, aliisque injustis lucris consequantur, aliam tamen vobis hodierna die brevi ditescendi, ac plurimum lucrandi methodum, justam planè, licitam ac collaudatam ex Theologorum placitis demonstrabo. Est qui peculiari scientia, aut clandestinis literis cautum esse intelligit, ne papyrus finibus Lotharingiæ distrahatur, illicò communi eoque *vili* pretio, omnem quam reperit in hisce partibus chartam coëmit, quam dein summo industriæ suæ emolumento, *carò* vendit, ut repertus, qui uno anno se ex tenui, omninò opulentum reddiderit. Alter à fido collega inaudiit, ingentem vim tritici à Turcis direptam, aut mari haustam periisse: currenti pretio is plaustra plurima frumenti congerit, horrea, solaria, penuaria omnia, Josephum illum Ægypti proRegem æmulatus, in proximam annonæ caritatem oppleta servat. sic vinum, ubi vineas cœli aut belli turbine eversas cognoscit, aliasque merces veli emptas, carò vendit, vel devehit ad partes, ubi earũ penuriâ laborari norit. Idque licitè, ut omnium Doctor Thomas 2.2. q. 77. art. 3. ad 4. Cajet. Sylv. aliique asserunt. idem quæstus & longè maximus, ex alio atque alio pecuniæ valore conflatur, dum aureus v. g. qui hic 3. florenis, 14. assibus valet, alibi quinque florenis; pistola quæ hîc 9. alibi 15. alicubi 18. florenis æstimatur. & quam permisso pretio monetam accepi, etsi edictum de currenti pretio contrahendo scio publicandum, possum quo de facto valet, summo pretio erogare. Addit Molina, *c* si quis resciat insulam, aut peninsulam, in qua uberes fundos ac prædia possidet, mense insequenti ab hostibus aggere perrupto, aquis hauriendam aut incendio vastandam posse

a S. Aug. l. 13. de Trin. c. 3. *b* Ibid.

c Molina de Iur. & Iust.

posse ea alteri vendere, & ingentes divitias ex iis sibi comparare. ejusmodi casus complures, scholastici congerunt, *a* qui manifestò comprobant, merces, pecunias, eo tempore ac loco optimè distrahi, eoque emolumento maximo asportari, ubi longè majori in pretio ac valore habentur. quibus positis, aureum Antiocheni Præsulis oraculum consulamus, qui sic cives suos affatus est: *b eia Charissimi, hodie ostendamus qualiter est ars artium quæstuosissima, eleemosyna: si enim artis est proprium, ad aliquam utilitatem pervenire; eleemosynâ verò nihil est utilius, clarum est profectò, quod & ars, & omnium est artium optima*; quâ merces in se, atque hoc in orbe viles, alio in orbe (quemadmodum acus, nolæ, aliaque crepundia apud Indos) plurimi æstimantur; ubi pannus, panis, pecunia, imò haustus frigidæ (ut ostendam) amplissimo cœlorum Regno pensatur, & exiguum ac modicum, quod hic in sinum pauperis effundis, *Deus cum multo fœnore reddet*, aureè Chrysostomus: *c bona*, inquit, *negotiatio, eleemosyna; nundinæ profectò mirabiles, parvo emere, magno vendere. has nobis nundinas Deus proposuit: modico eme, quod magno vendas in futuro seculo: eme panis fragmento, veli vestimento, frigidæ poculo. amen dico vobis* (inquit mercaturæ Doctor) *non perdet mercedem suam; si calix aquæ dignus est mercede, data vestimenta, data pecunia, mercedem non sortientur multo majorem? dum nundinæ durant, demus eleemosynam*, negotiemur, ut ingens lucrum conquiramus, demus paululum, refundet multum, quemadmodum pauxillum aquæ anthleæ exhaustæ affusum, ingenti copia, ac plena scaturigine redundat, *& plenior unda defluit*, ut in apposito symbolo videre est. Isti artificio, aut mercaturæ generi, plerique insudant, ex quo minimo impendio, maximum lucrum conquirant: *d laudas enim mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam & acquirit justitiam*, acquirit Regnum. è stiva & vomere, non unus sibi agricola auream messem collegit, & è tenui rustico in virum opulentum evasit. alii è prælo, tàm librorum quàm imaginum ingentes opes expresserunt. *e* Ludovicus Guicciardinus, ut rem certam asserit, in Batavia è butyro tantùm & caseis, quovis anno decies centena millia coronatorum, ipsum auri millionem redigi. stupendum magis quæstum ex tabaco alibi memoravimus, è cujus mercatura quotannis Anglia supra triginta vasa auri colligit; sed eleemosyna ars omnium maximè quæstuosa.

a V. Less. de jure. Lugo Dicastillio Fagundez Nav. *b* Chrysost. hom. 33. ad pop. *c* Chrysost. to. 5. hom. 5. de pœnit.

d Aug. de verbis Dom. serm. 5.
e Guicciardin. in Belgio pag. 205. V. dicta p. 1. Dom. 4. post Pent. §. 1.

§. I.

Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Prov. 19.

LUbet vos Auditores, suavissimo Ambrosii compellare sermone: *f fœneratorum vos delectat,*

f Ambr. l. de Tobia cap. 19.

& usu-

& usurarum vocabulum? id quoque non invideo. docebo quomodo boni fæneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras. dicit Salomon: fænerat Domino, qui miseretur pauperis. Ecce bonum fænus, de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fænerator, ecce usura laudabilis. Adverterat magister optimus, quanta mortalibus esset auri argentique cupido, & quo ad ea conquirenda raperentur impete; ideoque eleemosynæ præmium, ingentis fœnoris ac usuræ nomine palliavit: ut nemo non lucri cupidus, & auro inhians, hanc artem quæstuosissimam exercere detrectet, a *omnes* quippè *avaritia student*, & nummis suis multiplicandis insudant; quod scitè & argutè insinuavit ille, qui hanc in consessu non vulgari quæstionem movit: Ex quo hominum genere, plures censerentur? fuit, b qui medicorum maximam classem asserebat, in exemplum adducens sycophantam, qui ad valvas templi maxillâ obligatâ, miserabili vociferatione odontalgiam simulans, à nullo non prætereunte, malo suo medicinam præscribi audiebat, unde tot prope medicos, quot homines numerabat. alius agricolas numero prævalere volebat. contendebat tertius in una urbe Memphi, supra trigintacoquorum millia (Ortelio teste) nec ullas ædes sine coquente reperiri, atque adeò hos turbam maximam conflare. contrà verò alter, Monachorum cœtus longè exsuperare contendebat, nec levem porrò dicti sui rationem inferebat: cùm sub unius Serapionis disciplina, c in Ægypto ad decem Monachorum millia numerata sint; in una urbe eaque vastissima Thebaide, plura cœnobia, quàm secularium ædes computentur, inque iis supra decem millia monachorum, viginti verò virginum millia degere compertum est; & ne in re manifesta prolixior sim, olim magnus ille Archimandrita Benedictus, monasteria ad quindecim millia numerabat, nunc longè plura. mitto nunc amplissimas omnium aliorum ordinum familias, quæ exercitum magnum nimis valde conflarent.

Sed præ his omnibus, propius, ut ajunt, ad veritatem accessit, & velut album dejecit olorem, qui dixit maximam orbis partem Arithmeticos occupare, è quibus complures divisioni, & subtractioni ex alieno intendunt; omnes verò student illi parti potissimùm, quæ multiplicatio dicitur; atque hujus sententia omnium plausu excepta est, quia d *omnes avaritia student*. Hoc officium fœneratoris est, multiplicationi nummorum incumbere. hortatur & te Hipponensis Præsul, ut usuram exerceas: e *quid ergo facio*, inquit, *ut sim fœnerator? attende, quid facit fœnerator. minus vult dare certè, & plus accipere. hoc fac & tu, da modica, accipe magna. vide quàm latè crescat fœnus tuum. da temporalia, accipe æterna, da terram, accipe cœlum.* & ne dubites, aut hæsites.

a Ierem. 6. b Perard. Dom. 6. post. Pent.

c Sophron. prato spir. c. 113. Majolus mira mirorum. Surius annal. an. 1558. Stellartius fundat. Ordin.
d Ierem. 6.
e Aug. in Psal. 36.

in-

In corde tuo: *a Deus fidejussor est pauperum, & largissimus redditor usurarum. unde qui pecunias suas amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc sanctum fœnus exerceat, & hâc usurarum arte ditescat, illius sit creditor & fœnerator, qui dicit: date & dabitur vobis.* Dicto fidem præbet Sophronius in prato spirituali, *b* qui liber citatur, & laudatur in synodo Nicæna II. Generali, *actione 4.* Hic refert fœminam Catholicam, marito suo gentili inopi suasisse, ut peculium suum Deo Christianorum concrederet, fore ut ingenti fœnore reciperet. Cui vir, ubinam est, inquit, quem laudas, & quo loco adeundus? Hunc tibi, ait uxor, ostendam, & cum dicto virum clementer ad templum traxit. Vestibulum templi obsidebant mendici, quos digito monstrans fœmina: quidquid his donaveris, inquit, hoc Christianorum Deus, ut sibi donatum, largissimè remuneratur. Ab uxore demum persuasus, quinquaginta florenos pauperculis commisit. Ita domum redierunt. Exacto trimestri, res angusta domi solicitos habuit conjuges. Hic maritus ad uxorem: ut video, inquit, Christianorum Deus aut nullum reddit fœnus, aut tardissimè, & nos dura jam egestas vellicat. Imò verò mi vir, ait uxor, fidelissimus est Deus noster; tu modò animum ne desponde, omnia reddentur cum amplissimo fœnore. Hoc age, locum repete, ubi ærariolum nostrum in mendicos effudimus. Paret & eò redit, sed qui se debitorem fateatur, neminem invenit. Hinc mœstus oculos defigit humi, & casu quod putabat, jacentem ad pedes monetam conspicit. Hanc domum deferens uxori: mihi crede, ajebat, nec Deum Christianorum vidi, nec fœnoris quidquam accepi, hoc solùm reperi numisma. Uxor jam multò in spem erectior: nil ambigas marite, inquit, Deus est qui universa, maxima & minima suo dispensat nutu: hic ipsissimus ille Deus hanc oculis tuis, hanc tuis manibus monetam obtulit: quare abi & aliquid in prandium tibi eme. De cætero ille idem Deus suorum amantissimus providebit. Abiit ille, & piscem pretio illo præstinatum uxori retulit mensæ parandum. Hunc illa exenterans, lapillum in eo reperit formæ ac nitoris inusitati. Mirantur ambo conjuges, sed felicitatem jam præsentissimam nondum agnoscunt. Non tamen nullius esse pretii tam pretiosum seu vitrum seu margaritam credunt. Igitur maritus argentarium sibi aut gemmarium adeundum ratus, lapidem inspiciendum offert, & num pretii alicujus exposcit? Gemmarius hunc manu oculisque in eam rem eruditissimis versans, ac rudem mercis suæ hominem nactus: florenos quinque ait præsenti pretio pro hoc lapillo annumero. Ille rideri se putans: florenos quinque exclamat? mox emptor pretium augens: ne diu litigemus, inquit florenos decem accipe, pretium sanè honestum. Jam magis se rideri censens venditor, aliquantisper conticuit. Gemmarius ne fortunam tam imperito venditori

a S. Leo ser. 6. de jejunio decimi mensis. *b* Cap. 185.

tori nondum cognitam, è manibus dimitteret: ne contumaciæ tuæ resistam ait, florenos dabo viginti, & rata sit emptio. Hic venditor majus quid latere suspicatus, meditabundum tenuit silentium. Nec tamen emptor desistere, pretium magis ac magis augere, florenos triginta ponere, mox & quadraginta; imò & quinquaginta offerre: jam demum alter non ampliùs vitrum nec infimam gemmam credere, sed raræ virtutis margaritam æstimare. Dum ita licitantur, florenos emptor trecentos pollicitus: tanti est, inquit pretii, & non majoris, quod mihi puto sincerè ac ingenuè fatenti credes. Huic tandem æstimationi assensus alter, emptio, inquit, facta est, trecentos mihi numera. quos ille quamprimum ad uxorem ingenti plausu detulit. obstupuit hæc & gaudio subsultans: en, inquit, qualis sit Christianorum Deus, non solùm quinquaginta florenos ipsi commodatos, sed fœnore sextuplici reddit trecentos. ita vir ille cùm rei miraculo, tum verbis conjugis eruditus Christiana sacra suscepit, & animam lucratus est.

Vivit etiamnum hic Christianorum Deus, ei & tu thesaurum concrede. Ecclesiastes Regum sapientissimus, consilium prorsus insolens, & ut videtur, à ratione alienum suggerens: *a mitte*, inquit, *panem tuum super transeuntes aquas*; quia *post tempora multa, invenies eum.* Cùm peregrè proficisceris, domo non exeas sine pane, quem ubi pontem transieris, in aquam dejicias, illum suo tempore recepturus: certè quidquid hoc modo piscibus objicitur, seu panis seu jecoris frusta dejicias, non amittitur; nam pisces initio minusculi, paulatim unius, duarum, trium & plurium librarum fiunt, ut vel unicus discum impleat, aut pretio suo fortem abundè compenset. Ita prorsus de eleemosynâ disserendum. mendiculi sunt velut aquæ, pontem subterlabentes, è quibus piscis ad te cum aureo enatat. alia non minùs commoda est explicatio sententiæ: committe panes tuos navibus, ut illos per maria devehant, & reportes aurum; næ naves sunt pauperum manus, aut, ut Hieronymus explicat, quasi terra irrigua & feracissima, quæ panem multiplicat, & cum fœnore reddit: *b Quomodo*, inquit, *qui super irrigua seminat, fructum sementis exspectat: ita qui largitur egentibus, non granum sementis, sed ipsum panem serit, fœnore quodam multiplicationem ipsius præstolans multò amplius, quàm dederat, accepturus.* Vidua Sareptana modicum farinæ sibi, ac filio necessariæ, in Eliæ prandium expendit. *c* qua largitione quidem, hospitalissimum Abrahamum (Chrysostomo teste) superavit. non enim ad gregem ut ille, nec ad grande farinarium cucurrit, sed unicum quem habuit, farinulæ pugillum dedit. visa est hunc panem in aquas abjecisse; at non post *tempora multa invenit eum: obtinuit enim, ut hydria farinæ non deficeret, & olei lecythus non minueretur.* Non ei Deus distenta horrea, non capaces olei lagenas dedit;

a Eccl. c. 11.

b Hieron. in Eccl. cap. 11.
c 3. Reg. 17.

ſtit; ſed quod habuit occulta vi adeò auxit, ut nec oleum, nec farina umquam exhauriretur. hic Dei mos eſt; miraris quandoque tacitis incrementis,vicini tui rem familiarem ita proſperari, ut merces feliciter diſtrahantur,negotia proſperè ſucedant,non parvo emolumento aſſurgat & diteſcat: Alterius fruges fœcundæ in agro pullulant, ſine vitio, aut infortunio ullo, quaſi ei cœlitus promiſſio facta ſit: *a implebuntur horrea tua ſaturitate; & vino torcularia tua redundabunt.* Hujus rei indicio tibi erunt aliquot teruncii, & fruſta panis in egenos erogata. quod viduæ Sareptanæ contigit, ſæpiſſimè factum, imò quotidie fieri teſtatur experientia. anno Chriſtiano quingenteſimo, ſexageſimo quarto, cùm Coſrhoes Rex Perſarum, geminus Nabuchodonoſor, Sebaſten ac Melitenem occupaſſet, jamque Chriſtianos variè affligeret; eorum plurimi Amaſæam confugerunt, non tam urbis præſidio, quàm ut B. Eutichii precibus & ſanctimoniâ juvarentur. ita in eandem urbem innumera plebs confluxit; hinc annonæ caritas, & fames. degebat hic Eutychius Conſtantinopolis Epiſcopus, ſed exul inter Monachos agens.cumque jam granaria, horrea, farinaria undique viduata eſſent, & vacua gemerent piſtrina,nec ſupereſſet quod in hebdomadem ſufficeret, concurſum eſt ad Eutychium, ut annonæ ſubſidium impetraret è cœlo.Venerandus Antiſtes ingens animi & fidens Deo, alioſque omnes ad eandem fiduciam cohortatus, ſe in preces effudit, deinde ad Monachos verſus: bono animo, inquit, eſtote,dum vel ſemodiolus farinæ ſupereſt, egentes ex eo paſcite, alterum tantum cum fœnore recepturi: ſpero hanc farinæ hydriam non defecturam. Monachi in ſpem novam erecti, eleemoſynas quotidianas perpetuarunt, & neminem egenæ plebis dimiſerunt ſine ſportulâ. Hinc viri ſanctiſſimi vaticinium ab eventu laudem accepit, nec umquam quod daretur defuit; ſed majori & majori ſemper cumulo abundavit. hæc & tu æmulare, & viciſſim *implebuntur horrea tua ſaturitate.* Iſidorus legit: *Implebuntur horrea tua ubertate.* Quæ vox ducta eſt ab uberibus lacte fœcundis: ſicut enim hæc quò plus lactis emanant, eò plus novi admittunt, & recipiunt: ſic opes quò magis in eleemoſynas erogantur, eò magis affluunt. quod Clemens Alexandrinus edocuit: *b largitio bonus eſt finis benignitatis, & potum ſitientibus communicans, rurſus augetur & repletur: ſicut ad ubera, quæ ſuguntur vel mulgentur, ſolet lac copioſiùs accedere.*

Naturam ulteriùs intueamur: ſanguis inciſâ venâ, vel cucurbitulis admotis ſubducitur, non alio reverà fine, quàm ut detractio ſanguinis, ſit incrementum valetudinis, & ipſiuſmet ſanguinis hoc modo purgandi.ita ſtrues lignorum nimium denſa, immiſſum ignem ſuffocat, ſubtrahuntur aliquot ligna, & ignis mox aſſurgit & invaleſcit. ita cibum corpori dandum imminuimus,& nutritionem acuimus ac promo-

a Prov. 3.

b Clem.Alexand.l.3 pædag.cap.1.

ve-

vemus. & plerumque quò plus detrahimus escæ, plus adjicimus vitæ. denique non me, sed Antistitem Seleucienſem, Basilicè disserentem attendite : a *Qui dando*, inquit, *divina gratia confidunt puteos imitantur, qui continuò exhausti minimè deficiunt sed duplo copiosiores evadunt.* En adinventiones mirabiles, nova & inaudita Philosophia, quemadmodum res diminutione crescant & augeantur, subtrahe marsupio, & plurimum appones, da & dabitur tibi. sed heu! quoties ægrotare malumus, quàm argenteum illum sanguinem emittere: imò quæ nostra insania est, non rarò perire malumus, quàm argenti venam violare. crapulâ nos mactare malumus, quàm superflua, imò quæ superant fragmenta, in egenos effundere.

Oculos, animosque in Christum, caritatis prodigium intendite: potiorem substantiam (panes videlicet) ac pisces, indigentibus erogat; sibi verò ac discipulis suis fragmenta dumtaxat reservat. secus faciunt mortales ferè omnes, etiam quàm optimi, sibi suisque servatam volunt potissimam bonorum suorum substantiam, probeque factum autumant, si de iis, quæ supersunt, eleemosynam fecerint. Non sic Christus, non sic Apostoli magnæ illæ mentes, & nascentis Ecclesiæ ceu cœli novi intelligentiæ. non sic Apostolorum æmuli, & Christianæ perfectionis amantes: illi quod in mensa est optimum, egenis sepositum amant ac volunt. en hac in re magistros, qui hanc te praxim doceant.

Refert Drexelius b familiam fuisse nobilem, quæ omni prandio & cœna, imponeret mensæ lancem vacuam, in quam ex omnibus benè ferculis aliquid reponeret: atque ita è diversis patinis, sine omni accumbentium detrimento, ferculum opimum conficitur, quod ipse paterfamilias modò ad hunc, modò ad illum pauperem aut ægrum emittebat. cui munificus plane Dominus JESUS, c *fructum adinventionum suarum reddidit.* Spondet & eadem veritas, nil tibi defore, si hanc ingeniosam pietatem, ex hac die æmulari statueris. Alia familia lac omne, quod die Sabbathi à pecore toto excipitur, in pauperum usus effundit, & ecce ubertas velut ab uberibus redundavit. Sepone & tu quædam in usus pauperum, monente Paulo: d *per unam Sabbathi, unusquisque vestrum apud se seponat &c.* Quæ verba expendens Chrysostomus: e *pareamus* (inquit) *B. Paulo, constituentes nostris in ædibus arculam pauperibus, in quam artifex omnis, vel sutor, vel coriarius, si aliquid vendiderit, sui artificii primitias ejus pretii offerat, & cum Domino partem dividat.*

Quin celeberrimus ille non per Belgium modò, sed & orbem, Marchio Spinola in atrio domus suæ, quò nobilitas temporis fallendi gratiâ, sæpius ad ludum confluebat, thecam suspendi curarat, in quam victor decimum nummum, in victum mi-

a S. Basil. hom. 8. in divites avaros.

b Drex. par. 2. de eleem. c. 4 §. 3.
c Eccl. 35. d 1. Cor. 16.
e Chrysost. hom. 43. in 1. ad Cor.

litum

ctum pauperum conjicere debebat; quo plurimi vitam sustentarunt. In cœnobio quodam priscæ consuetudinis est in triclinio, *a* diebus triginta continuis vacuum defuncti locum eatenus honorare, ut quidquid cibi, potusve appositum fuisset vivo, id omne apponatur mortuo: & quia mortui non comedunt, illa omnia mensæ illata in pauperum casas asportantur (quantò fructuosius quàm in exequiis supra mortuorum corpora sese ingurgitare) Inventiones non solùm pulchræ, sed & fructuosæ. Sed opponas fortassè: marsupiolum meum inventionibus dandi non eget; boni hoc œconomi non est, tantum indies è ferculis decerpere, & in mendicabula, quasi in abyssum abjicere. quisquis es, Regem illum denuò contemplare, qui in mari lautas suis optimatibus epulas instruxit, luxu, ut putabatur, barbaro: nam quodque ferculum delibatum, unà cum disco argenteo, in aquas præcipitabat. mirari aulici prodigalitatem, & jacturam indignari. at ille sub aquas retia pandi jusserat, quibus postea adductis, non modò omnem suppellectilem argenteam in tuto habuit, sed magnam insuper piscium copiam conclusit. in vasto hujus orbis oceano, familiam quisquis suam, navem autumet: *b* & *mittat panem super transeuntes aquas, quia post tempora multa inveniet eum.* erit cum arcano divinæ providentiæ consilio, omnia ingenti cumulo tibi asservata conspicies. Mitte panem, non eum tantùm, qui mucidus, qui superfluus, sed qui necessarius, qui tibi paratus, candidus, delicatus. Exemplo Jobi, qui non comedebat buccellam suam solus, quin comederet ex ea pupillus; quin & Deum in paupere adhiberet convivam. Ubi appositè Basilius: *c Crede illi, qui quod egeno datur, perpetuò quasi sua persona datum amplectitur, & de suo reddit, dignus ubique fidejussor, terra marique apertos habens thesauros. Quod si navigas mutuum repetes; in medio mari sortem cum fœnore capies: magnificus enim est in dando fœnore.* In hoc mari, nihil in divinæ providentiæ rete conjectum deperditur, nihil in pauperum ventres, quasi in sacculos pertusos dimittitur, sed in sacculos, qui non veterascunt, qui pertundi nequeunt, qui exhauriri non possunt: *d tales* inquit Christus, *facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum, non deficientem in cœlis.* Sacculos proponit & thesaurum, cui quærendo vult vos totos invigilare, Ecce, inquit D. Chrysologus: *e Docet avaritiam, qui cœperat suadere contemptum;* Sed quam, inquies, avaritiam! eam certè, quæ virtuti, quæ cœlo serviat, quæ cœlestia venetur bona, gloriamque nullo ævo perituram, *f cujus unius* (ut in simili Seneca) *honesta est avaritia.* Ad hanc impellit urgetque Christus, dum & sacculos impleri jubet, & thesauros effodi, quos scilicet avara mens habet in amoribus. Et hæ sunt artes, hic magistri pius dolus, quo homines velut pisces inescat. Bonas illas

a Drex. cit. *b* Eccl. 11.

c S. Basil. hom. 8. in divites avaros.
d Luc. 12. *e* Chrysol. serm. 24.
f Seneca de brevit. vitæ c. 3.

cœlestis

cœlestis Magistri artes, dum attendit D. Chrysologus, quasi divino percitus æstu exclamat: *a* *Christe, quò te pertrahit amor tuorum? ut avarum lucrifacias, facis eum, quod desiderat, non quod oportet audire, sacculos imperas: æternos thesauros, qui non deficiant vis parari; ut avarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur.* Ita capti sunt pleriq; mortalium, quos modò incolas habet cœlestis Jerusalem: sunt enim, ut D. Bernardi verbis utar: *Sunt viri divitiarum in civitate Domini virtutum.* Habet mundus hic viros divitiarum, qui per fas & nefas fluxas sibi opes congerunt; at ubi *dormierunt somnum suum, nihil invenerunt in manibus suis*, in ipso scilicet vitæ mortalis occasu, ortu autem æternitatis, vacuas manus mirari, damnare, lugere cœperunt. Causam subdit Augustinus: *b* *Quia nihil posuerunt in manu Christi*; at non sic viri illi divitiarum, quos cœlum amat, qui denarium quæsierunt, qui non servierunt tempori, sed æternitati, dum diurnum diuturnum fecerunt. Fecit hoc Sutor ille *Deus dedit*, de quo Gregorius *c* certa fide commemorat: cum quidquid pecuniolæ per hebdomadem tenui victui supererat, sabbatho in pauperes erogasse, atque hinc factum, ut domus illi aurea in cœlis exædificari visa sit, quæ sabbatho quoque perficiebatur. Eleemosyna domos non marmoreas, sed aureas, sed æternas architectatur.

a Chrysolog. serm. 25. *b* S. August. in ps. 75. serm. 9. *c* S. Greg. l. 4. dial. cap. 36.

Quorumdam hîc objectioni succurrit Chrysostomus: *a* *Sed filios omnino spectas, & propter hos retrocedis; quin & illos tales doce quæstus lucrari; nam si tibi foret argentum mutuatum & usuras pariens, & insuper debitor esset gratus: multo magis eligeres, filio pro auro relinquere, ut ei multi proventus adessent, neq; cogeretur circumire, & alios quærere mutuum accepturos. Et nunc hoc filiis da chirographum, & Deum relinque debitorem.* Ut olim fecit Constantinopoli è civibus unus aliquis, isque opulentus. *b* Huic aliquando Deus eam cogitationem immiserat, ut emoriens pauperes ex asse hæredes faceret. Annuit bonus senex, si modò filius, ad quem ea spectabat hæreditas, etiam eò propendere videretur. Juvenem ergo ad se vocat, & opportunè ingerit, quæ sibi Deus injecisset consilia. Amabo te, inquit ô fili! quid si pauperes hæredes dixero, & tu Jesu Christi etiam pauperis sis hæres? quid tibi deesse poterit, si pupillo tutor Jesus? si cœlum hæreditas? & illum elige mi nate, & te parentemque tuum bearis. Ad hæc Adolescens: ecce me paratum ad omnia mi pater, probatur consilium, placet tutor, placet hæreditas, & super omnia Jesus: Ecquid enim à terra exspectem, nisi divitias brevî perituras? ut magnæ sint illæ, attamen diurnæ sunt, non diuturnæ: *Divitiæ tuæ hodie sunt mi pater, & cras non erunt, Christus autem manet in æternum.* Hæc ubi ex filio parens audiit, egenos ex asse hæredes scripsit, & mox naturæ

a Chrysost. hom. 33. ad pop.
b Vitæ patrum l. 10.

fatoque

fatoque non immaturo concessit. Id facinus primum attonitos mortales habuit, deinde etiam præcones tantæ vel in parente, vel in filio virtutis: at hunc ab illius morte egestas mox excepit, & omnium rerum indigentia, longaque ut assolet patientia; erat enim spe & in Deum fiduciâ dives, cætera pauper. Sed divina providentia, quæ suis semper invigilat, eum brevi ad altiorem fortunam evexit. Erat Constantinopoli vir nobilis, isque in paucis opulentus, cui filia unica, eaque jam nubilis; illi dum quæritur maritus, patrem inter & matrem ita convenit, ut is deligeretur, qui non tam opibus præstaret, quàm insigni virtute. At quis ille? & unde petendus? venit in mentem, ut mater die insequenti summo mane sacras ædes peteret, & qui primus ab illa intrasset adolescens, is filiæ daretur conjux: rebantur enim pium numen quod sortes temperat, & cui imprimis pietas placet eum submissurum, qui ex voto filiæ in maritum cederet. Et certè etiam cessit: qui primus enim templum subiit, fuit ille ipse Adolescens, de quo in præsens sermo. Hunc ut vidit matrona nobilis, suspexit ilicò, casteque adamavit: spirabat enim nescio quid in vultu humano majus, frons, oculi, facies, totaque corporis compositio ad modestiam virtutemque facta. Placuit tamen non de facie tantùm nosse, sed etiam ex eo quærere quid hominis? quidve nominis? mittitur puer honorarius, qui evocet, qui adducat: paret Adolescens, quem inter & matronam illam, ubi pauca ultro citroque dicta, tandem innotescit esse illum ipsum juvenem, qui ex suo parentisque voto, sese bonis omnibus exuerat, ut Christum in pauperibus indueret: nec mora (ut magnæ ac potentes in virtute summa illecebræ) hæc ad illum mulier nobilis: Est mihi filia domi, eaque unica, spes familiæ, bonorum omnium hæres, parentum amor, ac delitiæ. Hanc tibi sponsam amo, voveoque benè Adolescens age me sequere. Sequitur ille; subitque domum viri nobilis; cui tota res patescit, apeciente conjuge, vocatur filia, placet Adolescens, placent nuptiæ, celebrantur solenni pompa, stupor omnes invadit, & rei tam novæ, tam inusitatæ admiratio, unaque etiam commendatio divinæ providentiæ, cui curæ & cordi sunt, qui divitias hujus ævi diurnas, & lucis brevis usuram, in thesauros numquam perituros recondunt.

a Extra fortunam est, quidquid donatur egenis,
Quas dederis solas, semper habebis opes.

Rem scite exposuit Augustinus: *b Ponunt pueri in thesaurario* (spaerpot) *& securi sunt; tu ponis in manu Christi, & times?* Tales modicæ fidei, non solùm panici timoris arguendi sunt, sed ut phanatici ad Antyciras ablegandi. *c* Quod factum lego Prælato isti, qui prope Namurcum in Alnensensi monasterio ordinis cisterciensis, Abbati successerat, viro in pauperes ac peregrinos munifico, adeo ut monasterii valvis inscribi jusserit:

a Mart. l. 5. Epig. 43. *b* Aug. in Ps. 48.
c Ioan. Disseldorpii hodœporicũ Hierosol.

Porta

Porta patens esto: nulli claudaris honesto. a

Quem versum vir hic sordidus, Martinus nomine, quo plura corraderet, non eradere, sed mutare, geminisque solum punctis vafrè translatis, in sensum planè contrarium torquere, & legendum proponere non dubitavit, hoc modo.

Porta patens esto nulli: claudaris honesto.

Res multorum sermonibus agitata, demum ad summi Pontificis notitiam pervenit, qui Abbatem inter Cærites retulit, & officio abesse jussit; non quod maleficus esse cœpisset, sed quod desiisset esse beneficus. Altiùs supremus Judex intonabit in eos, qui se pauperem despexerunt, hospitem excluserunt: Hospes eram, & non collegistis me, *ite maledicti.* Mihi fores occlusistis, jam in æternum misericordiæ *clausa est janua.*

a Drex. de eleem. part. 1. c. 2. §. 7.

§. II.

Tullianum illud expenditur, *Est liberale officium, serere beneficium, ut possis metere fructum:*

EUmque uberrimum, qualem nullum solum producit: *b Imitare homo vel terram, ut illa fructus proferto, ut ne illa conspiciaris esse deterior, qua inanimis est. Sanè illa non in suum usum aut commodum, sed in tuum ministrare contendit; tu autem quem debueras ostendere beneficentiæ fructum, illum tibi ipsi congregas: nam benefactorum gratia in dantes revertuntur; dedisti esurienti? tibi consuluisti: quod dedisti, ad te cum auctario revertetur. Quemadmodum enim frumentum in terram cadens, lucrum projicienti parit, sic & panis in esurientem projectus, multam in posterum tibi reddet utilitatem.* Eleemosyna semini simillima ob plures causas; primo, semen occultatur glebis, & eleemosynam, quam dextra dederit, ignorat sinistra. Secundo, semen non crescit, nisi sæpius rigatum: eleemosynam primam riget altera, & tertia. Tertiò, semen moritur ut cum usura reviviscat: eleemosyna perditur, ut centuplum domino suo refundat. Semen vile, aut corrosum, similem sibi messem provocat: sunt qui valdè dapsiles se credant, cùm verminosas carnes, cerevisiæ vappam, panem mucidum, poma putrida, aut corrosos tineis centones mendiculis projecerint. O grandem munificentiam! his Christum omnium largitorem induere, ea elargiri, quæ in fimetum excutienda, aut canibus objicienda! Eleemosyna parca, tenuis, corrosa, coacta, raram aut vitiosam segetem producit juxta illud: *c Qui parcè seminat, parcè & metet.* Quò spectat illud Sancti Augustini: *d Opera misericordiæ, semina nostra sunt; qui parcè seminat, parcè & metet. Ergo qui multum seminat, multum & metet, & qui nihil seminat, nihil metet.* IV. Semen suo tempore sparsum, in eam granorum fœcunditatem excrescit, ut illud vix oculis nostris credamus. Eleemosyna in pauperis, aut potius Dei manum quasi in terram

b Basil. hom. 6. in divit. avaros.

c 2. Cor. 9. d Aug. in Psal. 125.

bonam

bonam reposita, hic centuplum, & insuper messem uberrimam in vita æterna progignit. Hoc Paulus paucis complexus: *a Qui administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum.*

Etenim non aberravit, qui dixit Christi manum fuisse veluti molle, subactum, fertileque solum, quibus omne quod committitur, instar seminis producit fructum centesimum, imò & millesimum: exemplo erunt pauculi panes, quos in Christi manibus, ea abundantia multiplicavit amabilis illius providentia, ut alendis, imò & saturandis plus quinque millibus hominum sufficerent; quod nobis stimulo erit ac documento, ut nos, nostraque omnia tradamus in Christi manibus, hoc est pauperis committamus, ut ex eis copiosam sementem legere valeamus. Complures alii sanctorum id experti sunt. Ivo sacerdos, vir notæ pietatis & doctrinæ, pane non magno complurium egenorum famem sedavit: Arnulphus Suessionensis Præsul, quinq; panibus, & totidem vini mensuris, supra septingentos homines abundè pavit. Richardus Cicestrensis Antistes, pane unico tria millia hominum saturavit. Infinitus hîc sim. Christus qui potuit augere dando, potest & multiplicare accipiendo. Tu modò non parce semina, & ortum facies fructum millesimum & infinitum. Si granum triticeum, unam spicam extruderet auream, aut gemmis nobilioribus germinantem, superi! quis semini parceret? hæc nostra est insania, messem auream & gemmeam colligere possumus, & detrectamus. Eruditè Clemens Alexandrius, *b* Eleemosynam ludo pilæ comparat, in quo eadem pila, quæ ad alterius manum emissa, datatim à divina manu contacta, aurea repercutitur. In sacris Carminibus Salomonis, sponsum cœlestem sponsa variè dilaudans: *manus illius tornatiles*, inquit, *plena hyacinthis*, ornatæ gemmis & annulis. Qui manum habet plenam, priùs manum evacuat, quàm aliud eâ recipiat. Ut aureum è manu pueri extorqueas, pomum offeras, Christo, qui manus habet pretiosissimis unionibus & gemmis oppletas, cymbiam lactis, frustum panis offer, & decidentes hyacinthos colliges. Nec minùs ingeniosè, quàm religiosè alter: Christi manus etiamnum perforatas attendens, munificentiam ejus extollit, quod nihil iis beneficiorum contineri assevararet; cujusmodi elogium Thomas Bricolus, Decanus Parisiensis de Francisco Galliarum Rege tulit, quem in sua inauguratione collaudabat ex eo, quod stigmata S. Francisci in manibus habere videretur, quod ea esset ejus munificentia, ut è manibus quasi perforatis, omnia largissimè diffluerent. Hoc enim verò de Christo Rege nostro munificentissimo sentiendum est. objiciunt complures: *c* ratio familiæ ac status, æs alienum, cessans lucrum, hinc illinc emergens damnum, & si quid horum est, largiorem eleemosynam impediunt;

a 2 Cor. 9.

b Clem. Alex. lib. 1. pædag.
c V. Basil. hom. adversus divites.

diunt; hîc obsecro non vacivas modò, sed & veri patientes aures accommoda: quoties pecuniæ veriùs perduntur, quàm expendantur? est qui in Sphæristerio pilæ ludo pauculis horis, 30. 40. florenos perdat: alius ad abacum lusorium, aleâ centenos, millenos Philippeos excutiat. Nero in singulos jactus aleæ, 400. H. S. id est, decem millia Philippeorum dilapidabat; fuit qui horæ spatio, jactu aleæ, sexdecim aureorum millia deperderet. optarem hîc legem, quam Marchio Spinola in atrio domus suæ colludentibus tulit, decimum nummum victor in thecam illic appensam, ad usum pauperum reponeret. Quanti conviviis prælautis uno die absumunt pauci, quo per annum plures pauperum ventres sustentassent. Parasitos, moriones, mimos donariis & mensa saginant. Christus esurit; parietes, imò & pavimentum tapetibus velant; Christus obit nudus. *a* nostro Ævo Gualterus Raijolæus, ille apud Anglicanam Cleopatram nimis gratiosus, visus est in aula gestare crepidas, adeò pretiosè gemmis distinctas, ut sex millium, sexcentorum aureorum æstimarentur. Ante annos non ita multos, Comitissa quædam, in materiam syrmatis unius pallæ, florenorum duo millia quingentos; opifici pro opere, centum quinquaginta florenos annumeravit. *b Quot pauperum ventres poterant inde pasci, & quot corpora nudè agentia poterant contegi?* Quod piè expendit B. Thomas Villanovanus Archiepiscopus: *c* cui cùm thorax novus induendus, ubi à sartore accepit quatuor aureos valere: apage, inquit, hoc ego argento totum pauperem; imò totum Christum induissem. Juxta illud: *d Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ubi occurrit cujusdam lepida emendicandi ratio: *e* homo rusticus ingenio satis liberali animum studiis applicuit, & sacris literis impensè deditus, aulicis consuerat, quibus hanc aliquando coram Principe quæstionem movit: quot ulnæ panni insumendi essent, ut Deo quis vestem aptam conficeret? Cùm Propheta de eo dicat: *f Cœlum & terram ego impleo.* Ad quæsitum cunctis silentibus ac subridentibus, mentem ipse suam exposuit: quatuor aut quinque ulnas sufficere; ipso primæ veritatis testimonio: *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ego, inquit, ex his minimis sum, paucæ hæ ulnæ ad me induendum sufficiunt, & Christum indueritis. Aliorum cellæ generosissimo vino, varioque despumant, sitit Christus. Equos non ad usum, sed ad spectaculum, & totos canum greges, Britannicos, getulos, Gallicos, Aquaticos, Aviarios, venaticos hybridas, molossos, magnis sumptibus alunt; sat illis loci & pabuli est, soli Christo non est locus in diversorio: *canis tuus,* inquit, Chrysostomus, *g cibo fartus est, famulus tuus satietate rumpitur; at verò tuus & illius Domi-*

a Drex. tom. 1. Trismeg. l. 3. c. 10 §. 5.
b Chrysost. hom. 37. in cap. 15. Gen.

c P. Rho. varia virt. hist. l. 4 c. 13. §. 14.
d Matt. 25. *e* Caspar. Ens Epidorp. l. 4.
f Ierem. 23. *g* Chrysost. in 2. epist ad Cor. hom. 17.

nus

nus esurit, Christus tuus alimento caret, necessariò fame perit.

Ante annos paucos hortense studium exarsit in flores exoticos, tulipas & bulbos. Hos adeò ambitiosè conquirebant, quæsitos ita anxiè fovebant, ut nulla mater sic filiolum. Turpe est dicere, quot aurei non raro in unicum ejusmodi bulbum expensi, quem nocte insequenti vermis arrodebat. tot aureos mendiculo dedisse, piaculum dixissent. Et hi quidem in futiles ac inutiles sumptus, quasi in luxuriantes ramos, substantiam sine fructu effundunt, dum alii, quibus res angusta domi, exiguo lucello in immensum fructificant. Duas hîc mihi arbores considerate, tiliam proceram & pomum modicam: illa ramos & brachia explicat latissimè, gratam diffundit umbram, sed à fructibus sterilissima;

In horto contrà, *a* stat pomus non maximæ staturæ & ultra quatuordecim millia pomorum fundit (à me, inquit, Drexelius, visa & gustata) quæ causa tantæ disparitatis? Tilia pulchra quidem arbor, sed infructuosa, quidquid alimenti trahit è terra, in truncum, in ramos, in folia consumit; at fertilis pomus, id omne in fructus emittit. Ita plurimos reperias homines opulentos, succi plenos, auro validos, qui amplas in fundis suis agunt radices, brachia diducunt, comas jactant, sumptuosè vivunt; sed misericordiæ fructus in eis quære, & nullos invenies. è diverso reperire est opifices mechanicos, sedulas filias, quæ tenuem victum manu comparant, & ægrè; nihilominus stipem promptè largèque conferunt, nonnumquam ultra vires. Jam causa in liquido est: illorum succus omnis in frondes, istorum in fructus egerminat. Hic altum vociferatur Augustinus: *b Audiant*, inquit, *ista divites, qui nolunt esse misericordes. Audiant irrogari supplicia eis, qui nolunt erogare subsidia. Audiant pauperem refrigerantem, audiant divitem pœnis gravioribus æstuantem. Da igitur petenti, ut possis ipse accipere: tribue pauperi, si non vis flammâ exuri.*

Sed moveat nos potiùs centuplum, de quo agimus promissæ retributionis, etiam in hac vitâ præmium. Ubi B. Chrysologus satis demirari nequit hominum quorundam, ut levissimè dicam, stoliditatem: *c sunt fortè de cautione soliciti? Quare? Nonne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur: Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur?* Fidem eventus comprobavit: Synesius Cyrenes Episcopus, *d* vir eruditissimus complura ingenii sui monumenta in lucem dedit. Habuit is inter primæ admissionis amicos Evagrium Philosophum, in paucis charum, sed nondum Christianum. Hunc Synesius disciplinis Christianis imbuere, plurimum laborabat. Evagrius homo sui cerebri, & diu refractarius, *e* virum Hebræum crucifixum pro Deo colere constanter recusabat; nec tamen labore aut tædio victus Synesius, saluberrimis

a Drex. de eleem. part. 3. c 3. § 4.

b S. August. serm. 25. de divite & Lazaro *c* Chrysol. serm. 26.

d Zonaras tom. 3. Ioan. Moschus in prato spirit. cap. 195. *e* Baron. ad ann. 411.

monitis quotidie hominem urgere institit. Ad quæ demum Philosophus: duo sunt, inquit, mi Domine Episcope in re Christianâ, quæ nulla ratio, Philosophia nulla satis capiat: Primum est, vox Christiani, nescio quod principium, sed & finem mundi somniantis, & hæc ipsa nostra corpora, postquam in vagos cineres abierint, eadem reditura in vitam immortalia. Alterum est: quidquid pauperibus erogatur, fœnore reddi centuplo; hæc talia fabulæ sunt & merum somnium, nec in Philosophia quidquam fundamenti habent. Contrà Synesius copiosâ dissertatione edocuit, nil vero contrarium hîc asseri: neque verò hæc ad Philosophiæ trutinam expendenda. Sublimiora esse, quàm quæ humana lippitudo, prima facie possit penetrare. Salubriter se tactum sentit Evagrius; at nihilominus suæ opinionis tenax, domum abiit. Hæc ubi secum ipse sæpe sæpius repetiit, decrevit manus dare victori Synesio, à quo demum unà cum filiis, & omni familia sacro fonte tinctus est: atque ut in rem præsentem veniret, tria auri centumpondia in egenos partienda obtulit Episcopo, si syngrapham dare velit, Christum ea redditurum. Nec Synesius illud recusavit. Evagrius jam Christo adjunctus, annos aliquot exegit. Morbo denique graviore correptus, jamque filiis ad se accersitis: cùm, inquit, cadaver meum ad sepulturam compofueritis, hoc chirographum manui inserite, & unà mecum sepelite. Factum quod jussit. Tertio die à funere, defunctus Episcopo se stitit, tumulum suum reserari, & chiropgrahum inde auferri jussit, sibi abundè in omnibus satisfactum; & ne dubitandi locus esset, ejus rei testimonium sua manu subscriptum esse affirmavit. Nescierat autem Synesius suum chirographum unà cum mortuo sepultum. luce postera vocatis ad se filiis, an, inquit, cum parente vestro scripti quidpiam sepeliistis? schedam ajunt, quam morti proximus secum jusserat humari, nemine id sciente. Episcopus narrato somnio suo, sacerdotes & urbis primates ad Philosophi sepulchrum duxit; eo aperto recens Evagrii syngrapha est inventa, conceptissimis his verbis scripta:

Evagrius Philosophus Sanctißimo Domino Synesio salutem. Accepi debitum in his literis manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, nec ullum contra te jus habeo, quod dedi tibi, & per te Christo Deo Salvatori nostro. Obstupuêre omnes, & horis aliquot clamavêre: Kyrie Eleison, sed & gratias agere Deo, qui suas promissiones tam illustri miraculo firmasset; atque hoc Synesii & Evagrii conjunctum chirographum, in primariæ Cyrenensis ædis sacrario asservatur. Hic ego cum Marone proclamem:

a *Et dubitamus adhuc virtutem*
extendere factis?

Et dubitamus adhuc, num prima veritas fidem servabit? Cujus in sacris literis testimonium & syngrapham tenemus.

Ambrosium audiamus: b *Euangelium ejus cautio est, ille promittit pro omnibus indigentibus, ille dicit,*

a 6. Æneid. b Amb. l. de Tobia c. 16.

dicit, fidem quid dubitatis dare? si quis vobis dives offeratur, qui fide promittat suâ pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam: pauper est vobis Dominus cœli, & conditor mundi, & adhuc deliberatis, quem ditiorem quæratis fidejussorem? Dominus scribit, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis &c. Christus confessi nominis, & fidei certissimæ debitor, non subducit se, non declinat, non fugit creditores suos, sed *a quibus maximè debet, hos maximè diligit.* Itaque si vis eum semper amicum habere, multorum constitue debitorem. Concludo salutari illo melliflui Doctoris monito: *b* videte, obsecro, quî Deus benefactor noster maximus, & quî diabolus, hostis noster capitalissimus nobiscum agant, conditione inæqualissima: diabolus pomum obtulit unicum, & totum paradisum rapuit: Deus paradisum offert, & pomum petit, aut vilius quid pomo, panis bucellam, æreum teruncium, frigidæ haustum &c. Tamen deliberamus adhuc num Christo fidere, & obulum paradiso velimus permutare; non immeritò proclamat Augustinus: *c quæ est ista animarum insania! acquirere aurum* (aut retinere) *& perdere cœlum?* Quid, quod omnia Deus bona opera, ex hoc appendere videatur, & judicium sine misericordia reservare iis, qui non fecerint misericordiam, Basilio graviter attestante: *d novi quosdam, qui orarunt, qui ingemuerunt, omnem pietatem exercuerunt; verùm ne unum obolum in egenos expenderunt: quæ utilitas virtutis? Non enim excipit illos regnum cœlorum*, sed tartarus: ubi cum divite illo æternam famem & sitim patientur. Quantò satius ac sapientius haustu frigidæ regnum cœlorum mercari, & exiguo nummo in favorem nostrum judicem corrumpere niteremur, ut audire mereamur, venite benedicti patris mei.

a Chrysost. hom. 53. ad pop.
b Bern. de 1. gradu superb.
c Aug. serm. 15. de verbis Dom.
d Basil. hom. ad divites avaros.

Candor est lucis æternæ & speculum. Sap. 7.



ACCENDIT ET ARDET. a

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

§. I. *Hostia Eucharistica, quæ mirificè facit ad illuminandos & inflammandos animos speculo caustico comparatur.*

§. II. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Psal. 33.

§. III. *Quinam ex hoc pane intellectus, sibi radium divinæ sapientiæ mutuarint.*

§. IV. *Umbram fugat veritas: noctem lux eliminat.*

§. V. *Speculum Eucharisticum fidelium corda inflammat.*

§. VI. *Dispositiones animi præviæ, ad flammas ex Eucharistico speculo concipiendas.*

§. VII. *Proxima ad divinas flammas concipiendas dispositio, fervens desiderium.*

§. VIII. *Quo amoris incendio, Deipara Christum utero conceperit, & in Eucharistia sumpserit.*

a 3. Metamor.

DOMINICA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei Majestatis. Sap. 7.



Rchimedes ille Syracusanus quem Plutarchus Geometram Priareum, Guevarra novum Iovem, alii ingeniorum phœnicem nuncuparunt, cum multa ad posterorum admirationem ingeniosè excogitasset, tum omnium in se stuporem rapuit speculum quoddam parabolicum, mirando sanè artificio ab eo elaboratum: quod collectis in se Solis radiis, tantum à se fulgoris, simul & ardoris evibrabat, ut non modò ligna ei propius admota incendere, metalla colliquare; sed & Syracusana è turre, hostilem Romanorum classem, flammis cœlestibus, & incendio hactenus inaudito, mediis in undis exusserit, Neptuno spectante & nec quidquam opitulante.

Verùm enim verò omnem & humani & Angelici intellectus vincit solertiam, omnem excedit naturam, omnem omnium prodigiorum excellit præstantiam, quod non nisi ab immenso divinitatis ingenio potuit excogitari; ut tremenda illa sanctissimæ Triados Majestas, unà cum Sacrosancta Anima, ac divinissimo Corpore Redemptoris nostri, atque omnibus perfectionibus divinis, sapientia, potentia, bonitate infinita, venerando Eucharistiæ orbiculo, veluti in lucidissima crystallo, seu speculo quodam ustorio, ad animos nostros, quà illustrandos, quà inflammandos, & quantumvis ferreos colliquandos, nobis exhibeatur. unde in spiritu Psaltes Regius exclamat: *a Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus*; quod Doctor Angelicus huic prodigioso mysterio rectè applicans, sensum suum subjungit dicens: *b hoc miraculum ab ipso factorum maximum.* quod per decem prædicamenta deducit opusc. 59. c. 1. Hic siquidem videre est, *miraculum in substantia*, quia panis transit in substantiam Christi. *miraculum in accidentibus*, quæ manent extra subjectum, nec insunt ei, nec inhærent. *miraculum in quantitate*, quia secundario privatur effectu, non se extendit, nec locum occupat. *miraculum in qualitate*, quippè in parva Hostia ita magnus, sicut fuit in Cruce, & modò est in cœlo: (sicut, inquit, quantumvis *longa & lata est turris*, tota in oculo recipitur,) & coloratus, attamen invisibilis. *miraculum in relatione*, Christus enim novam acquirit dependentiam, non tamen novum esse. *miraculum in actione*, quia verba vim habent productivam. *miraculum in passione*, quia manducatur, nec consumitur. *miraculum in tempore*, quia simul in instanti, corpus Christi è cœlo est in terra. *miraculum in motu*, quia simul inferius est & superius, simul mo-

a Psal. 110. *b* S. Thom. serm. in fest. Corp. Dom.

vetur & quiescit. *miraculum* denique *in situ*, quia caput non longè abest à pedibus, cum sit indivisibiliter; membra tamen sibi ipsis aptè connexa. hactenus Illustrissimus Præsul Paulus Aresius *a* ex Angelico Doctore, ut vides deprompta, qui hoc præclaro epiphonemate concludit: in hoc Sacramento *b Deus tot & tanta mirabilia inclusit, quod in ipso videtur, quasi omnium mirabilium, quæ ab initio mundi fecit, memoriam renovasse:* quæ omnia, in hoc maximè mirando divinæ Eucharistiæ speculo contemplanda sunt.

a Aresius in festa discursu. 14. in festo Corp. Dom. n. 15.
b S. Thom. opusc. 59. c. 1.

§. I.

Eucharistiæ orbiculus speculo ustorio aptè assimilatur.

PAulus Doctor gentium liberè pronuntiat: *c manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne.* ubi Syriacus legit: *d Deus quasi sub diaphano crystalli apparuit & effulsit in carne.* quod Magellianus, & Aguado noster, *e* Ecclesiastes celeberrimus è suggestu veritatis, de Eucharistia exposuit. Sed nullum luculentius testimonium, quàm quod S. Vincentius ille Ferrariensis adducit, his verbis: *f Hostia est speculum, & totum Corpus est in Hostia sicut imago in speculo;* quod confirmat Sapientis eloquio: *g ideo,* inquit, *de ista Hostia consecrata potest dici, candor lucis æterna, & speculum sine macula Dei Majestatis.* quin in hoc tam illustri mysterio, sub minimo orbiculo immensum Deum celanti S. Thomas non aliundè, quàm à speculo similitudinem mutuavit: *h videt quilibet manifestè, quod in parvo speculo apparet maxima civitas, & imago maximi hominis, & montis, & cœli; ita non est incredibile, Corpus Christi posse contineri sub Hostia tam parva, quamvis hoc perfectè intelligere nequeamus.* ubi alteram proprietatem observat, quod fracto speculo, *i reddunt se totidem facies.*

Ipsum audiamus: *k in natura quoque habemus exemplum in speculo, quod si frangitur, non ibi frangitur imago vel species, quæ in speculo relucebat: sed in qualibet parte fracti speculi adhuc resultat imago.*

E Dominicana familia Doctor egregius Robertus Holcot in c. 7. Sapient. illa verba *candor lucis æternæ, speculum sine macula,* aptat humanitati Christi: Christus enim " quà homo, inquit, fuit planum " speculum docendo, concavum " humiliter moriendo, convexum potenter resurgendo. in " concavo ima summa, ordine " apparent inverso, & ignis à radiis illic allisis excitari solet. " tum subdit: quid magis inversum, & paradoxum, quàm Deum nasci, pati, crucifigi, mori, imò cibum fieri, comedi, & nos quodammodo in se commutare? *l quis audivit umquam tale,* exclamat Isaias, *aut quis vidit huic simile?* Cyrillus Hierosolymitanus antiquam illam plasmationem suspiciens, cum attenderet artifice

c 1 Tim. 3. *d* Corn. hic.
e Aguado de SS. Sacr. in proleg.
f S. Vincent. in festo Corp. Dom. ser. 1.
g Sap. 7.
h S. Thom. opusc. 59. c. 3.
i Virg. 9. Æneid.
k S. Thom. opsc. 59. c. 7.
l Isa. c. 66.

Dei

Dei manu terram conversam in vivi hominis effigiem, magnificè illud extollit, ut admiratione dignum, quod *a lutum in oculum immutetur*; pretiosissimam videlicet hominis partem, & velut exiguum Solem in microcosmo. sed longè opinor egit mirabilius; ut Chresolius noster loquitur, *b* dum caro lutea *in crystallinam puritatem per Eucharistiam immutetur*. quod miraculum Regius vates agnovit, & pulcherrima oda sua prædicavit; à quo eadem ipsa Eucharistia, *c buccella crystallina* vocatur: *qui mittit crystallum suam sicut buccellas*. vel ut vertunt Hilarius & Cassiodorus, *sicut frusta panis*, in divino hoc pane lux immensa est, & Solis splendor, in purissimam Christi carnem & crystallum incidens, vim candoris sui mirabiliùs explicat, quo accedentium corda inflammentur. quod egregiè D. Irenæus animadvertit: *d in carne Christi occurrit*, inquit, *paterna lux, & à carne ejus rutila venit in nos, & sic homo devenit in incorruptelam.* Cum S. Elisabetha ex Hungaria ad Ludovicum Thuringiæ Principem evocata esset, *e* ut ei desponsaretur, quidam aulici de sincero illius in sponsam amore dubitarunt; eumque perquam familiariter percunctati sunt, num eam seriò ducere decrevisset? quibus promptè respondit Princeps, *se plus quàm vicinum montem, si totus aureus foret, diligere Elisabetham sponsam.* quod Walterus de Wargila, unus ex optimatibus excipiens: *peto*, inquit, *Domine, ut hoc ei nunciare possim.*

a Cyrill. Hierosol. catech. 12.
b Chresol. antelog. part. 1. c. 11. sect. 5.
c Psalm. 147. *d* Irenæus l. 4. c. 37.
e In vita Elisab.

cui Princeps: *dic ei, & in monumentum & pignus amoris, hoc ei munusculum deferto.* proferensque, quod penes se habebat speculum duplex, æneis inclusum limbis, una ex parte vitrum, ex altera effigiem crucifixi præferens, Waltero tradidit. quod S. Virgo summa animi gratitudine & gaudio accepit. potiori jure addubitare quisquam nostrûm poterat, an revera velut sponsas sibi desponsandas, cœlestis ille Princeps diligeret, quia peccatores eramus, & ille sanctus sanctorum quo omne tamen dubium sinceri in nos amoris sui facesseret, ecce donavit nobis admirandum, idque duplex sub specie panis & vini, speculum: sub quibus ipsum non intueri modò, sed præsentem habere & exosculari possemus, in eoque monumentum & pignus passionis illius, & crucis contemplari liceret. Cum igitur à tam amica manu divinissimi sponsi nostri, hoc nobis speculum donatum sit, nonne nostrarum est partium eo frequenter uti, sicut dubium non est Elisabetham in eo speculo non se, sed sponsum suum, simulque crucifixi imaginem sæpissimè contemplatam esse. Etenim si hoc donario rarò admodum utamur, ingratitudinem nostram arguit, nec donum æstimare, nec donatorem amare censemur. *f quomodo dicis, quod amas me, cum animus tuus non sit mecum.* cùm rariùs ad hoc speculum contemplandum, è quo divini amoris flammas in pectus tuum vales derivare, accedas; nihil enim perinde efficax est, & opportunum ad animam arden-

f Iudic. 16.

tiſſimæ charitatis faculis accendendam, inq; optatiſſimũ divinitatis ipſius amorem quantocyùs rapiendam, atque fervens in ſanctiſſimam ſynaxim non modò deſiderium, ſed & propinquum ac vicinum huic, ardentiſſimo divini amoris ſpeculo contubernium. quod nomen ſpeculi, & quidem cauſtici ſeu uſtorii, à me uſurpari nemo mirabitur, qui illud ignitum Nierenbergii eloquium legerit: veniſſe illum ut *ignem mitteret in terram*, dum carnem noſtram indutus eſt, quam in Euchariſtiâ nobis, tamquam in ſpeculo uſtorio ad animos inflammandos proponit. *a* *Sicut* „ *enim ſolares radii*, inquit, *lini* „ *ſtuppam prius non accendunt aut* „ *conſumunt, quàm in pellucida cry-* „ *ſtallo congregentur*, ita poſt tot „ tamque eximia numinis bene- „ ficia, quæ totidem lucidiſſimos „ radios, ex infinita iſta bonitate, „ & amabiliſſima Dei eſſentia „ pulcherrimè emicantes, rectè „ appellaveris, frigebat nihilomi- „ nus mundus, & horrendo gelu „ torpebat, uſque dum illa ipſa „ beneficia in Chriſto, radiorum „ inſtar collecta, in nos derivavit: „ quando videlicet in ſanctiſſi- „ mam puriſſimamque humani- „ tatem ſuam congeſſit lucem „ illam inacceſſibilem, quanta „ quanta eſt, & infinitum ſplen- „ dorem. hac potiſſimùm de „ cauſa, ut amore omni ac hono- „ re digniſſimus, ad ipſum colen- „ dum & diligendum inflamma- „ remur. & ut ſilices ſimus, his „ tam repetitis amoris ictibus, „ ſcintillæ quædam abſiſtant ne- „ ceſſum eſt. Id ipſum perviſum experta eſt S. Gertrudis, *b* cui velut ſponſæ prædilectæ, ſpecioſus formâ præ filiis hominum ſeſe exhibuit *inſtar ſpeculi ſolaris, radios in animam largè evibrantis*: in quod dum oculos intenderet, *ſenſi*, inquit, *ingredi in intima mea lucem quandam incomprehenſibiliter ſuavem*, quæ penetrando omnia mea viſcera, *videbatur operari virtutem quandam ſupra modum admirabilem: videbatur enim exhaurire medullas oſſium meorum, ac deinde ipſa oſſa cum carne. ſic ut tota ſubſtantia anima mea, non videretur eſſe aliud, quàm ſplendor ille divinus*; quemadmodum fieri videmus, dum lucidiſſimum ſuum vultum, ſol ille ſpectabilis in ſpeculum conjicit, in alterum Solem ſpeculum commutaſſe perhibetur. Quod ut & in te, ô homo mortalis! lumen illud increatum, divina quadam ratione efficiat: *c* *ama amorem illius, qui amore tui deſcendit in ſubſtantiam panis: & ibi amorem ſuum amori tuo copulavit humiliando ſe, ſublimando te; conjungendo lumen ſua æternitatis limo tua mortalitatis.*

a Nierenb. de amore Ieſu c. 1.

b In vita S. Gertrudis l. 2. c. 22. Corn. in c. 7. Sap. v. 26.

c S. Aug. l. de catech. rudib.

§. II.

Accedite ad eum, & illuminamini. Pſal. 33. *d*

DUm divinum hujus lucidiſſimi ſpeculi fulgorem, oculis veſtris objicere aggredior, utinam id mihi, quod olim D. Hildeberto, accidat: cui ſacra commentanti, calamus cœlitus inauratus, non alios quàm aureos chara-

d Lorin. in Pſ. 33. de Euchariſt. exponit.

characteres exarabat; aut certè, quod inaudito sanè prodigio Conrado Eginoni, Apostolico per Germaniam Legato accidisse legimus, *a* cujus digiti, quibus Sacrosanctam Hostiam attrectabat, ea luce splendere soliti, ut ad legendum, scribendumve etiam obscura nocte, lucernis aliis opus non esset. *traxerant*, inquit Auctor, *hanc lucem, à contactu Corporis Domini, ut olim Moyses gloriam vultus, à consortio sermonis Domini.* cujusmodi fulgorem Chrysostomus in manibus Sacerdotum, in linguis Laicorum, Corpus Christi contrectantium, jure deposcit: *b quo*, inquit, *non oportet esse puriorem tali fruentem Sacrificio? quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc dividentem? os quod igne spiritali repletur, linguam qua tremendo nimis sanguine rubescit? cogita quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris; quod Angeli videntes contremiscunt, nec liberè audent intueri, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur.* jactet antiquitas *famosissimam Solis mensam*, *c* ut eam Hieronymus appellat, quæ Apollonium Tianæum desertâ patriâ, parentibus, propinquis, fortunis omnibus, per longa ac permolesta viarum itinera, ad sui nudam contemplationem excivit, quam Solis mensam, cum Herodotus in medium proferat, *d* & Christianus Cicero moralibus ferculis basilicè instruat, ipse supersedeo, atque aliam longè lucidiorem mensam vobis exhibeo, ubi ipse splendor æternus, quod hactenus inauditum, & omnem excedit intelligentiam, se ipse in pretiosissimum edulium attemperavit, ut mentes nostras, & omnia viscera, sua luce intimè collustraret: quod olim illustri vaticinio Isaias declaravit: *e Implebit splendoribus animam tuam.* Expertam, suprà audivimus, S. Gertrudem, quæ ad hanc mensam accedens, non semel eum Sole incredibiliter splendidiorem conspexit. Quare error fuerit Hermogenis hæretici, *f* qui cum in hac mensa Solem lucidissimum Corporis Christi non cerneret, in Sole illud repositum volebat: nobis compertum est, in hoc Eucharistico Sole, posuisse tabernaculum suum, è quo divinitatis radios absistentes, Elizabetha Schonaugensis quandoque deprehendit: *g factum est enim in usu dierum, ut veniret quidam ex fratribus, ferens in pixide divinum Sacramentum: cumque staremus*, inquit, *in circuitu ejus, ego & quædam sorores, ecce cor meum liquefactum est, & ecce claritas magna refulsit in pixide.* ita refert Nizetas in vita S. Ignatii Archiepisc. Constant. *videbatur*, inquit, *panis divinus penitus immutatus, totusque veluti cœlestis carbo* (ut infrà fusiùs) *gratiæ radios spargebat à cœlesti flamma*; quod pluribus comprobare desino, cum innumeris miraculis Hostiam aliquando divina luce collustratam, à populo conspectam esse manifestum sit, sufficerit illud D. Anselmi attulisse: *h venit*, inquit Christus, *veluti*

a P. vander Veken de Missa, pag. 118.
b Chrysost. hom. 60. ad pop. Ant.
c S. Hier l. 2. ep. 2. ad Paulin.
d Lanuza hom. 27.
e Isa. c. 56. *f* Beyerlinck theat. H. pag. 20. *g* In vita. Novarini Agnus myst. pag. 321. *h* S. Anselm. in cœlest. alloq. c. 43.

nitidissimus Sol ad ipsum peccatorem.

Ferunt Historici *a* Justinianum Imperatorem triclinium habuisse omninò aureum, ubi pavimentum aureum, parietes aurei, laquearia aurea, lecti aurei, mensa aurea; unum deerat, panes aliosque cibos non esse aureos. hos Caligulæ magnificentia excogitavit, qui dum divitias suas non tam ostendere, quàm ostentare vellet, convivium illustre, omnino aureum adornavit: ex auro panes, pernas, perdices, aureis patinis imposuit, hoc lemmate adjecto: *aut Cæsar, aut nihil.* Ingeniosus amor in convivio illo splendidissimo & verè aureo, quid simile commentus est, nihil dare voluit aut omnia; in hac mensa se dedit, id est omnia: splendidum profectò donum, ubi ipse splendor se in donum exhibet: unde Ecclesiastes apposite proclamat: *b splendidum in panibus, benedicent labia multorum.* Vt de iis, qui hoc tam splendido ferculo indies vescuntur, verè dici possit: *epulabantur quotidiè splendidè*; divino quippè amoris igne, aurum hoc liquatum, nobis potabile propinatur, ut totam animam fulgore suo illustret, & quo volet *c pleno se proluat auro.* Quo fit, ut Chrysostomus loquitur: *quemadmodum si quis liquefacto auro manum vel linguam injiciat, quàm primum deauratur: ita anima immersa sanguine Christi aurea redditur,* ejusque fulgore convestitur. Quærit ipse splendor patris, an cognoscere velimus, quemadmodum hoc lumen animis hominum infundatur: *d dic quo ordine justitiam meam occultissimam sinibus cordium infundo, cum & per accessum non videor, & tamen visibilia opera hominum invisibiliter immuto? Cùm unam eandemque mentem modò hac, modò illa virtute irradio,* modò ex hoc Eucharistico speculo, radium humilitatis, modò castitatis, modò ardentissimæ charitatis, Dominus virtutum emitto. in hoc autem fulgentissimo intuitu mirum est, quomodo Christi sponsæ admirentur, quomodo in conspectu divinæ majestatis stupeant, quomodo fervescant, quomodo liquescant, quomodo minimos venialis noxæ atomos, quasi per rimam in animo volitantes perspiciant. Nusquam verius illud Ambrosii, *e* quàm in hoc mysterio comprobatur: *illuminat Dominus sanctos suos, & lucet in corde justorum,* qui simplici contemplationis oculo, divinas omnes perfectiones hîc contentas intuentur, dum *f Sol* ille *intelligentiæ* ad sublimius de Deo sentiendum, illumque ardentissimè diligendum illustrat. Quæ lux adeò quandoque mentem occupavit, ut cum corporis angustiis contineri non posset, è vultu, divina hæc contemplanti & attrectanti refulserit, ut de plurimis SS. legere est, quorum facies dum sacris operarentur, aut de hac mensa participarent, Sole clarior apparuit. Ita splendore plusquam humano facies Stanislai non semel conspecta est. *Ita nimirum,* inquit historicus, *g ad luminum Patrem capaces animæ accedentes*

a Suidas. *b* Eccl. 31.
c Æneid. l. 1. Chrysost. hom. 45. in Ioan.
d S. Greg. l. 29. Mor. c. 13.
e S. Amb. in Psal. 118. serm. 17.
f Sap. 5. *g* Hist. Soc. part. 3. l. 4. n. 75.

illumi-

illuminantur. Sed nihil eo illustrius, quàm quod ex eruditissimo viro dicturus sum. Lorinus in Psal. 21. vers. 27. *edent paupe res, & vivent corda eorum in seculum seculi.* Docet piam quorundam sententiam, ut quemadmodum peculiares sunt aureolæ virginum, Martyrum ac Doctorum, ita singulari quadam pulchritudine corpora eorum conspicua fore, qui præ cæteris de hoc lucidissimo Eucharistiæ pabulo participarint, quod Lorinus illustri probat argumento: sicut, inquit, ob unionem verbi, Christi corpus interdum quædam similia dotibus fecit, ut subtilitatis nascendo ex matris clauso utero: agilitatis super aquas: claritatis in transfiguratione; ita propter præsentiam corporis Christi, quæ dignè illud recipit, juvatur ut promptiùs exequatur opera virtutis, & magis magisque ipsum corpus reddatur spirituale, agile ac lucidum. Si itaque hac peculiari dote corporis gloriosi, & veluti singularis splendoris aureola, donari cupimus, præ cæteris, in hoc speculo frequentiùs, ut minimum singulis diebus Dominicis, qui dies Solis vulgò appellantur, nos intueamur. nam ut dilucidè Chrysostomus triplici titulo *dies Dominica* compellatur: *a* primò, quia eo tempore incidit resurrectio Domini; secundò, appellatur *dies lucis*, quia eo die, in mundi exordio, dixit Deus, *fiat lux, & facta est lux*. 3. *dies panis*, nuncupatur, quia eo die fideles ad hoc illustre convivium accedebant. Quæ sanctissima consuetudo, utinam hoc perditissimo seculo instauraretur! utinam quovis die Solis, de hac Solis mensa quid lucis participaremus! quod Hipponensis Præsul suis inculcabat: *b omnibus Dominicis diebus communicandum suadeo & hortor.* Fusiùs hæc vide apud Nierenbergium in doctrinis asceticis l. 2. doct. 4. cap. 21. Nec hoc satis, sed insuper adolescentes, puellas, viros, fœminas compello, ut quemadmodum vix dies abeat, quo vultum suum in speculo non semel iterumque contemplentur, ita per dies singulos (quod potissimùm Religiosis convenit) divinissimum Eucharistiæ speculum, summâ animi veneratione consulant, ac tenebris suis lucem deposcant. *c* In quo præclarum se præbuit B. Franciscus Borgia, qui ubicumque degeret, secretam sibi curabat cellam ad aræ maximæ latus, quo promptior ac propinquior esset accessus, ad hoc speculum contemplandum: etenim septies cum minimum, de quovis solebat invisere, in singulis salutationibus (quæ praxis observanda) sub sancti cujusdam ductu quasique admissionali patrono (ut in aulis Regum fieri assolet) dona quædam varia, veluti benignitatis radios hinc sibi deposcebat. Quin & tu illius exemplo, intra sphæram activitatis hujus candentis speculi, frequenter consiste, illicque ejus dignitatem, ac tuam vilitatem contemplare. Habent & studiosi, quem in hoc æmulentur, ut alios omittam, eminentissimum S. R. E. Cardi-

a Chrysost. hom. 5. de Resurrect.

b S. Aug. tom. 3. lib. de dog. Eccl. l. 3.
c Hist. Soc. par. 3. l. 8. n. 145.

Cardinalem Bellarminum, *a* qui etiamnum studiosus, numquam sacras ædes transibat, quin ab hoc speculo sibi radium aliquem mutuaret: norat quippè in hoc *pane vitæ & intellectus*, reconditos esse omnes *thesauros sapientiæ & scientiæ Dei.*

a P. Barry. l'anneé Saincte part. 2. c. 7. devot. 2.

§. III.

Quinam ex hoc pane intellectus, sibi radium divinæ sapientiæ mutuarint.

S. Thomas Aquinas ex hoc speculo tantum sibi fulgoris, in arcanis ac reconditis mysteriis hausit, ut irrefragabili sanctissimi Domini nostri Pii V. oraculo, *doctrinâ suâ, universam Ecclesiam illustrarit. b* Et ex eadem veritatis Cathedrâ Joannes XXII. Quot articulos scripserit, tot miracula D. Thomam patrasse pronuntiavit, hanc sui clarissimi Elogii rationem subnectens: *quia scilicet omnes resolvit lumine plusquam humano.* Quæ ubi Deaponte noster adduxit, sic in laudes Angelici Doctoris excurrit: Conscientiam uniuscujusque super „ hac appello veritate, reflectet „ quando eos legit, intendit, in„ spicit, discutit, & quo se per„ senserit afflari lumine non ne„ get, sed confiteatur humiliter. „ De me, inquit, fateor, num„ quam articulum percurrisse, „ quin nova mihi ilicò affulserit „ lux, novaque intelligentia. Vt „ quos Religiosorum non nemo „ vidit splendidissimo ex ore Doctoris radios emicare, eos per calamum in summam collegisse videatur. Etenim ut in cæteris sublimioris scientiæ difficultatibus, omnes unus superarit, in hoc tamen de SS. Eucharistiæ Mysterio dilucidè pertractando ita excelluit, ut cum ea, quæ de hoc Sacramento ex Urbani IV. Pontificis Maximi mandato divinissimè conscripta, aræ imposuisset, ab ipso doctorum omnium Magistro audire meruerit: *bene scripsisti de me Thoma.* Et ne aliunde lumen suum, quàm ab hoc speculo, ubi est lumen æternum & indeficiens, desumpsisse censeatur: *c præmittebat divina*, ait idem SS. Pontifex, in bulla Canonizationis, *ut roboraretur, in Scholis, cum singulis diebus, antequam lecturus ascenderet cathedram, missam celebraret, & unam alteramve audiret.* In quibus tantus *splendor* paternæ gloriæ, nescio quo divinorum radiorum repercussu in pectus Thomæ redundavit, ut jam nemo longiùs disquirat, cur Solem in pectore gestare perhibeatur. Quod elogio perquam splendido, illustris Parisiensium Schola confirmavit, dum illum *Universalis Ecclesiæ* lumen *præfulgidum, universitatis d Parisiensis* speculum *clarissimum, & candelabrum insigne ac lucens, per quod omnes, qui vias vitæ, & scholas doctrinæ sanctæ ingrediuntur*, lumen *vident claritatis*, compellare non dubitavit. Quare qui hoc donum sapientiæ & intellectus consequi desiderat, ab hoc speculo sibi lumen deposcat. Scientiam boni & mali non ex arbore vitæ cum Adamo, sed

b Deaponte in Sapien. c. 9. n. 19. hom. 13.

c Deaponte cit.

d Deaponte cit.

hinc ex *a pane vitæ & intellectus*, citra piaculum colligat. Ecce inquit Anastasius Sinaita: *habes escam, habes etiam visus recuperationem & agnitionem, quam per escam ignoraverunt protoplasti.*

Apposité Richardus Victorinus *b* ad illa verba Isaiæ 7. *Butyrum & mel comedet*, ut sciat *reprobare malum, & eligere bonum.* Per butyrum & mel Eucharistiam intelligit. Et causam addit: unde tantam sibi scientiam acquisivit? *comedit*, inquit, *ut sciat*. Nos quidem, ut aliquam nobis scientiam comparemus, multos sumptus facimus, exteras urbes petimus, Academias frequentamus, codices volvimus, Magistros audimus, sudamus, impallescimus, lucubramus. Vultis compendio vobis scientias tradi? audi; *c sapientia ædificavit sibi domum posuit mensam, miscuit vinum*; insuper & seipsum in sapidissimum edulium apposuit: subjicio verba Richardi: *intuemini quantus vel qualis sit gloriosus iste, vel quid debeatis de ejus cibo sentire. Qualis puer, qui ad sapientiam simul & justitiam comedendo profecit. qualis cibus qui comestorem suum tam ad sapientiam, quàm ad justitiam comedendo promovit. Cæteri homines abstinendo, jejunando, gemendo, suspirando, laborando solent ad ista proficere; ipse tamen plenitudinem utriusque meruit comedendo obtinere.* Quæ paucis Doctor Angelicus complexus opusc. 58. c. 1. de Sacramento altaris, ubi adducit illud Salomonis Prov. 24. *comede fili mi mel, quia dulce est.* Eucharistiam melli confert ob dulcedinem, quæ simul ceram exhibet ad illuminationem: *mel*, inquit, *Corpus Christi dulce significat. Hoc bonum est, quia tenebras mentis illuminat.* Nostis unde titulum Doctoris illustrissimi, Thomas Sanchez acquisierit? *d* tria is in deliciis habebat, quæ ternos suos amores vocitabat. 1. propensissimo in virginem matrem erat animo. 2. Summo amore ferebatur in JESUM crucifixum. 3. Ardentissimo desiderio flagrabat in SS. Sacramentum. Vnde in diurnali, ne umquam exciderent hæc tria conscripta circumferebat: *e Virgo Maria. Iesus Crucifixus. SS. Sacramentum*, atque ex hoc triplici cultu, hoc triplici titulo passim honoratur. 1. Doctoris *gravissimi*. 2. *eruditissimi*. 3. *Illustrissimi*, ut gravitatem à virgine, eruditionem à crucifixo, illustrationem in quæstionibus maximè implexis, ab hoc speculo accepisse dicatur; quod quoties consuluerit, qua animi comparatione hos radios exceperit, testantur quæ sibi proposita habuerit, ex quibus illud est: quotidie SS. Sacra- "mentum quinies salutabo, die- "bus Jovis octies, adhibita una "verberatione & gestatione ci- "licii, cum continua tanti myste- "rii recordatione. Octo diebus "ante festum corporis Domini, "& totidem post, quotidie lita- "nias recitabo, disciplinam fa- "ciam, cilicium gestabo; solitis "orationibus, unius præterea "horæ spatium adjiciam, singu- "larem curam adhibebo, me ad "

a Lib. 10. Anag. contempt. in hexam.
b Richard. Vict. l. de Emanuel. c. 34.
c Prov. 9.

d Biblioth. Script. Soc. Crombecius de perfect. l. 2. c. 32. §
e Bary L'anneé S. part. 2. c. 7.

tantum

tantum festum disponendi. Hisce verò diebus octies illud visitabo. Hactenus ex ejus manuscripto, in quo illud maximè admirandum quod totis 44. annis, quibus in Religione vixit, imò & ante ingressum, nihil prædictorum quovis impedimento, vel minimum remiserit. quid ni Ambrosianum illud in se expertus est: *a Candor lucis aternæ illuminavit ejus mentem scientiæ fulgore, cognitionis divinæ.* Sed dum hîc de sapientia agimus, saporem simul sapientiæ misceamus.

E melle hoc Eucharistico dulcedinem, è cera lucem sibi quoque Franciscus Suarez mutuavit. *b Hic erga sacrosanctam Eucharistiam religione præcipua fuit*, quæ quàm animi palato sapere consuevisset, hoc argumento sit, quod dicente nescio, quo, graviorem sibi videri latam esse in Societate legem sacerdotibus, quotidie faciendi, minimè inquit Suarius, quæ enim in omni vita jucundior ac suavior hora, quàm illa sacrificii? mihi quidem si quando hoc tanto bono carere contingit, animus exarescere, divina dulcedine destitutus. Idem sapuit, qui dixit: *c bonus es Domine animæ quærenti te. Si quærenti, quantò magis invenienti: si tam dulcis est memoria, qualis erit præsentia? Si mel & lac dulce est sub lingua, quid erit supra linguam?* Mel sapuit in ore Suarii, *d* sed & cera mentem illuminando sapere docuit, cum duos ab humo cubitos sublimis, cœlesti lumine totus circumfusus, & totum veluti divinum Solem pectore excipere visus sit. Vt meritò ab hoc Sole illustratus, *e alter Augustinus, & novum Philosophiæ ac Theologiæ* lumen *audierit.* Denique si cui libuerit, lustret omnes Ecclesiæ Doctores, Hieronymos, Ambrosios, Augustinos, Gregorios, comperiet omnes ab hoc divinitatis radio, sibi lucem mutuasse. Hæc lux omnem intellectum illuminat, omnes ignorantiæ tenebras discutit, omnes incredulitatis umbras fugat; hæc lux omnem infestationis noctem prorsus eliminat & propulsat.

a Amb. in Psal. 118. serm. 17.
b Biblioth. Script. Soc. Rho. variæ virt. hist. l. 3. de Relig. c. 1. nostra. n. 6. *c* S. Bernard. serm. de triplici cohærentia.
d Biblioth. Script. Soc.

e Ibid.

§. IV.

Vmbram fugat veritas, noctem lux eliminat.

S. Thomas opusc. 59. c. 1. de Sacramento altaris sic docet: *Hoc specialiter & specialissimè dicitur Sacramentum fidei, quia tot & tanta sunt ibi supra, & præter, & etiam contra rationem naturalem, quæ nisi per fidem tenerentur & crederentur, numquam intelligerentur. Et ideo bene dicitur Isa. 7. nisi credideritis, non intelligetis, & Apostolus ab Hebr.* 11. *accedentem ad Deum oportet credere.* Ac tandem concludit: *Fides adsit, & nullum dubium remanebit.* mirum id fortassè cuipiam videbitur, fidem obscuram omne dubium tollere, noctem ignorantiæ eliminare, quam nullum rationis lumen valet discutere, quod ut mirum esse desinat, noverit, quemadmodum solis fulgor, oculorum aciem perstringens, in pellucido fonte, vel speculo, quasi refractis radiis,

tutus totusque videtur, ita candor ille lucis æternæ, orbiculari hac cryſtallo quaſi refringitur, & ſpecierum velo attemperatur. Perſpicuum hujus rei typum habemus Exodi 30. Filii Iſraël non poterant intendere in faciem Moyſis, quam ſipario quodam, ſeu velamine obducere cogebatur, *facies enim Moyſis* inquit Doctor Angelicus, *a tam magnam accepit radioſitatem, ex frequenti & familiari appropinquatione ad divinum lumen, ut non poſſent claritatem vultus ejus ſuſtinere, niſi velatam. Sic nimirum, imò multò magis, corpus Chriſti in reſurrectione glorificatum, & ſpirituale ac Deiforme factum; nullus poteſt mortalibus inſpicere oculis, niſi alia ſpecie velatum.* Sub qua ſpecie vel velo, quaſi per Chryſtallum, lucem ſuam diffundit, quæ umbras incredulitatis, & mentis tenebras ex animo pellat, juxta illud *umbram fugat veritas*, noctem lux eliminat. Vbi in mentem venit, quod refert Joſephus: columnam illam, quæ denſas Ægypti tenebras fugabat, & filiis Iſraël prælucebat, cryſtallinam fuiſſe, atque intus omninò igne plenam. Ita velim ſentias, dum Chriſtum aurea Hierothecâ, in altari expoſitum, cryſtallino cilindro concluſum intueris, intus divini amoris flammis ardentem, foris luce gratiæ fulgentem contemplare.

Dum infeſtationis nox, & incredulitatis umbræ ingruunt, propiùs ad hanc lucem accede, & cum Auguſtino exclama: *emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* Deus meus illumina tenebras meas. Pſalm. 17. Illuminans tu mirabiliter. Pſalm. 75. quo fructu? *b coruſcaſti*, inquit, *ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam.* Quo fructu? ipſa me deduxerunt, & adduxerunt *in montem ſanctum tuum*, hoc eſt, interprete Hieronymo, *in Eccleſiam per fidem*, & in tabernacula tua, ubi hæc lux aſſervatur. Hos actus fidei frequenter cum ſumma animi demiſſione exerce, conteſtando coram Deo, ac curia cœleſti univerſa, potiùs te millies mori, quàm circa myſterium hoc, tot prodigiis confirmatum, vel in minimo hallucinari velle, uſurpando nunc illuc: *c credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Nunc cum Apoſtolis: *d adauge nobis fidem.* Quo exercitio illud quiſque conſequitur. ut per quemque fidei actum gratiæ lumen in animum infundatur, & ad illuſtrem ſanctitatis gradum evehatur. Iuvat hoc magni Auguſtini ſtabilire teſtimonio, qui hujus rei teſtem, Dei matrem inducit: *e Sacratiſſima Virgo*, inquit, *beatior fuit per fidem perfectam, concipiendo Deum in anima, quàm in corpore: nam etſi tanta ſit dignitas Dei matrem eſſe, ut major homini conferri non poſſit, ea tamen ſola jus ad immortalem gloriā non dedit, ſed fides vivaciſſima, hæc charitati juncta, Virginem ſuper univerſos Angelorū ordines evexit.* verè: *Beata quæ credidiſti. Et beati qui non viderunt & crediderunt.* Quos inter cenſeri voluit, fulgore fidei verè Chriſtianiſſimus S. Ludovicus Galliarum Rex, *f* qui vixit in aula, ut in Oceano gemma; hic cum fortè Pariſiis, Chriſtus formâ venu-

a S. Thom. opuſc. 58. c. 8.

b Aug. l. 10. confeſſ. c. 27.
c Marci 9. *d* Luc. 17.
e S. Aug. lib. de S. Virginit. c. 3
f Ribadin. in vita.

venustissimi pumilionis se videndum in Eucharistiâ præbuisset, ad id spectaculum, quo totæ Lutetiæ confluxerant, se conferre noluit, negavitque sibi opus esse miraculo, ut qui mentis acie & fidei radio, longè firmius istic Deum corporaliter præsentem agnosceret, quàm si oculis, quibus quid præstigii subesse posset, conspiceret: *a fides* quippè *est oculus cordis, videt qui credit, & credendo intelligit*. Atque id ipsum extremo spiritu confirmavit: nam cum sacerdos viaticum porrecturus, de more quæreret, num Christum Dominum præsentem crederet! respondit Rex: *credo, idque tam certa fide, ac si eum ante me viderem eâ formâ, quâ cœlos ascendit*. Hæc admiramini & æmulamini: hortatur vos brevis illa, sed efficax D. Leonis parænesis: *b magnarum hic vigor est mentium, & valdè fidelium hoc* lumen *est animorum, incunctanter credere, quæ corporeo non videntur intuitu*. Et rursus Augustinus: nos miseri homunciones *c demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse*. Sectemur, ut idem SS. Præsul monet, potiùs non intelligendo intelligere, quàm intelligendo non intelligere. *d Et nox sicut dies illuminabitur*; ea tamen est Dei miseratio, ut ad dubios confirmandos sæpe sæpius se in hostia longè præclariùs, quàm in limpidissimo speculo dederit spectabilem.

„Nemo, inquit S. Thomas, *e* „qui sanctorum vitas & exempla legerit, ignorat, quod sæpe „corporis Christi & sanguinis „Sacramenta, aut propter dubios, aut certè propter ardentiùs amantes, visibili specie in „agni vel pueri forma, aut in „carnis & sanguinis colorem „monstrata sint; ut quod latebat „mysterio, patesceret in miraculo; Beato enim Basilio in die „Paschæ mysteria celebranti, „Hebræus quidam se sicut Christianus populo commiscuit, officii volens explorare mysterium: qui vidit infantem partiri in manibus Basilii & communicantibus omnibus venit „ipse, & data ei hostia, verè caro est facta & servans reliquias, „abiit in domum suam, ostendens uxori suæ, narrans quæ „propriis oculis viderat: credens ergo ait: *verè horribile & „admirabile est Christianorum Sacramentum*. Similem de Ægidio Presbytero attexit historiam. sed ejusmodi spectacula, oculatæ mentes non requirunt.

Alterum huc spectat, ne secum, vel cum cacodæmone, super hoc maximè arcano mysterio disceptet, nec aliud suggestionibus reponat, quàm quod Carbonarius ille: *credo quod credit Ecclesia*. Rogatus à maligno spiritu, quid crederet Ecclesia, quod ego, inquit; tum rursus cacodæmon, ecquid tu credis? *quod credit Ecclesia*; atque ita diabolum in circum egit & abegit. nec sibi hîc literati nimium præfidant. Præsul Genevensis Franciscus de Sales, *f* vir in omni scientia perquam eruditus, & fidei mysteriis apprimè imbutus, cum extremo viatico munitus

a Aug. serm. de Catech.
b S. Leo serm. 1. de ascens.
c S. Aug. epist. 3. ad Volusian.
d Psal. 136.
e S. Thom. opusc. 38. de altaris Sacram. c. 11.

f In vita.

munitus esset, tentator adfuit, multa ab eo super hujus Sacramenti veritate percunctans, quem, inquit, non disputando sed nomen Jesu invocando superavi. hoc melliflui Doctoris monitum est: *a accedendum ad Deum, non irruendum; ne irreverens scrutator opprimatur à gloria.* nemo Judaicum vel ut verius dicam Satanicum illud *quomodo* usurpet: *b quomodo hic potest nobis suam carnem dare ad manducandum?* litigabant ergo Judæi, uti & moderni hæretici: *quomodo*, quo modo, illudque mirum in modum occinebant, & quem vel muta mula, ad nutum Antonii de Padua sub Eucharistico pane agnovit & venerata est, asini illi non agnoscunt; mitiores certè & oculatiores sunt ferocientes tauri Hispaniæ, de quibus rem sanè miram ad hos reformatos Ecclesiæ conformandos, paucis exponam. Brozæ in Hispania sodalitium est, *c* sancto Marco sacrum: in cujus honorem, juxta morem majorum, quotannis unus è sodalibus deligitur, qui in campum mittitur, ubi tauri pascuntur ferocissimi; cumque ex iis validissimum ac ferocissimum indagavit, Marci nomine eum indigitat, jubetque cunctis inspectantibus taurum secum venire, qui è vestigio sequitur, comitatur ad templum, assistit sacro, deposita feritate coram agno, qui immolatur: hunc pone sequitur in supplicatione; pueri puellæque, manibus contingere gaudent. fabulam quis existimaret, nisi ut rem verissimam comprobaret Vivero noster, in convivio suo verè Divino, & majora his, veterũ sacri codices contestarentur. quid ad hæc hæretici, qui ista oculis intuentur, nisi in tanta luce, ut noctuæ cæcutiant? si ergo quæras *quomodo?* Audi Doctorem Angelicum: *d ars hominis, unam substantiam mutat in aliam, ut patet in vitrifice, qui vilem cinerem mutat in præclarum & nobile vitrum; ergo multò magis virtus verbi Dei, potest panem in corpus ejus, & vinum in sanguinem commutare. Quæris quomodo? natura unam substantiam mutat in aliam, sicut in vite; aqua mutatur in vinum, cibus humanus in carnem; opera apum, succus florum in favum.* quæris *quomodo?* audi Damascenum: *e sicut Deus dicendo fiat lux, fecit lucem, ita dicendo hoc est corpus meum, hoc Sacramentum perfecit.* ex quibus cum S. Thoma concludo: *sermo ergo qui potest facere ex nihilo, quod non erat, non potest ea quæ sunt mutare in id, quod non erat? non enim minus est dare rebus novas, quam mutare naturas.* & si ea quæ arte vel natura fiunt, ratione assequi non vales, quid miraculorum omnium maximum scrutaris? *f Recedat ergo omne infidelitatis dubium, quia qui author muneris, ipse est testis veritatis.*

a S. Bern. serm. 31. in Cant.
b Ioan. 6.
c Vivero in convivio divino.

d S. Thom. opusc. 58. c. 11.
e Damasc. l. 4. c. 15.
f S. Thom. cit.

§. V.

Speculum Eucharisticum fidelium corda inflammat.

3 Regum cap. 6. & Canticorum 3. stupendum illud opus describitur, quod potentissi-

mus Rex Salomon sibi exstrui curavit. in quo cum singula nemo non admiretur, illud comprimis omnes suspiciunt, quod interiorem ejus partem, eleganti amoris symbolo illustrarit, dum *reclinatorium aureum, media charitate constravit*; Hebræi enim vertunt: *& in medio ejus, carbo ignitus*; qui thronus juxta Ambrosium, Bedam, Bernardum, divinum exhibet Sacramentum. alii legunt *medium ejus combustum, & ardens charitate, vel medium ejus tenet incensus charitate*, hoc est ipse Deus, qui charitas est, se istic exponit, ut nos ad amorem sui inflammaret; unde Doctor Angelicus aptè omninò, *a hoc Sacramentum maximæ charitatis* appellavit. Etenim cum divinus ille Cupido, capacissimam gratiarum pharetram in nos exhausisset, jamque omnia beneficiorum tela insumpsisset, (quod Anacreon finxit, hic effecit) prodigialiter prodigus seipsum pro jaculo, in amantis pectus penetravit, ut cominus illud amoris flammis accenderet, & sibi velut ferrum ferro candens uniret. *b O verè Sacramentum pietatis! ô signum unitatis! ô vinculum charitatis!* ea vis ignis est, ut ferrum consumere nequeat, sibi proximè assimilet, inque sui quodammodo vertat naturam; non minorem huic divini amoris igni, Dionysius virtutem tribuit: quemadmodum, inquit, *c ignis sensibilis, ea quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusq; quomodo libet sibi appropinquantibus, sui consortium tradit: haud aliter Dominus noster & Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum, in sui traducit effigiem, Deiformesque reddit.* Ita totus in flammas abierat ardens ille illustrissimæ familiæ Patriarcha Dominicus, qui inter missarum solennia Christum elevans, in altum tollitur, *d & ab igne, quo intus ardebat, corpus ejus subvectum, velut in ignem convertitur.* Ita carbo ille quem manu gestabat, totum in se commutarat. per visionem non obscuram id olim Isaiæ accidit: *e volavit*, inquit, *ad me unus de Seraphin, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum &c.* quem calculum Justinus, Chrysostomus, Cyrillus & alii, *carbonem ignitum* interpretantur. expressiùs Damascenus: carbonem vidit Isaias; *f carbo autem non simplex lignum est, sed unitum igni. sic panis communionis, non panis simplex, sed unitus divinitati.* unde præmittit: *accedamus desiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus suscipiamus, & apponentes oculos, & labia, & frontem; divinum carbonem concipiamus, ut ignis in nobis igniti desiderii, assumpta ea, quæ ex carbone oritur inflammatione, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione divini ignis inardescamus & Deificemur.* hunc carbonem non unus Seraphin B. Stanislao detulit, *g* semel cùm hæreticum apud hospitem, nulla ægro viatici spes affulgeret. dein ruinosum in Lutheranorum templum digresso;

a D. Thom. 3. part. q. 75. art. 1.
b S. Thom. 3. part. q. 79. art. 1.
c S. Dionys. de cœlesti hierarch.

d De Paz de perfect. tom. 1. l. 4. part. 3. c. 27. *e* Isa. c. 6.
f Damasc. l. 4. de fide c. 14.
g Hist. Soc. part. 3. l. 4. n. 59.

quod

quod Catholicorum arbitrabatur, rursus Angelus defert itineris reliqui viaticum; quo per omnem vitam quoties vesci contingeret, tantum ardoris pectore concipiebat, ut non modò rigidissima hyeme sudaret, sed totus in ignem conversus, penitus deflagrasset, nisi frigida pectori non semel admota, divini ardoris flammas temperasset. eleganter ille cecinit:

Et quanti, & quales, fuerint tibi pectoris ignes,
Infusæ toties testificantur aquæ.

O amor! ô flammas Deo dignas! ô incendium divinum! *a quod aquæ multæ exstinguere non potuerunt.* unde illum Damianus noster, carbonem nuncupare non dubitavit: *b* tandem, inquit Stanislaus, seu *ignitus carbo*, aliis quoque ignitis in Societate Jesu additus est. hæc nemo demirabitur, qui ignitum illud Antiocheni Præsulis audierit eloquium, dicentis: *c ignis spiritualis plena est ipsa mensa, & quemadmodum fontes naturaliter scaturiunt aquam, sic hac mensa flammam quamdam continuam fovet.* Ex qua uti hic fervens Ecclesiastes, sermones suos velut faculam accendit, ita hoc unum in votis est, ut quisquis ad populum verba facturus est, ab hac fornace sibi flammas mutuet.

Fecit hoc celeberrimus divini verbi præco Antonius Corduba, *d* qui quo ardore extiterit, declaravit satis Bustamantius, dum ,, ad P. Generalem hoc de eo elo- ,, gium tulit: totus verò igne divino succensus Antonius, unus " cœlestium Seraphin videbatur; " & ut sciatis unde flammas hau- " serit, unde eas è suggestu spar- " serit, ad fornacem Eucharistiæ " accendebat, quæ ad concionem " ferret; unde fiebat, ut potiùs te- " la quàm verba mitteret. clama & tu hîc cum Augustino, antequam cathedram ascendas: *e O ignis, qui semper ardes, & non exstingueris, charitas Deus meus, accende me.* Possem hîc adferre SS. Ignatios, Ivones, Martinos, aliosque; qui omnes, *f ut carbones succensi sunt ab eo,* quibus in globum igneum, seu speculum causticum, sese hostia exhibuit: vel jam toti incensi dum facerent, scintillas à se evibrare visi sunt, *g & ab hac mensa recedere, tamquam leones* (ut cum Chrysostomo loquar) *ignem spirantes, diabolo facti terribiles.* Rectè huic aureo oraculo subscribit Molina, *h* sacerdos Magnus, ordinis Carthusiensis, dum hanc Chrysostomi sententiam non immeritò pronuntiatam affirmat, quia Levit. 6. mandavit: *ignis in altari semper ardebit,* quod de igne Eucharistico nonnulli intelligunt. at numquid *potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* si descendente de cœlis Domino, ut legem conderet, mons Sinai ferre Dei præsentiam nequiverit, quin vivas flammas conciperet & arderet, nos poterimus in cordibus nostris gestare Christum, nec divino charitatis igne flagrabimus? tangit Dominus (Propheta teste) montes, & fumigant. si solo at-

a Cant. 8. *b* P. Damian. in synopsi Soc. l. 3. c. 7.
c Molina de sacerdot. pag. 428.
d Hist. Soc. part. 3. l. 3. n. 178.

e Aug l. 10. conf. c. 29. *f* Psal. 17.
g Chrysost. hom. 61. ad pop.
h Molina de sacerdotio l. 1. c. 12. §. 2.

tactu, quî fieri potest, ut animis nostris associatus ; & indies quasi conglutinatus cum sit, illi non inflammentur, nedum incalescant? „ a magna sanè est mentis no„ stræ durities, magnus instar gla„ ciei algor: nec saxum illud cor„ dis durissimum rumpitur, nec „ radiis Solis divini liquescit, nec „ flammeus iste ignis, qui se vi„ sceribus nostris inclusit, glaciē „ asperrimam dissolvit. At qui „ montes nive strati, quæ flumina „ gelu constricta non solveren„ tur, si ut proximi sumus, ita & „ illa solaribus vicina flammis u„ rerentur. Seraphinos ait S. Dio„ nysius, b quia maximè Deo „ appropinquant, Divini amoris „ incendio præ cæteris spiritibus „ inflammari. & vos ô sacerdotes, vos ô Christiani, qui quoties vultis, & quantum vultis huic ardentissimæ fornaci appropinquatis, in hoc candidissimo speculo vos contemplamini, adhuc algere & torpere pergitis? At cum tam potentes undique radios hoc speculum usquequaque diffundat, in quæstionem jure vocari potest, quî fiat ut multorum fidelium corda non accendantur? hujus rei causam adfert Ludovicus Gra„ natensis: Quid inter elementa „ omnia igne actuosius, & ad a„ gendum vehementius? at si „ hunc ipsum furtim aliquando „ & celeriter contingas, non te „ aduret: mora enim illi ad a„ gendum opus est. sic igitur quamvis fidei nostræ mysteria, velut spiritualis quidam ignis sint, qui algentia hominum pectora possit incendere; si tamen eis cogitandis non immoreris, sed leviter ac velut in transitu percurras, minus planè eorum vim & efficaciam senties. Quamobrem fidei addere oportet considerationis moram, & ad ignem concipiendum, dispositiones in animo prævias, quod fiet, si lignum viride, omnem sensualitatis succum lachrymando exstillet, & ferventi desiderio siccando, proximè flammis suscipiendis adaptet.

a Molina cit.
b S. Dion. de cœlest. hierarch.

§. VI.

Dispositiones animi præviæ ad flammas ex Eucharistico speculo concipiendas.

PHilosophorum pronuntiatum est, & experientiâ comprobatum, ad quamvis formam inducendam prævias dispositiones requiri: sic ignis facillimè lignum siccum corripit; quòd si virens ac humidum, pro flammâ fumum refundet. quare ut cœlestes has flammas animo concipiamus, prius lachrymæ, velut è viride ligno, & humido trunco exprimendæ; ut Christus Catharinam Senensem aliumque in vitis Patrũm erudiit; c velut viride lignum in igne positum, quod vigore caloris gemendo fundit aquam, quoniam in se viriditatem habet; ita animus vitiis carnalibus, luxuriæ ac temulentiæ succo, quasi viridis, & vel minimæ vanitatis fumo per oculos exundanti, omnem hunc liquorem exprimat, & ad divinum ignem suscipiendum se proximè dispônat; cui perquam appositè congruit

c Tract. 3. c. 92. Rosvveid. vitæ Patrum l. 5. tract. 3. de compunct. c. 16.

gruit illud D. Bonaventuræ, in illa verba Apostoli: a *Probet autem seipsum homo*, ubi dicit & docet: *Proba te ipsum ex quanta charitate, & quali fervore accedis: non solùm enim mortalia vitanda sunt, sed etiam venialia peccata, per negligentiam vel otium multiplicata; & etjam per inconsiderationem, ac per distractionem dissoluta vitæ, & malæ consuetudinis: licet enim non occidant animam, tamen reddunt hominem tepidum, gravem & obnubilatum, indispositum & ineptum, nisi dicti pulveres & stipulæ venialium, per afflatum spiritus, & flammam charitatis ventilentur & consumantur, exardescente igne cordis in consideratione* omnem itaque scoriam prius expurgemus, quàm hunc divinissimi candoris fulgorem imbuamus: b *ignis, qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit; ardet suaviter, desolatur feliciter: est enim verè carbo desolatorius, sed qui in vitia sic exercet vim ignis, ut in anima vicem exhibeat unctionis*, qua unctione totus accendatur.

Dominus Deus tuus ignis consumens est. Deut. 4. cujus energiam, paucis Ambrosius perstringit, dicens: c *non solet consumere ignis iste, nisi sola peccata*; quæ si per imbecillitatem humanam expiata non sint, docet omnium Theologorum Magister Aquinas, venialia per Eucharistiam remitti: mortale etiam in eo, qui per oblivionem istius conscius non est, vel, ut verbis ejus loquar, d *qui in peccato mortali ejus conscientiam, & affectum non habet*, ex quo (expendant fideles quid Sacramentum hoc operetur) consequitur, ut si duo sint, quorum quisque mortalem culpam admiserit, sic ut longinquitate temporis, aut memoriæ, at infirmitate utrique exciderit, ac neutri jam moribundo flagitium occurrat: hic verò sacro viatico se muniat, alter negligat; prior æternam vitam, alter mortem sempiternam consequetur: quia Redemptor noster in hoc pane vitæ, lethali noxâ mortuum, ad gloriam sempiternam resuscitavit. cujus rei typum expressit Doctor Angelicus opusc. 58 de Sacram. altaris cap. 12. in fine: *per figuram dicitur 4 Reg. 4. Eliseus incubuit super puerum, posuitque os suum super os ejus, & oculos super oculos ejus, & manus super manus ejus, & calefacta est caro pueri. per puerum fidelis anima, per Eliseum Dominus significatur, qui sicut sigillum ceræ, sic se conjungit animæ: oculos super oculos ejus ponit, quia intellectum illuminat, carnem calefacit, quia affectum charitate inflammat. os super os ponit, quia gustum memoriæ, dulcedine spirituali delectat. manus super manus ponit, quia in bono opere usque in finem conservat, & sic totum hominem perficit* (& quasi resuscitat) *ut ad vitam æternam perducat*; atque ita calore infiniti amoris sui, membra nostra fovendo, vitam gratiæ inspirat: ô sanctissima Christi membra, quàm indubitata estis Jesu amantis testimonia! singulis vobis inscriptum lego, & venarum inscriptum sanguine, *sic Deus dilexit te*. O oculi! ô osculum! ô pectus Jesu sanctissimi! quomodo te oculis meis, ore, pectore meo contingere audeam? scio Domine,

a Bonav. tract. de præp. ad Missam. c. 5.
b S. Bern. serm. 57. in Cant.
c S. Amb. l. 4. hexam. c. 3.
d S. Thom. part. 3. q. 79. art. 3.

Domine, quod omnes fontes gratiarum præmiseris, ut animum ad hoc mysterium dignè compares: *a per sanctificationes enim omnium sacramentorum fit præparatio ad recipiendum vel conservandum Eucharistiam.*

Quare si Princeps Philosophorum sensit, eò nobiliores dispositiones requiri, quò forma præstantior est: rectè mihi ille vir spiritu Dei plenus sensisse visus est, *b* qui exclamat: "utinam ante hoc Sacramentum suscipiendum præcessisset purgatorium! sed quia non antecedit, oportet me diligentissimè dispicere, præparare & mundare omni culpâ levissimâ, & debito cujusvis pœnæ & diligentia ex amore ardenti supplere, quoad possim purgatorii ignes. addit: tanta huic mysterio debetur mundities, ut magis deceat curare puritatem, quam si statim moriturus esses. plus optes, plus te solicites præparare ad Eucharistiam, quàm ad mortem: imò quadam fructuosa ratione: plusquam si in gloriam Dei ingressurus esses. Quod hisce comprobat argumentis: Jesus lavit pedes discipulorum, etiamsi mundi jam essent, cum corpus suum concessurus erat illis; at verò cùm eos misit sicut agnos inter lupos, in apertum mortis discrimen, cumque eos assumpsit in montem Thabor, ad manifestandam gloriam suam, lotionem non adhibuit, nec istam munditiem spectavit. Deinde, sufficiens ad mortem præparatio censetur, si quis in statu gratiæ è vivis excedat: veniales enim nævos piacularibus flammis eluit, priusquam in conspectum Domini appareat. novit autem quisque quanta cum solitudine, curâ, anxietate se moribundus disponat, quàm accuratè se discutiat; quàm sincerè confessario percunctanti de admissis doleat, quot ferventissimæ contritionis actus eliciat, sibi infensis ex animo ignoscat, nihil non agat ut Judicem ad quem pergit, sibi propitium reddat. eadem prorsus animi compositione ad divinum epulum accedamus, quod non minùs quàm ipsa mors est phase, seu transitus ad judicem. unde ad aram quasi ad judicem accessurus, inchoat: *c Iudica me Deus, & discerne causam meam &c.* Magnus ille in Boëtica Orator, & vitæ spiritualis Magister Joannes Avila, sacerdoti sacris operaturo, eam totius hominis solicitudinem ac præparationem necessariam ducebat, quam supremo Judici, causam dicturus à se exigeret. *d* hinc cùm audisset quemdam recens sacerdotio initiatum obiisse, petiit ab adstante, num aliquando celebrasset? altero respondente semel dumtaxat fecisse, subjecit Avila: *multum defert ad Iudicem*, redditurus rationem negotii omnium gravissimi, & legationis maximæ: dicturus causam, quâ animi puritate, attentione, fervore, æterno Patri incruentum sacrificium obtulerit, qua religione & veneratione, talem personam sustinuerit &c. similiter & tu ô Christiane, qui toties

a S. Thom. p. 3. q. 73. art. 3.
b Nierenb. de adorat. in spiritu, l. 3. c. 11.
c Psal. 42.
d Molina de Sacerdot. tract. 1. c. 16. §. 2.

toties ad S. Euchariſtiam acceſſiſti, *multum defers ad Iudicem*, vide ne judicium manducaris. doctrinam hanc confirmat S. Thomas in catena, ubi ad illa verba patrisfamilias invitantis ad cœnam: *ite ergo ad exitus viarum*, adfert hunc ſenſum Gregorii: *intelligi hîc eos, qui ſe jam putant eſſe in ultimo vitæ termino*. hos ergo, inquit Pinna noſter, *a* ad Euchariſtiam vocat, quia tanta puritate ſe aptare debet ille, qui ad Euchariſtiam accedit, ac ſi jam ultimum ageret ſpiritum, & in conſpectum judicis, ut verè ſit, venturus eſſet. ſic itaque fiat quotidiana communio, quemadmodum ſi foret ultima, & fieret in ultima mortis hora. quod P. Joanni Gaudano familiare fuiſſe legimus, *b* qui indies auguſtiſſimis myſteriis operaturus, ita animum comparabat & advertebat, ac ſi numquam ampliùs facturus.

Alterum verò, non minùs animum omni nævo expurgandum eſſe, dum quis Deo ſuo per hoc Sacramentum unitur, quàm dum per viſionem beatificam eo plenè potitur, illud Auguſtini probare videtur, *c* qui *panem noſtrum quotidianum*, de pane Euchariſtico exponit: *panis noſter quotidianus*, inquit, *Chriſtus in carne ipſe eſt panis, qui de cœlo deſcendit*. Vbi in rem noſtram præclarè advertit, non citra myſterium præmitti huic petitioni alteram: *adveniat regnum tuum*, quaſi animas prius ea ſanctitate præditas velit, quâ ſancti pollent in Regno Cœlorum, quam ad hunc panem Angelorum ſumendum accedant, quem S. Dionyſius vocat *Pharmacum immortalitatis*. Idem hîc objectum totale nobis proponi, quod beatis, nullus ambigat, ſi non eo modo, at certè ex hoc magis deſiderabili, quòd magis meritorio; unde Auguſtinus, *d* panem hunc cœleſti gloriæ comparavit: *Cum cibo & potu id appetant homines, ut neque eſuriant, neque ſitiant: hoc veraciter non præſtat niſi iſte cibus & potus, qui eos à quibus ſumitur, immortales & incorruptibiles facit.*

Theologi docent in cœleſti gloria, Deum uniri intellectui intentionaliter per modum ſpeciei intelligibilis; in hoc Sacramento unitur naturæ noſtræ realiter per modum cibi. Ergò majus videtur quodam modo hoc eſſe donum, quàm ſit cœleſtis viſio. Quò ſpectat illa Doctoris Angelici concluſio in illud Ioannis 6. *Qui manducat hunc panem, vivit in æternum. Sed vita æterna eſt vita gloriæ, ergo effectus hujus Sacramenti eſt adoptio gloriæ.*

Vnum hîc advertendum ſacris oratoribus & confeſſariis; ne dum hanc à tenerioribus mentibus præparationem requirunt, exitialem quendã horrorem incutiant; tales Zachæi exemplo animandi, non centurionis terrendi: Aug. epiſt. 118. cap. 3. *non litigaverunt inter ſe Zachæus & Centurio cùm alter eorum gaudens ſuſcepit, & alter dixit, Domine non ſum dignus. Vtrumque*, inquit, S. Thomas pertinet ad *reverentiam hujus Sacramenti.*

Lubet hîc ſtrictim attexere in uſum ſacerdotum, qua animi

a Pinna in Eccl. c. 15. Ethol. 488.
b P. Rho. variæ virtut. Hiſt. l. 5. c. 4. noſtra. *c* Aug. hom. 14. ex 50.

d S. Auguſt. tract. 26. in Ioan.

præparatione B. Borgias ad hoc sacrosanctum mysterium se præmunierit. a 1. Memor à Domino prælotos discipulorum pedes, non exhomologesi dumtaxat minimos nævos, sed & lachrymis diluere solebat. Confusionem interea, timorem, amorem, & affectus alios ex Majestate mysterii suscitans.

Secundò, Sacras vestes induens velut lupum se in vestimentis ovium intuebatur; & dæmones suorum scelerum conscios videbatur audire per irrisum exprobrantes: *en Saul inter Prophetas: Ecce Adam quasi unus ex nobis.* Cùm nos, quanto verius Chrysostomo attestante, *lupi fiamus agnum comedentes.*

Tertiò singula sacri cultus ornamenta, cum contumelioso Christi amiculo, catenis & cruce comparabat: & cogitans quæ ex vestimentis ejusdem virtus exiret, induere animum studebat flagranti illius sanctæ mulieris voto, quæ secum ajebat: *si tetigero tantùm fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Et profectò omnium deberet obversari animis, justissima D. Chrysologi admonitio: *Audiant Christiani qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possint medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem.*

Quartò ad aram procedens severissimam sibi illam comminationem subjiciebat: *b omnis qui tetigerit montem, morte morietur.*

Quintò erubescebat sibi legendum divinæ volumen sapientiæ, sessori cathedræ pestilentiæ.

Sextò ultrà modum confusione operiebatur, oblationem apparans, secum versans, eum patri filium offerri, quem scelere suo non semel trucidasset.

Septimò consecrationis mirificæ appetente opere, totus commovebatur, tamquam audiret Dominum intonantem: *c ecce appropinquat hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum,* se illum esse deterrimum sceleratorum interpretans. quam cogitationem Filii Dei se tradentis, ita potentem in se experiebatur, ut nimium censeret durum, qui ad eam non immollesceret.

Octavò hostiæ Sacrosanctæ contactu, Simeonem, Josephum, ac præcipuè Deiparam, gnaros debitorum illi obsequiorum, tamquam magistros assumebat.

Nonò *sub Agnus Dei*, cùm se agnus in lupi traderet potestatem, nullus dubitabat, quin se lupus agno permitteret.

Decimò, quod omnes Christi fideles æmulari studeant, prius se sacra synaxi quàm reficeret, apud Apostolos, aliosque Beatorum insistebat, participem se ut facerent ejus venerationis, quâ illi hoc peregissent, quasi supellectilem huic hospiti excipiendo condignam efflagitans. idque potissimum à cœli Regina precabatur, ita ipse divina mysteria, quemadmodum ipsa, susciperet.

Vndecimò ad tractationem Calicis, fundendi studio sanguinis inardescebat. & *ut ingens incendium* (inquit Sacchinus) in sui materiam *incrementa vertit omnia, tacito* clamore cordis ingeminabat: *quis mihi det, ut ego moriar pro te.*

a Hist. Soc. part. 3. pag. 400.
b Exod. 19.
c Matth. 26.

Denique

Denique ut noris, Francisci animum ad divinas illas flammas penitus recipiendas, proximè comparatum fuisse, subjungit: *ad consummanda mysteria ita incaluisse, ut etiam vultus ignesceret.*

§. VII.
Proxima ad divinas flammas concipiendas dispositio, fervens desiderium.

VEnio nunc ad illos proximæ dispositionis modos; quos animæ *a spiritu ferventes*, & divinitus edoctæ tradiderunt; è quibus Catharina Virgo Senensis in suis Dialogis cum patre luminum habitis, sic ait: *b Si plurimi portarent candelas ad accendendum, & una ponderis esset unius unciæ, alia duarum, sive sex, vel unius libræ, & quamvis omnibus accensis in qualibet parva & magna totum lumen accipias, videlicet calorem, colorem & ipsum lumen; judicabis tamen quod minùs de lumine recipiat ille, qui candelam parvam accendit, quàm ille qui majorem: ita contingit in hoc Venerabili Sacramento de his, qui recipiunt illud, & eorum candelas afferunt, videlicet sanctum desiderium, cum quo recipiunt ipsum Venerabile Sacramentum. Atque tantum accipitis ex illo lumine, quantum de materia sinceræ dilectionis, & amoris, & igniti desiderii portatis.* Tantum ergo percipitis ex isto lumine, videlicet de gratia, quam in illo Venerabili Sacramento recipitis, quantum vos cum sancto desiderio disponitis ad recipiendum. qui fervor desiderii, & devotionis, tantus esse potest, ut quemadmodum ignis purgatorii reddit animam omni culpâ & pœnâ sublatâ, capacem visionis beatificæ: ita hæc omni non modò noxâ, sed & reatu pœnæ deterso, capacissimam reddit, ut sancto sanctorum intimè uniatur. cujus solius defectu fit, ut Sacramentum hoc frequentantes, istiusmodi effectum non plenè sortiantur: hæc divinissimi Doctoris sententia est: *c quia hîc unitas fit per charitatem, ex cujus fervore aliquis consequitur remissionem non solùm culpæ, sed etiam pœnæ, inde est quod ex consequenti, per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo consequitur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundùm modum suæ devotionis & fervoris.* Adeo ut nulli mirum videri debeat, complures ad S. Synaxim accedere, sed hujus ferventis desiderii, & devotionis defectu, exiguum in se lumen gratiæ, charitatis fervorem, aliarumque virtutum splendorem recipere; quod Christus S. Brigittæ de quodam manifestavit: *d* quamvis, inquit, me sumpsit continuò, non tamen ex hoc multum meliorabatur, quia non se præparavit, ut debuit. quo fit (verba sunt Ambrosii) *e ut remedium nostrum sit diaboli triumphus.* quod ne nobis accidat, hæc ad inflammandum desiderium nostrum conferre poterunt:

f 1. Attenta mente volvere flagrantissimum illud desiderium Redemptoris nostri, quo non modò in ultima cœna, sed ab omni æternitate, ardentissimè

a Rom. 12. *b* Dial. c. 110, Lancic. op. spir. 5. c. 7.

c S. Th. p. 3. q. 79 a. 5.
d l. 2. revel. c. 2. Lancic. de profect. in virt. c. 19. *e* S. Amb. l. 1. de pœnit. c. 17. *f* Praxes.

a *desideravit hoc Pascha manducare nobiscum.* Beatus ille Patriarcha Venetus expendens illa Christi verba: *b desiderio desideravi,* exclamat: *vulnerati cordis, & flagrantissimæ charitatis est vox hæc. ô desiderabilis veritas, quid audio de ore tuo verissimo? desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. & ad quem illa clamat nisi ad me, ut simile desiderium excitet in me? c mira res, proximus erat passioni, & tamen ex hilaritate cordis se noluit continere, quin desideriorum suorum æstus exprimeret. amoris itaque flamma succensus, qualis latebat intus, per oris apertionem manifestavit foris. ut igitur ignem igne, desiderium desiderio, & amorem excitaret amore, inquit, desiderio desideravi, &c.* deliciæ meæ *cum filiis hominum.* clama & tu cum Propheta: Domine *ante te omne desiderium meum.* quod ad epulum Eucharisticum rectè traducit Amb. in Psalm. 37. *d statuamus ante Dominum omne desiderium nostrum, quid est desiderium? bona enim rei legi desiderium, desiderio desideravi hoc Pascha.* vir desideriorum impetrat à Deo, quidquid cupit; quomodo Deus desideriorum non impetrabit à vili homuncione quod deposcit, ut apud ipsum commoretur, ut festinus per intimam humilitatem descendat, & excipiat eum gaudens in domum suam? cùm ut præclarè monuit B. Theresia, *e hic hospes non soleat malè solvere pro hospitio, si benè recipiatur;* si hunc *panem desiderabilem* avidè & ardenti fame expetamus, haud aliter (ut suavissima Chrysostomi similitudine utar) quàm infantes ad matris ubera anhelant, iisque inhiant. *f nonne videtis,* inquit, *quanta promptitudine parvuli papillas capiunt, & quanto impetu labia uberibus infigunt? non minore alacritate nos quoque ad hanc mensam accedamus, imò majore desiderio quasi lactandi, gratiam spiritualem sugamus, ut unus sit nobis dolor, hâc escâ privari;* ut de Cathana Senensi, Lutgardi, aliisque legimus.

2. Praxim Magister noster S. Mechtildim edocuit, dicens: *g quando sacram communionem perceptura es, desidera & opta habere omne desiderium, omnemque amorem, quo umquam cor aliquod erga me flagravit, nam ego amorem illum in te attendam atque suscipiam, non sicut est in te, sed sicut velles in te esse.* quam piam sanè methodum, ne quasi prisci seculi antiquatam putemus, eam in usum de facto redegit P. Hermannus Hugo, *h* qui multa lectione sanctos illos, quorũ excellens in divinissimum Sacramentum cultus & ardor fuisset, diligenter adnotaverat: ut eorum natalitiis, cùm nondum initiatus esset, imitaretur exempla, & eo animi fervore, divinæ accumberet mensæ. Hæc & tu imitare, ac sanctissimum hunc ritum instaura, excitando in te desiderium, quo SS. animæ flagrarunt. B. Ida Virgo, Pipini Regis filia, *i* tanto fruendi hoc SS. mysterio desiderio ferebatur, ut præ ardoris magnitudine, sanguis ex

a Luc. 22. *b* B. Laur. Iustin. de triumph. Christi agone c. 2.
c B. Laur. Iustin. cit. *d* Psalm. 37.
e In vita l. 4. c. 17. Dan. 10.

f Chrys. hom. 60. ad pop.
g Blosius in conclavi animæ fidelis c 6. n. 6. *h* P. Rho, variæ virtut. hist. l. 3. de Relig. c. 1. nostra §. 22.
i In vita c. 9. & 19.

ore & naribus copiosè prorumperet, nec nisi sola præsentia dilectissimi JESU, quem tantoperè ardebat, sisti posset. quid, quod vel ad solū contuitum lintei (corporale vocant) cui in sacris Christi Corpus imponitur, tanto amoris æstu inflammabatur, ut præ ardore membra adurerentur. solent quippe amantes, ut ait Chrysostomus, ad solam amati memoriam incalescere, & pleniùs ad præsentiam. Desiderium hoc etjam non modò intepescere, sed vehementiùs accendi potest, ubi quapiam ex causa, communionis copia denegatur.

Tunc enim juverit cum Seraphico Bonaventura, *a* hujus mysterii attentâ contemplatione, saltem oculos & animos pascere: hic cum stomachi fastidio laboraret, sacris interdictus, ardentissimè efflagitavit, sacrum viaticum in conspectum deferretur. quod ut factum, ita exæstuari cœpit, ut pectore disrupto, sacra Hostia ad ipsum cor, amoris sedem sese penetrarit. quod ipsum Othoni Imperatori accidisse Walsingamus, Angliæ Historicus commemorat. *b* plus fortè admirationis habet quod Nierenbergius in Theopolitico commemorat. *c* Herkinbaldus multis nominibus, sed potissimum justitiæ cultu, & Venerabilis Eucharistiæ desiderio illustrissimus, dum graviter lecto decumberet, tumultum in prima camera, clamoresque fœmineos exaudivit. Quidnam esset sciscitatus, ab omnibus, pro more aulæ, suppressam veritatem extorsit minis; quibus quidam ex pueris perterritus, paucis asseruit: Domine, filius sororis vestræ, quem omnes post te primum timent & colunt, virginem oppressit. quo audito, & re plenè cognita, charissimum nepotem suspendi mandavit. Senascallus cui id jussum fuerat, se facturum simulans juvenem admonuit ad tempus lateret, & ad senem rediens, implesse jussa imposuit. At quinto post die, existimans juvenis avunculum jam culpæ oblitum, aperto cameræ ostio introspexit: quem ut infirmus vidit, blandis advocans verbis, ad lectum reclinare permisit. Tunc Herkinbaldus, arrepta consanguinei cæsarie, caput læva contorquens, & dextera cultellum gutturi ejus validè infigens, occidit, quo facinore perpetrato, ut ad rem veniamus, ubi morbum lethiferum persensit, advocavit Episcopum: cui sacrum viaticum unà deferenti, multis cum lachrymis, & magna cordis contritione omnia peccata sua nudè confessus est, tacitâ dumtaxat morte, quam paucis antè diebus nepoti intulerat. quem subinde Episcopus arguens dixit: quare celas recens homicidium, cum cognatum manu tua peremptum sciamus, ad hæc intrepidè æger respondit: neque ego hoc peccatum judico, neque id mihi à Deo remitti deposco: cui iterum Episcopus: confitere crimen, ut Deus tui misereatur, alioquin sacro viatico destitutus abibis in Tartara, quid hic agat Herkinbaldus, hujus cœlestis pabuli avidissimus? fiducia plenus exclamavit: testor Deum! nepoti me charissimo, non livore,

a In vita, 14. Iulii.
b Lobbet. de peccato l.2. propos. 6. §. 1.
c Nierenb. Theopol. part. 2. l. 3. c. 5.

non odio, sed justitiæ zelo necem intulisse; si propterea Sacramenta mihi negaveris, spero pro eo, quòd nullius sceleris conscius, in hoc mysterium feror ardore, saltem spiritualiter viatici fructum me percepturum. quo audito Episcopus recessit; at mox revocato, dixit ægrotus: perquire an in capsellâ sit Sacramentum Corporis Christi? & cum aperta pixide Hostia non appareret, subjunxit Herkinbaldus: ecce quem mihi abnuens tecum portasti, non se desiderio meo denegavit, aperto ore sacram Hostiam in lingua demonstrans. quam historiam attexere placuit, ne fideles qui pro jure suo, debito officio funguntur, se sacris arcendos arbitrentur.

3. Expendat quo animi ardore, quanto cum affectu quidam lustrarint præsepe Domini, hortum Oliveti, montem Cavariæ, Sacellum Lauretanum: qua pietate ac religione exosculati sint pannos, clavos, spinas &c. & quam tu hæc complecti, exosculari, aliquid inde tecum auferre gestires? si religiosa cupiditas est, inquit S. Paulinus, loca videre, in quibus Christus ingressus est, & passus est, aut de ipsis locis exiguum pulverem, aut de ipso Crucis ligno, aliquid saltem, festucæ simile sumere & habere, benedictio est: si præsepe nati, si fluvius baptizati, si hortus orantis Magistri, si atrium judicati, si columna districti, si spina coronati, si lignum suspensi, si saxum sepulti, si locus resuscitati, evectique memoria, divinæ quondam præsentiæ celebratur; næ ille impius & sacrilegus est, qui divinissimum Christi Corpus, omnis sanctitatis sacrarium, cujus attactu hæc omnem venerationem accepêre, minori cultu & Religione habendum duxerit: *a currunt multi ad diversa loca pro visendis reliquiis Sanctorum, & mirantur auditis gestis eorum: ampla ædificia templorum aspiciunt, & osculantur sericis & auro involuta sacra ossa ipsorum. & ecce tu præsens es hîc apud me in altare Deus meus, Sanctus Sanctorum.* & ad hunc visendum, tuendum non accurro. plures etiamnum in Hispanias excurrunt, ut videant mappam ultimæ cœnæ, Deiparæ manibus, liliis contextam, quæ Ulyssipone in templo Soc. JESU asservatur; hanc plurimorum piam curiositatem Chrysostomus his verbis retundit: *b quot nunc dicunt: vellem ipsius formam aspicere, figuram, vestimenta, calceamenta: & ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Igitur accedat nemo cum nausea, nemo resolutus: omnes accensi, omnes ferventes & excitati.*

Quartò ad desiderium & amorem nostrum inflammandum plurimum conferet expendere, quàm toti exarserint & mente abrepti fuerint, quibus contigit, quandoque divinissimum puerum Jesum ulnis excipere, eum complecti & exosculari, quemadmodum venerabili illi seni Simeoni, Francisco Seraphico, Ignatio, Stanislao, Ægidio sacerdoti, de quo S. Thomas. *c* Quomodo se Catharinæ virgini exhibuit, eam sibi desponsando. Quo Claræ de monte Falco: ad osculum & amplexum invitando. O

a Thom. à Kemp. de imit. Chri. l. 4. c. 2.
b Chrysost. hom. 60. ad pop.
c S. Thom. opusc. 58. c. 11.

Domine,

Domine, quomodo dignè accedam ad te suscipiendum? Quanto sanctitatis apparatu Ioannes Baptista singularis exstitit, ut ore suo Agnum Dei proferret, & figuram unius Sacramenti referret; at ego qua puritate te ipsum verè & realiter ore meo suscipiam, & tremendum illud Sacramentum conficiam? ô utinam dilectissime JESU possem te excipere eâ reverentiâ, quâ beatissima Mater tua excepit te utero suo, in stupenda illa hora incarnationis; aut quomodo corpus tuum sanctissimum de cruce refixum, accepit in suo gremio; & pater tuus cœlestis excepit spiritum tuum. Quod divisisti Domine in morte tua, inter patrem & matrem distribuens, utrumque veneror jam in hoc Sacramento, post resurrectionem tuam. O si exspiranti JESU licuisset os apponere, & divinum illum spiritum legere, qui corpus meum regeret! ô si labiis excipere vel guttam sanguinis, aut aquæ stillam, è fornace lateris bullientem! sed quid ego hæc? tu totus desiderabilis superas vota mea in hoc tremendo mysterio. O Domine JESU, da mihi seraphicos illos amores & flagrãtia desideria, quibus cœlestes illi genii reditum tuum in cœlum exoptarunt, & reverentiam, quâ te reducem divinæ mentes in Ascensione adorarunt? ô desiderate, non modò cunctis gentibus, sed & Angelorum Hierarchiis! quantâ exultatione debeo gestire, cùm in meum pectus ingrederis? eum amorem, eum ardorem, eam religionem, eam submissionem, quam omnes Angeli exhibuerunt cum te receperunt reducem à mundo, à vita passibili, ego unus tibi debeo multis modis: nam intras in me sæpiûs, ut me unum solum delectes, qui semel cœlos intrasti, oblectaturus omnes Angelos. Si hoc beneficium uni dumtaxat ex omnibus hominibus fieret, ut semel in æternitate tota, Christus illius pectus subiret hoc amabilissimo modo, quàm stupendum beneficium censeretur? Qui audirent, vix crederent, attoniti hoc benignitatis miraculo; ipse qui suscepisset, quàm extra se raptus sine voce, sine motu, sine vita maneret, nisi miraculosè juvaretur, præ stupore, timore, gaudio, & amore ex tanta benevolentia? Cur ego non dignè veneror & admiror majus beneficium, cùm non semel dumtaxat, sed frequentissimè: non mihi solum hoc fiat, sed omnibus, in quo majus quoque meum beneficium agnosco?

Denique omnibus viribus exopta: eâ devotione, affectu cordis excipere Dominum, quo beatissima Mater æstuavit, dum filium suum, quem brachiis gestaret, lacte nutrierat, intra cordis sui sinum & viscera maternà in hoc Sacramento complectebatur.

§. VIII.

Quo amoris incendio, Deipara Christum utero conceperit, & in Eucharistiâ sumpserit.

HIc suaserim omissis verbis, animo & cogitationibus indagemus, quo sensu fuerit virgo Maria,

Maria, quantis desideriis æstuarit, quibus affectibus arserit, cùm dilecto suo in hoc sacramento frueretur. Quidam mystici asserunt, Dei matrem statim ab accepto viatico cùm necdum corruptæ essent species, vi amoris in præsentem filium expirasse; atq; adeò SS. Eucharistiam cum ejus corpore translatam in cœlum, hodieque manere in virgineo pectore perspicuo, tanquam in pixide. *a* Ut à beatis summa cum voluptate & gratulatione, velut suæ resurrectionis adoretur. Ita refert neque improbat noster Philippus Servius tract. de arte moriendi cap. vigesimo octavo §. 3. nobis ad imitandum suffecerit quod Gerson Cancellarius Parisiensis de ea docuit: *b Contemplabatur Maria existentiam mirabilem filii in hoc Sacramento, quem visibiliter tractaverat, cum blanditiis, & osculis suavissimis in gremio arridentem. Credebat hoc idem sibi licere nunc, quamvis alio modo, sed non minore merito. Osculatur, tangit, & quod sibi tunc non licuerat, corporaliter manducat, & bibit, & accipit vitam: nam qui manducat me, inquit, & ipse vivet propter me. Grandem rem tibi ô anima Christiana, grandem nimis æstimasses, si virgo benedicta posuisset olim filium suum in gremio tuo, si concessisset amplexus, & osculum; sed habes hîc rem suo miraculo & merito grandiorem.*

Illa semel Dei filium castissimis visceribus excepit; vobis licet quotidie. Illa octo verbis illum è sinu patris, in uteri sui angustias traxit, vos sacerdotes quinque verbis eundem vobis præsentem sistitis. mortalem illa & passibilem complexa est; sub Sacramenti velamine, impassibilem suscipimus & immortalem. quæ omnia & longè plura B. Bernardinus Senensis expressit, dicens: *c* Sacerdotis potestas "superat potestatem virginis "gloriosæ, & omnium creatorum. idque in quatuor excellentiis: primò quidem in brevitate: qui enim haberet clavem, quæ quinque revolutionibus aperiret seram, potentior esset ea, quæ eandem seram octo revolutionibus aperiret; lingua virginis clavis exstitit paradisi, quæ octo dictionibus, quasi tot revolutionibus aperuit seram. Nam cum Angelo respondit *ecce:* non fuit cœli reserata sera; neque etiam cum secundo adjunxit *Ancilla &c.* major in hoc sacerdotalis dignitas & potestas; cum per quinque consecrationis verba januas aperiat paradisi, atque de cœlis ad terram Christum trahat. 2. excedit potestatem virginis in majoritate: nam cum Christus in uterum virginis venit, tanta brevitate circum amictus est, ut si jam conceptus in virgine, positus fuisset super papyrum, vel palmam, vix eum humanus oculus percepisset; *d* licet divinitus & animâ, & corpore, atque omnibus interioribus & exteriori-

a Hautinus Sacramentum amoris l. 2. art. 1. dist. 2.
b Gerson tom. 3. tract. 9. super Magnificat, part. 3.

c S. Bernardin. serm. 20. feria 3. post Dom. 2. Quadr. art. 2. c. 7.
d Christum conceptum fuisse magnitudine apiculæ, ostendimus ex Magistro sent. part. 1. Dom. infra octa. Nat.

bus

bus membris, & lineamentis perfectè completus esset, ut verificaretur ex eo quod Isa. 10. & Apost. ad Rom. 9. de Christo testatus est: „ *verbum abbreviatum faciet Domi-* „ *nus super terram*. Sed ad sacer- „ dotis imperium, descendit Chri- „ stus tam magnus, sicut regnat „ in cœlo. tertio excedit virginis „ potestatem in immortalitate: „ nam in utero virginis morta- „ lis fuit & passibilis; in altari ve- „ rò, est impassibilis & immor- „ talis. quartò quoque, virginis „ potestatem excellit in replica- „ bilitate: nam si B. Virgo repli- „ casset millies, illa sui consensus „ verba, *ecce Ancilla Domini &c.* „ filius Dei numquam amplius „ de illa sumpsisset carnem. sed „ sacerdos toties, quoties conse- „ crat Corpus Christi, toties de- „ scendit de cœlo filius Dei. hanc sacerdotis cum virginis excellentia componens August. exclamat. *a O veneranda sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei filius, velut in utero virginis incarnatur!* divinè, ut addecet, mysterium hoc pertractans Nierenbergius, *b* arcanum hic stupendum edocet: in „ aliis Sacramentis & gratiis, u- „ nus spiritus fit cum Deo, in hoc

a Aug. l. de dignit. sacerd.
b Nierenb. de adorat. in spiritu l. 3. c. 11.

etiam una caro cum Jesu: tan- " ta unione, ut substantialis, na- " turalis, & realis, à Patribus & " Doctoribus dicatur, ut jam sim " (inquit) unus tecum, & me re- " spiciam & venerer, ut carnem " participem carnis tuæ, simusque duo in carne una: & glorier ego dicens, ego nunc caro ex carne Christi, & os ex ossibus Jesu. Sacramentum hoc magnum est in Christo, & in Ecclesia per istud mysterium, quo concorporei fimus cum Domino gloriæ, filio Dei, & Mariæ: juxta illud Apostoli: *c unus panis & unum corpus sumus, omnes qui de uno pane participamus.* " per hunc etenim " omnes in unam veluti hyposta- " sim perfectam inserimur, & " veluti incorporamur, ait Les- " sius, *d* sicut partes alimenti " convenienter intus applicitæ, " per meatus naturæ incorporan- " tur nobis, unaque fiunt hypo- " stasis nobiscum. ut non injuria quivis ab hac mensa recedens, queat illud integerrimæ virgunculæ Agnetis, ad cœlestem sponsum usurpare: *e jam corpus ejus corpori meo sociatum est, & sanguis ejus ornavit genas meas.*

c 1 Cor. 10.
d Lessius de perfect. divin. l. 12. c. 15.
e Breviar. Rom. 21. Ian.

EMBLEMA XXXI.

Congratulamini mihi. Luc. 15.



OPERIS VICTORIA FINIS. a

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

De perſeverantia. ovis & drachma deperdita, inceſſanter quærenda, donec invenias: & fabrica erigenda, donec colophone impoſito perficias, ac jure exclames: *Congratulamini mihi.*

§. I. *Cœpiſſe multorum eſt, ad culmen perveniſſe, paucorum.* b

§. II. *Qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* c

a Ovid. 6. Metam. b Hieron. ep. c Matt. 10.

DOMI-

DOMINICA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Congratulamini mihi. Luc. 15.



Vetus illud, & verum Juristarum pronuntiatum est: *a Non sufficit litem instituere, si non in eâ perseveret.* Hæreditas nobis certa, nec queri possumus de inofficioso testamento, aurea bulla purpureo Christi Sanguine signata est: sed illam nobis sola perseverantia addicit. Quid seges læta & copiosa confert, si ad maturitatem non perveniat, si calamos densa grando concutiens, calamitatem inducat? quid fertilissimæ prorsus vineæ, si racemi degenerent ante vindemiam? quid arborum numerosissimi flores, si ad ventum aut nebulam omnes defluant? si ut Propheta lamentatur: *b lædatur quasi vinea in primo flore botrus ejus, & quasi oliva projiciens florem suum?* ferrum in ignem frustrà faber immiserit, si antequam ignescat, subduxerit. Cursor frustrà cursu contenderit, si in medio stadii consistat. quid lucri pictor referet, si tabulam nullam perficiat? inanem prorsus laborem ac sudorem pastor insumpserit, si, priusquam ovem perditam invenerit, fatigatus ac spe frustratus, conquiescat. Oleum omne & operam mulier perdiderit, si non omnem angulum excusserit, donec drachmam perditam inveniat. Quid fabricam inchoare commodi adferet, si ad tectum non perducatur? quin mortales, superi & inferi huic meritò illudant dicentes: *c hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* hic homo altum humilitatis fundamentum jecerat, sed nescio quo pravo animi affectu, manum operi amovit:

d Non cœpta assurgunt turres:
Sed *pendent opera interrupta, minaque*
Murorum ingentes.

Ædificium perfectionis cuique exstruendum est, ædificium grande, arduum, præcelsum, *e cujus culmen pertingit ad cœlum.* Ad hoc hortatur nos cœlestis fabricæ Magister Greg. Nyssenus, dum ait: *f insistendum est, ut cujuslibet ardui propositi terminus attingatur, variis augmentis mandatorum Dei, consummando opus divinum. nam neque lapis unus est tota turris fabrica, neque unum mandatum ducit ad animæ perfectionem.* g sed unum alteri, *charitatis glutine* seu cæmento (ut Damianus loquitur) coagmentandum, donec colophone imposito, amicis sub novo tecto genialiter convivantibus occinere valeas: *congratulamini mihi.* levi quidem operâ fundamenta jaciuntur, sed molem ad culmen perducere, *h hoc opus, hic labor est.* id ipsum nobis in spirituali fabricâ usuvenit: nam

a Digest. de inoff. test. lib. 15.
b Iob. 15.

c Luc. 14. d Æneid. 4. e Gen. 11.
f Greg. Nyss. apud. S. Th. in Luc. 14.
g B. Damian. tr. de perf. in fine exhort. ad charit. h Virg.

ut ait S. Ephrem: *a* quemadmodum, qui domum ædificat, vix ullam in fundamento ponendo difficultatem experitur: ſed magnam in ea conſummanda, & quò altiùs muri aſſurgunt, eò & major labor, & gravior expenſa. ita ſpiritualis ædificii, inquit, fundamenta incipere, nullam omnino difficultatem includit, ſed omnis in perficiendo labor eſt, unde eâ perfectâ, & apice impoſito, moleſtiis perfunctus convocat amicos & vicinos, largiori hauſtu novas ædes aſpergit, lætuſque clamat: *congratulamini mihi*: quemadmodum de lite evictâ, coram domeſticis ſuis mercator exultat dicens: *congratulamini mihi.* Agricola portans manipulos ſuos, ubi meſſem copioſam in horrea contulerit, lætus cantat: *congratulamini mihi.* ubi muſtum jam ſpumat in doliis, feſtivum illud vinitor jure uſurpat: *congratulamini mihi.* ubi paſtor ovem quæſivit, *donec inveniat, convocat amicos & vicinos, dicens illis: congratulamini mihi.* ita & mulier, quæ *accendit lucernam & everrit domum, & quærit diligenter*, quamdiu? *donec inveniat drachmam, & cùm invenerit, convocat amicos & vicinos dicens: congratulamini mihi.* Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quia *operis victoria finis. b*

Unde Paulus (cui Dionyſius nomen illud divinum meritò impoſuit: *c vas admirabile, opus excelſi*) ſic doctrinæ ſuæ radio animos everberat: *d bonum facientes non deficiamus*, donec coronide ſuperpoſitâ, mereamur accipere *coronam juſtitiæ.* Etenim ut è cellâ ſuâ, ſeu divino ſacrario Mellifluus Doctor contemplatur: *e virtus boni operis perſeverantia eſt, huic ſoli redditur corona juſtitiæ: quid enim prodeſt eſſe ſapientem, eſſe potentem, ſi non perſeverarit uſque in finem?*

Petrum Aldobrandinum purpuratum Senatorem, ferunt, ſolitum dicere: *perſeverantia eſt virtutum baculus, quo niſi nitantur, omnes corruunt. f* hoc baculo Noëmum ſenem, juſtum, perfectè gradientem, & cum Deo ambulantem cernite; ſed quam diu? hic cùm moliendæ arcæ manum admoveret, quingentorum annorum erat. finito ſeculari opere illo, ſexcentas jam æſtates viderat, cum morti concederet, annos vitæ numerabat nongentos quinquaginta. eo ævi conſtantiſſimam innocentiam perduxerat, maturus hic cœlo ſenex, & juſtitiæ coronâ redimiri dignus. ubi jam anni noſtri pauculi, quos illibatâ vitæ innocentiâ traducere perpaucis contingit? longum nobis videtur 20. 30. 50. annos integros caſtoſque mores perſeverare, penè tot ſecula, quot annos computamus; annos centum Noe, inter ludibria & opprobria ſuorum, molimine ſummo, arcæ fabricandæ conſtanter incubuit; arca animæ, majoris longè molis ac momenti, minori tempore perficienda eſt. aut ſi mavis templum Spiritus ſancti, quod eſtis vos, ſapientiſſimi Regis exemplo brevis ævi

a S. Ephrem. exhort. ad pietat.
b Ovid. lib. 6. Metam. *c* S. Dion. c. 7. de divin. nom. *d* ad Gal. 6.
e S. Bern. de paſſ. cap. 14. *f* Henr. Farneſius in apoph. de princip. Beyerlinck tit. perſeverantia.

noſtri

nostri spatio consummandum est: *a adificavit* porrò Salomon *Domum, & consummavit eam.* Haud aliter, inquit Theophylactus, & S. Thomas: *b non debemus ponere fundamentum, id est, sequi Christi initium, & finem non imponere: sicut illi, de quibus Ioannes dicit, quòd multi ex discipulis ejus abierunt retrorsum. opus est igitur pradicto fundamento operationis ad adificium, ut perficiatur nobis turris fortitudinis, à facie inimici. alioqui deridetur homo à videntibus eum, tam hominibus quàm damonibus.* atque hinc gravissimæ illæ Hieronymi querelæ:

a 3. Reg. 6. *b* S.Thom. in Luc.c.14. Theoph. ibid.

§. I.

Cœpisse multorum est, ad culmen pervenisse paucorum. *c*

DOctor, vitâ & eruditione Angelicus, in illud Pauli *d sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini?* Galatis illis similes esse comprobat eos, qui *incipiunt servire Deo cum fervore spiritus, postmodum deficiunt.* Quomodò verò deficiant, apposita è sacris litteris comparatione illustrat: ejusmodi inquit, *etiam aßimilantur statua Nabuchodonosor, cujus caput aureum, & pedes lutei.* quod pleniùs ac planiùs in rem nostram exponendum est.

Danielis 2. cap. *in anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus ejus.* Somnium sanè mirabile, quod nisi sacræ paginæ, & eventus verum demonstrassent, phantasma credi potuisset.

Ecce quasi statua una grandis, & intuitus ejus erat terribilis: hujus statua caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento; porrò venter & femora ex are, tibia autem ferrea: pedum quadam pars erat ferrea, quadam autem fictilis.

Tales statuæ non per somnium, sed vigilantibus complures occurrunt, quæ caput aureum, pectus argenteum, tibias ferreas, pedes luteos ac fictiles habent.

Adolescentes genio ac ingenio honesto, nacti animam bonam, dum in scholis nostris degunt, tractabili indole, angelicis moribus præditi sunt, indies Sacrificio Missæ decenter intersunt, quot hebdomadis, aut saltem mensibus, animum sacra exhomologesi expiant, vel semel à Mariano cœtu se subducere, piaculum ducunt. videtis *caput aureum.* Inde ad universitatem profecti, scintillas quasdam pietatis, aliquandiu animo fovent, sodalitium Magnæ Matris quandoque frequentant, solemnibus ei festivitatibus divini Corporis pabulo se reficiunt. en *pectus argenteum.* Ubi ad jus animum adjecerunt, jamque ocreati & cristati obambulant, cum avibus concoloribus popinas frequentare, chartas pictas tractare, lascivos sermones serere, fortunas dilapidare, pretiosissimam temporis jacturam facere instituunt. *ferrea* hic cernis *femora.* denique jam sui juris, poculis certare, temulentiam sectari, in fœdas libidines effundi, in omne scelus proruere consueverunt. ô *pedes fictiles?* ô luteos & verè sordidos! in ejus-

c Hier. ep. ad Licinium.
d S. Thom. in ep. ad Gal. cap. 3.

modi

modi Adolescentem rectè cadit illud Horatii :

a Amphora cœpit
Institui, currente rotâ cur urceus exit ?

Non alia de causa , quàm quod in prima institutione non perseverant. Amphora eleganti formâ,cœlesti liquore imbuenda,regiâ mensâ condigna institui cœperat,sed figulo materiâ reluctante , aut humore suo nimium diffluente, in ollam carneam,camino aptam commutatur;quodque fuisset vas in honorem , redditur vas in contumeliam æternis ignibus destinatum. unde illud fatidici vatis non uni occini posset :

b Cœpisti melius quam desinis, ultima primis
Cedunt, dissimiles , hic vir , & ille puer.

2. Idem Religiosis quibusdam familiis, tam virorum quàm fœminarum usuvenit,quæ ab aureo charitatis capite exordia sua auspicatæ ; at lapsu temporis , deficiente spiritu, in pedes fictiles ac luteos defecerunt. quod Abbas ille innuebat, qui suos sub ordinis primordia , in simplicitate cordis , sola *conscientia* regi dictitabat ; exinde ubi studiis operam navare cœperunt , regebantur *scientia* ; at nunc , inquit , per otium & socordiam , sunt mera *entia*.

3. Inter conjuges primis mensibus, virum caput mulieris, quis non *aureum* dixerit ? tanto amoris igne expurgatum , ut nihil ebullientis fæcis , aut simulatæ scoriæ resideat ; at vix anno vertente , rem domesticam negligere , sero vespere benè potus domum revisere,tandem alto se luto immergere , pravo consortio adhærescere , in multam noctem commessari , zelotypiæ æstro uxorem execrari , diris devovere omnia, ut leo in Domo sua evertere. En *pedes fictiles ac luteos*.

Quàm multi sub solemnitatem Paschalem immaculati, candidi velut nix,dealbati quasi modò geniti infantes, usque ad Dominicam in Albis procedunt ; at sensim sine sensu , nix illa colliquescere, candor evanescere cernitur.Hebræus Rex se ipsum pœnitentis thermis solatus : *c lavabis me*, inquit , *& super nivem dealbabor.* earum virium pœnitentiæ fons est , lavamur , nivei fimus , imò supra nivem dealbamur , animum induimus candidissimum ; sed tamdiu candida est nix ista , quamdiu recens est. hoc hyems nobis ostendit in urbibus : quâ nocte nix cœlo defluit , eo manè candidissimæ sunt Civitatis viæ, omnia compita vestit albedo, sed hyberna, & ideo non diuturna. nam exspecta sis ad vesperam,& matutinam albedinem quæres, sed non invenies, nix in lutum abiit : nam hominum & jumentorum pedibus toties calcata , & niveum colorem perdidit , & in lutulentas sordes defluxit.

Videte mihi hominem pœnitentiæ thermis ablutum : niveus est totus quantus est, amœnum & divinis oculis gratissimum præfert candorem ! sed heu ! vix dies unus alterve abiit, & jam lutum est nix ista , sordes & atrorem contraxit, ut de con-

a Horat. de arte.
b Ovid. ep. Dejaniræ ad Hercul.

c Psal. 50.

simili

ſimili jactari poſſit illud proverbium: *Mane Pſalterium, meridie convivium, veſperi convitium & propudium.* ſanctè proponimus, fervidè inchoamus, aliquamdiu perſiſtimus, paulatim intepeſcimus, propoſita negligimus, decreta reſcindimus, cœpta invertimus, ad vetera, ad priora, imò ad pejora redimus. *a Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea?* Mandrabulus, teſte Suida, theſauro grandi reperto, ingentia pollicitus eſt Junoni quotannis, in animi grati teſtimonium offerenda. ac primo quidem anno obtulit arietem aureum, argenteum altero, tertio ſtanneum, quarto plumbeum, denique nullum. Ita nos planè in arctis rebus, in vehementi morbo, in præſenti periculo, montes aureos, mores emendatiſſimos, Deo diviſque omnibus pollicemur. evadimus, quid porrò? quæ ſequitur vitæ ſanctimonia? quâ liberalitate voti fidem ſolvimus? principio aliquantulum auri promimus, mox argenteas cudimus lamellas, his brevi opus figlinum jungimus; poſt ſuperata pericula, poſt valetudinem reſtitutam, pauculis diebus ſubſtrictiores aliquantulum ſunt mores; vix unus aut alter menſis abit, cùm beneficii accepti labat memoria, idemque iterum ut antè, quædam licenter, quædam ſegniter, quædam impudenter committere non erubeſcit. hæc illa procera, tam admiranda ſtatua, caput quidem aureum attollit cœlo, ſed baſi nititur infirmâ, pedibus argilaceis, luteis conſiſtit.

a Ierem. Thren. cap. 4.

Conſimiles Hipponenſis Præſul Centauris, Satyris, Chimeris conferre non dubitavit, dicens: *b bonum inchoare, & malo fine concludere, quid aliud eſt, quàm monſtroſas res conficere? illa enim actio* (illa virtus, illa vita hominis) *quaſi chimera eſt, quæ initium habet à ratione* (à pietate) *ſed finem à ſenſualitate, cùm enim ſic agitur:*

c Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungit &c.
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Hæc monſtra ridemus, cùm nos ipſos his longè deformiores reddamus. non paucos quippè reperire eſt, qui à ſacrâ Confeſſione, caſtimoniæ ac pudicitiæ leges jurarunt, ſanctioris vitæ deſideria, ebrietatem, fornicationem, iram, injuſtitiam, turpiloquium, ut peſtes deteſtari in animo inſtituerunt. Caput non humanum, ſed divinum jure æſtimaveris. ſed vix paucis retrolapſis diebus, pars inferior in gryphum avaritiæ, in porcum aut hircum laſciviæ, in canem invidiæ, in monſtrum denique deterrimum deſinit. unde non abs re Henricus IV. Romanorum Imperator, in quadam epiſtola ad S. Otthonem Bambergenſem Epiſcopum: *d bona inceptio ſine fine, ſpecioſi corporis inſtar eſt, ſine capite.*

Atque utinam ejuſmodi monſtra intra Religioſa clauſtra non degerent! quàm præclara in tyrocinio cœpta fervent? quidquid auſteritatis ac moleſtiæ objici-

b Aug. ad frat. in Erem. ſer. 8.
c Horat. de arte.
d Novarini adagia pag. 52.

Iiii

tur, animosè digeritur; tandem in arrepto proposito flaccescere, disciplinæ Religiosæ minùs attendere, *a* liberiùs animo & corpore evagari; incipiunt *legem pone*, mox sequitur: *defecit*, & tandem *mirabilia*; quæ regius Psaltes describit: *b Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* quibus severissimum illud væ, Eccl. interminatur: *c væ illis, qui perdiderunt sustinentiam.* In quæ verba Greg. *sustinentiam quidem perdunt, qui bona inchoant, non consummant. quibus nimirum væ esse dicitur, quia non solùm incœpti laboris mercedem perdunt, sed & apostatatus sui pœnâ feriuntur.* quod utinam non nimis luculento testimonio, tot infames transfugæ testati essent, quorum casum altiore stylo Augustinus deplorat, dum sibi soli loquitur & vacat: *d vidimus*, inquit, *multos Domine, & audivimus à patribus nostris (quod utique sine magno tremore non recolo, sine multo timore non confiteor) ascendisse primitus quosdam usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse; postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum in malis obstupuisse; vidimus stellas de cœlo cecidisse, & eos, qui inter filios Dei ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse.* Quod quis mirari desinet, qui Judam attenderit, à Deo electum ad conversionem gentium: qui suavissimo Christi ac Discipulorum contubernio fruebatur, plures ex ore divino sermones, velut faculas, pectore exceperat; qui miracula non minora à magnis Apostolis patrarat, dæmones expulerat, ut Augustinus, Cyrillus, Leo, aliique testantur; *e* qui denique teste Gregor. Nazianz. *f Doctrinæ suæ verbis, multos genuit filios.* hic tantus Apostolus, tactus est filius perditionis, imò & *Dux eorum, qui comprehenderunt Iesum.* Appositè Hieronymus: *g non quaruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit, sed benefinivit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Nonne stellas inter numerandus, Lucifer Caloritanus in Sardiniâ Episcopus? *h* vir boni nominis & quem res præclarè gestæ, zelusque tuendæ Religionis primum extulit: adeò ut, quod & de Origene legitur, non tam ipse Martyrio, quàm Martyrium ipsi deesse videretur. hòc certè illi inviderunt Ariani, qui ipsum jam quartò in exilium expulerunt, ad cujus incommoda, Eleutheropoli etiam dira addidit, eo loci Episcopus Arianus.

Quis vobis de hoc viro animus, Auditores? quæ mens? quæ cogitatio? an non dignus infulâ & pedo? an non Luciferi nomine? an non lux ipsa? an non stella insita Ecclesiæ firmamento? mox etiam empyreo inserenda? Enimverò is videri & esse poterat, si perseverasset; at cecidit, cecidit de cœlo Lucifer, dumque discedit ab Eusebio Vercellenti Episcopo, negatque pervicaciùs recipiendos cum dignitate lapsos Episcopos, ab Ecclesiâ quoque

a Lauredan. tit. perseverant. *b* Ps. 105. *c* Eccl. 2. *d* Aug. in Soliloq. c. 29.

e Aug. l. contra literas Petiliani c. 55. Cyrill. Hierosol. Catech. 7. S. Leo de pass. Dom. serm. 16. Corn. in acta. c. 1. v. 17. *f* Greg. Naz. in Christo patiente. *g* Hieron. ep. 16. ad Furiam. *h* Baron. an. Christ. 354.

discess-

discessit, & miserabili in schismate, vitam finivit. *a* imò & Luciferianis hæreticis nomen fecit, ut in illum quoque verti possit illud : *stella cadent de cœlo.*

Sic & poma verminosa decidunt, nec ad maturitatem perveniunt; bona verò & integra, in arbore solis radiis excoquuntur, donec planè mitescant & maturescant. ita plures turpiter deciderunt, quos vermis intus superbiæ, impatientiæ, aut alterius affectus rabies corrosit. Huic tam tristi ac luctuoso argumento miserabilem senem Osium subjungit Lobbetius, vir non minùs elegans, quàm pius, ipsum audite : *b* Osius Episcopus, cui parem nulla vidit & luxit ætas, multis tùm in Oriente, tùm in Occidente Christianæ rei causâ, summoque bono perfunctus legationibus. Osius qui summa cum auctoritate, parique seu sanctitatis, seu doctrinæ laude, plurimis conciliis interfuit, imò & præfuit.

Osius, quem in suo Christianæ fidei tirocinio Imperator Constantinus lateri semper adhærere voluit, tamquam fidum monitorem ac pædagogum.

Osius, quem ille ipse Augustus pronâ quadam pietate patrem vocitare solitus, uni ille seu ut discipulus Magistro, seu ut filius parenti subjiceretur.

Osius, quem ipsi Ariani, licet Religionis nostræ hostes acerrimi, honoris ergo, *Synodorum* Principem appellabant.

Osius, qui per omnium ora volitare, qui virorum doctorum monumentis ubique celebrari, qui fama propè super æthera notus, qui tentatis, devictis, profligatisque hæreticis sibi nomen fecerat, apud Deum meritum, Ecclesiæ seu matri authoritatem conciliarat.

Osius denique, quem eo loci ac temporis agnovit, amavit, atque suspexit orbis universus : velut aliquod ævi sui miraculum.

Osius, inquam, ille in conciliabulo quodam Sirmiensi ignominiosè prostratus, & Nicænæ fidei, quam extulerat ipse, proditor atque desertor exstitit, & Ursacii Valentisque hæresim amplexus est. & hoc quidem in extremâ senectâ (erat enim ut testis est S. Hilarius, centenario major) & jam in portu esse videbatur, qui in senili corpore spirabat animus, & ad paratos sibi lauros ac coronas, post tot exantlatos labores, aspirare credebatur. Sed proh dolor, pudorque! in ipso unius ævi extremo limine cecidit, & unà secum immanem traxit animarum ruinam. certè eo lapsu Catholicus orbis contremuit, concussæ sunt solidissimæ petræ, & ut ait Zacharias : *c abietes ulularunt, quia cecidit cedrus.* ab eo quippe casu attoniti, paventesque viri cæteroqui sanctitate sublimes, Davidicum illud ingeminarunt : *d ne projicias me in tempore senectutis.* quid enim acerbius, quàm post plura jejunia, prolixas preces, profusas eleemosynas, sub vitæ finem, quasi in portu naufragium facere? quod attenta mente considerans Basilius : *e ô miserabile spectaculum!* exclamat, ô

a An. Chri 362.
b Baron. an. Chri. 357.

c Zach. 11. *d* Psal. 70.
e Basil. hom. 21. in Prov.

sortem

sortem lugendam! post jejunia multa, post durum vitæ genus, post longas ad Deum preces, post uberes effusas lachrimas, denique post annorum 20. seu 30. abstinentiam: ob indulgentiam, inconsiderantiamque, nudum omnibus ac tot laborum mercede privatum reperiri, & similem fieri mercatori cuidam diviti, qui in portu naufragium facit omnium, quæ tanto labore ac sudore parta.

Jacobus Anachoretes, *a* postquam quadraginta omnino annos Deo militavit, miranda maxima patravit, trophæa de hoste inferno statuit plurima, id ætatis vir, à fœminâ demum triumphatur, & ab ea fœmina, in qua ipsum cacodæmona non horruerat, imò è qua victum ejecerat. huic ille infelix, primò pudorem, mox vitam extorsit. O miserabile spectaculum! ô sortem lugendam! non juvat castas mentes, animas Deo dicatas per 20. annos illibatam animæ puritatem servasse, contra spiritus immundos ad sanguinem decertasse, si tandem victæ succumbant. quod melleâ sua eloquentiâ exornat Ambrosius: *b quis mihi*, inquit, *protendat Vestæ virgines & Palladis sacerdotes? qualis illa est, non morum pudicitia sed annorum, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? ipsi docent virgines suas non debere perseverare, nec posse. Qualis autem est illa Religio? ubi pudicæ adolescentes jubentur esse impudicæ anus? cùm senectus portus esse debeat, non vitæ superioris naufragium.* Id porrò vel maximè dolendum, inter Christianos reperiri, inter eos, qui se voto, Deo consecrarunt, animumque ad 50. 60. annos purum ac immaculatum conservarunt, in cœnum tandem vitiorum delapsos, quos severissimè perstringit Apostolus: *c sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* meritò hos Paulus stultos, amentes, insanos appellavit, qui omnes anteactos labores, omnia vitæ merita momento dilapidarunt. *d currebatis benè*, inquit, *quis vos impedivit?* Atalantæ in medio cursu, malum aureum remora fuit, aliis poculum remora est, quod in tabernâ quadam pro insigni expositum cum epigr. *hæc illa est remora:* alios lascivus procus detinet, quosdam honoris fumus trahit. quid vos impedivit? avarum mala aurea, lascivum forma venerea, temulentum vini lagena, ambitiosum inanis gloriola:

Sic quosdam ingenio & virtute ad sidera vectos,
Detinet in medio tramite, causa levis.

Justinus è primis aulæ Hungaricæ Dynastis Regi percarus, *e* generoso pede mundum calcavit, & ad S. Francisci cœnobium pius transfuga se recepit: ubi tantum in sui despicientia, & rerum humanarum contemptu progressum fecit, ut nihil jam terreni ultra sapiens, totus in supremi numinis contemplatione, mente defixus hæreret; adeò ut cùm Romæ in conventu, qui ara cœli nuncupatur, degeret, audita super mensam (quod mireris) sacri codicis prælectione, è vestigio cæ-

a Surius 28. Ian.
b Ambr. lib. 1. de Virg.
c Ad Gal. 3. *d* Ad Gal. 5.
e P. Pennequin Amour divin, part. 2. cap. 8. Annal. ord. S. Franc.

teris

teris confidentibus ac contuentibus, in aëra sublimis raptus sit. Attonitus divino hoc, S. Joannes Capistranus, qui aderat, prodigio, ad ædem sacram fratres divinæ majestati gratias acturos ablegat, operiens inibi ipse interea, quem exitum res sortiretur. Jam sanctitatis fama ad aures Eugenii IV. Pontificis percrebuerat, qui fratrem Justinum ad se acciri curat, eumque velut hominem cœlo delapsum, summâ honoris ac venerationis significatione complexus est, sibi assidere, ac quidvis à se postulandi, quin & impetrandi potestatem fecit. Quæ vanitatis aura, usque eo hunc cœlestium donorum bene instructum myoparonem jactavit, ut ad syrtes & scopulos allisus, tristi naufragio perierit.

Reversus etenim ad suos, animo prorsus elato ac contumaci, omnibus offendiculo fuit; quod ut Capistranus observavit, hominem aggressus: quomodo, inquit, & quantum mutatus ab illo! qui Angelus abieras, Cacodæmone deterior regressus es! quam monitionem sarcastico risu Justinus elusit, eoque pervicaciæ devenit, ut cum è Religioso cœtu unum aliquem graviter sauciasset, in vincula conjectus, inde elapsus, vagus Apostata exstiterit, donec rursus comprehensus, obfirmatam in scelere animam exhalârit. Opportunum ad hæc Cypriani monitum: *a ante nos ista tractantur, & nullu terroribus coërcemur. quid faceremus, si opinionibus tantummodo illas historias audiremus? sed hac est semper incredulitas humana duritia, ut non solùm audiendo, sed etiam videndo, non credat alios interiisse, nisi & seipsam viderit.* Quantumvis sanctus, quantumvis fortis, quantumvis ferreus sit, qui stat, videat ne cadat.

a Cypr. de sing. Cleric.

Vis videre leonem fortissimum ad nullius tyranni, sive carnificis paventem occursum *b* à delicatâ fœminâ edomitum, atque dilaceratum? Audi Macarium, qui inter alia exempla huic rei accommoda, hoc subjecit: Alius persecutionis tempore corpus suum præbuit torquendum, ac cùm suspensus esset ac efferbuisset, postea conjectus est in carcerem. huic igitur administrabat quædam, juxta fidem pia mulier, cum qua, familiaritate contractâ, adhuc in carcere, lapsus est in stuprum. O casum longè luctuosum! ô ruinam omnibus formidandam! quæ ne umquam animis vestris excidat, illud Bern. pro epilogo inculco: *c de quantis legimus in vitis Patrum, viris potentibus in vigiliis, & in jejuniis, in laboribus supra modum humanum, imò & in miraculis corruscantibus, qui ceciderunt, quia non perseverarunt usque in finem.*

b Macarius hom. 27. V. Velasq. in Philipp. c. 2. v. 12. annot. 21.
c Bern. de pass. cap. 14.

§. II.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. d

S. Thomas perseverantiæ virtutem scitè expressit 2. 2. quæst. 137. art. 1. *per se ad perseverantiam pertinet, ut aliquis perseveret*

d Matt. 10.

usque

usque ad terminum virtuosi operis: sicut quod miles perseveret, usque ad finem certaminis. Parum est in conflictu, sub initio hostium cuneos perrupisse, nil confert impetum primum esse, plusquam virorum. si corpora similia alpibus, calore solvantur, & secundus assultus sit minor quâm fœminarum. Innumeræ clades loquuntur, qui primo congressu victoriam cantabant, dein aut à pugnâ ad spolia delapsos, aut ab hoste, animis resumptis, turpiter cæsos prostratosque fuisse. Hinc Cyprianus *Martyr gloriosissimus, & doctor lucidissimus* (ut eum August. compellat) *a hortamur vos*, inquit, *b per communem fidem, ut gloriam nostram, forti & perseveranti virtute teneatis; adhuc in seculo sumus, adhuc in acie constituti, de vitâ nostrâ quotidie dimicamus.* Ecquis enim non illud Jobi exploratum habet? *c Militia est vita hominis super terram*, Depugnandum, certandum est, donec cum Paulo victores, coronam mereamur accipere justitiæ. *Donec vita est ista*, inquit Ambrosius, *d certamen non deerit, non erit corona. Nullus probatur, nisi qui perseveraverit usque ad finem; ut postea possit, qui legitimè certaverit, coronari. Quis fortior Paulo? Quis beatior? Ille tamen vas electionis Dominicæ, non ante sibi coronam vindicavit, quàm certamen omne consummaretur:* ideoque ait: *e bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, quod reliquum, reposita est mihi corona justitiæ.* Catalogum benè longum Paulus contexit laborum, periculorum ac vulnerum, quæ in hac palæstrâ adverso pectore fortiter sustinuit, *f in laboribus plurimis, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, in periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus &c. in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in frigore & nuditate.* En fortissimum athletam, en invictissimum pugilem: sic tamen ut nulla harum bellicarum virtutum mereatur coronari, unam perseverantiam si exceperis Hæc seraphici doctoris sententia est, qui verba illa 1. ad Cor. 9. *omnes quidem currunt*, argutè ad præsentem materiam traducit: *g Sic de virtutibus potest dici: nam virtutes ad Regnum Christi currunt, sed una sola accipit bravium; nam currunt mundi contemptus, paupertas, vigilia, eleemosyna, obedientia, abstinentia, patientia; sed sola perseverantia coronatur.*

Et quoniam certamen ingressi sumus, juvat propositum alterâ à re militari similitudine confirmare: Historicorum Princeps Livius: *h Perseverantia*, inquit, *in omni genere militiæ, maximè tamen in obsidendis urbibus necessaria est, quarum plerasque munitionibus ac naturali situ inexpugnabiles, fame sitique tempus ipsum vincit, atque expugnat.* Belgium totius bellicæ disciplinæ, absolutissimis exemplis hac nostra ætate inclytum gymnasium, triennalem Ostendæ obsidionem uni pertinaci perseverantiæ debet.

a Aug. l. de bono persev. c. 19. *b* Cyprian. l. 1. epist. 1. *c* Iob 7. *d* Amb. exhortatio ad virg. *e* 2. Timot. 4.

f 2. Cor 11. *g* Bonav. in Psal. 67. *h* Livius l. 5. decad. 1.

bet. *a* Ubi cum bruto elemento, cum effræni oceano, qui opera & operarios involvebat, cum ignitis globis, qui non semel munitiones nostras, ipsumque Archiducalium firmissimum propugnaculum incendio absumpserant; cum innumeris hostium copiis, aperto mari continenter submissis, decertandū erat. Slusâ insuper à Mauritio nobis ereptâ, senescente jam militum, Centurionum ac tribunorum virtute, absumptisq; viribus, abeundi consilia non modò ut honesta agitabantur, verùm ut necessaria urgebantur; perseverandum tamen duxit Albertus, & vicit ac triumphavit. Suaviter ille & fortiter: *b absque perseverantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur.* Absque perseverantiâ & omnes labores, & omnes expensæ, omniaque pericula ac vulnera suscepta frustranea sunt, & pro nihilo habentur: quo ariete Ulysses sic Ajacem aggreditur:

c ——— vidi, puduitque videre
Cum tu terga dares, inhonestaque vela parares.
Nec mora: quid facitis? quæ vos dementia dixi,
Concitat, ô socii! captam dimittere Trojam?
Quidque domum fertis decimo nisi dedecus anno?

Munitionem quampiam, arcem aut civitatem suis vallis ac propugnaculis instructam cingere, perquam facile est; at expugnare, tædia, inediam, æstum, frigus, pericula, vigilias noctes diesque, menses, & annos tolerare difficile, imò solius perseverantiæ est. Hanc in arduâ ac diuturnâ Bredanæ urbis obsidione Spinola commonstravit. Hermannus Hugo oculatus testis, *d* qui à latere Marchionis nusquam deflectebat, ea incommoda adducit, quæ non semel stationem deserere, & obsidionem solvere, & turpi fuga recedere suadebant.

Hyems tota, eaque accerrima sub Jove frigido transigenda, qua nonnullis adeò prærigu ere manus pedesque, ut cultris fuerint desecandi: quidam inter excubias frigore exanimati sint. Intestinum bellum ab annonæ caritate & inediâ, fortiùs urgebat. *e* Ginnekense templum, in quo sex millia saccorum frumenti moliti condita erant, cum vicino avenæ stabulario, Mauritius immissis speculatoribus, incendit pro ea exercitus magnitudine, *f* qui peditum triginta millia, equitum octo millia numerabat, tanta pabuli inopia esse cœpit, ut aut equino fimo, aut aridis arborum foliis, aut myricis equi pabulabundi vescerentur.

Inediam verò ipse Spinola ad duos dies continuabat. *g* De gregariis militibus sileo. Continuis ultro citroque explosionibus quot occubuerint difficile foret recensere: hoc certum, morientium toto obsidionis tempore in urbe Bredana eum numerum fuisse, ut su-

a Haræus an. Chri. 1603. 1604.
b Bern. ep. 129.
c Ovid. lib. 13. metam.
d Herman. Hugo de obsid. Bredana. pag. 72. *e* Pag. 83. *f* pag. 59. & 91. *g* pag. 94.

pra

pra quinque mortuorum millia in rationes Libitinæ venerint.

A fronte, à tergo, adversus hostium insultus, castra nostra munienda: *a* censa enim initio obsidionis in urbe ad millia quindecim; Mauritius verò plenis campis ingenti exercitu imminebat. Continuis ultrò citròque explosionibus, quot occubuerint, ,, difficile foret recensere. *b* Globus tabernaculo Spinolæ, tum fortè absentis, per tectum illapsus, lecti conopæum abstulit, ,, & cubiculi mensas duas frustatim discerpsit.

,, *c* Vix quatuor dierum intervallo, Spinola equo albo vehens, altera tormenti majoris ,, pila, frænum ei sub ore equi ,, abrupit, habenis in manu relictis.

Quæ omnia, cum jam per decem omninò menses tenuissent, si consilio centurionum suorum; imò & regis ac Isabellæ tantum non jubentis, Bredam Marchio deseruisset, quam omnes labores frustra susceptos, expensas propè infinitas, militum ac nominis sui jacturam, hostium plausus ac triumphos; lamentari jure potuisset?

d Quam pigere ac pudere debuisset, postquam toto obsidionis tempore in urbe supra quinque mortuorum millia in ratio- ,, nes Libitinæ venerint; post- ,, quam obsessi ad eas angustias ,, redacti, ut equinâ vescerentur, ,, butyri libra sex florenis; por- ,, cellus centum & quindecim ,, florenis; tabaci libra florenis ,, centum venierit, aut quod magis mireris: tabaci in urbem " illati, quod constiterat scutis " 4. venditum in urbe florenis " mille ducentis. *e* Si, inquam, post dura & aspera à suis & hostibus tolerata, castra movere, & infami receptui canere coactus fuisset. Cum è contra constanti perseverantiâ obsessos premendo, dum ad undecimum mensem sese dedidere, immortalitatem nominis, gloriam ac triumphum hactenus inauditum, emolumentum patriæ maximum, sibi peperisse omnes contestentur: ita mala, quæ tempus invehit, tempore mitigato vincuntur, cùm idem venenum sit & antidotum. Tartareos hostes expugnare satagis? muri carnei quatiendi sunt flagellis, ac inimici domestici inediâ ac jejuniis, non uno altero die, sed per menses, & annos continenter domandi & frangendi, donec victi deficiant & in potestatem tradantur, Juxta illud Davidis: *f persequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non convertar donec deficiant.* Picturam vobis objicio, ut ne defatigemini animis vestris deficientes: Triremis validis instructa remigibus; adverso æstu in portum adnitentibus, hanc Epigraphen subscriptam habebat: *durate.*

Quò spectat illud, quod mores concernit, Hieronymi: *g si paululum se quis remiserit, quomodo, qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retrolabitur, & fluentibus aquis, quò non vult ducitur: sic humana conditio, si paululum se remiserit,*

a pag. 59. *b* pag. 92.
c pag. 93. *d* pag. 101.

e pag. 103. *f* Psal. 17.
g Hieron. l. 3. contra, Pelag.

discit

discit fragilitatem suam. Retrolabitur, & labor omnis hactenus impensus, irritus est. Unde sapienter ille; *a lauda navigantis felicitatem, sed cùm venerit ad portum.*

Alterum est, non minùs in patiendo, quàm in agendo perseverantiam necessariam esse. Non raró incipimus pati cum laude, sed ante finem deficimus, & bonum principium malo fine corrumpimus, promeritaque jam collecta, effundimus demum impatientiâ. Putei situlam mihi considera, hæc etsi summo labore ad supremum os fontis ascenderit, si tamen manum ab eâ retinendâ subducas, mox impetu deorsum ruit in imam scaturiginem. Adnitendum ut consummes atque perficias; Redemptoris nostri in cruce constantia, quàm variè, quàm validè fuit agitata? *b descendat nunc de cruce.* Quid hoc, *Nunc?* Post trium & triginta annorum labores, post tot dolores & opprobria, *nunc* in sanguinolenti illius cursus metâ: in extremò spiritu de cruce descendat? Bernardum ad hæc audiamus: *c descendat si Rex Israel est. Imò verò quia Rex Israel est, titulum regni non deserat; cùm enim salvus esse non poterit, nisi qui perseveraverit usque in finem, quantò minus poterit esse salvator.* Additque S. Thomas: *d si de cruce descenderet, virtutem nobis patientiæ, usque in finem non demonstrasset.* Consimiles voces, cacodæmon, fraudulenti amici, stultæ matres, filiis ad Christi crucem confugientibus, aut in ea confixis jactant: *descendat de cruce*, tetrum illud Religiosæ vitæ claustrum deserat, rigorem remittat, cucullum excutiat. Quos minimè audiendos idem Doctor, ad perfecti operis consummationem, exstimulans, hisce verbis hortatur: *e neminem audiamus, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Virtus in pace acquiritur, in pressura probatur, approbatur in victoriâ,*

f Operis victoria finis.
Sola perseverantia meretur viris gloriam, virtutibus coronam.

Ambulaverat per omnes cruciatus impietas, & exhausta tellus, nulla jam reliqua tormenta habuit, cùm ecce ad aquas & aërem est itum, nudi sub frigidissimo cœlo quadraginta Heroës Sebasteni in lacu collocantur gelu rigente; *g* sed thermas putasses, ita numquam aliàs major in omnibus ardor eluxit; ferventem extremum spiritum ubi iners gelu expressit, clamitarunt omnes: *consummatum est*, si unum modò excipias, qui ex martyre, trãsfuga factus, ad tepida balnea, quæ crudelis impietas, ut virtuti insidias faceret, pone littus statuerat, se recepit: sed infelix, dum luctam consummare renuit, invenit ibi continuò mortem; eamque sempiternam, qui vitam quæsiverat; in æternum victurus, si cursum consummasset. Interea cœlo coronæ quadragin-

a Bern. serm. de pass. cap. 14.
b Matt. 27. *c* Bern. in die parasc.
d S. Th. in Matt. cap. 27.

e Bern. serm. 1. in Paraf. *f* Ovid. 6. Metam. *g* Breviar. Rom. 9. Mart.

ta delabuntur; & singulorum Martyrum capita ambiunt, dumque unam de custodibus aliquis, vacare spectat, Christianum se clamat; simul in aquas insiliens, coronam alteri præripuit; & palmam quasi in manibus confregit.

a *Miserabile spectaculum* exclamat Basilius, *miles transfuga Christi, ovis à lupo direpta, & miserabilius à vitâ perpetua excidens. Sed nec præsenti vita diu gaudens: nam simulatque lavacrum insiliit tepefactum, corpore, quod glacie torpuerat dissoluto; statim interiit*, & coronam amisit.

Apoc. 3. *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Quemadmodum Sapricio accidit: fuit Nicephoro (ut Metaphrastes commemorat) familiaritas cum Sapricio Sacerdote à teneris contracta. Ea cum pueris crescere & adolescere non exiguo virtutis incremento cum Adolescentibus visa; demum præter spem omnium in grave odium vertit. Interea sæva in Christianos tempestas Antiochiæ exorta, turbine suo etiam Sapricium involvit. Nihil tamen in tormentis, aut dixit aut fecit, Christiano indignum; at omnia fortiter & constanter pro Christo toleravit. Iamque ad palmam vocabatur, cum semel iterumque Nicephorus ad genua euntis accidit: lachrymansque à Martyre veniam rogat, daret hanc moriturus pro Christo, si non sibi, certè ipsi Christi mortuo inter preces pro hostibus fusas. Audiebat hæc Sapricius, neque tamen, qui mundum, carnem & Cacodæmonem triumpharat, seipsum vincere voluit, sed nec verbis nec oculo dignatus Nicephorũ est. Ergo non placuit cœlo palmam illi dare, qui se ipsum nollet superare. Cervicem præbere jussus, mortem turpi vitâ redimit, & Christi sacerdos facere, eheu! Jovi promittit, necquidquã per omnes superos obtestante Nicephoro, non referret, quem cœlo jam posuisset pedem; non dimitteret, quam jam jam apprehendisset palmam. Ne tamen gratis lictor gladium strinxisset, accurrit ipse Nicephorus, & ad succedaneam victimam se obtulit. Quid multis? In aliena præmia involavit, & alterius coronam accipere meruit.

Hujus argumenti, recentior tragœdia in Japonia accidit, ut apud S. Sainct Jure videre est: b Angelicè P. Thomas: c *laus perseverantiæ in hoc consistit, quod aliquis non recedit à bono opere, propter diuturnam tolerantiam difficilium & laboriosorum; cui directè videtur opponi, quod aliquis de facili recedat à bono, propter aliqua difficilia, & hoc pertinet ad rationem mollitiei: nam molle dicitur, quod facilè cedit tangenti.*

Samson vitæ integerrimæ, in quem insilierat spiritus Domini, qui leonem dilacerarat, hostes prostrarat: hic semel, iterum, tertiò restiterat Dalilæ, sed tandem victus succubuit.

Mollities eum enervavit. unde Bernardus: d *Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo*; quod deinde

a Basil. hom. de 40. Martyr.

b S. Iure de la cognoissance & de l'Amour de Dieu. l.3.c.5.& c.12.

c S. Thom. 2.2.q.138. art.1. d Bern. ep.129.ad Iannuenses.de Pass.c.14.

exemplis illustrat: *Saul*, inquit, *cùm esset parvulus in oculis suis, Rex est super Israel constitutus; non perseverans in humilitate, & Regnum amisit, & vitam. si cautela Samsonis, si Salomonis devotio perseverantiam retinuissent, nec is profectò privaretur sapientiâ, nec ille viribus.* Et tu Adolescens, tu filia, tu Ecclesiastice, tu Monialis de perseverantia tua secura incedis? *a memento quoniam in medio laqueorum ambulas, & multæ veteranæ virgines, castitatis indubitatæ, in ipso mortis limine coronam perdidêre de manibus.* multi semel iterum tentationi resistunt, tandem succumbunt, semel iterumque judex renuntiat muneribus, non discedit à justitiâ; tandem succumbit. semel, iterum servant jejunium; sed quadragesima prolixior est, occasio invitat. non perseverant. hæc pluribus qui volet, ad mores accommodet. concludo ipse & omnibus hoc Pacchomii monitum altè inculco: *b* „ frustrà ad salutis bravium currimus, nisi sic curramus, ut comprehendamus. frustrà cum hoste confligimus, nisi certemus ut vincamus.

Fuerunt, qui Cynicum illum Philosophum interrogarent, hunc in modum: dic mihi Diogenes, cur ætate tam provectâ, tuam adhuc cellam vinariam habitas? cur arctæ huic vitæ, quam tot annos professus, non renuntias? quibus ille: ridiculi vos estis homines, inquit, si curram in catadromo, num cessem currere, jam metæ vicinus, ut alius mihi præmium præripiat? ego verò potiùs cursu feror concitatiore. hoc Paulus dixit, & fecit: *c sic currite, ut comprehendatis.* in summitate scalæ, non autem in ejus principio aut medio incubantem Dominum vidit Jacob, ut hinc discamus, inquit Hieronymus, *d* satis non esse bene incipere, & bene progredi, si non perseveremus & consummemus. cui consentit illud Bernardi, *e quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? ideo Paulus ajebat: sic currite ut comprehendatis. ibi tu Christiane fige tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens usque ad mortem. quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non prehendes.* ut cum Christo in mortis & vitæ confinio, extremo spiritu exclamare possimus *consummatum est*:

Ubi pictor ultimam manum tabulæ imposuit, assurgit gaudens, quia *consummatum est.*

Mercenarius, qui tulit pondus diei & æstum, cùm vesper adest optatus, suaviter respirat: *consummatum est.* in oculis est denarius diurnus.

Agricola cùm segetem demessam feliciter mandavit horreis, triumphat, & sibimet applaudit: *consummatum est.*

Vinitor cùm vindemia jam soluta, mustum in doliis spumat, lætus cantat: *consummatum est.*

Peregrinus in viæ termino hilaris requiescit: *consummatum est.*

Orator tremens & exanguis, ubi citra hæsitationes hanc epilogo clausulam nexuit: *dixi*, exultat, quia *consummatum est.*

a Hieron. ad Eustoch. de cust. Virgin.
b Metaph. in vita.

c 1. Cor. 9. *d* Hieron. ep. ad Furiam.
e Bern. ep. 253. ad Abbat. Gorin.

Ubi vitæ huic epilogum imponis, rectè dices, vixi: *consummatum est.*

Etenim si (teste Ambrosio) *a laudari ante Gubernator non potest, quàm in portum navem deduxerit: quomodo laudabis hominem priusquam in stationem mortis successerit? & ipse sui est gubernator, & ipse vitæ hujus jactatur profundo; quamdiu in salo est, tamdiu inter naufragia. Dux ipse, nisi confecto prælio non sumit lauream; nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur, nisi hoste superato,* opere peracto & consummato.

Militem vultis, qui in mundi militia arma non posuit? ad ruborem vestrum audite: *b* Qua die de Mauris capta est Ceptua urbs, hærentibus Proceribus, atque ob formidolosas hostium in propinquo vires, in ejus præsidio futuros se negantibus, Didacus Menesius unus inventus est, qui Regi operam suam deferret, Maurosque scipione, quem in manu habebat, abacturum pollicebatur. Audax dictum, & pugnacis animi nobilem impetum perseverantia nobilitavit. Duodeviginti annis, ut Mauro semper imminenti occurrere semper promptus esset, hamis contextam loricam, numquam exuit, ut illa instar vestis jam sponte in scuta decideret. plusquam ferrea homini fuit perseverantia, cui ferrea fatiscente lorica, vis illa indomiti animi perseveravit; sed gloriæ aurum, nullo nisi ferro emitur perseverantiæ. At verò cœlestes pugiles, *c aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum,* non segnius ad finem usque decertarunt. P. Didacus solus, quem satis novi (inquit Historicus) *d* jure optimo perseverantiæ præclarissimam retulit laudem. quoad in Societate vixit, bis ad minus quotidie in se flagello sæviebat, continuisque ciliciis carnem macerabat, sed quamdiu? ad extremum spiritum, adeò ut in supremo morbo, octo ante obitum horas, inventa illi sint duo cilicia ferrea adeò constringentia carnes, & armata spiculis, ut opus esset frangi, quo possent extrahi; ita generosus hic Christi miles, arma, quæ semel domesticum in hostem induit, constantissimè usque ad mortem retinens, non priùs pugnandi quàm vincendi, qui vivendi fuit, finem fecit.

P. Petrus Rodericus per dimidiam horam crudeliter se flagellabat, eâ animi constantiâ, ut eo ipso die, quo obiit, idem temporis spatium, in eodem sui supplicio insumpserit: nos ad sanguinis nostri guttam erubescimus, & nullo in negotio, quàm in hoste domestico domando faciliùs intepescimus. Quin & vos hæc charismata meliora æmulamini aspicientes in *consummatorem Iesum*; in quem præ cæteris collimasse videtur Tho. Sanchez: *e* is, quæ semel in animo proposita conceperat, pietatisque exercitia inchoârat, totis quadraginta tribus annis, quibus in Societate vixit, numquam interrupit, nec quid-

a Amb, l. de bono mortis c. 9.
b P. Rho exempla virt. l. 6. c. 7. §. 3.
c Heb. 12.

d P. Nierenb. in ascet. l. 1. doct. 11. c. 100.
e Biblioth. Soc. P. Rho exempla virt. lib. 6. c. 7. nostra §. 9.

quidquam in hoc negotiationis ſtudio remiſit.

Ita ineuntis abeuntiſque anni dies, perſeverantiæ ſemper habuit operatos Didacus Martinius: nam ſub anni initium operum omnium, quæ ſibi facienda cenſeret, ſyllabum conficere, ſub ejuſdem exitum, eorum rationem exigere conſuevit, tantâ perſeverantiæ animi laude, ut his vitæ rationariis omnibus ſubſcribere potuerit, *factum eſt, conſummatum eſt.*

O viros, verè numeris omnibus abſolutos, qui deſtinata conſtanter abſolverent. optimè quidam dixit: virtutes omnes profeſſas, & voti tenaces eſſe debere, alludens ad clauſtra Monialium, in quibus puellæ ſeculares ad tempus commorantur, & ſubinde evagantur (at moniales perſeverant) ita virtutes ac propoſita quorumdam, puellarum in morem ſibi non conſtant, nec perſeverantiam profitentur.

Denique ne longior ſim, Lorinus, quem virtus & eruditio orbi celebrem fecit, in eo ſingularis perſeverantiæ ſpecimen dedit, quod quinquaginta amplius annis ad primum nolæ ictum è lecto exiliverit. *a* Ut & nos uſque ad mortem in omnibus conſtantes ſimus, hortatur Servatoris exemplo, Bernardus: *b ſicut caput noſtrum pro peccatis noſtris acerbitatem ſuſtinens paſſionis, uſque ad conſummationem, id eſt, uſque ad perfectionem omnium ſcripturarum, quæ de ipſo erant, perſeveravit patienter: ita & nos, ſi hujus capitis membra eſſe volumus, in omnibus adverſitatibus noſtris, virtutem perſeverantiæ conſervemus; ut in fine confidenter poſſimus dicere: conſummatum eſt. Hoc eſt tuo adjutorio, non mea virtute, bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. redde ergo, quod legitimè certantibus repoſitum eſt, ſcilicet coronam juſtitiæ.*

a P.Rho.cit.§.4. *b* Bern.de paſſ. c. 14.



EMBLEMA XXXII.

Laborantes nihil cepimus. Luc. 5.



LABOR IRRITVS. a

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Qui nocte idololatriæ, hæreseos, aut noxæ lethalis laborant, quasi telas aranearum texunt, nullum operæ suæ pretium referentes.

§. I. *Qui in nocte gentilitatis & idololatriæ versantur, frustra laborant.*
§. II. *Hæretici luce fidei destituti, in vacuum laborant.*
§. III. *In nocte peccati laborantes, nihil capiunt.*

a Ovid. 1. Metam.

DOMINICA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Laborantes nihil cepimus, Luc. 5.

INTER gravissima supplicia, quibus scelerati apud inferos torquentur, finxerunt Poëtæ non infimum illud esse, quo quidam ad inanem laborem damnati sunt. Sic quinquaginta filiæ Danai, Regis Argivorum, dum unâ nocte omnes maritos suos jugulassent, solâ Clytemnestrâ exceptâ, damnatæ sunt ob hanc impietatem, ut apud inferos pertuso dolio, assiduò aquam hauriant: unde Ovidius: *a*

Quaque gerunt humeris perituras Belides undas.

&. Tibull.

Incava lethæas dolia portat aquas.

Talis, & prorsus irritus Sisyphi labor est, qui ingens saxum in montem provolvere satagit, ad cujus verticem, dum propiùs accedit, rursus revolvitur, ut rectè Cicero ex veteri Poëta:

b —— Illud Sisyphi vertat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.

Istud porrò tormenti genus est, laborare, sudare, eviscerare, exenterare se, nec quidquam proficere: commiseratione profectò dignum, videre strenuos remiges adverso æstu obnitentes, nec hilum promovere; equitem per ardentes Solis radios, & pulveream nubem concito cursu ferri, & unde diluculò dimovit, non secus ac equi in pistrino, vesperi in eodem vestigio hærere; agricolas arantes, seminantes, excolentes agros desudare, nec quidquam fructus exsurgere. At longè acerbiùs videre homines castimoniâ vitæ insignes, adversus vitia depugnantes, assiduis jejuniis, orationibus, variisque corporis afflictationibus ad sanguinem usque decertantes, carnem triumphantes, & nihil illis omnibus meriti, nec gradum gratiæ minimum consequi.

Hæc enimvero uberrimis dignissima lachrymis! quæ indies accidere videmus & ridemus; dum qui in nocte gentilitatis, hæreseos, peccati, versantur, quidquid laboris, quidquid operis, pietatis, eleemosynæ, afflictationis exercent, in vanum laborant, nec quidquam meriti ac mercedis ad vitam æternam acquirunt. Quod uberiùs probare aggredior.

a Ovid. in Ibin. b Cic. l. 1. Tuscul.

§. I.

Qui in nocte gentilitatis & idololatriæ versantur, frustrà laborant.

ARaneæ atque unà bombycis laborem, studium, solertiam, quâ fila adeò subtilia deducat, contemplare, *c* quamque illa, & ille pariter exenterent, & indefessis viribus laborent; at fructu & emolumento longè dispari: bombycis enim opus textrinum, pretiosum sericum ad Senatorum togas, ad Regum purpuras, ad divini cultus ornatum insumitur; araneæ verò futiles & inutiles te-

c Beyerl. in Theat. Tit. stultitia.

læ, ad muſcas capiendas, nullius pretii ac valoris, ventis aut ſcopis diſſipantur, nec raròtextricem ſuam inopinato fato involvunt. Hoc juſtorum, qui in luce gratiæ, & eorum, qui in nocte erroris & peccati operantur, appoſitum ſymbolum eſt. Ac primum quidem telas aranearum mihi texuiſſe videntur, Indorum ſacrificuli, Brachmanes dicti, *a* qui cœlibem vitam agunt; continentiam ſervant, mulierum conſpectum adeò oderunt, ut dum in publicum prodeundum, anteambulo proclamet: Mulieres ſe ſubducant. ſtipem emendicant, victus ac veſtitus aſperitate præcellunt. In ſolitudine cryptis ſubterraneis duriſſimo vitæ genere, mediâ vigiliâ, nuditate, frigoris æſtuſque patientiâ ſemetipſi diſcruciant, abſtinentque, ut ait Maffejus, *ab omni corporis voluptate.* Erant, qui ferreæ caveæ incluſi, noctu diuque vultu ſquallidi, cineribus aſperſi, non tam vitam, quàm animam agebant. Alii ſponte aliquod corporis membrum adurebant; quos ipſi ethnici diis ſimillimos, imò Deos venerabantur. Sed hi omnes quid mercedis? Nihil: *b neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant,* ait Propheta: *& totâ nocte laborantes, nihil ceperunt.* Quàm verò horum Andabatarum frequens numerus ſit, *c* ex eo colligere eſt, quòd in Inſulâ Japone numerentur quinquaginta millia Monachorum, montem incolentium: omnes eximiæ caſtitatis, ſed idololatriæ dediti. Quin in unicâ ejus Inſulæ Provinciâ, Bandon dictâ comperta ſunt ſupra bis mille octingenta monaſteria idololatrarum. Zaiton quoque urbs duplo Bononiâ major eſt, ibi in uno cœnobio, falſorum Deorum cultores, ſupra tria millia cenſebantur; exſtabant autem ad undecim millia idolorum, quorum minimum hominis altitudinem ſuperabat, tantaque religione, cultu, morum integritate venerabantur, ut non Catholicis modò, ſed religioſiſſimis in EccleſiâRomana viris ruborem incuterent. Hæc tamen omnia venerationis, orationis, auſteritatis exercitia, tot millium Monachorum in cumulum collecta, non majori pretio, quàm ingens ex aranearum telis maſſa conflata æſtimabitur. Heliogabalus quidem, teſte Sabellico, *d* ad decem millia pondo telarum aranearum collegit; quod verè *magnum nihil* dixeris; idem de operibus gentilium ſentiendum eſt, in quos rectè cadit illud Eccl. 10. *Labor ſtultorum affliget eos.* Et Exodi 18. *ſtulto labore conſumeris.* Hi enim omnes Siſyphi in morem laborare pergent totâ æternitate: *laſſis non dabitur requies*, abſque ullo operis & operæ pretio. Heroicum planè & divino teſtimonio comprobatum facinus, quo Abraham ſuis manibus unigenitum ſuum Iſaac Deo immolare ſtatuerat; ſed longè digniſſimum hujus operis pretium & mercedem attendite. *Per memetipſum juravi* (dicit Dominus) *e quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum*

a Iarric. hiſt. Ind. tom. 2. l. 2. c. 2. Maff. hiſt. Indic. l. 1. *b* Pſal. 81.
c Majolus. canicul. V. Nierenb. hiſt. nat. de Sacerd. Tibecen. p. 140.

d Sabell. l. 6. Beyerlinc Theat. tit. ſtultitia. *e* Gen. 22.

ſicut

sicut stellas cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris, possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Nunc si lubet, hæc in comparationem adducite, *a* quæ Ioannes de Sumarraga minorita, primus Archiepiscopus Mexicanæ urbis, in epistolâ ad sui ordinis congregationem collectam Tolosæ 1532. commemorat: quod in solâ illâ civitate, ubi Diabolus colebatur, quotannis plusquam viginti millia cordium puerorum, ac puellarum solita erant illi offerri. Sed quia fecerunt rem hanc, & non perpercerunt unigenitis suis, quam mercedem & benedictionem receperunt? nullam profectò nisi sibi, suisq; æternã maledictionem: *b* quia *immolarunt filios & filias suas dæmoniis.* Alium vobis in re consimili testem Plutarchũ adduco: *c* pueri, inquit ille, apud Lacedæmonios in arâ Dianæ (cui ab invincibili virtute cognomen Orthia) flagellis quotannis stato festo ex more per totum diem cædebantur; itaque frequenter durabant ad mortem usque hilares ac læti, concertantes inter se de victoriâ, quis ipsorum diutissimè fortissimèque toleraret verbera: unde nec gemitus, nec vocem dabant, nec scapulas aut corpus contrahebant, tantùm ad hoc ut victoriæ hujus nomen & decus obtinerent. *O cæcas hominum mentes! ô pectora cæca!* ô quantùm est in rebus inane! quid jam faciat fidelis, cui non insanæ tolerantiæ ostentatio, & inanis hominum laus, sed immarcessibilis gloriæ corona promissa est.

Nunc à viris ad fœminas veniamus. Quantam vitæ integritatem corporis animique castimoniam spirarunt virgines illæ Vestales, de quibus Lipsius *a* Ab anno septimo à parentibus avulsæ, Deæ Vestæ consecrabantur: decem annos discere debebant, decem sacris operari, decem alios juniores instituere, neque umquam feriari, aut ab opere cessare licebat. Tria potissimùm illis incumbebant: *Vigilare, adservare, sacrificare*: vigilare diu noctuque, ne ignis perpetuus exstingueretur; qui si cujusquam incuriâ exstinctus fuisset, acriter in eam sæviebatur: adservabant statuam Palladis, in qua salus urbis, aliaque sacra, nocte diuque sacris operabantur; unde Seneca: *Quid porrò non est iniquum nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari.* Et Prudentius:

Hoc illud meritum est, quod continuare feruntur
Excubias Latii pro Majestate palati.

Si quæ peccasset, viva defodiebatur. Addit Tacitus de Occia, quod quinquaginta septemnis summâ sanctimoniâ, sacris Vestalibus præsederit. Virginitate Agnetes, Cæcilias, Catharinas, Claras, Theresias hîc contemplare & admirare. Ejusmodi nec minùs miranda, Nierenbergius noster adducit: *b* in civitate Cusco, inquit, maximus virginitatis cultus semper fuit: Templum ibi erat Solis, ubi clausæ Virgines asservaban-

a Lanuza tr. 7. §. 38. *b* Psal. 105. *c* Plut. in Lacon.

a Lipsius in Vesta.
b Nierenb. hist. nat. p. 138.

vabantur, Soli ejusque Religioni dicatæ. Corrupta & istic viva humabatur, complici qui violarat, pœna statuta vivi-comburium, & totius familiæ, uxorum, liberorum, parentum, cognatorum ruina; imò omnium concivium, totiusque Patriæ desolatio existebat. Virgines illæ numquam domo prodibant, nec virum videbant, nec videbantur: ignem sacrum accensum solaribus radiis in gossipio asservabant; & hæ omnes tantùm abest, ut virginitatis laurea condecoratæ inter prudentes virgines, à sponso cœlesti intra paradisi januas admissæ sint, ut cum fatuis exclusæ, & ad Danaidum labores damnatæ, audierint: *Nescio vos*.

Venio nunc ad eos qui illud fortè primæ veritatis testimonium sibi usurparint: *a Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis*. Et illud Tobiæ: *b Eleemosyna à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras*; sed illa orabit pro eis ad Dominum, ut salventur, & mercedem accipiant, Propheta regio attestante: *c Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die malâ liberabit eum Dominus*. Mercedem verò iis pro haustu aquæ frigidæ liberaliter adpromittit; quam ergo eos exspectare convenit, qui in cibos pauperum millia effuderunt, & largissimas facultates erogarunt: talis gens illa Ethnicorum quæ Cambajæ in Regno Magni Mogor degit, in pauperes munifica. Hesterno die, inquit Maffejus, *d* id est, octavo Ianuarii 1595. intellexi plus vicies mille *Pardaos*, quorum quilibet valet 25 Iuliis, in stipem hac in urbe distributos. Demonstrarunt mihi hominem unum, qui solus dederat quinque millia, alium qui 3. millia, tertium qui mille quingentos: certoque didici, uno die eleemosynas æquasse millionem auri. Percunctatus causam tantæ liberalitatis; hanc prorsus frivolam allegarunt, quia eo die Sol *à Sur* migrasset *ad Horthe*, ut ibi asserunt eorum Brachmanni. Faciunt quoque eleemosynas, ut eos Deus sublevet ad gloriam: eodem fine agunt pœnitentias, & obeunt peregrinationes. Pauci dies sunt, cùm ex hac urbe quinquaginta millia hominum abierunt peregrinantium ad Gangem fluvium, beatumque se putat, qui in hoc flumine se abluerit: omnique securitate è vivis excedit, qui morte imminente pauxillum ex hac aquâ delibarit. Egi hîc cum gentili quodam nomine Gedacham, viro primario, qui peregrinationem hanc obierat, & ter in hoc flumine ponderavit matrem, semel argento, secundò margaritis, tertiò auro. Et hoc omne pretium in pauperes erogavit. Rau frater hujus Gedacha, eodem modo quodam die in eleemosynam expendit centum quinquaginta millia Pardaos; idque fecit, ut Pagoden (ita idolum vocant) proficiscenti sibi ad Magnum Mogor, propitium haberet. Nihilominus tot aureorum millia, in pauperes liberaliter distributa, velut tot millia zero innumero, sine unitate, sine veræ fidei lumine, nihili æstimanda sunt: *e quia sine fide impossibile*

a Luc. 11. *b* Tob. 4.
c Psalm. 40. *d* Maff. tom. 2. hist. relat. de M. Mog. Ex lit. P. Eman. Pineri. ad Prov. p. 714.

e Hebr. 11.

possibile est placere Deo. cum hâc autem, duo minuta viduæ, & haustus frigidæ, Deo præ tot millibus longè gratiora sunt.

Diogenes ille Cynicus, omnes ævi nostri viros religiosos paupertate, abstinentiâ, rigore vitæ superavit: habitabat in dolio, quæ cella Monachi tam arcta non modò nihil habebat, sed & contempsit omnes divitias; ubi puerum cavâ manu aquam haurientem vidit, scutellam ut superfluam abjecit; acerrimâ hyeme nudum corpus frigidâ perfundebat, ut totus obrigesceret. Si hæc in luce fidei, qualis quantusque exstitisset? Phocion semper nudipes, centum talenta à Rege Macedonum oblata respuit, rogavitque potiùs tres captivos liberaret: proditionis falsò insimulatus, & morti adjudicatus, hoc salutare monitum filio reliquit, ne illatæ ab Atheniensibus injuriæ recordaretur. Lubet hîc paucis interpellare, & cum Paulo interrogare: *a Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Et meritò, quod propter vanam & inanem gloriolæ auram, tanta tamque heroica facinora exantlastis. Pericles ab insulso homine, per totum diem in foro convitiis lacessitus, nocte ingruente domum abiit; sed hic canis insequitur assiduò allatrans: ut ad januam venit, quod jam tenebræ essent, quemdam ex servis cum lucernâ, maledicæ ac virulentæ linguæ hominem, perhumaniter domum deduci jubet: in cibis adeò temperans, ut in diem viveret; in pauperes tamen prodigialiter prodigus. morti vicinus, dum amici ejus gesta pertexerent, silentium illis indixit, unum sibi illud dumtaxat solatio esse, quod nemo propter se atram vestem sumpsisset, nullumque contristasset; atque ita obiit dolore omnium, qui nulli in vitâ dolendi causam præbuerat. Mitto hîc Scævolas, Horatios, Lucios, Metellos, aliosque Græcos inter, atque Romanos celebres, qui omnes ut scitissimè S. Paulinus: *b In medio dierum inanium, texuere operibus vanis araneæ telam*; opera infructuosa, vana ac nullius momenti, aptè opera vacua compellans, quorum nullum sit operæ pretium; quemadmodum Jurisconsulti, vacua prædia nuncupant; quæ nihil fructus proferunt, Domino prorsus inutilia. Ex illis operibus, vitæ tela, plena inanitatis, plerisque teritur, qui neque apud hominem solidam laudem, neque apud Deum præmium consequuntur. Quod expendens Chrysostomus, sic Christianos adhortatur: *c Philosophos considerate gentilium, & discetis quanto sumus digni supplicio, qui divinæ legis præcepta contemnimus; quandoquidem inveniuntur illi propter humanam, hanc honestatem innumera fecisse.*

Hactenus de Ethnicis, & idololatris. Altera classis est hæreticorum, de quibus ait Augustinus: *Sola Ecclesia Catholica est, in quâ bonum opus fructuosè peragi potest.*

a Ad Rom. 6.

b S. Paulinus ep. 20.
c Chrysost. hom. 17. in Matth.

§. II.

Hæretici, luce fidei destituti, in vacuum laborant.

SOphronius in prato Spirituali cap. 108. refert Peregrinum Monachum Syriæ exceptum hospitio à Theodoro Abbate, qui ut advertit hunc virum spiritu ferventem, paupertatis amantem, noctes integras psallentem, jejuniis vacantem, silentii observantem, invitavit eum festo quodam celebriori ad sumendam cum cæteris Eucharistiam, ut fervore suo alios ad pietatem inflammaret, at ille negavit sibi id licitum, quod Severi Religionem sectaretur. Quo dicto attonitus Abbas, sub tantâ austeritate errorem delitescere, triduum in oratione & jejunio transegit: dum tandem hominem in cella conspicatus, vidit humeris hujus Severiani psallentis corvum insidentem spiritum tenebrarum; qui illi uti & aliis hæreticis sub specie sanctitatis, has austeritates suggerit, & facit Martyres mundi, confessores Diaboli.

Tales fuêre Esseni, de quibus Philastrius scribit: Monachorum vitam exercent, vestes molliores & delicata fercula respuunt, nihil possident, vacant lectioni, habitant sejuncti, exspectant Christum ut Prophetam, non ut Messiam.

Basilides, qui Corporum Resurrectionem negabat, silentium quinquennale suis imperabat.

Apostolici Hæretici, exemplo Apostolorum nudipedes veram paupertatem amplectebantur.

Encratitæ, id est abstinentes, perpetuam castitatem & abstinentiam à vino & carnibus servabant.

Begardi & flagellantes seipsos acerbè dilaniabant pro peccatis populi (ut ait Crantzius libro decimo Metrop. cap. quadragesimo sexto de secta flagellantium. Vide mira apud Haræum tom. 1. pag. 325. & Spondanum.

Cataphrigæ & Pepuriani, mortuos baptizabant. Infantem unius anni minutis puncturis confodiebant, & ex eo sanguine farinæ commisto, Eucharistiam conficiebant, ut Sanctus Thomas disertè docet 3. part. quæst. 74. art. 1. infans pro Martyre colitur. Sed de ejusmodi Martyribus beatum Pacianum Episcopum Barcelonensem audiamus, qui agens de Novatianis hæreticis: *Martyres quidem fieri possunt, sed non coronari.*

Audiani vel Antromorphitæ in Monasteriis & solitudinbus degebant; sic dicti ab Audio in Mesopotamia oriundo, viro apud suos claro ob sinceritatem vitæ & zelum erga Deum; cum Judæis Pascha faciunt, cæterum piè vivunt. Inter Monachos Ægypti hæc hæresis agitata est.

Novatiani qui Homousianorum fidem amplectebantur, Ecclesias proprias, & Episcopos per successionem habebant; quos inter Agelius eorum Antistes fuit Constantinopoli, homo superstitiosè Religiosus, qui sine pecuniis vivebat, nudis pedibus & simplici tunicâ, Apostolorum simplicitatem præ se ferebat.

O cæcas hominum mentes! ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris, vita quantisque periclis

Dgi-

Degitur hoc avi, quodcumque est!

Nonne in hos meritò cadit illud Pauli: a consimiles *miserabiliores* esse *omnibus hominibus*, qui de miseriis ad miserias transeunt sempiternas. Idem sentiendum de Pelagianis, qui divites baptizatos nisi omnibus renuntiarent, non salvari posse docebant; & de Messalianis seu Euchitis, qui maximam vitæ partem orationi tribuebant, ac post hæc omnia telas aranearum texuerunt; b nam *extra Ecclesiam quidquid operantur hæretici, quamvis magnum, nihil illis prodest* ad vitam æternam consequendam. Spectaculum sanè & hoc ævo luctuosissimum, videre in vicinis nostris urbibus & provinciis viros, fœminas, pueros, puellas à ministelli ore pendere, per plures horas Psalmos decantantes: non adulterantes, non furantes, nulli malum imprecantes; sed in crassâ errorum caligine palpitantes, à rectâ semitâ deviare: & quia *extra Ecclesiam operantur, nihil illis prodest*: Hoc porrò unum est necessarium, ut per fidem & charitatem filii Dei simus; si cohæredes esse velimus, c unde S. Paulinus sese Deo & Ecclesiæ per frequentes ejusmodi actus adstringebat: *Ne* (inquit) *nihil simus, si ab uno excidamus.* Ab hoc uno, ut cætera adessent, exciderunt, qui sub Bonifacio Nono anno 1399. ex Alpibus in Italiam irruerunt: presbyter quidam (ut narrat Cranzius,) d cum ingenti hominum multitudine, qui omnes candido amiculo induti (unde Albati dicti sunt) ad Jubilæum Romam contendebant. Miram hic Antesignanus sanctitatem spirans, crucifixum agmini præferebat, quem lachrymari ob flagitia populi dictitabat. Id quoties astu accidisset, omnes Dei misericordiam inclamabant. Laudes B. Virgini euntes decantabant; stantes verò hymnum *Stabat Mater dolorosa.* Deum Vitterbii essent, Bonifacius fraudem veritus quod fama esset, hunc hominem superstitiosum, Pontificatum ambire, milites aliquot præmittit, ut hominem ad se perducant. Primi in Italiâ Lucenses fuere utriusque sexus, albis induti, ad tria millia, ut idem Auctor asserit. Agmen hoc claudit Guido de Lacha, in Episcopatu Brixiensi, vir tantâ sanctitate & vitæ puritate celebris, ut alter Joannes Baptista haberetur, & turmatim ad eum homines, velut ad oraculum confluerent; qui tamen hæreticâ pravitate infectus, post mortem jussu Præsulis, exhumatus, & igni adjudicatus est. Vbi hoc prodigii accedit, ossa arcana vi è rogo in aëra sublata, orante Episcopo cum suis, & sacrum de beatâ Virgine celebrante, sub ipsam consecrationem cacodæmones auditos horrendùm inclamantes: O Guido de Lachâ! te hactenus defendimus, sed nunc major adest, moxque ossa in ignem collapsa in cinerem redacta esse. Quem tamen hæretici Martyrologio suo inseruerunt, ut & famosissimos scurras, qui ob gravissima flagitia, tortoris manu excarnificati sunt, quos Hipponensis Præsul scitè depingit: *Apud Hæreticos, qui propter iniquitates, & errores suos, aliquid*

a 1. Cor. 15.
b S. Augustin. lib. cont. Parmen. c. 3.
c V. Penneq. Amour divin. p. 3. p. 36.
d Crantz. l. 10. Metrop. c. 46.

aliquid molestiarum perpessi fuerint, nomine Martyrii se jactant, ut hoc pallio dealbati, faciliùs furentur, qui lupi sunt. cui consentit Carthaginensis Antistes: *Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel objecti bestiis, animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed perfidiæ, nec Religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus; occidi talis potest, coronari non potest.*

Sed quod omnia exsuperat, est: apud Catholicos, apud Religiosos & moniales, in cœtu Sanctorum, quosdam reperiri, qui omnibus suis precibus, vigiliis, jejuniis, eleemosynis, nihil meriti aut mercedis habituri sunt, quia in nocte, in tenebris peccati operantur; jejunare talis potest, coronari non potest: vigilare, orare, psallere talis potest, coronari non potest.

§. III.

In nocte peccati laborantes nihil capiunt.

Divinum quempiam Ecclesiasten Doctor gentium inducit, *a* dono linguarum præditum, qui eloquentiâ angelicâ mentes hominum illustret, in quamlibet partem voluntates inflectat, ad virtutem corda inflammet, mundum universum ad se rapiat, & ad Deum convertat, *si* tamen *charitatem non habuerit, factus est velut æs sonans* campanæ, quæ alios ad domum Dei convocat, & foris manet, fractaque ad nihilum valet, nisi in ignem mittatur & confundatur. Compello hîc divini verbi præcones, quorum dictio tanquam facula ardens, accendit corda auditorum, eloquium habent ignitum; sed ipsi quandoque sine charitate frigent, speculis causticis consimiles, quæ in se frigidissima, objecta incendunt; verbo & doctrinâ prælucent, sed non opere & veritate. In quo famulos & ancillas imitantur, quæ lucernam seu facem dominis præferunt, cum ipsi in tenebris & luto ambulent; ubi considerandum occurrit, quam hoc deplorandum sit, post tot diurnas nocturnasque lucubrationes, post tot studia ac tædia, post tot labores & sudores, tot Adventus, Quadragesimas, quas se ad confertam concionem habuisse gloriantur, si in nocte peccati lethalis (quod Deus avertat) perorarint, nihil apud Deum solidæ mercedis recepturos; sed tanti, tam fœcundi, ac facundi oratores, nihili erunt. Ea propter ad hanc charitatem sic suos inflammat Augustinus: *b quale bonum est charitas ista fratres? quid pretiosius, quid luminosius, quid firmius, quid utilius, quid securius? multa sunt Dei dona, quæ tamen habent & mali, qui dicturi sunt: Domine in nomine tuo prophetavimus, in nomine tuo dæmonia ejecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus. Nec respondebit ille, non fecistis: non enim in conspectu tanti judicis audebunt mentiri aut jactare, quæ non fecerunt; sed quia charitatem non habuerunt, respondebit omnibus illis, non novi vos.* Quis non suspiceret virum prophetico spiritu, velut oracula fundentem, sublimium ac maximè arcanorum mysteriorum scientiâ divinitus imbutum? ut per subtilissimam

a 1 Cor. 13.

b Aug. serm. 50. de verbis Dom.

contemplationem ad raptus, & ecstases, velut pennis aquilæ aut Cherubin, extollatur. Ecquis non hanc illi quandam veluti in terris beatitudinem invideret? verumtamen si charitatem non habuerit, nihil illi proderit, sed ad inferna detrahetur, & à tenebris noctis interioris in tenebras exteriores projicietur: *quomodo enim* (inquit Bernardus) *a claritas lunæ non nisi à Sole est, sic absque charitate meritum nullum est.* Quare quæ tot horas contemplationi vacant, divinis laudibus concinendis noctu diuque vacant, Marthæ ministeria contemnentes, ad Christi pedes assiduò consident, visiones ac revelationes se pati profitentur, hoc inprimis expendant, an à spiritu tenebrarum non seducantur, an non alta in animo, ex peccato superbiæ, inobedientiæ, invidiæ, alteriusque flagitii caligo sit. Scire vultis religiosæ animæ, an veræ magnæ sitis? mellifluum doctorem audite: *b quantitas cujusque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet: ut quæ multum habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ verò nihil, nihil: dicente Paulo, si charitatem non habuero* (etsi donum orationis, contemplationis, raptus & visiones habeam) *nihil sum.* Quod S. Ægidius simplicem anum quæ modum contemplandi à se petebat, edocuit, dicens: *Ama, & tam subtiliter ac utiliter contemplaberis, quàm Doctor Bonaventura:* Illud enim verò plus fortè admirationis habet, hominem intueri fide adeo firma præcellentem, ut divinæ potentiæ particeps, verbo dumtaxat montes transferat; quo prodigio Thaumaturgus, plures ad orthodoxam fidem convertit, nutantes confirmavit. Si tamen per peccatum aliquod, caritate exciderit, nihil eis prodest: nam ut rectè S. Doctor: *c fides juxta Apostolum sine charitate esse potest, prodesse non potest.* Et alibi: *d si scire omnia Sacramenta, & habuero omnem prophetiam, & omnem fidem: ita ut montes transferam; charitatem autem non habeam, nihil sum. Illa quidem magna sunt; sed sine charitate, non illa, sed ego nihil sum.* Hæretici arbitrantur, si baptizati sint, & credant, opera non requiri, cum Christus abundè satisfecerit, illud Apostoli adducentes: *e qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit.* Quasi verò non expressius Apostolus dixisset: *f fides sine operibus mortua est*; quasi non dixisset Paulus: *g si habeam fidem, ut montes transferam &c.* Quæ SS. Scripturarum, & SS. Patrum, ac Conciliorum doctrina est, ut disertè Doctor Angelicus: *h dicendum quòd fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galatas; similiter etiam actus patientiæ, fortitudinis, non est meritorius, nisi aliquis ex charitate operetur.*

Alterum est, quidquid liberalitatis, munificentiæ, misericordiæ erga pauperes exhibueris, millia effuderis, & peccato obstrictus fueris, nihil tibi proderit; quod eruditè subtilis Doctor exaggerat: *i sanè*, inquit, *qui sceleratissimè vivunt, nec curant talem vitam,*

a S. Bern. serm. 27. in Cant.
b Bern. cit.

c S. Aug. l. 15. de Trinit. c. 18.
d S. Aug. de verbis Dom. hom. 50.
e Marc. 16. f Iacob. c. 2. g 1 Cor. 13.
h S. Thom. 1. 2. q. 114. a. 4. ad. 3.
i S. Aug. in enchir. c. 75.

vitam, moresque corrigere, & inter ipsa facinora & flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra sibi ideo blandiuntur, quoniam Dominus ait: date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: hoc enim quàm latè pateat, non intelligunt. Quare hoc celeberrimi Ecclesiastes altè inculcandum *a* qui lethali morbo correpti, in animæ suæ refrigerium, pia aliquot legata pauperibus, nosocomiis, aris, templis decernunt, qui testamentum in causas pias condere statuunt, ne mercede sua frustrentur, primò ad sinceram de peccatis suis exomologesim instituendam inducantur: aliàs, ut Bartolus loquitur, testamenta fiunt deliramenta, *b* & *quidquid Deo, in operibus bonis obtuleris, perdes, quia non mentitur Apostolus* dicens: *si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum; nihil mihi prodest.* Pecunia tua tecum erit in perditionem, quâ cœlum emere, & mercedem æternam lucrari potuisses. Appositam similitudinem huc adducit Gregorius dum docet, ab Apostolo hic allusionem fieri ad illum ignem, sine quo nullum sacrificium Deo acceptum: *hoc enim* (inquit) *solum sacrificium Deus accepit, quod flamma charitatis accendit.* Vnde dilectus Domini Joannes per epistolam commonet: *c videte vosmetipsos;* hortatur, quisque disquirat conscientiam suam, dum pia opera meditatur, *ne perdatis, quæ operati estis, ut mercedem plenam accipiatis.* Non temporalem, qualem & ethnici & hypocritæ recipiunt, sed plenam, quam S. Thomas hîc æternam gloriam interpretatur. Extremum illud videri posset si Catholicus se lento igne assari, & corpus suum voracibus flammis comburi sinat; hæc tamen tam illustris, quasi martyrii flamma, nihil splendoris habitura est, si nube aut nocte peccati involvatur. Quid est hoc? quid enim amplius quis quàm vitam dare potest? & quasi *animam inanem* offert Deo: *d ecce venitur ad passionem, ecce venitur ad sanguinis effusionem, venitur ad corporum incensionem; & tamen nihil prodest, quia charitas deest.* Testis sanè luculentus ille Sapritius, de quo Dom. 3. post Pentecosten §. 2. supra meminimus.

Hæc qui legit, intelligat, & perhorrescat Christianus, ne in vacuum ambulet, ne castigando corpus suum, quasi aërem verberet, ne omnibus pietatis, religionis, rigoris actibus, telas aranearum texuisse deprehendatur. Omnes enim, qui in statu peccati mortalis sine charitate operantur, similes sunt iis, qui ædificant sine calce, ingentes lapides construunt, & tota moles derepentè corruit; ita opera bona sine charitate, quæ dicitur *e vinculum perfectionis*, sine qua omnis labor irritus, ut Propheta testatur, ac detestatur: *f dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit paries.*

Verè miserabiliores omnibus hominibus, Anachoretæ, viri religiosi ac religiosæ, qui spretis omnibus illecebris, divitiis, ac volu-

a Lanuza. hom. 13. §. 5.
b S. Aug. in festo S. Stephani. serm. 5.
c 2 Ioan. c. 2.
d S. Aug. de verbis Dom. serm. 50.
e Coloss. 3.
f Ezech. c. 13.

voluptatibus sæculi, corpus, animum, se totos Deo consecrarunt, miseratione dignissimæ nobiles filiæ, quæ se in primævo juventutis flore intra Religionis claustra vivas tumularunt, quæ ex iis graviori, se peccato commaculantes charitatem amiserunt. De ejusmodi enim illud Bernardi rectè pronuntiaro: *a venustate sui castitas eminere appareat; sine charitate tamen nec pretium habet, nec meritum. Nec mirum: quid enim absque illâ bonum suscipitur? fides? sed nec si montes transferat, scientia? sed ne illa quidem, quæ lingua loquitur Angelorum; Martyrium? nec si tradidero corpus meum &c.* Ac tandem concludit: *nec absque illa, quodlibet bonum suscipitur, nec cum illa quamlibet exiguum respuitur. Castitas sine charitate, lampas est sine oleo, subtrahe oleum, lampas non lucet; tolle charitatem, castitas non placet.* Ex quibus rectè concluseris, omnia hæc, quæ hactenus enarravimus virtutum opera, hominem nobis quasi perfectum, & omnibus numeris absolutum exhibere, sine charitate, tamen similem esse Æthiopi, qui omnibus sensibus vegetus, ac corporis membris optimè adaptatis perfectus est, nisi quod colorem noctis vultu præferat, qui illum monstro cuipiam, aut cacodæmoni simillimum reddat. Quæ cum ita sint, quis non horridam illam, ac maximè exitialem peccati noctem detestetur; in qua nemo utiliter queat operari? Noctem hanc in alta,, quâ erat fidei & gratiæ luce, velut è specula detexit ac detestatus Bernardus: *Habet* (inquit) *mundus iste noctes suas & non paucas; quid dico, quia noctes habet mundus, cum pene totus ipse sit nox, & totus versetur in tenebris? Nox est Iudaica perfidia, nox ignorantia Paganorum, nox hæretica pravitas, nox etiam Catholicorum carnalis animalisque conversatio.* Hanc noctem, has tenebras, dum vultis dispellere, valetis, ut hodiernâ die illud usurpare possim: populus qui sedebat in tenebris, & in umbra mortis, vidit lucem magnam: quisquis enim in hac plusquam Ægypti caligine versatur, frustra computat multos ætatis, ac vitæ etiam monasticæ annos, si in nocte peccati transacti sint; sicut ea, *b quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Et hinc factum credo, ut viri S. non putarint ineundam esse rationem istorum annorum, quos in seculo & peccatis exegissent. Audi Isaiam de hoc ipso vaticinantem: *c Puer* (inquit) *centum annorum morietur.* Quomodo (inquies) puer, si centum annorum? Ex Solis Lunæque cursu, centum vixit annos, eoque senex est; at quia hic totius vitæ cursus, in una & continua noxæ lethalis nocte confectus est, quia menses meritis vacui, quia *d non dies pleni inveniuntur in eis,* dies inanes & vacuæ fuere, quia pueriles amores & mores non exuit; non plus secum ad judicem meriti, quàm puer unius

a S. Bernard. epistol. 42. ad Henr. Senon. Archiep.

b Psalm. 89.
c Isa. 65.
d Psalm. 72.

aut

aut duorum annorum defert. Ita puer mortuus infelix Saul, in purpurâ, sceptroque, de quo illud Scripturæ pronuntiatum: *a Duobus annis regnavit super Israël.* Si ex vitæ annorumque lapsu Saulis regnum æstimare, & metiri velis, viginti regnavit annis; at si ex virtute & merito, duobus tantùm: in hominum fastis legisses annos viginti, at in Dei tabulis duos tantùm vidisses. Vt ergo nobis, ut Deo, ut æternitati vivamus, peccati tenebras animo expellamus, vitam gratiæ cœlo impetremus necesse est.

a 1 Reg. 11.



EMBLE-

EMBLEMA XXXIII.

Similes estis sepulchris dealbatis. Matth. 23.



FALLIT ENIM VITIVM *SPECIE VIRTVTIS, ET VMBRA.* a

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

De Hypocrisi Scribarum & Pharisæorum, qui vanam virtutis umbram sectantur.

§. I. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* b

§. II. *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis.* c

a Juven. Sat. 14. b Matth. 7. c Matth. 23.

DOMI-

DOMINICA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Nisi abundaverit Iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum cœlorum. Matth. 5.

AMOENO vir ingenio, villæ suæ suburbanæ vero ostio, quà ingressus patebat, pseudotyron eo artificio vicinum appinxit, ut obvios in errorem induceret, qui pro vero in falsum impingebant, falsum præ vero sectabantur: cujusmodi astu cacodæmon non gentiles dumtaxat, sed & Catholicos, spiritu ferventes, & viros religiosos, etiam sanctimoniâ vitæ prius conspicuos, turpissimè seduxit, & pro arâ ad haram induxit: cui malo ut occurreret D. Basilius, qui brevi elogio *a omnibus lex virtutis exstitit*, hoc suis clam esse nolebat dicens: *proxima & veluti contiguis januis vitia esse virtutibus. Qualibet denique virtutis janua, simillimam in vitia ferentem, utrimque speciem aperit; ut qui ad virtutem ingredi nititur, ejus primum januæ aßistens, dum hanc se palsare arbitratur, aperta sibi hinc, aut inde altera ex vitiorum januis deceptus maxima similitudine ingrediatur, veluti virtutis domum.* Quo fit complures indies circumveniri, qui vitia pro virtutibus complectuntur: homo audax & temerarius, fortis haberi vult: prodigus, liberalis: avarus, abstemius ac temperans audire desiderat. & sexcenta ejusmodi, vel ethnici observarunt. Aristoteles in doctrina morali, hanc vitia inter & virtutes affinitatem expressit, dicens: *b adde quod nonnullis extremis cum medio esse similitudo quadam videtur: ut audacia cum fortitudine, & liberalitati cum prodigalitate.* Quem locum M. Tullius in partitionibus expressit cùm ait: *& liberalitatem effusio, & fortitudinem avaritia imitatur.* Copiosius in hanc rem, laudatissimus morum magister Seneca, qui queritur nos pro bonis mala sectari, & adulationem, amicitiæ frontem obtinere, *c quod vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt; temeritas sub titulo fortitudinis latet; moderatio vocatur ignavia; pro cauto timidus accipitur, in his magno periculo erratur.* & gravissimo bonorum cœlestium ac animæ, quod gentiles ignorarunt, detrimento. pergit porrò dicta prolixiùs comprobare: *d adjiciant, inquit, quod mirum fortasse videatur, mala interdum specie honesti obtulerunt, & optimum ex contrario nituit. sunt enim, ut scis, virtutibus vitia confinia, & perditis quoque ac turpibus, recti similitudo est. sic mentitur prodigus liberalem, & imitatur negligentia facilitatem, temeritas fortitudinem. Hac nos similitudo coëgit attendere, & distinguere, specie quidem vicina, re autem plurimum dissidentia.*

a Greg. Naz. orat. 30. Basil. lib. de Virgin.

b Arist l. 2 ethic. c. 8. c Seneca ep. 45. d Seneca ep. 120.

Ex qua rerum dissimilium similitudine, præsens non rarò in morbis corporis, discrimen incurri, principes Medicorum confessi sunt: istoc enim Galeno constante Hippocratis pronuntiatum est, *a* similitudines causam esse cur nobilissimi medici errent, in morbis discernendis: cùm is sæpe gravius ægrotet, qui sano similior est. quæ causa facit quoque, ut geminos fratres non distinguamus, nisi diu cum illis familiariter vixerimus. quid ergo mirum si medici spirituales quandoque, vitia virtutibus confinia non secernant?

b Fallit enim vitium specie virtutis, & umbra:
Cùm sit triste habitu, vûltuque & veste severum.

Ecquis porrò decernat Dominum à servo, rusticum à nobili, plebeium à consule, Codrum à Crœso, si æquè splendidè induti sint? Ecquis sub eodem habitu monastico, probum ab improbo? sub eadem pelle, lupum ab ove, sub eadem lucis specie, diabolum ab Angelo satis dignoscat? quod quàm difficile, disertè bonus ille pastor insinuat, dum huic rei nos maximè attentos, & intensos esse desiderat, ne incauti seducamur: *Attendite*, inquit, *à falsis Prophetis:* ubi D. Thomas solerter observat, *c* quòd *non dixit aspicite, sed attendite: ubi enim res certa est, aspicitur, id est, simpliciter videtur; ubi autem incerta, attenditur, id est cautè consideratur.* quam cautelam & alibi inculcat, dicens: *d attendite à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.* Etenim ut idem S. Doctor exponit: *e sicut modicum fermentum, totam farinæ massam corrumpit, sic simulatio, animum tota virtutum sinceritate & veritate fraudabit.* similâ quidem fermentum aspersum occultatur, sed intus vires exerit, & hypocrisis sub similæ candore, virus diffundit, atque ea propter rectè Servator noster commonet:

a Galen. lib. de cogn. & curan. morb. cap. 2. *b* Iuven. Sat. 14.
c S. Thom. in Matt. c. 7. *d* Luc. 12.

e S. Thom. in Luc. cap. 12.

§. I.

Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Matth. 7.

Compertum est magicis artibus, ac dæmonum præstigiis, lupinam formam & rabiem, quandoque homines induere, quos Lycanthropos historici nuncuparunt. qualem Delrio in disquisitionibus magicis, è multis unum inducit. *f* Annus, inquit, agitur decimus, cùm Begburgi (oppidum est Ubiorum) supplicio affectus fuit quidam Petrus Stumfius, qui à dæmone, ubi latâ quadam zonâ cinctus fuerat, & sibi & aliis lupus apparebat: subque ea lupi specie, quinque & decem pueros jugularat, eorumque cerebrum vorarat. idem tentarat circa nurus suas. constantque hæc omnia ex actis judiciariis, & iconibus in æs incisis, palamque venalibus. ita ille. quis ab istiusmodi satis attenderit, sibique ac suis caverit? Ecquis non paren-

f Delrio l. 2. disq. mag. q. 18.

parentum curam collaudarit, qui adversus hos tartareos lupos, pueris suis agnos cereos sacratos pro amuletis appendebant? Ecquis non oppidanorum studium ac solertiã comprobarit, qui armata manu, has feras è vestigiis, arenæ impressis sectari. & comprehendere satagebant? Hos inter maximo reip. ac patriæ universæ exitio erant, qui, ut Delrio, & Thyræus aliique observant, humanam speciem servabant? sub qua ferinum animum occultantes, lupinam rabiem atrociorem, & longè aliis majorem cladem, dum minùs caventur, exercebant. Ita, inquit Ambrosius: *a Sunt animi bestiales, sunt feræ formâ hominum indutæ, de quibus dicit Dominus Matth. 7. veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Consimiles, nec minùs efferatos hac in urbe, hos inter reperiri quis credat? qui extus speciem humanam, imò Angelicam præferunt, pietatem, honestatem, integritatem omnemque sanctitatem spirant; *intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Viros in cœtu Mariano assiduos, in pauperes profusos, quot mensibus sacram synaxim frequentantes conspicaris, quid si inter illos, qui bruti in morem, temulentia rationem omnem evertat, qui clam scortum alat, aut ancillæ consuescat? nonne hi intrinsecus sunt porci salaces. hominem in familiari congressu benignum, affabilem, mansuetum agnoscis, intrinsecus verò intra parietes domus, quasi Leo evertens domesticos suos, de quo paucis Hieronymus, *intus Nero, foris Cato*: ex hac classe, alium Ecclesiasticus designat: *b qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt dolo*, qui verbis bissinis obsequium & amicitiam simulat, mel in ore gestat, sub cingulo novaculam una manu palpat, altera sicam vibrat. benigna manu David Uriam excipiebat, *c* cibum regium submittebat; at mox alterâ, in qua calamus, insidias struit, & mortem infert. Consimile nobis sacri Regum annales, exemplum inducunt, ipsum nempe Joab, qui blando vultu, exporrectâ fronte, perhumaniter Amasa capitalem hostem suum salutat, una manu familiariter mentum palpat, osculatur, inque ipso complexu, alterâ manu fraudulenter trucidat: *d tenuit manu dextera mentum Amasæ, quasi osculans eum, porrò Amasa non observavit gladium, quem habebat Ioab.* Politici hi messoribus mihi non absimiles videntur, qui manipulum unâ manu complectuntur, alterâ demetunt. talem se præbuit Herodes, cui aptè responsum, *e Dicite vulpi illi*, hic enim vafram tegebat *sub pectore vulpem. f*

Dolendum tot hujus sectatores, & Machiavellisticæ disciplinæ studiosos, hoc nostro sæculo reperiri:

Annis mille jam peractis,
Fides nulla est in pactis.
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

O utinam, quem tegunt vulpinum animum, aliquando exteriori simul specie induerent, & humanis oculis sese manifestò pro-

a Amb. l. 6. hexam. c. 8.

b Eccl. 19. *c* 2. Reg. 11. *d* 2. Reg. 20. *e* Luc. 13. *f* Persius Sat. 5.

proriperent ! quemadmodum Iocelinus, *a* priscus auctor in historia S. Patricii de Veretico, Rege Walliæ blasphemo, crudeli, versipelli, & Christianæ gentis impostore commemorat, his verbis: Audiens S. Patricius illius belluæ tyrannidem effrænatam, studuit illum ad viam salutis revocare, dirigens ad illum convertendum à vitiis suis pessimis, epistolam commonitoriam; ipse verò venundatus ut faceret malum, de die in diem seipso deterior factus, admonitionem S. Patricii despexit, suaque flagitia, & fraudium factiones dilatavit. Quod ut Patricius rescivit, in hunc modum fertur orasse: Domine Deus omnipotens, sicut scis & potes, hominem hunc vulpinum modo monstroso ejice à facie terræ. Inclinans Dominus aures suas ad vocem servi sui, prædictum tyrannum quadam die in medio fori stantem, circumstante multitudine suorum, subitò in vulpem transformavit, illeque à conspectu omnium fugiens, numquam in terrâ amplius apparuit Tum subdit Nierenbergius: præstat quidem ferinum gestare corpus, quàm animum. Quod prodigium, inquit, hominum corpus cum specie bruti? mirare potiùs humanum animum cum ingenio bestiæ. Ecquod majus monstrum, lupinum, porcinum, vulpinum corpus, cum humano animo; an lupinum, porcinum, vulpinum animum, cum humano corpore? hoc credo: quantò enim præstat animus corpori, tantò monstrosior est animi deformitas, quàm corporis. Quod vel ethnicus censuit & docuit: *b totius injustitiæ nulla capitalior est, quàm eorum qui tum, cum maximè fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.* Fervidè inter Philosophos quæstio agitatur *de Ente rationis.* Num intellectus valeat duas naturas inter se incompassibiles, connectere, & ex illis unam conflare per conceptum. v.g. animal quod esset *homo & Leo*, vel *hircus & cervus.* Idque chimeram vocant. Ejusmodi monstrum in hypocrita S. Hieronymns describit: *c verè monstrosa res est, speciem habere columbinam, & mentem caninam: professionem ovinam, & intentionem lupinam: intus esse Neronem, & foris apparere Catonem.* Ex quibus quæ chimera exsurgat, subjungit: *ita ut eorum contrariis diversisque naturis novum monstrum, novamque bestiam diceres esse compactam, juxta illud Poëticum:*

d Prima leo, postrema draco, media ipsa chimera &c.

Sunt, qui videntur habere jejunium Pauli, Antonii, & habent ingluviem lupi. Sunt, qui videntur habere castimoniam Joannis, aut Teclæ, Agnetis, Barbaræ, & habent lasciviam suis. Qui videntur in sancto & monastico habitu, Angelis candidiores, intus verò cacodæmone tetriores. Quod Gregorius Turonensis Antistes non infaceto apologo exposuit: *e* Patriarcha Alexandrinus, ut advertit Anastasium Patriarcham Constantinopolitanum Andronico Imperat. percharum, hunc

a Iocelin. in florib. Hybern. Nierenberg. Stromat, 2, l, 2, c, 20, hist, nat, l, 2, c, 43.

b Cic. lib. 1. offic. *c* Hieron. ep. 58. *d* Hor. *e* Nicep. Greg. Turon. lib. 2. apolo-

apologum commentus est: sutor candidam felem in deliciis habebat, quæ indies unum dumtaxat musculum capiebat, accidit ut in vas atramentarium inciderit, unde egressam, mures eam veluti hoc monastico in habitu, posthac carnibus vesci non posse rati, liberè è cavernis suis progressi ingentem stragem passi, mirabantur quod colorem non animum mutasset, suosque dentes exacuisset. Ita in quibusdam vestis sancta, & vita prava, & deteriores sub habitu monastico, quàm habitu mundano. Jure conferendi cum S. Spathario Regis Totilæ, *a* qui cultu Regio subornatus, ut se Totilam simularet, atque eo schemate D. Benedicti sanctitatem exploraret; quem dum accedentem vidit Benedictus, *depone*, inquit, *fili*, *depone quod geris, nam tuum non est. Tales*, inquit Hieronymus, *b vidi ego quosdam, qui postquam renuntiare seculo, vestimentis dumtaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de pristina conversatione mutarunt.* Candidas cygnus plumas habet, carnes verò subnigras. unde à Tertulliano vivum hypocritæ symbolum nominatur: sicut enim ille sub nivis albedine, tetram carnis & cutis cavitiem recondit, *c* sic hi *exterius candicant probitatis specie, intus nigri sunt, tetrâ vitiorum labe*; in eo tamen à cygnis differunt, quod in morte non suavem concentum, sed horrendum væ, & æternum ejulatum auspicentur. In ejusmodi aliquando graviùs animadvertet justus scelerum vindex Deus, ita enim per Sophoniam edixit: *d visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Volunt interpretes, hîc Deum viris comminari, veste muliebri indutis: *e abominabilis enim apud eum est, qui facit hæc.* Cùm interim moderni *f juvenes ut fœmina compti*, nullas sibi pœnas, cœlestem vindicem interminari arbitrantur, quos hîc Hieronymus Joviniano depingit: *g quoscumque formosos, quoscumque calamistratos, quos crine compositos, quos rubentibus buccis videro, de tuo armento sunt; imò inter tuos grues grunniunt.* Alii hîc vestem peregrinam, mimi aut histrionis exponunt, qualem sibi hypocritæ propriissimè vindicant: nomen quippe ab ὑποκρίνω desumunt, id est, *simulo*, quod mimi & histrionis est, ut disertè Doctor Angelicus, disceptans utrum hypocrisis sit idem quod simulatio, respondet; *h dicendum quod nomen hypocritæ tractum est à specie eorum, qui in spectaculis contecta facie incedunt. Modò in specie viri, modò in specie fœminæ, ut in ludis populum fallant.* Confirmat id ipsum Augustini sententia dicentis: *i sicut hypocritæ simulatores aliarum personarum, agunt partes illius, quod non sunt: non enim qui agit partes Agamemnonis, verè ipse est, sed simulat eum; sic in Ecclesiis, & omni vita humana, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est: simulat enim se justum, non exhibet.* Histrio in scena personam Regis aut divitis refert, cùm ipse ignobilis ac inops

a In Breviar. Rom. festo S. Bened.
b Hieron. ep. ad Ruff.
c Tertull. lib. de cib. Iud.

d Sophon. c. 1. *e* Deut. 22. *f* Ovid. ep. 4. *g* Hieron. l. 2. contra Iovin.
h S. Thom. 2. 2. q. 111. art. 2.
i Aug. l. 2. de serm. dom. cap. 3.

inops sit, sic in omni vitâ humanâ, homo plebeius, vestem nunc nobilis induit; Filia pistoris ornatu suo simulat conjugem Prætoris. *Hypocrita* teste Basilio, *a dicitur histrio, quia in theatro personam sustinet alienam, sæpe heri cùm sit servus; aut Regis, cùm sit privatus. Itidem in hac vita, plerique vitam suam velut è proscenio, ad ostentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in specie hominum oculis præ se ferentes.* Homo flagitiosus quandoque in ludis partes Martyris, aut viri Religiosi, in habitu monastico mentitus est. Atque utinam extra scenam non plures ejusmodi histriones, seu hypocritæ, qui exterminant facies suas, numerentur: *b qui videntur continentia ac jejunio, quasi quadam pietatis veste se circumdare: intrinsecus autem habentes animum venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt.* Ad ruborem suum & nostrum, spectandum inducit Æneas Sylvius, *c* postea Pius II. Pontifex, virum religiosum (ordinem premo) Antonium Picenum, qui sub sancto Religionis habitu, quasi pelle ovina, lupum celabat: tanta porrò innocentiæ ac sanctimoniæ, palam jam de eo viro fama increbuerat, ut post quadraginta dierum esuriales ferias, absque omni cibo vel potu transactas, cœlites ei quemadmodum Christo, cibos ministrare, omnibus persuasum esset. cùm interim ingentem cereum, cui clam intrita phasianorum, caporum, & similium gulæ illecebrarum, ad manum haberet, uti & crassum ac rotundum cingulum, aromatibus infarserat, unde vitam furtim tolerabat, quam inter execrandas blasphemias in Christum, & Dei matrem exhalavit. Hoc & sua tempestate questus Gregorius: *sunt qui videntur habere jejunium Pauli, vigilias Petri, sed in finem denudatio operum.* Quando pastores ovium sub pelle ovina, lupi apparebunt, qui hic, ut Bernardus loquitur, non charitate, sed carnalitate, innocentes agnos miserè depasti sunt, quibus tessera est: si non castè saltem cautè; quando sacerdotes Bel, lautè & cautè epulantes, detegentur.

d Qui Curios simulant, & bacchanalia vivunt. Rem terribilem narrat Athanasius in diebus suis Iconii evenisse, ibi namque in Monasterio, *e quidam monachus magnæ æstimationis habebatur: bonis quippe moribus, atque in omni actione sua compositus; sed sicut ex fine res patuit, longè aliter quàm apparebat fuit. Nam cùm jejunare se cum fratribus demonstraret, occultè manducare consueverat. Iamque ad extrema perductus, fratres ad se omnes congregari fecit. At illi tali ut putabant, viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ille afflictus & tremens, compulsus est prodere, cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit, quando me vobiscum credebatis jejunare, occultè comedebam: & ecce nunc ad devorandum draconi datus sum, qui cauda sua, mea genua pedesque colligavit; caput verò suum infra meum*

a Basil. hom. 1. de jejun.
b S. Thom. in Matt. c. 7. *c* Æneas Sil. de dictis Alphons. Panorm. Beyerlinck.
d Iuven. sat. 2. *e* S. Greg. lib. 4. Dial. cap. 38.

os mittens, Spiritum meum ebibens, extrahit. Quibus dictis statim defunctus est. Atque æternum illud væ, quod hypocritis sæpius Deus intentavit, expertus est. *a partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.*

Addit disertissimus Ecclesiastes Lanuza, alterum, histriones seu hypocritas spectare: æstimationem vulgi, & plausum populi, utque plurimos sui & spectatores, & laudatores habeant, *b omnia enim opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Et *ut appareant hominibus.* Quò omnes ethnici, atque utinam soli collimarunt. Diogenes ille Cynicus, ut omnium ad se oculos & ora converteret, *c* rigidissima hyeme se frigidâ, spectante turba, aspergebat, ut totus glacie obrigesceret: omni populo commiserante, simulque vitæ rigorem demirante, fortè Plato illac pertransiens, cui histrionis hujus vanitas comperta erat, id unum turbæ insusurravit: *si vultis misereri, abite.* Simili sensu Gregorius, *d hypocrita quando non sperat laudem humanam, cessat à benè operando.* Affine illi est, quo nescio, quis ex priscis Philosophis, alterum promissa barba & larva, ac scissâ tunicâ sapientem sese venditantem, sic salsè sugillavit: *per scissuram pallii inanitatem tuam conspicio.*

Spectabant olim in Theatro Fabullus, Fannius, & Lemniscus, sanè histriones; *e* cùm fortè M. Tullio sternutanti, universum assurrexit theatrum; at Lemniscus ad suos: nunquam, inquit, vidi hominem, cui crebriùs sternutamento opus est, quàm Tullio; nostis enim teste Hypocrate, sternutamentum non esse nisi aërem inani cerebro conclusum, foras erumpentem; hinc jure meritissimo Ciceronem salutant. Etenim cùm veræ æternæque gloriæ fulgorem non caperent, inanem umbram sectati sunt, atque id magnificum ducebant:

Et pulchrum digito monstrari, & dicier hic est.

Unde Plinius palam fateri non erubuit: *f ego celebritate nominis mei gaudere non debeo? ego verè gaudeo, & gaudere me dico.* Et verò ut hominis inanitatem videas ac rideas, scito totam gaudii materiam fuisse, quod nescio quis alteri dixerit: *vides hunc? Plinius est.* Quem levissimum rumusculum, magnum laborum suorum fructum, grandis ille sapiens affirmabat; verum fatebor, *capio magnum mei laboris fructum.*

O stulti mortales! hæccine omnium laborum, omnium curarum, studiorum, lucubrationum merces est? amabo vos

g Gloria quantalibet, quid est, si gloria tantum est?

Planè vacuum quid, & inane. Hoc inter gentiles, Romanus sapiens rectè sensit: *h gloria vanum & volabile quiddam est; auràque mobilius.* Quod vel inde conjicere est, quod nemo artificum tam stolidus, qui rem vel minimam, ob solam laudis humanæ mercedem conficere, ac vendere percuperet. Sartores, fabros, sutores adi, & eorum

a Matt. 24. *b* Matt. 23. *c* Vives in Aug. l. 21. de civit. c. 16. *d* S. Greg. l. 5. mor. c. 24. *e* Famian. Strada in fine prolusion. de sternut.

f Plin. l. 9. epist. *g* Iuven. Sat. 7. *h* Seneca epist. 123.

opera

opera ac operam, mercede laudum etiam ingentium, emere tenta. Præclarè Paschasius in illud Matth. *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* sic ait: *a dic, quæso, quis umquam agricola, quamvis rusticus, ideo colit agrum, & seminavit, tantum ut videatur ab his, qui transeunt? Vel quis umquam, nisi stultus sit, finem laboris sui collocat in aspectu hominum, ut nihil, ex eo aliud requirat?* Quâ stultitiâ utinam non gentiles modò; sed & Christiani, & omne genus hominum laboraret. Quisque enim in seipsum descendat, & verissimum illud Augustini effatum deprehendet: *b hanc hypocriseos maculam non habere, aut paucorum, aut nullorum est*, qui in operibus etiam virtutis & pietatis, propriæ laudis affectu non ducantur. Hæc plurimos facit chartis impallescere, hæc facit sacros Ecclesiastes effervescere; hæc quod mireris, facit hominem se ad ima dimittere. Hæc orationibus, jejuniis, eleemosynis, divinis laudibus sese insinuat; & quoniam mihi animus non est virus vanæ gloriæ hic insectari, delibasse sufficiat, quod P. Lancicius refert: *c* observatum fuisse Monachum, qui in cantu suo sibi mirè complacebat, atque ex eo populi plausum tam studiosè captabat ut diebus solemnioribus; quibus frequentiorem, nec vulgarium personarum ad templum concursum noverat, vocem super alios notabiliter efferret. Atque hinc è primis Ecclesiæ patribus Bernardus *mirabile*; Augustinus *difficile*; Gregorius *rarum*; Hieronymus *impossibile* censuere, *d* virtutibus inanem gloriam quandoque non admisceri. Tandem ne præter institutum hîc prolixior sim, Rupertus exponens illa Sophoniæ: *e visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Sic in rem nostram aptissimè differit: *Quid magis est peregrinum, quàm sub lupis rapacibus vestimenta ovium? Quid magis peregrinum; quàm eum, qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus justum apparere?* Sub hac veste peregrina, lupos latitantes visitabit: hos versipelles larva ac pelle exuet. Vierus lib. 3. cap. 21. de præstigiis dæmonum, *f* narrat anno salutis 1541. rusticum captum esse, qui se verè intrinsecus lupum existimabat, etsi extus humanam formam præferebat, cumque passim in homines sæviret, ac truculentè laniaret, decretum est, ut vivo pellis detraheretur, quo lupus sub ea latitans, manifestus fieret. Quod si omnes, qui hîc pellem ovinam præferunt, vivi excoriandi essent, quanta hac in urbe laniena fieret! multis peregrina vestis exitio fuit, sed nulli ut hypocritæ. 1. Vestem mutavit Achab, & mutato habitu sese immisit in aciem, ubi telo percussus interiit. 2. Uxor Jeroboam aliena veste adiit prophetam Ahiam, ab eoque filii sui mortem præcognovit. 3. Saul mentito habitu Pythonissam consuluit, & interitum sibi imminere accepit. 4. Thamar mutatâ veste in bivio seipsam exposuit, & infamiæ pœnam incurrit.

a Paschasius l. 4. in c. 6. Matt. *b* Aug. serm. 29. de temp. *c* Lancicius opusc. spirit. pag. 204. V. de respectu hum. opusc. 6 cap. 4.

d Lanuza. tract. 2. part. 2. §. 5 n. 133. *e* Sophon. 1. *f* Lauredan. tit. hypoc.

Praxim ad lupos sub pelle ovina detegendos, hanc suggerit Hipponensis præsul: a *Cum cœperint aliquibus ea ipsa subtrahi, vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est, ut appareat, utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua.* Filiæ aut animæ etiam religiosæ, fictè se humilianti, ad ima se demittenti, ad perfectionem summam anhelanti, pellem detrahe, & vitia ac infirmitates suas subdolè confitenti, verum dicere affirma, eamque plurium ac graviorum ream argue, & videbis quid lateat. celebris ille concionatorum Magister Discipulus, sermone 100. refert de Moniali, quæ coram confessario suo, ream se multorum scelerum asserebat, ob quæ non ipsa modò, sed & alii à Deo plecterentur: Confessarius hypocrisin subodoratus, in hæc verba ei respondit: sanè credo quod ais, nam hoc idem ab aliis de te narrari audivi; tum illa in iram concitata: mentiris, inquit, in collum tuum, & qui tibi ista narrarunt, æquè mentiuntur. Quam fraudem S. Gregorius orbi manifestans, ait: *superbia vitium est, ut quod de se fateri quisque sponte dignatur, sibi hoc dici ab aliis dedignetur.* Confirmat consimili eventu, doctrinam hanc Cassianus: Cùm Serapion Abbas Monachum ad se venientem, juberet de more, orationi vacare, renuit dicens se peccatorem, & monachi habitu indignum, idemque sæpius ingeminabat, cùm ei bonus Abbas pedes ablueret. Post refectiunculam, cœpit eum Abbas monere, ne multum evagaretur, intra cellam se contineret, sibique attenderet. Quo audito, frater totus excanduit & facie commutata, in indignationem erupit. Tum Serapion: Itane frater, te ipsum humiliare nosti, & dum ab alio humiliaris, totus superbus indignaris? Nunc primum novi te & tu te ipsum. *hi*, inquit Bernardus, b *oves sunt habitu, astu vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi sunt qui boni videri, non esse: mali non videri, sed esse volunt.*

a Aug. in Matt. cap. 7.

b Bern. serm. 66. in Cant.

§. II.

Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis. c

QUàm insanus hominum luxus se effuderit in magnificas illas sepulchrorum substructiones, satis loquuntur Pyramides, Obelisci, Mausolæa, aliaque superba Regum monumenta, inter orbis miracula, jure recensita; quæ ut extus pario marmore, aut alabastrite, affabrè expolita, quandoque solido ex auro, ut apud Ægyptios constructa, statuis insuper insignita essent, intus fœda, ac tabo fluentia cadavera celabant. quod vel ipsum nominis ethymon indicare videtur: *sepulchrum* enim dictum volunt, quasi *semipulchrum*, secundum nempe exteriorem speciem.

Hieronymus, & ex eo S. Thom. d *sepulchra forinsecus levigata calce, & ornata marmoribus, & in auro coloribusque distincta; intus autem plena sunt ossibus mortuorum*, putredine, & vermium collu-vie, quo Lauredanus scriptor Ve-

c Matt. 23. d D. Thom. in Matt. c. 23.

ne-

fietus, *a* aptè traducit illud Isa. 40. *gloria ejus flos fœni.* videt, inquit, quispiam pratum floridum, admiratur ejus pulchritudinem, ac odore mirificè delectatur. at ego huic aurem vellicaro: non intueris amice mi, quid sub hoc amœno schemate luti, fimi, sordium, vermium, murium, talparum, venenatorumque animalium lateat? adeò ut si hæc terræ facies semel inverteretur, è vestigio conterritus absçederes, quæ ad mores hypocritæ transferre facile est: sponsam Christi, quasi hortum conclusum, & amœnissimum omnium virtutum viridarium conspicaris; at lutum ac sordes lubricæ concupiscentiæ, vermes rodentes gloriæ, aut æmulationis, innumeros vel una in meditatione talpas distractionum erumpentes, aut ranas coaxantes non vides. quæ si humanis, quemadmodum divinis oculis innotescerent, quàm omnis hypocrisis orbi exularet, quàm nemo sibi de sanctitate applauderet, nedum aliis alius apparere, quàm est, satageret. divinè hic Doctor angelicus: *b dic autem hypocrita, si bonum est esse malum, ut quid non vis apparere, quod vis esse? nam quod turpe est apparere, turpius est esse. quod autem formosum est apparere, formosius est esse. ergo aut esto, quod appares; aut appare quod es.* hoc homini larvato olim sciolus ingessit: *aut esto, quod appares, aut appare quod es.* atque in omnem bilinguem, versipellem, assentatorem, aptè torquetur. si habitu monastico venerandus incedis, *esto quod appares*; si sub eo animum secularem tegis, *appare quod es.* si togâ senatoriâ præfulges, *esto quod appares*; quod si affectu ducaris, muneribus corrumparis, fraude & astu, vulpina pelle togam fulcias, *appare quod es?* si munere pastorali fungaris, *esto quod appares*, quod si, ut Augustinus loquitur, pascas oves, ut pascaris ab ovibus, aut ut animas eorum depascaris, *appare quod es.* tunc etenim cautela adhiberi poterit. *c nulla etenim res sic exterminat bonum, sicut simulatio. nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. & firma tutela salutis est, scire quem fugias.* ea propter quàm maximè optandum, ut sepulchra hæc dealbata, non è pario marmore, aut alabastro, aurove, sed è pellucido vitro construerentur, quale, teste Strabone, *d* Ptolomæus Alexandro Magno excitasse legitur, cujus cadaver vitreo tumulo inclusum. quod si animus vitreo ejusmodi ergastulo conspicuus foret, aut fenestella ex Momi voto, nudum cor detegeret, quæ spectra Deus immortalis, hominum oculis objicerentur!

Exposuimus alibi *e* illud Apoc. 4. *coram eo mare vitreum, simile crystallo*, cui cor humanum comparavimus, quod & illic voragines & reptilia, quorum non est numerus, nec minùs quàm ipsum mare *inscrutabile.* quæ videri poterunt, ne de charta in papyrum transferantur.

Aureus orator Chrysostomus, aliam rationem excogitavit, cur hypocritæ sepulchris dealbatis

a Lauredan. Sylva rerum mor. tit. bona mundi. *b* S. Thom. in Matt. c. 23. v. 27. *c* S. Thom. in Matt. c. 7. veniunt ad vos in vestim. ovium. *d* Strabo lib. 17. Majoli canic. tit. metalla. *e* 1. part. Dom. I. Adv. §. 2.

conferantur, dum ait: *a meritò quidem corpora peccatorum, sepulchra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris. sicut ergo sepulchrum quamdiu clausum est, pulchrum videtur foris; si verò fuerit apertum, horribile est: sic & simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur, laudabiles sunt; cùm verò cogniti fuerint; inveniuntur abominabiles.* quam abominationem, ut detestari ac execrari studeamus, desertissimum Hispaniæ Ecclesiasten inducit Delrio, *b* qui fœtentem sacrilego scelere animum, ceu putridum cadaver religioso habitu, velut sepulchro dealbato recondebat. In Hispaniis, inquit, magni nominis Concionator, cùm aliis prædicaret, ipse reprobus effectus est. deperire porrò cœpit venustam veri nobilis conjugem, & verborum lenociniis, *quis enim celaverit ignem?* matronam pellicere. at illa, cui virtus & fama cum forma certabat, hominem severè perstringere, rei indignitatem exaggerare, illumque à se omni studio amoliri satagebat. cumque ille ardentiùs instaret, marito quid ageretur, exponit; qui ne quid temerè, jubet illi per uxorem tempus condici. atque ipse unà cum famulis, vicino in conclavi nocturnum militem præstolari statuit. nocte intempesta subintrat ille seculari habitu: jamque in cubile deductum, audacem tenebræ fecere, & vim parat; illa renititur, & ex condicto, maritum contenta voce vicinum inclamat. surdo quod ajunt fabulam; nec maritus, nec quisquam accurrit. quid agat? effugio locus non est. consentiat? mariti imminentis, & Dei vindicis manus metuebat. dentes ergo & ungues parat, *vires animus dabat*, interque luctandum sensit pugionem lateri hærere, quem mox stringit, & ei validè in pectus adigit & confodit. quo facinore perfuncta, curriculo se ad proximum conclave proripit, ubi maritum & famulos, nequidquam illa inclamante, vellicante, mortuis similes, altum consopitos reperit. suspicata, quod erat, maleficio id fieri, nec quemquam sibi subsidio aut consilio esse, ipsa humeris suis cadaver effert, & in plateam cum pugione etiamnum cruento abjicit. quod compertum, atque sub habitu seculari concionator agnitus, jussu prætoris clam in carcere reconditum; Prætor verò summâ vir prudentiâ, bene manè Cœnobium adit, evocat Priorem, atque unà omnes Religiosos acciri optat, de re maximi momenti, quæ omnes concerneret, acturus. superior omnes ad capituli locum cogit, cumque hic occisus solus desideraretur, subindicat Prætor, videri sibi aliquem deesse: advertit Prior Concionatorem abesse, eumque fortè concioni, quæ instabat, incumbere. quem cum Prætor advocari vellet, missi qui accirent, referunt se strenuè cubilis fores pulsasse, sed neminem aut respondere, aut aperire. Prior ergo Prætore comitante vi fores effregit, nec monacho comperto, fax dumtaxat ardens & obscurum lucens. in camino conspecta est. Mirari omnes & stupere;

a Chrysost. in Matth. hom. 45 & S. Thom. in Matt. c. 23. *b* Delrio disq. mag. l. 3. p. 1. q. 2. Tymp. theat. vind. divinæ. Beyerlinck theat. tit. hypoc.

pere;tum Prætor palam omnibus expoſuit, quo habitu & ſchemate cadaver inventum ſit.

Quod dum à carcere ad profanam ſepulturam ignominioſè traheretur, ecce tibi nobilis ille cum uxore, tragœdiæ univerſæ ſeriem enarrant, conferunt momenta temporis, reperiuntque evigilaſſe, quo fax exſtincta eſt. atque ita concludit hiſtoricus: *perfidia hypocritæ, deteſtatione omnium, & mulieris caſtitas atque fortitudo, omnium laudibus concelebrata eſt.* exhorruiſtis? nec ſimiles hypocritas, in omni claſſe hominum reperiri arbitramini, qui mortuam animam circumferant? de quibus Cypr. *exſtincto ſpiritu, quatriduano cadaveri ſolum ſuperſunt exuviæ virtutis, ſpecies exanimis, & ſimulachrum ſanctitatis.* Videre eſt in templis ſimulachra ſanctitatis, & ſtatuas ſanctorum, quæ ſæpe extus inauratæ, ac pretioſè conveſtitæ; intus verò quandoque lignum carioſum, aut truncus vermibus & araneis ſcatere deprehenditur. lepidum fuit ſpectaculum quo ab oppidanis quibuſdam Carolus V. Imper. exceptus fuit, cui ut tranſeunti vias adornarent, patibulum ramis amœnè contexerunt, atque inde furis cadaver dependens, pretioſis veſtibus induerunt. Pictores ut variis coloribus hominem ad vivum exprimant, nihil de internis corporis partibus ſoliciti ſunt, quomodo formetur cor, vel pulmo, jecurq; locentur; ſed dumtaxat qualiter exteriora, intuentium oculis aptiora, & gratiora reddantur. talis pictor & fictor omnis hypocrita, cui hoc ſolum curæ & cordi eſt, exteriorem hominem expolire, & ut quoddam *ſimulachrum ſanctitatis*, oculis hominum apparere, parum ſolicitus, ut imaginem animæ, variis virtutum coloribus aptè depingat. rectè Bernard. *a non eſt apud hypocritas virtutes colere, ſed colorare vitia, quodam quaſi virtutum minio.*

Haymo eruditus interpres, hypocritam docet ſignificare *deauratum*, derivando ab χρυσός, id eſt aurum, metaphorâ ſumptâ ab idolis & ſimulachris, de quibus propheta: *b cùm ſint lignea, inaurata & inargentata, ſcietur poſtea, quia falſa ſunt, ab univerſis gentibus & regibus.* Hæc ethymologia placuit etiam Auguſtino, ut Toletus Cardinalis aſſerit. *c* parum fuci, multum deformitatis; parum auri, multum luti; & parum extimæ pietatis ac religionis, veluti tenuiſſima ſuperficies, multum ſæpe ſceleris tegit. demonſtratum eſt, maſſam auri ſolidi, unius dumtaxat pedis in quadro, ſufficere ut univerſa civitas Pariſienſis inauretur, plateæ, parietes, feneſtræ, cloacæ, omnia aurea appareant, cùm lutea ſint, & ſordida, tale fuit Babyloniorum idolum Bel, quod teſte Herodoto, totum aureum videbatur, cùm tantùm tale appareret, intus verò eſſet luteum. quem dolum Daniel detexit: *d ne erres Rex, iſte enim intrinſecus luteus eſt, & forinſecus æreus.* unde elegans Poëta:

Bel erat externè pulcherrimus, undique & ære
Tectus, at intus erat, nil niſi vile lutum.

a Bern. ſerm. 66. in Cant.
b Baruch 6. *c* Tolet. in c. 6. Lucæ annot. 79. *d* Daniel. 14.

Qui Curium simulat, cum sit nequissimus, illum.
Cur ego non Belem, jure vocare queam?
Bel mihi semper erit, qui mitem callidus agnum
Finxerit, exuperet cum feritate lupos.
Bel erit, externe tumuli qui candidus instar,
Interius tantùm vile cadaver habet.

Hoc extremæ nequitiæ esse, ex Platonis doctrina, S. Basilius demonstrat, in illa celebri homilia ad Adolescentes, refellens quoddam commune ac familiare Euripidis dictum: *cupio bonus videri magis, quàm esse.* a est qui cupiat castus videri magis, quàm esse. alius cupit amicus videri magis, quàm esse. multi cupiunt justi & æqui videri magis, quàm esse. plures cupiunt divites, docti prudentes, viri denique munifici ac aurei videri, cum pauperes sint, stolidi, insipientes, & viri verè lutei ac sordidi. Hos Philo falsæ monetæ, b & adulterinis nummis conferre non dubitavit, quos eo artificio contingunt, ut abhinc paucis mēsibus, tres falsarii supplicio affecti sint, qui nummos æreos tenuissimis lamellis aureis scitè adeò induxerant, ut etiam à peritissimis aurifabris ad lydium lapidem eos explorantibus, nulla fraus subesse deprehenderetur, donec nummo uno in partes secto, intus latens fraus detecta est. Ejusmodi falsarium Cassianus Cacodæmonem esse astruit, qui suos falso virtutum fulgore velut adulterinis nummis circumveniat. c *quoddam*, inquit, *pietatis opus admonens affectandum, quod non de legitima seniorum procedens moneta, sub prætextu virtutum ducit ad vitia.* quæ ubi multis enarravit, concludit: *hæc omnia cùm sint nostræ saluti, professionique contraria, tamen velamine quodam misericordiæ ac Religionis obtecta, facilè imperitos incautosque decipiunt: imitantur enim numismata veri Regis; quia videntur ad præsens plena pietatis, sed non sint à legitimis monetariis, id est probatis, & Catholicis Patribus figurata, nec de canonicali ac publica collationis eorum prodeunt officina, sed furtim fraude dæmonum fabricata, non sine detrimento imperitis quibusque & ignorantibus ingeruntur.* Admirationem, sed & moralem simul eruditionem habet nummus, seu numisma, quod Villalpandus in dedicatoria operis sui, ad Philippum III. in manus suas venisse commemorat. una facies hujus numismatis magnificum illud templum Hierosolymitanum distinctè referebat. in alterâ effigies M. Antonii eleganter expressa, hoc titulo adjecto *Salomon*, quasi illi proprio, cernebatur. Inventum id Herodis erat, insignis assentatoris, qui signa M. Antonii tum sequebatur, ejusque gratiam aucupari studebat, nomen Regis sapientissimi, omnium Principum stolidissimo imponendo. atque ipse M. Antonius, in quo nec mica pietatis aut veræ Religionis, gratissimis oculis hanc sui effigiem in nummis conspexit, quasi divini templi custos, inventor, & auctor, hoc est, ipse *Salomon* per orbem uni-

a Basil. hom. 24.
b Philo lib. leg. Allegoriar.
c Cassian. coll. 1. cap. 20.

universum, quo illi nummi spargebantur, & haberetur, & coleretur. usque adeò homo falsâ virtutis umbrâ, & inani honoris fulgore capitur & decipitur, hujus umbratilis virtutis, ac fictæ sanctimoniæ, diabolus inventor ac Magister est: ipse enim *a Satanas transfigurat se in Angelum lucis*, & hujus mentitâ specie, plures in fraudem induxit. hac falsa imagine, Hieroni persuasit, in puteum se præcipitem daret. Simeoni Stylitæ cum curru igneo adfuit dicens: *Dominus misit me Angelum suum, ut rapiam te, sicut rapui Eliam*: cumque Simeon pedem elevasset; ut currum inscenderet, atque unà se signo crucis muniret, mox dæmon disparuit. plures ejusmodi illusiones Corn. hic congerit, *b* unum ego instar omnium, ex Nierenbergio prorsus stupendum pro epilogo adduxero. *c* Filia Deo devota, cùm à duodecimo ætatis anno, in hortum indies secederet oratura, dæmon quadam die Sabbathi, illi apparuit in specie Deiparæ, cum duobus aliis, qui Dominicum, & Catharinam Senensem referebant. hortatur puellam ad austeram vitæ disciplinam, pro lino lanam indueret, feria 4. & 6. & Sabbatho, inediâ corpus affligeret. in singulos dies corollam marianam volveret. quæ omnia ad amussim exequebatur; sic tamen ut nihil inscio confessario ageret: qui ut in hac spirituali palæstrâ diu versatus, fraudes veritus, jussit ut in faciem Deiparæ, rursus sese manifestantis, exspueret. fecit, nec quid indignationis B. Virgo ostendit, quin potiùs magnos favores rependit, prædicens illi infortunia parentibus obventura, monetque ut eos soletur. ex quo filia prophetissa haberi cœpta est: Confessarius tamen adhuc diffidens, epistolam conscripsit plenam opprobriis & contumeliis, adversus illos tres divos, quam jubet per puellam illis porrigi. quam lectam Deipara sereno vultu puellæ restituit, dicens: custodi hanc epistolam, quam quoniam manus meæ attrectarunt, miram ad quosvis morbos curandos virtutem habebit, ut experimento comprobatum est. quo prodigio securior redditus confessarius. Sabatho proximo postulavit hæc filia, ab hac cœlorum Regina aliquam gratiam, ac cœleste aliquod donum, ac jussa rosarium suum porrigere, Deipara illud secum in cœlos abstulit, ac paucos post dies regressa, illud restituit cœlesti suavitate fragrans, monuitque ut aliquot ex eo grana Confessario suo communicaret, fore enim præsentissimo remedio contra omnes morbos, multique infirmi eorum contactu sanati sunt. videbatur jam nihil ampliùs desiderari, ut hisce visionibus divinis fides haberetur; tamen ne quid dubii superesset, placuit Confessario extremum hoc experimentum sumere: puellæ veras tradit sanctorum reliquias, quas jubet è collo Deiparæ apparentis suspendat. in omnibus hæc morem gerebat spirituali suo directori, volensque exequi, quod imperarat, dæmon, qui Deiparam induerat, renitens, acer-

a 2.Cor.11. *b* Cornel. in 2. Cor. 11. *c* Nierenb. doctrin. ascet. l.4. doct. 10. cap. 66. pag. 340.

acerrimè filiam hanc perstrinxit; ac ubi omnes ejus pœnitentias ac orationes, quas prius inculcarat, missa facere jussisset, cum aliis duobus spectris evanuit, aculeo non levi carnis, & libidinis flammis, in animo filiæ relictis.

Quis ejusmodi fraudis architectos satis agnoscat & caveat? quis eorum discipulos hypocritas satis declinet, decipulas devitet. *a nulla* quippè *res sic exterminat bonum, sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur.* atque hinc tot fictæ virtutis, ac pictæ sanctimoniæ viri ac fœminæ, innocentes agnos in fraudem, & in perniciem æternam seduxerunt. quod quàm detestandum ac execrandum malum sit, severissimus idemque verissimus censor edocuit: *b sicut prope summa & divina virtus est, neminem decipere, sic ultimum vitium est quemlibet decipere*: quam doctrinam ut altiùs in animo infigatis, & non leve aut modicum malum quis dixerit aut duxerit, Theologorum Magistrum auscultate, qui 2. 2. q. 111. ar. 4. quærit: *an hypocrisis sit peccatum mortale?* & respondet his verbis: *si hypocrita aliquis non curet sanctitatem habere, sed solùm sanctus apparere, sicut consuevit accipi in sacra Scriptura, sic manifestum est, quod est peccatum mortale.* huc adducit illud Hieronymi: *c in comparatione duorum malorum, levius est apertè peccare, quàm sanctitatem simulare.* & illud Gregorii, *d hypocrita ante districtum Iudicem, excusationem de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum, omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere non ignorant.* probat secundò: *nemo meretur iram Dei, & exclusionem à Dei visione, nisi propter peccatum mortale; sed per hypocrisim aliquis meretur iram Dei, secundum illud Iobi 36. simulatores & callidi provocant iram Dei. excluditur etiam hypocrita à visione Dei, secundum illud Iob 13. non veniet in conspectum Dei omnis hypocrita. ergo.* nos divinæ simplicitatis, ac simplicis divinitatis æmulatores, hypocrisim omnem hoc sapientis monito detestemur. *e qui ambulat simpliciter, salvus erit.*

a Chrysost. hom. 9. in Matt. c. 7. S. Th. ibid. *b* Aug. lib. 83. quæst. q. 53.

c Hieron. in Isai. cap. 16.
d Greg. 31. mor. cap. 11. *e* Prov. 28.

EMBLE-

EMBLEMA XXXIV.

Vnde poterit quis saturare? Marci 8.



EXUNDAT NEC ABUNDAT.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Mundus non satiat, nec animum explet, etsi implere videatur.

§. I. *Fortuna multis nimium dedit; nemini satis.*
§. II. *Avarus non implebitur pecuniâ.* [a]
§. III. *Ignis numquam dicit sufficit.* [b]
§. IV. *Solus Deus hominem satiat.* [c]

a Eccl. 5. b Seneca. c Prov. 30.

DOMINICA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Vnde poterit quis saturare? Marci 8.



ADolescens ille Euangelicus verè prodigus & perditus, animum suum excusso jam parentis jugo, omni genere deliciarum explere satagebat: cui ardentissimæ siti satiandæ, universam substantiam à patre extorsit, quam ubi se ingurgitando, fornicando, in popinis, in prostibulis consumpsisset; adeo non satur ac expletus fuit, ut *fames valida*, & sitis rabida eum exagitarit; unde sacro attestante eloquio: *a cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* In quem locum appositè ad rem nostram Ambrosius: *quis aptior hujusmodi hominibus cibus, quàm is, qui siliquæ modo, intus inanis, foris mollis est? quo corpus non reficitur, sed impletur: ut sit magis oneri, quàm usui.* Hoc verissimum de omnibus mundi bonis pronuntiatum est, implere ad modicum videntur, *sed non reficiunt*, non satiant, *magis oneri quàm usui sunt.* Hominem divitiis ac delitiis omnibus affluentem vides, saturum credis? erras ut qui maximè. *b Ollam succensam ego video*, clamat Jeremias; ollam ego tibi propè vacuam, calore tamen effervescentem & ebullientem, ac tandem detumescentem & inanem sub oculos posui; hoc lemmate subjecto: *c exundat nec abundat.* Hujus illud hominis symbolum est: *sicut olla succensa atque ferventis*, ubi scitè Magnus Gregorius: *d olla succensa est cor humanum carnalibus desideriis æstuans, à diabolo succensum; & fervens per consensum, cùm tot undas quasi fervescendo projicit, quot nequitias desideriorum ad opera exteriora extendit.* Cui consentit Doctor Angelicus, qui eundem spiritum in columbæ specie, inspirantem auribus audivit: *anima peccatrix dicitur olla propter concupiscentiæ fervorem.* Et hic *ollam succensam ego video*, non unam hodie effervescentem ac despumantem, cras detumescentem ac vacuam; hoc est quod Bernardus ait: *e ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest.* Quod in omnibus fortunæ bonis videre est, ut Romanus Philosophus observavit.

a Luc. 15. b Ierem. 1. c Iob 41.

d S. Greg. 18. Mor. c. 11. & lib. 33. c. 40.
e S. Bern. declam. ecce nos reliquimus omn.

§. I.

Fortuna multis nimium dedit, nemini satis. Seneca.

AVarum auro, superbum fumo, ebriosum musto plenum vides (*sadt*) sed non sat habent.

En ille dives, qui frugibus abundabat, & horreis indigebat, nimium habebat, nec satis habebat, *quid faciam* (inquit) *quia non habeo, quò congregem?* Vbi secum deliberat, quid facto opus sit, quæ est propria pauperis deliberatio, non habentis unde sibi prospiciat.

ciat. Vt rectè expendens Ambrosius: *a nonne*, inquit, *hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi? Et quid faciam?* Deinde in tanta rerum copia, ingenuè fatetur se inopiâ laborare, longè plura desiderare: *non habeo*, inquit &c. Vbi rursus D. Ambrosius: *clamat se dives non habere. Paupertatis hic sermo est: de inopia queritur, abundans fructibus.* Quare illum perstringens D. Petrus Chrysologus: *b miserum*, inquit, *quem ubertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ facere mendicum.* Horrea frugibus abundabant, animus non explebatur, longè ampliora meditabatur. Quot hîc stantium querelæ sunt, qui nimium habent, nec satis habent; *quid faciam?* Tantum in terris, in fundis habeo, tot ædes in urbe amplissimas aliis elocavi, tot foris prædia possideo, quid faciam? Quem primum debitorem monebo; quam villam cras lustrabo? quam illi accessionem faciam? quas fruges, quas arborum series seram? non habeo tempus nec otium, tot decimas mense proximo, tot censûs hac hebdomade, tot aureos non habeo ubi recondam. fortuna ut vides, nimium dedit, sed non satis dedit. hoc illud est, quod ne Plutarchus, licet ethnicus, tolerare potuit, dum clamat: & cui rei possunt deservire opes, si neque sui famem possint depellere? scrutare universa promptuaria epulonum, & reperies, quod hæc bona famem adeo non satient, ut proritent magis. nonne legisti, nonne vides omni die quod *divites egerunt & esurierunt: inquirentes autem dominum, non minuentur omni bono. c* quid ita? nisi quia ejusmodi cibi præstigiis dæmonum apparent veri, cum ficti sint, & inanes. Magi quandoque umbratiles & inanes suis epulas instaurarunt, ita memini, inquit Lauredanus, *d* Scottum Parmensem multis convivium apparasse; at ubi splendidè, ut videbantur epulati essent, se magis famelicos, & vacuos stomachos vehementiùs latrantes persenserunt, ciboſque non veros, sed fictos fuisse deprehenderunt. ô stulti mortales! *e ô quantum est in rebus inane!* quoties vobis mundus ejusmodi convivia, & fercula opum, honorum, voluptatum apposuit? *comedistis*, inquit, Aggæus, *f & non estis satiati!* at unde febris illa, illa auri sacra fames, unde sitis, & ardor habendi? à vipera quæ *dipsas* dicitur, malum hausisse videntur: *dipsades*, inquit, S. Isidorus, *g vocantur serpentes nocentissimi, eò quòd morsi ab eis continuò inarescant, & siti ardeant*. aliâ non multum absimili, inexplebilem hominis appetitum, similitudine expressit Sapiens: *h sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes affer, affer.* aut ut in Hebræo: *da, da.* eadem hirugo, ab hærendo dicitur, cujus ea natura est, ut nunquam sanguine saturetur: *i cùm enim eo plena fuerit, evomit quod hausit, ut recentiorem avidiùs denuo sugat.* tales sanguisugæ extitere Caligula, Tiberius, Vespasianus, aliique innumeri, quos supra-

a S. Amb. de Nabuth. c. 6.
b Chrysolog. serm. 504.

c Psal. 33. *d* Lauredan. Silva rer. mor. tit. mundi bona §. 1. n. 5.
e Persius Sat. 1. *f* c. 6.
g S. Isid. l. 12. etym. c. 4.
h Prov. 30. *i* S. Isid. cit. c. 5.

supra part. 1. Dom. 22. post Pent. recensuimus.

Thomas de Vio Cardinalis Cajetanus, eâdem censurâ perstringit: *a avaritia est sanguisuga, quia hæc sanguinem, illa opes, & subinde cruorem pauperum exsorbet.* quod iniquis causidicis ac judicibus, hac nostra tempestate persamiliare esse, satis superque demonstravimus. *b* Bernardus: sanguisugam propriam voluntatem, ejusque filias Avaritiam, & Ambitionem depingit: *c Avaritia & appetitus laudis sibi invicem adversantur; nam quod hæc congregat, hic dispergit: hæc autem tam dissimilia mala, ex unâ radice pullularunt, propriæ scilicet voluntatis: hujus enim sanguisuga, duæ sunt insatiabiles filiæ, clamantes affer, affer: si quidem nec animus vanitate, nec corpus voluptate satiatur, ut scriptum est: non satiatur oculus visu, nec auris auditu, &c.*

Ad cujus sitim sanguisugæ restinguendam, *d* Bellovacensis ex Medicorum placitis, præsens adfert remedium: si cineres insperseris, ilicò à trahendo sanguine desistere. haud aliter avari sitim, & auri famem, non, si totus Jordanus in os influat, aut Jupiter in aureum imbrem per tegulas depluat, exsatiarit, nisi os cinere & terrâ oppleveris: quamdiu enim vivimus, *e non prius satiabuntur corda hominum auro, quàm aurâ corpora satientur.* vides respirandi laborem in homine perennem, ut numquam à ducendâ aurâ, neque dies, neque noctes interquiescat: consimilis omnino divitum, auro assiduò inhiantium aviditas est. quod prolixiùs comprobabo, nixus illo Ecclesiastæ testimonio:

§. II.

Avarus non implebitur pecunia. f

OLim & in hoc verus vates cecinit:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Compello vos, quem quantumvis opulentum aliquando exclamare audistis: *Ohe jam satis est,* satis mercium, satis supellectilis, satis fundi, satis jugerum, satis auri & argenti, satis cymeliorum?

g Sis pecore, & multâ dives tellure licebit,

Plura congerere, census augere, fundos extendere, opes cumulare, omni genere divitiarum in immensum excrescere, omni solertia adniteris; utinam tàm seduli, tam solertes simus, ut cœlestes divitias, numquam perituras, conquiramus. Mortalium non tam famem, quàm ingluviem deplorat, & explorat Augustinus: *h* quomodo sunt divitiæ, quibus crescentibus, crescit inopia? quæ amatoribus suis quantò fuerunt ampliores, *non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? nam vidimus quosdam* (& nos videmus) *cùm haberent parvam pecuniam, parvis lucris fuisse contentos; sed postquam cœpit eis abundare, cùm parva obtuleris, jam recusant. credis jam esse*

a Cajet. hic. V. Cornel. Prov. 30.
b Part. 1. Dom. 18. §. 2.
c S. Bern. in declam. ecce nos reliquimus omnia. *d* Viac. Bell. in spec. l. 20. *e* Bern. serm. de conv. ad Cleric. c. 21.

f Eccl. 5.
g Horat. Epod. 15.
h S. Aug. serm. 15. de diversis c. 15.

eos satiatos, sed falsum est: nam major pecunia, avaritiæ fauces non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit (sicut guttæ fornaci inspersæ, ita omnes divitiæ illis ut gutta roris antelucani) *poculum respuunt, quia fluvium sitiunt.* Egregiè gentilis Seneca, ejusmodi homines cum cane confert, è mensa Domini panis, aut carnis frusta aperto rictu captante, semperque ad spem futuri hiante: *a vidisti,* inquit, *aliquando canem missa à Domino frusta panis aperto ore captantem? quidquid accipit, protinus integrum devorat, & semper ad spem futuri inhiat. idem evenit nobis, quidquid exspectantibus fortuna projecit, id sine ulla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti.* simile est illud Boëtii: *b*

Nil jam parta videntur;
Sed quæsita vorans sæva rapacitas,
Altos pandit hiatus.

Laurea dignus auctor, qui hæc addit: *c* etiamsi regna sint & imperia, micæ sunt, quæ cadunt de mensa divitis, nempe Dei & Beatorum, ad canes nempe mortales. de qua mensa dictum Lucæ 22. *ut edatis, & bibatis super mensam meam, in regno meo.* catuli edunt de micis, quæ cadunt de mensâ Dominorum suorum. quid ergo interest modò inter Imperatorem hîc viventem, & mendicum Lazarum sedentem ad illam mensam, nisi quantum interest inter Dominum & canem? sed quænam dementia est, ut canis fias, nolis verò fieri Dominus: *ut micam obtineas, quà esurias postea magis, quàm satur fias?* ita ille. Et quoniam à brutis comparationem instituere cœpimus, insatiabilem magis hominum, quàm belluarum orexim attendamus. *d quæ est ista aviditas concupiscentiæ* (quærit August.) *cum ipsæ belluæ habeant modum? tunc enim rapiunt quando esuriunt; parcunt verò prædæ cum senserint satietatem. inexplebilis est sola avaritia divitum: semper rapit, & numquam satiatur.*

Cùm olim Abraham & Loth nimiùm ditescerent, nec posset eos capere terra: *facta est rixa inter pastores gregum utriusque.* At unde rixa, nisi quod quisque plurimum terræ ac pecorum possideret, & fines suos plus ultra extendere niteretur? *seculare,* inquit Amb. *e vitium, ut divites terra non capiat: nihil enim satis est divitum cupiditati; quantò ditior quis fuerit, tantò avidior ad possidendum est; extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere.* hanc Judæorum Principum avaritiam arguens Propheta dicebat: *f repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum ejus.* quid hoc? ut ingentes Principum Israël thesauri fuerint, non tamen infiniti. optimè Hieronym. ad illa verba: *non est finis thesaurorum ejus, inquit: non quod thesauri finem non habeant, sed quod possidentium animus non impleatur.* Ovem, ajunt, morsam à lupo, si quis edat, non satiari; sed laborare fame. illud certiùs, quidquid fortuna mordere potest, non saturabit animum, nec implebit. quæ illa fuit vis auri, qui thesauri, quos larga Davidis munificentia in

a Seneca ep. 73. *b* Boët. l. 2. consol. Met. 2. *c* Lauredan. silva rer. mor. tit. bona mundi.

d Aug. serm. 25. de verb. Dom. *e* Amb. l. 1. de Abrah. c. 3. *f* Isa. 2.

unum

unum Hierosolymorum Templum, à Salomone profundendos convasaverat? dum supra centum & octo millia talenta auri; argenti verò, decies centena, & septemdecim millia talenta in numerato haberet, quem auri numerum ad nostratem calculum revocant doctissimi viri, Hieronymus Pradus, & Baptista Villalpandus, suis in Ezechielem Commentariis, ajuntque tot talenta, Romanâ monetâ fuisse: tricies, bis millies, octingenties semel, & vicies centena, triginta quatuor millia, viginti quatuor scutatos, ut ipsi loquuntur, Romanos aureos: nimirum milliones auri ter mille, ducentos. his tamen Davidis animus, tantùm abest ut exsaturatus fuerit, nec quid ultra desiderarit, ut nec omnibus mundi bonis eum sitim suam expleri posse testetur. nam cùm nemo ex militibus de aquæ penuria quereretur, solus Rex sitibundus exclamavit: *O si!* quid hujus opulentissimi Regis votis abesse potest? *O si quis mihi daret potum aquæ &c.* Ambros. sentit fuisse inordinatum appetitum ac sitim, ad exprimendam Principum avaritiam, semper ad plures quàm habent, opes aspirantium: *a cum aliis defuisse non inveniamus & multò minùs Regi deesse potuerit, irrationabilem quandam concupiscentiam passus, desideravit eam, quæ hostium erat circumfusione vallata.* quam sitim, typicam fuisse Mendoza noster subjungit, *b* ad exprimendam principum avaritiam, semper ad plures, quàm habent opes aspirantium. certè ille hoc de se fatetur, nil esse in mundo quo expleri possit; nisi unum illud: *c satiabor cùm apparuerit gloria tua*, ut infrà dicemus. Salomon filius ejus, præter amplam hanc hæreditatem, tributum annuum recipiebat, *d* quod *erat sexcenta, sexaginta sex talenta auri*, id est undecies centena millia, ducenta, & octo scutorum Romanorum millia, & septingenta octoginta *e tantamque copiam prabuit argenti in Ierusalem, quasi lapidum.* hos ubi aureos montes, & argenteos cumulos conspexit Salomon, an satiatus est? *f non satiatur*, inquit, *oculus visu:* conspexit *in mensa omnia quoque vasa convivii aurea, & vasa domus saltus libani ex auro purissimo*; sed non satiatur oculus visu, contemplabatur quandoque quæ habebat: *g quadraginta millia equorum, & curruum, equitumque duodecim millia*; sed non satiatur: imò verò, omnes *h has divitias, nihil esse duxit.* Auditores nunc tuos per horrea, penuaria, prædia deducito & verissimum illud deprehendes: *i insatiabilis oculus cupidi.* Attabalipa novi orbis Rex, Carolo Cæsari pro libertate septuaginta milliones auri spopondisse fertur, nec tamen satis sibi auri esse vidit, quo libertatem emeret, *k* & quis auro vitam emere, conjugis quis morbum pellere, quis dolorem lenire, quis somnum conciliare? & tamen omnes avaritiæ student, quasi per hoc, ultimum finem, ac beatitudinem suam consequi possent: quam

a Amb. l. 1. de Iacob. c. 1.
b Mendoz. l. 2. Regum. c. 8. annot. 32. sect. 2.

c Psal. 16. *d* 2 Paral. 9.
e V. Villalp. tom. 2. pag. 507.
f 2 Paral. 9. *g* Ibid.
h Sap. 7. *i* Eccl. 14.
k Drex. Christus nas. part. 1. c 12. §. 2.

fine

sine fine quærunt, nec inveniunt. mitto hîc divitias rectè Plutum nuncupari, quia ut Pluto infernus, numquam dicit: *a satis est: sic nec avarus illam vocem ullo tempore protulit, sufficit.* juvat hîc altiùs cum Hipponensi Præsule intonare: *b O rabies omni fine carens! terra suis limitibus terminatur, aqua suis finibus limitatur, aër suo fine concluditur, cœlum suis terminis arctatur; sola avaritia terminum nescit.* quod nemo quisquam demirabitur, qui animum avari, velut fornacem accensum contemplari voluerit; aut vastum veluti incendium, cui restinguendo, quò plus ligni adjeceris, hòc luculentius erumpet, & vicina omnia insatiabili quadam voracitate consumet. propalam est, inquit Seneca, *c* quod si flagranti incendio ligni copiam injeceris, quantò copia fuerit major, tantò magis crescet incendium. accensus est in tuo pectore ignis concupiscentiæ: divitiæ ligna sunt, quibus ignis ille pascitur, quantò plura ex his adjicientur, tantò vehementiùs accendetur, *flamma infinito acrior est vis, quo ea ex majori incendio emicuit.* At ne homini ethnico solùm insistamus, eadem magni Basilii doctrina: *d Avaritiæ malum stare nescit, sed ignis naturæ similis est. ignis enim postquam incendium attigit, omnem properat absumere materiam, nec priùs desistere poterit, quàm materia defecerit. avarum autem quid retinere poterit? igne vehementior est: omnia continuando finibus suis occupat, ea quæ sunt vicini aufert. mox ubi alium sortitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit. non ob ea quæ possidet, lætatur; sed cupiditate plura consequendi, se cruciat.* hoc incendium Regis Achab animum inflammarat, qui cum ingentes opes possideret, vicini Naboth vineam quoque invasit: *da mihi*, inquit, *vineam*: hæc, inquit Amb. lib. de Naboth c. 29. *quàm abjecta, quàm vilia? non habent enim humanitatis affectum, sed cupiditatis incendium.*

a S. Basil. orat. 15. de avarit.
b Aug. ad fr. in Erem. serm. 48.
c Seneca l. 2. de benef. c. 27.
d S. Basil. ho. 21. in scrip. loc. Prov. 30.

Nunc ad aliud longè luculentius concupiscentiæ incendium transeamus, & omnes carnis voluptates, ac mundi illecebras adeo non satiare, ut pabulum magis ardori præbeant, paucis ostendamus.

§. III.

Ignis nunquam dicit sufficit. e

ORaculum illud Salomonicum est: *tria sunt insaturabilia, & quartum numquam dicit sufficit.* (Hebræi vertunt quatuor numquam dicunt, satis est) *infernus, amor mulieris, & terra quæ non satiatur aqua: ignis verò nunquam dicit sufficit*; potissimum infernalis, qui semper ardet, & non extinguitur. unde more suo solerter S. August. *f infernum & amorem mulieris, rectè conjungit Scriptura.* his flammis plurimos, imò orbem universum incensum audistis; sed quem unquam tartareos illos ignes omninò explesse legistis? nec ipse Salomon, qui omnia, quæ excogitari poterat voluptatum genera, in promptu habebat. & ipse prodigus, verissi-

e Prov. 30. *f* S. Aug. tr. 107. de temp. V. part. 1. Dom. 5. post Pent. §. 1.

muin

mum in se expertus est, *a* quod *amor mulieris semper insatiabilis sit; qui extinctus accenditur, & post copiam rursus inops est; nec ipso usu exstinguitur, sed immoderatius ac vehementius inflammatur.* adeo ut ex nominis ethymo, *luxuria* non incongruè, *lux urens* nuncupetur, quæ novas semper flammas suscitat, & quod igni proprium, non finit quiescere; sed ut bene Ecclesiasticus: *b anima calida, quasi ignis ardens non exstinguetur.* Idem de omnibus mundi bonis edocti sumus, animam inanem minimè satiare: atque hæc *una veritas*, ait Greg. *c qua inter cæteras magis experientiâ, quàm quibuslibet confirmatur rationibus.*

Sacros inter Commentatores ea quæstio ventilatur, cur Deus in uxorem Loth severiùs animadvertens, eam in *statuam salis* commutarit? cum enim id fecerit ad perpetuam posterorum memoriam, videtur proposito magis conduxisse, si ipsam in statuam æneam, aut marmoream convertisset; salis quippe statua facilè colliquescit, & imbre dissolvitur. verùm ne hic aliorum sententiis diutiùs inhæream, juvat sensum fini nostro accommodum, à doctissimo Origene mutuare, qui docet Loth viri spiritualis typum fuisse, *d uxorem verò carnis imaginem* tenuisse, atque ut talem describi à Cajetano, quæ difficulter avulsa sit à Sodomis. aptè autem in statuam salis conversam fuisse, quòd hæ voluptates numquam satient, sed delibatæ, velut aquæ salsæ; brutalem appetitum magis accendant. verissimè enim de aquis hujus mundi, usurpare possim illud Poëtæ:

Quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Totus mundus mare est. unde sic hominem carnalem ac mundo deditum, his verbis excitat Augustinus: *e pecori bonum est implere ventrem, dormire, gustare, vivere, sanum esse, generare. tale tu bonum quæris? cohæres Christi, quid gaudes quod socius es pecorum? erige spem tuam ad bonum bonorum omnium, ipse erit bonum, à quo tu in tuo genere factus es bonus, & omnia in suo genere facta sunt bona, & qui satiat in bonis desiderium tuum.* rectè qui satiat, cætera quippe orexim excitare (quod de mundi delitiis, idem de honoribus) possunt; sitim explere non possunt.

Ambitionis salsugo, bibulam animam occupat, ait Cyprian. *f* de salsis hujus mundi aquis, largiter potus fuit Nabuchodonosor de quo Propheta testatur: *g horribilis & terribilis est &c. leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis.* ac tandem vult Dominum universorum describens: *& ipse*, inquit, *de regibus triumphabit.* inquiramus num satur? numquam ardentiori siti æstuavit: *h quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus, & non decorabitur: qui dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur.* verba sunt cœlesti Philosophia plenissima: illi nempè contigit quod homini ebrioso, cui vinum non exstinguit

a S. Hier. in c. 30. Prov. v. 15. & 16.
b Eccl. 23. *c* S. Greg. tom. 1. in Euang. Luc. 15. *d* Orig. apud Lipoman. Lanuza hom. 25. §. 26. de Samaritana.

e Aug. in Psalm. 102.
f Cyprian. præf. de Christ operib.
g Habac. c. 1. *h* c. 2.

guit sitim, sed instar aquæ salsæ, calore suo magis exacuit. idem Amano accidit, ipsum loquentem, & avida fauce querentem audiamus: a *convocavit ad se amicos suos & Zares uxorem suam, & exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, & quantâ eum gloriâ, super omnes Principes & servos suos Rex elevasset; & post hæc ait: Regina quoque Esther, nullum alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me.* nonne hominem hunc honorum titulis oppletum crederes? cùm interim totum se vacuum, & inanem, verissimè jactet, dicens: *& cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores Regias.*

Notum illud:

b *Unus pellæo juveni non sufficit orbis.*

Nec mille mundi cor humanum exsaturare queunt; disertè Hugo Vict. c *cor parvum est, & magna cupit: vix ad unius milvi refectionem sufficere posset, & totus mundus ei non sufficit.* nullæ divitiæ, nullæ deliciæ. nulli honores valent sitim ejus explere. denique omnes seculi amatores, inanes ac vacuos, miserrima fame excruciatos, aliquando conspexit, atque hos famelicos ad quinque classes reducit Bernardus serm. *ecce nos relinquimus omnia. vidi ego*, inquit, *aliquando quinque viros, quid ni phreneticos arbitrer? primus si quidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam*, & hic amator divitiarum erat, divitiis velut arena se saturare volens. *Secundus sulphureo astans lacui, exhalantem teterrimum, fœtidissimumque gestiebat haurire vaporem.* & hic libidinosus, fœtidissimo libidinis vapore se cupiens saturare. *porrò tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas biantibus excipere faucibus latabatur.* Hic iracundus, scintillis ex fornace iracundiæ prodeuntibus, inediam suam conatur exstinguere. *Quartus super pinnaculum templi residens, levioris auræ spiritum aperto attrahebat ore, et si quo minus influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat, ac si totum speraret aerem deglutire.* Ambitiosus ille, aura sive spiritu honorum se pascit. *Quintus seorsim positus ridebat cæteros, ipse quoque ridendus & maximè.*

Is sibi placens, magnique se faciens, dum se ipsum sugit, laudatque inaniter, famem frustra nititur explere. Tum tandem subjungit: *quid hæc prosunt? Non sunt naturales cibi, famem magis provocant, quàm exstinguunt.* In immenso illo mysteriorum pelago passionis Domini nostri Jesu Christi, observatione dignum quibusdam visum est, cur post acerbissimos nostri causâ exantlatos dolores, siti insuper mori voluerit. Varios hujus sitis causas adducunt Doctores, ast nostro inservit proposito, quam adfert Rupertus Abbas dum dicit: d *ideò sitiens moritur, ut ostendat nihil esse in mundo, quod sitim expleat.*

Aquæ siquidem hujus mundi, similes sunt iis, quas Samaritana hauriebat; quæ diserte more suo tractat Lanuza hom. 25. §. 26. qui verò cœlestes hauserit ex

a Ester c. 5. b Iuven. Sat. 10.
c Hugo Vict. l. 3. de anima.

d Rupert. hic.

fontibus

fontibus Salvatoris non sitiet in æternum. §. 29.

§. IV.

Solus Deus hominem satiat.

SUmmus rerum omnium artifex, ubi universam creaturam condidisset, opus longè excellentissimum, quasi consilio architectatus est *a ad imaginem, & similitudinem suam.* Controversia verò non levis est, in quo situm sit, ut homo sit imago Dei; ubi Cornelius, decem variorum doctorum opiniones, alii plures congerunt, è quibus illa, quam Nyssenus adducit, congrua nonnullis quàm maximè videtur, dum ait, quòd homo sit imago Dei, *quia est capax visionis Dei, ac boni infiniti.* Consentit doctor mellifluus: *b ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest: capacem enim Dei, quidquid Deo minus est, non implebit.* Quam rationem Eusebius noster Nierenbergius „confirmat *c* in asceticis, dum „docet: tertia causa, quare ho„mo factus est ad imaginem „Dei, illa est, ut posset esse ho„mo æternitatis, infinitatis, & „divinitatis quodammodo ca„pax: quo fiat, ut animus homi„nis ad imaginem Dei factus, nisi solo Deo, cui similis, repleri & satiari non possit, *d Inde est, quod naturali quodam desiderio, summum quivis probatur appetere bonum, nullam nisi adepto eo requiem habiturus.* Inde est quòd nulla re creata valeat satiari, atque in ea conquiescere: rationem dat Augustinus, suâ ipse doctus experientiâ: *e fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum* (instar acus nauticæ) *donec requiescat in te.* Fecisti cor nostrum triangulare, capax immensæ illius triados, quid mirum si orbis triangulum complere nequeat? Ita totum cor Theresiæ occupavit & implevit Deus trinus: vidit etenim die quadam, qualiter esset Deus, unus in essentia, trinus in personis, *quodque animam suam totam occuparet, totam impleret*, ut Lanuza disertissimè prosequitur, clama & tu ô anima: *f Non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus: aliquid æternum donet Deus, aliquid æternum concedat Deus. Det mihi tres panes &c.* tres autem panes qui nos satiant, tres adumbrant ex mente Augustini Augustissimæ Trinitatis personas. Dic cum Philippo: *g Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis*; quia filius in patre, & in utroque amor, spiritus est, & in ipso omnia, extra quem nihil sufficit. Etenim ut omnes stellæ aliquid lucis conferant, noctem tamen non tollunt, ita ut omnia creata aliquid solatii conferant, sitim & famem nostram, nisi unicus, & ille Sol, & solus Deus explere valet. Fuit in aula Alphonsi Arragonum Regis, *h* qui cum aureorum decem millia Regi annumerari spectaret, auri fulgore captus liberè pronuntiavit, eâ dumtaxat summâ beatum se fore, nec plura in omni vita desideraturum. Cui Rex, accipe eam,

a Gen. 1. *b* S. Bern. declam. ecce nos reliquimus omnia.
c l. 1. Doct. 6. c. 56. *d* Bern. cit.

e S. August. l. 1. Conf. c. 1.
f Lanuza hom. 25. §. 28. n. 11. Aug. in Psal. 102. *g* Ioan. 14.
h Panorm. de reb. gestis Alphon. l. 4. c. 2.

eam, quantacumque ea est, & esto beatus. Stultitiam illius notare Rex *voluit*, quem brevî pluribus inhiantem, voti sui reum damnavit. Quare Avarum interroga, an quiescat & satietur pecuniis: libidinosum percunctare an expleatur brutis voluptatibus: Ebriosum sciscitare an tot cantharis ac diotis exsiccatis saturetur? Quisque verissimum illud fateri cogetur: *a cor humanū in desiderio æternitatis non fixum, numquam stabile esse potest; sed omni volubilitate volubilius, de alio in aliud transit, quærens requiem, ubi non est. In his autem caducis & transitoriis, veram requiem invenire non valet: quoniam tantæ est dignitatis, ut nullum bonum præter summum bonum, ei sufficere possit*, thorax Zachæi adaptari non posset lacertis Goliæ: nec gigantis calceum pes pueri impleret. Si vastus Oceani alveus exsiccaretur, stillâ aquæ non posset impleri. Anne cavum quo potest capi Deus, occludet mellis gutta, aut flatus aëris, aut luti gleba? testis erit ille miles apud Plutarchum, qui cum per omnes militiæ gradus, ad Imperatoris solium ascendisset, nec in eo etiam conquiesceret, illud veritati testimonium dedit: *omnes omnium dignitatum gradus percurri, & in nullo quietem inveni*.

Hippias teste Suida, finem bonorum constituebat, *αὐτάρκειαν*, id est, *animum contentum*, seu expletum. quin & Epicurus dicere solebat: *sufficientia, res est omnium ditissima*. Quod si ipsos Scholasticos consulamus, quæ sit hominis beatitudo? A quibusdam definietur: silentium appetitus. Quidam thronus confidentis affectus. Quoddam sine fastidio epulum cordis. Quædam præda voluntatis. Quædam mors desiderii. Quidam avaritiæ limes. Quædam adæquatio amoris, & rei amatæ. Quidam aspectus desiderati. Quædam præsentia cupiti. Quidam occursus quæsiti. Quidam amplexus & possessio omnis boni. Quæ omnia cum communi Theologorum complexus Boëtius: *b Beatitudo*, inquit, *est status omnium bonorum aggregatione perfectus*, adeo ut nihil desit. Cui congruit illud Augustini: *c Est finis desideriorum nostrorum*, seu ut auctor asceticus docet: *d quoddam satis*. Tunc enim perfectè homo satiatur, cum nil ultra desiderat. Huc omnia sanctissimi juxta ac sapientissimi præsulis desideria, huc omnia vota spectabant: *e da quod peto, quoniam si cuncta quæ fecisti mihi dederis, non sufficit servo tuo, nisi teipsum dederis*. Dum te unum habet, in se omnia habet. Hinc Seraphicus Franciscus, omnibus destitutus, hoc assiduò usurpabat: *Deus meus & omnia*. Et hoc solo contentus Xaverius exclamat: *f Satis est. Erit enim omnia in omnibus*. Quæ verba Apostoli hæc aurea Augustini mirificè illustrat sententia: *g hic aurum quod est, non potest tibi esse argentum. Quod vinum est, non potest tibi esse panis. Quod tibi lux est, non potest esse potus. Deus tuus totum tibi erit; manducabis eum ne esurias, bibes eum ne sitias; illuminaberis ab*

a Aug. in Manuali c. 24.

b Boët. l. 3. de consol. prof. 2.
c Aug. de civ. l. 22. c. 30.
d Nierenb. de arte vol. l. 1. c. 43.
e Aug. Solil. c. 3.
f Franciscus Xaverius.
g Aug. in Psal. 36. conc. 1.

eo, ne sis cæcus; fulcieris ab eo, ne deficias; possidebit totum integrum, totus integer.

Engelbertus des Bois, Reverendissimus Namurcensis pro symbolo sibi delegerat: *Quid quærimus? unum:* Hoc porrò unum, in quo omne bonum, est necessarium. Bernard. serm. 24. *Illud unum* (scilicet Deum) *quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter, ut nec quæramus pro illo aliud, nec cum illo aliud, sed nec ab illo ad aliud convertamur.*

Quæ verba attentâ mente, & sedulâ meditatione ruminanda sunt, & verissimum experiemur illud quod S. Ludovicus Toletanus Antistes semper in ore habebat, & ex eodem mellifluo fonte deprompserat: *a omnis copia quæ Deus meus non est, mihi inopia est.* Et erit qui copiam extra hunc fontem quærat? Eritne cui omnium rerum abundantia, omne bonum, Deus ipse non sufficit? *b Avare, an parum est tibi, si te impleat ipse Deus? Deus si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum; quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit?* Nimis profectò avarus cui Deus ipse non sufficit. Verè Deum nescit, non capit, non sapit, cui Deus non sufficit. Quantò satius SS. Patriarcha noster Ignatius, cujus hæc ardentissima suspiria: *c quid mihi est in cœlo, & à te aut extra te, quid volui super terram?* Clama & tu ô anima mea, terrena omnia fastidiens, cum dulcissimo Bernardo: *d*

Desidero te millies;
Mi Iesu quando venies?
Me lætum quando facies?
Me de te quando saties?

Ingeminemus identidem per diem & vitam omnem *ô Ierusalem civitas Regis magni, qui te ex adipe frumenti satiat, & quam fluminis impetus lætificat, in te nec pondus, nec mensura, sed satietas est, & affluentia summa. Quando satiabor apparente gloria tua Domine? Quando inebriabor ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ quando potabis me? Nunc enim tamquam exigua sunt stillicidia stillantia super terram, ut nec glutire quidem possim salivam meam.* Hierosolymæus Rex David, velut suam solaturus famem: *e Satiabor*, inquit, *cùm apparuerit gloria tua.* In hac verò satietate, nemo fastidium metuat. Nam ut subtiliter August. tract. 3. in Joannem, *unam petii: noli timere ne fastidio deficias, talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, & numquam satieris: si enim dixero, quia non satiaberis, fames erit; si dixero, quia satiaberis, fastidium timeo. Ibi nec fastidium erit, nec fames. Quid dicam nescio, sed Deus habet, quod exhibeat non invenientibus quomodo dicant, & credentibus, quod accipiant.* Quæstionem proposito nostro non incongruam Apostolorum Princeps movit, dum de beatis spiritibus vultum Dei assiduò intuentibus dixit: *f in quem desiderant Angeli prospicere.* Vt quid ait illos desiderare eam faciem intueri, quâ Salvator noster Matth. 18. actualiter ipsos semper frui asseverat,

a In vita.
b S. Aug. in Psal. 30. Con. 3.
c Psal. 72.
d S. S. Bern. serm. 2. in Septuag.

e Psalm. 16.
f 1 Petr. c. 1.

dicens:

dicens: *Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei qui in cœlis* est. Quam controversiam sic dissolvit Hugo Cardinalis: *cur cernere desiderant, cujus faciem numquam cernere cessant?* *Nisi quia contemplatio divinæ præsentia ita Angelos* (aliosque cœlites) *beatificat, ut & semper ejus visa gloria satientur, & semper ejus dulcedinem quasi novam insatiabiliter esuriant.* Quo innuere videtur, dum semper nova & nova in Deo intuendo satiantur, desiderium & sitis accendatur semper magis & quasi numquam vita contemplandi. Vnde Augustinus ad idem propositum loquitur: *a est in eis desiderium visionis Dei cum satietate, & satietas cum desiderio: in quibus nec desiderium pœnam generat, nec satietas fastidium parit.* Sed quo modo Psaltes Regius clamat *satiabor?* quasi illi desint, quæ satient. Vix capimus tanto Principi hanc vocem excidisse. David Rex opulentus, ingentia duo Regna possederat: in his ille numeravit tot horrea selectissimo tritico stipata, tot prata, tot villas pecude pinguissima refertas; tot penora omni modo ad mensam apparatu plenissima, tot cellas generosissimo vino spumantes; nihilominus tamquam mendiculorum infimus, qui vix semel est toto anno satur, fami suæ ingemiscens: *satiabor*, inquit, quia tam vehementer esurio. Eone mendicitatis Rex tantus redactus, ut famem futurâ tantùm satietate soletur? Ita sanè, mendicus est, talem se ipse fatetur: *b Ego sum pauper*, inquit, *& dolens, mendicus sum & pauper.* Ego verò egenus *sum & pauper, Deus adjuva me.*

Sed forsitan aureos argenteosque montes esuriit? Quis hanc gulam satis propitiet? ah! non istud appetit, argenti & auri nostis quantum habuerit? *c Auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum*, struendo templo destinavit. Sunt bis mille octingenti duodecim milliones Hispanicorum ducatorum, supra octo millia trecentos septuaginta quinque ducatos. Ergo aurum non esuriit: sed forsitan dignitates ampliores, & plusquam Regias ambivit? neque hoc: in apice dignitatis stetit, toto terrarum orbe nomen decusque gessit. Sed forsan copiosiores sitiit voluptates? Ah neutiquam. In promptu illi omnia erant; nihilominus se mendicum, se famelicum non dissimulans, clamat, *d satiabor cum apparuerit gloria tua*, & speratæ satietatis causam adjungens: *e adimplebis me*, ait, *lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextra tua usque in finem.* Hieronymo interprete dixit: ostendes mihi plenitudinem lætitiarum ante vultum tuum. Dum vivimus, oculos & animos gerimus insatiabiles, quò plus ingeritur, plus appetunt: nulla hîc lætitiæ plenitudo; unde cum David omnia lustrasset, nil reperit, quo se satiet & sitim expleat, nisi solum Deum. *f quid mihi est in cœlo*, ait, *& à te quid volui super terram?* Quas voces eadem insatiabilis sitis S Ignatio sæpius expressit. Cœlum ipsum nolim, inquit Propheta, si tu absis mi Deus, tu so-

a Aug. l. medit. c. 27.
b Psal. 68. 39. 69.
c 1 Paral. 22. *d* Psalm. 16.
e Psalm. 15. *f* Psalm. 72.

lus cor plenè: non enim *satiabor nisi cum apparuerit gloria tua.*

Itane potentissime Regum, tunc primum satiaberis? Jam pridem satiata credi potuit omnis tua cupiditas. Dum quondam opilionem ageres eæ tibi concessæ vires, rarissimum munus, ut ursos & leones velut hœdulos discerperes, numquid plus virium cupis? Gigantem illum Goliath, agminis Hebræi probrum affectas sternere? concessum est, stravisti, num plura vis? in præmium ipsam Regis filiam deposcis, opilio Regiam puellam ducas? Concessum est & hoc, quid amplius exigis? Victoriam adversus Philistæos omnes desideras? Nec illud negatum est, vicisti omnes. Nec dum satur es? Cuperem, inquit, non solum victus & pictus esse Rex sine Regno, sed verus: sceptrum, & Regnum, & diadema ubi sunt? En ad votum adsunt: Rex esto, & Monarcha orbis ex pastorculo, è juvene pagano. Num optes plura, ampliora? tandem satiatus sis necesse est. Sed negat, vociferatur, nondum ô Domine, nondum satiatum est cor meum, magnum adhuc in eo inane sentio, quidquid hactenus ingessi, velut gutta in clibanum immissa exaruit, nec pectus adhuc vacuum & esuriens credo satiarent, si centum, si mille Regna ingereres: nulla hîc satieras, *satiabor cum apparuerit gloria tua.*



EMBLE-

EMBLEMA XXXV.

Ceperunt me quasi avem. Thren. 3.



DECEPTAQVE DECIPIT OMNES. a

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Cavendum à pravo consortio.

§. I. *Dæmon ut auceps, utitur pravis sociis ad decipiendum.*

§. II. *Fœmina laqueus est & rete, quo stygius auceps abutitur ad capiendas animas.*

a Ovidius 14. Metamor.

DOMI-

DOMINICA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis Prophetis, Matth. 7.



RIMAS regni Japoniæ Quabacondonus, *a* ut spectaculo aliquo oblectaret, quos suo in comitatu habebat, & speciem subjiceret: quantâ animi alacritate expeditionem Cinensem aggrederetur; tum etiam ut famam celeberrimæ cujusdam venationis olim factæ à Magno Præfecto Domino Joritono, qui totius Japoniæ imperium tenuit, obscuraret: constituit omninò regium ex variis avium generibus aucupium instituere. Quâ de causâ multis aulicis stipatus, abiit in regnum Ojarense; ubi aucupium tam felices habuit successus, ut capta sint plusquam triginta millia omnis generis avium, quas inter complures falcones, quibus aliæ capiuntur. Finitio hoc aucupio, magno apparatu Quabacondonus Meacum reversus est. Præibant qui millia illa avicularum arundinibus inauratis præferrent. Hos proximè sequebantur multi equites splendidè convestiti, portantes magnum numerum Falconum, aliasque selectas volucres. Post hos permulti equi splendidè adornati, fræno ducebantur: tum subibant binæ lecticæ ornatu prænobili, ac pone eas Quabacondonus in lectica singulari artificio ac sumptu concinnata deportabatur. Agmen claudebant Principum ac Magnatum tum suo, tum equorum cultu splendidissimæ turmæ; atque hi omnes ex aucupio, triumphantium in morem urbem Meacum ingressi sunt. Nobile aucupium, ingens præda, triumphus non vulgaris, non absimile tamen aucupium hodiernâ die hac nostra in patria adornatur, & quod mireris, non modò in campis & sylvis; sed & in foro, in templo, in conviviis, in curribus, & navigiis, ejusmodi venatio instituitur, nec inferiori numero volucres in casses & in decipulas incidunt. Nostis, quis auceps sit, quæ aves illices & pellices? Disertè exponet S. Ephrem: *b Quæ primùm capta fuerit anima* (inquit) *ad alias decipiendas fit quasi laqueus, ut voluntati inimici obsequantur. Sicut perdix comprehensa pro esca illis proponitur, quæ nondum laqueo captæ sunt: circa illam enim auceps laqueos figit, ut voce suâ perdix reliquas circumvolitantes, ad eosdem pelliceat.* Atque ita una capta alias pellicit;

c —— *deceptaque decipit omnes.*

a Maff. de rebus Indic. tom. 2. pag. 127.

b S. Ephr. de rect. vivendi ratione. n. 22. *c* Ovid. 14. Metam.

§ I.

Dæmon auceps, utitur pravis sociis ad decipiendum.

Quàm multi ingenui ac probi adolescentes, unius perversi sodalis contubernio seducti, in omne

omne flagitium proni, illud Jeremiæ cum gemitu ingeminare possent: *a Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.* Quàm multæ honestæ ac integerrimæ filiæ, unius impudentis proci alloquio pellectæ queri possunt: *ceperunt me quasi avem.* Quàm multi conjugati, unius salacis ac fallacis mulieris consortio irretiti & capri, illud usurpare possunt: *Ceperunt me quasi avem.* Quàm multi temperantes ac sobrii, ab ebrioso ad popinas seducti (ut passim in universitatibus fit) mente & pedibus capti, nil in excusationem adferunt, nisi illud: *venatione ceperunt me quasi avem.* Hinc fornicationes, hinc adulteria, hinc ebrietates, hinc omnis juventutis nec non Reipublicæ corruptela: nemo enim ferè solus peccat, helluatur, inebriatur. Testatur id certè de se Augustinus l. 3. Conf. c. 8. *Quem fructum habui miser aliquando in iis, quæ nunc recolens erubesco, maximè in illo furto. Et* tamen solus id non fecissem, solus omnino id non fecissem. *Ergo amavi ibi etiam consortium eorum, cum quibus id feci. O nimis iniqua amicitia, seductio mentis! sed cùm dicitur, eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.* Cui quadrat illud Amos Prophetæ: *Numquid cadet avis in laqueum terræ, sine aucupe?* numquid excelsa illa volucris Petrus in laqueum sine aucupe decidit? Petrus negat se nosse, pro quo paulò antè millies mori volebat: *b Etiamsi oportuerit me mori tecum, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Hunc negat se nosse, cujus paulò antè sanguinem hauserat, carnem manducarat, quem in ipsâ horâ ferro propugnarat. Quid hoc? *Non novi hominem.* Aliud siquidem est aula Caiphæ, aliud cœnaculum Christi; Aliud Apostolorum, aliud Judæorum colloquium. Appositè Paschasius Abbas in cap. 26. Matthæi: *Considerandum autem est, ubi neget Petrus: Non in monte, quo fuit cum Domino; non in templo, non in domo suâ: sed in prætorio Judæorum.* Nam ut Lucas ait: *accenso autem igne in medio atrii, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum:* quid sperandum ubi Petrus in medio nebulonum? in medio gentis pravæ, in consortio & concilio malignantium. Refert Neander sturnum cicurem hæc verba ab Hero edoctum esse: *c Cave à malo consortio*, quæ identidem iterabat; accidit autem apertâ fortè caveâ sturnum avolare, & ad sui consimiles devenire, quibuscum dum per avia velitat, unà cum sociis in substratam aucupis aream devolat, & socios secutus, cum illis in casses incidit; dumque ab aucupe unus post alterum necaretur, sturnus in ultimo discrimine occinere cœpit, quod quondam didicerat: *Cave à malo consortio:* quo audito, vocali volucri vitam donavit. Salutari documento posteris relicto, summis periculis exponi, qui se pravis commiscent. Talis fuit adolescens ille, quem S. Joannes Episcopo Ephesino commisit, quem cicurem & docibilem Dei, hoc potissimùm docuerat, pravum consortium ut evitaret; sed

a Thren. 3. b Lucæ 22.

c Majol. in can. coll. 1.

B b hunc

hunc (ut Eusebius refert) *a* quidam adolescentes ejus æquales otio desides ac vitiis dediti corruperunt; ut post varia furta ac flagitia, dux latronum evaserit. Dum ab Apostolo reduce diu quæsitus; tandem repertus, laqueis dæmonis ereptus, & à stygio aucupe æternæ morti destinatus, in libertatem filiorum Dei restitutus, illud jure inclamare potuit: *Cave à malo consortio.* Idem Landelino accidit; de quo vide Surium. *b* Enarrare longum esset, quot fuerint mille periculis expositi: quia cum improbis commercium habuêre. Loth à sancta Abrahami societate divulsus, quæ & quanta discrimina subiit? à barbaris raptatus, facultates ejus Sodomæ consumptæ, inebriatus stuprum filiabus intulit.

Ambrosius verò Ecclesiam naviculæ comparat, *c* in qua Christus & Apostoli: sed quia & Judas illic est, tempestas exoritur, & navicula jactatur fluctibus; hæc est causa periculi ait Ambrosius: erat ibi Simon Petrus; sed erat pariter & proditor Judas, quamvis illius fides fundaret naviculam, hujus tamen eam perfidia conturbabat. Et addit: tranquillitas est ubi solus Petrus navigat, tempestas ubi Judas adjungitur. Licet Petrus esset firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris: unius igitur delicto cunctorum merita quatiuntur. Caveamus ergo unicum Proditorem, *ne per unum omnes fluctuemus.* Unde in privatis familiis repentina tempestas; unde turbæ & turbines? unde pervicacia, contumacia in servis, lascivia in ancillis, nisi ex una cum servo nequam consuetudine? unde in integerrimis familiis tanta liberorum corruptela? unde tanta hoc seculo in tenera ætate nequitia? Fassus mihi fuit adolescens ex illustri familiâ, corruptum se ab Ephebo, & ad omnem spurcitiam instructum, dum vix ex Ephebis excessisset. Novi novennes, decennes integerrimos pueros, ab ancillis ad omnem libidinem instructos, & in omnem vitam perditissimos exstitisse. Quoties compertum est, & utinam vos experientia non docuisset, Angelicos pueros, morigeros, obsequentes, ubi senior frater ex terris longinquis, aut academiis domum divertit, continuò in omnem licentiam dissolutos, refractarios, literarum fastidiosos, nil nisi libertatem spirasse. An non indies qui in Gymnasio nostro sub parentum ac moderatorum disciplina degebant, morum innocentiâ, ac vitæ probitate conspicui, animum Religioni adjecerant; dum in universitatibus sese pravis sociis adjungunt, Deo, æternitate, salute posthabitâ, popinas frequentare, chartas pictas volvere, totas noctes grassari & pergræcari: dumque hero cohabitant, cui puella comptula domi est, pelliciuntur, capiuntur, in incestas nuptias incidunt; & pro dote dolorem domum ducunt. Adeò inverso hîc ordine puellæ viros procantur & irretiunt.

Aliud genus est aucupandi aves fluviatiles & palustres, quæ in aquis victitant, de quo lubet Euse-

a Euseb. l. 3. hist. Eccl. c. 17. *b* 15. Iunii. *c* S. Amb. lib. 4. Luc, cap. 5.

Eusebium Nierenbergium audire, *a* qui in historia naturæ quoddam aucupii genus hactenus inauditum, & narratu facetissimum commemorat. Apud Insulares (inquit) Hispaniolæ præsertim, per vadosa stagna, volucrum natantium diversa sunt genera, Anates, Anseres, Cygni, Fulicæ, Haviæ, Mergi, & multæ ejusmodi. Ad ripam consita arbor, quæ profert ingentes cucurbitas, quæ deciduæ, & per aquam fluitantes securas reddunt volucres. Auceps ergo magna cucurbita, uti galea, faciem larvatus, & mento tenus stagnum ingreditur: atque ita ad agmen natantium volucrum contendit: è quibus quam mox una cucurbitæ insederit, ille ilicò exertâ manu eam comprehendit. Cæteræ volucres suâ sponte subnatasse comitem ratæ quærendi victus causâ, nil solicitæ suum iter prosequuntur, & pedetentim in aucupis insidias cadunt.

Palustres aves, quæ loca aquosa incolunt, nonne appositè ebriosos designant? ut enim anates, anseres &c. rostro semper in liquido, naribus rubicundis, vacillantes incedunt, item & ebriosi. Ecquis porrò auceps, qui singulos aquatum deducit, & miserè apprehendit, nisi strenuus potator? Hinc illæ uxorum querimoniæ, dum rem familiarem ad incitas redactam vident, maritos naturâ suâ bonos ac probos esse, sed omne malum eis à consortio obvenire, quod & ipsi de se fatentur complures, ebrietatem se execrari, at ubi in tales socios inciderint, suaviter se duci & seduci. Quod olim Seneca vel Gentilis notavit: *b Ebriosus convictores in amorem vini traxit.* Nemo ferè tabernas incomitatus ingreditur. Hic caupo sub aquis, in caveis deambulat, & unum post alterum captat & decipit; Idque solertissimè per socios, quasi per aves illices. Cornelius in illud Proverbiorum cap. septimo: *Velut si avis festinet ad laqueum.* Vidi (inquit) in Belgio anates poleutrias sive illices & seductrices, ab aucupe cicuratas, quæ ad anates silvestres advolantes eas turmatim post se ad retia ducebant, magno aucupum lucro. Quæris in popinis, in conviviis illicia? quot pocula, quot vitra, tot retia viscata: hic invitat ad haustum, ad sanitatem uxoris, ille ad sanitatem fratris, sororis, iste ad novæ nuptæ, alter ad Principis, Regis &c. Quóque faciliùs irretiant, ipsis vitis surculis & pampinis vina coronant, ut hoc virore capiant, cui illud Augustini congruere videtur: *c Itaque nobis faciebant, quod insidias aucupes solent, qui viscatos surculos propè aquam defigunt, ut sitientes aves decipiant.* Ubique dæmon homini laqueos nectit, & uti aves per aves optimè capiuntur, ita homo per homines. Num. 33. *Intrantes terram Chanaam, disperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram.* In quæ verba Oleaster: prius præcepit habitatores expellere. 2. perdere titulos. 3. imagines. 4. delubra. *Prius homines*, que-

a Nierenb. hist. nat. lib. 10. c. 98.

b Sen. l. 3. de ira. c. 8. *c* Aug. lib. de utilitate credendi. lib. 1. loquens de Manich.

quoniam nihil citiùs hominem pervertit, quàm alter homo. Auceps ille stygius sub arbore in paradiso latitabat; cumque parentem nostrum propositâ escâ in retia pellicere non posset, ad hanc volucrem inducendam, consimili ave utendum duxit: Evam ad escam pellexit, quæ capta & decepta, virum decepit. Nostis escam, non minimam aucupii partem esse, de qua Origenes: *a quasdam illecebras escarum aucupes proponunt, ut faciliùs aves capiant per oblectamentum.* Ita captus fuit Propheta ille 3. Reg. cap. 13. à Deo in Samariam missus, vir spiritu Dei plenus, altare, in quo impius Jeroboam idolo thus adoleverat, per medium secuit; tamen quia in reditu à Pseudo-Propheta ad sumendum secum cibum allectus est, miserè à leone discerptus periit. Esca illa gulæ plures homines quàm volucres fallit & perdit. Fuit qui ingenioso symbolo rem exponens, aves captas, & oculis orbatas, caveis inclusas, oculis subjecit, hoc brevi lemmate adjecto?

Tam grave servitium, quàm levis esca parit!

Hoc enimvero ii seriùs queruntur, qui in tenebras exteriores projecti, & ad carceres æternos gravissimamque servitutem detruduntur; idque quia per escam fallaciter inducti & seducti sunt. Unus qui convivium festis solemnioribus exstruit, manè domesticos à sacrificio, à prandio omnes à concionibus, laudibus & cultu divino sodales avocat & retardat. Ubi illud Augustini scitè observandum, unde *Sodales* nomen suum sortiti sint: *b Sodales* (inquit) *dicti sunt, quòd simul edant, quasi simul edales.* Qui nescio quo temulentiæ aut luxuriæ visco, animos capiunt. Experto credite: *c Cupiditas* (inquit Augustinus) *viscum facta est pennarum nostrarũ; elisit nos de libertate aëris nostri, id est aurarum illarum liberarum spiritus Dei: inde elisi perdidimus pennas, & fuimus quodammodo captivati in aucupis potestate*, in ista vita inter tanta scandala, inter tàm multa peccata, inter tantas turbas tentationum quotidianarum, quotidianarum suggestionum malarum, quid facio? Et quid tu facis inter illas adolescens! quid tu puella, quid tu ancilla, quid tu? non audeo totum dicere. Aliam cautelam docet Sapiens: *d Noli amicus esse homini iracundo, neque habitaveris cum viro furioso; ne fortè discas vias ejus, & sumas laqueos animæ tuæ.* Quid magis pronum, quàm litigiosæ mulieri commorantem etiam rixari, indies domum, viciniam omnem tumultu ac jurgiis complere, gravioresque longè per hanc turbas, quàm ab ipso cacodæmone cieri? Hic enim diu multumque fertur laborasse, ut in familia quadam dissidium concitaret; sed frustra. Dum viciná fœminâ usus est, par calceorum adpromittens, hæc non modò familiam, sed omnem plateam conturbavit. Operæ pretium à Diabolo calceos deposcens, foras abducta est, ubi trans fluvium apparuit dæmon, & in oblonga pertica calceos porrexit. causam rogatus, ecquid non

a Orig. hom. 7. in Ezech.

b Aug. ser. 50. de verbis Domini. c Aug. in Psal. 138. d Prov. 22.

non propiùs accederet ; caveo (ait) nam tu perversa nimiùm es, & longè deterior. Ut fabula sit, verissimum illud, multa per homines dæmonem moliri, quæ per se efficere nequit. Unde ubi Ecclesiastes ait : *a Inveni amariorem morte mulierem*, alius legit: inveni pejorem dæmone muliemlierem. Sed pergo porrò. Qui furioso cohabitat, aut cum iracundo commercium habet, quid proclivius quàm ut à verbis ad verbera deveniatur ? quàm ut alter alterum ad duellum provocet, hunc sibi in secundum, in fidem achatem assumat ; nec detrectare audeat, sed in laqueos incidat, spontaneam mortem incurrat ? quid familiarius, quàm qui querulis, rixosis, libertinis, obtrectatoribus, murmuratoribus convivit, ut & ipse illis consentiat, in superiores insurgat, aut in parentes contumax, jugum omne etiam optimus quisque excutiat ? compertum id Joannis 11. murmurabant Discipuli de unguento, quod Magdalena super pedes Christi effuderat ; sed hoc à Juda didicerant : *b Dixit ergò unus ex Discipulis Iscariotes, qui erat eum traditurus : quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum est egenis ?* Solus Judas murmurabat, ait Joannes. Matthæus verò dicit omnes Discipulos murmurasse : *c Videntes autem Discipuli* (inquit) *indignati sunt, dicentes : ut quid perditio hac ? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* S. Thomas in catena utrumque connectit, docens : *Hoc eis Iuda dicente persuasum fuit*. Attendite quid etiam in hoc sancto collegio, unius pravi hominis consortium non valuit, quot unus dissolutus quandoque ex viris ac fœminis religiosis pervertit.

d Sicut grex totus in agris,
Vnius scabie cadit, & porrigine porci,
Vvaque conspectâ livorem ducit ab uvâ.

Et (ut ait Ambrosius) sensim sine sensu, pravis convivendo, pravi fimus : ut poma quæ ab uno putrido contacta, putrescunt ; & una avis capta & decepta, centum alias in pedicas pelliciet, & in certum exitium deducit : potissimùm si ejusmodi perversus homo in innocuas animas, in pueros aut puellas, in novitios & in spiritu debiles inciderit. Multa visuntur nosocomia in oriente, *e* & præsertim unum Cambajæ in amplissima ac opulentissima civitate, magnificè & pulcherrimè exstructum, fabrica ad omnium admirationem exculta superbissimo apparatu: quod præterea donis & munificentiâ plurimorum, & annuis vectigalibus fuit locupletatum. Egregium illud opus erat nosocomium avium, in quo morbidæ ac sauciæ volucres magnâ curâ studioque fovebantur. Hoc amore Indi aviculas prosequuntur : quia Pythagoræ metempsychosim edocti, volucres humanarum animarum capaces arbitrantur. Accidit autem in hocce valetudinarium, accipitrem uno pede saucium deferri, qui ut vires resumpsit, in hunc innocuum gregem unguibus ac ro-

a Eccl. 7. *b* Ioan. 12. *c* Matt. 26.

d Iuv. sat. 2. *e* Chreff. antolog. p. 1. c. 11. condit. 2. Maff. tom. 2. hist. relatio de M. Rege Mogor. ex ep. P. Ema. Pinneri.

 stro

ſtro involavit, nec mediocrem ſtragem edidit. Talis accipiter inter aligeros Lucifer fuit, qui quantum nocuerit, quidve vel hujus unius perverſi ſocii contubernium mali effecerit, cœlum ipſum conteſtabitur: ecquid enim nobiliſſimas illas mentes, ſublimes intelligentias, & naturæ & gratiæ lumine adeò illuſtratas à ſummo & increato bono, immaniſſimo rebellionis ſcelere apoſtatare fecit, totque cœleſtium ſpirituum myriades, Seraphico ardore inflammatas, in titiones inferni commutavit, niſi deteſtanda unius Luciferi ſocietas? Quo duce execrandi illi transfugæ, Deo ac Creatori ſuo contumaces, è cœlo in tartarum præcipitati ſunt. ubi peracutè quærit Rupertus Abbas, cur ſine mora, tantaque feſtinatione à bonis Angelis ſeparati ſint? ac animi ſui ſenſum exponit dicens: Deum diviſiſſe lumen à tenebris, dum rebelles Angelos à Sanctis ſeparavit; additque Deum idcirco pœnam non procraſtinaſſe, ſed inflixiſſe ſubitò, ne peſſima perfidorum ſocietas, cæteros quoque in perfidiam & rebellionem abriperet. Talis accipiter in collegio Apoſtolorum Judas exſtitit. Hinc Abbas Iſaac in illa verba: *Quod facis, fac citò. Non priùs* (inquit) *Chriſtus crucem aſcendit, quàm Iudam è collegio dimiſiſſet? ne à ſocietate tam peſſimi viri alii errarent.* Unus enim malus faciliùs centũ probos pervertet, quàm centum probi unum malum convertant: ut bene obſervat Gregorius Nazianzenus oratione vigeſimâ: *Facilius eſt vitium contrahere, quàm virtutem impertire; quemadmodum etiam facilius eſt morbo alieno inſici, quàm ſanitatem largiri.* Faciliùs una ovis ſcabioſa totum gregem inficiet, quàm totus grex ſanus unius ſcabiem tollat. Præclarè Roman. Philoſophus: a *Sumuntur à converſationibus mores, & ut quadam in contactos corporis vitia tranſiliunt; ita animus mala ſua proximis tradit. impudicorum cœtus fortem quoque & ſiliceum virum emollit: avaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem ex diverſo ratio virtutum eſt, ut omne quod ſecum habent, mitigent; nec tam valetudini profuit utilis regio, & ſalubrius cœlum, quàm animis parum firmis, in turba meliorum verſari.*

a Senec. l. 3. de ira. cap. 8.

§. II.

Fœmina laqueus & rete, quo ſtygius auceps abutitur ad capiendas animas.

NOvum illud aucupandi artificium ſcitè depingit Sapiens Proverbiorum 7. *ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* 70 legunt: *quæ facit juvenum volare corda.* & ſubdit: *ſtatim eam ſequitur, velut ſi avis feſtinet ad laqueum; & neſcit quòd de periculo animæ illius agitur.* Nunc retia tendit verbis, nunc oculis, nunc capillis, omnique corporis ornatu aucupium facit. Sic enim lena quædam apud Comicum: b

Hic noſter quæſtus aucupii ſimillimus.
Auceps quando concinnavit aream, effundit cibum.

b Plaut. In aſinaria.

Aves

Aves adsuescunt. necesse est facere sumptum,
Qui quarit lucrum.
Sape edunt: semel si sint capta, rem solvunt
Aucupi.
Esca est meretrix, lectus illex est, amatores aves.

Hanc venationem usque adeò fœminis accommodatam existimavit Ecclesiastes, ut singula etiam ejus membra, inferni prædonis ac venatoris esse dixerit instrumenta. Ac inprimis inquit Ecclesiast. 7. *Sagena cor ejus*, tum scilicet cum externis judiciis se prodit vultu, voce, gestu. Ubi fortè pro pectore, cor accipiens, ad illa reticula alludit, quibus impudicæ pellucido sipario, veluti reticulo nuda ubera furtivè ostendunt. Sed à capite potiùs ordiamur. Quid tam familiare mulieribus, quàm reticulo crines complecti? Et quæ magis opportuna huic venationi sylva, quàm crinium, ut rectè ab illicio, vernaculo idiomate *Locken* nuncupentur, quibus non unus irretitus est. Inde ad oculos veniamus; de iis sensum Ambrosii audiamus: *a Multa* (inquit) *retia tenduntur à diabolo, multi laquei. Oculus meretricis, laqueus amatoris est, ipsi nobis nostri oculi retia sunt.* Et ideò scriptum est, *ne capiaris oculis*, qui intra se non modò tunicam retiformem, sed & retia tegunt. Paucos per se Dæmon irretiret, nisi hisce decipulis, & laqueis uteretur. Hugo Carensis in Psalm. 90. *Retia diaboli sunt fatua mulieres:* & uti de candela dicitur: *Accenderet unica mille* ita falleret *unica mille.* Nam, ut ait Simon Cassianus: *b Una pracapta, index ad capiendas alias facta est.* Quid oris, ac labiorum gratiam commemorem? de qua Comicus: Viscus merus vestra blanditia est. Efficacius Mediolanensis Antistes: *c Verba petulantis mulieris cupiditatum retia sunt.* Quod si cantus accesserit, prorsus aucupem expresserit: notum est illud Martialis:

Non tantùm calamis (& calamistris) *sed cantu fallitur ales,*
Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Quot juvenes noctu cytharam pulsantes, puellas è strato pellexerunt? quot puellæ castos juvenes voce suâ in laqueos induxerunt? scilicet ille rectè canit:

Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

Refert Petrus Alfonsus in sua historia: *d* cùm duo socii iter facerent, devenerunt tandem ad viam ubi fatuorum congregatio morabatur, horum cantu ac fistulæ sono, unus allectus eò transire voluit; altero renitente, ac alio deflectente: hic verò adeò cantus ac chorearum illecebris delectatus fuit, ut eorum consortio sese adjunxerit. Dum ecce non multò pòst, unus illorum in villa homicidium perpetravit: hic autem peregrinus inter complices captus, capite damnatus est; quod ut socius, qui ab eo in via declinarat, inaudiit, exclamavit: vero illud longè verius Sapientis pronuntiatum: *e Discede ab iniquo, & deficient mala abs te.* Miser hic sequitur: *f Velut si avis festinet ad*

a Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 14.

b Lib. 11. cap. 1. c Amb. cit. c. 13.
d Drex. Nice. l. 1. cap. 9. §. 2.
e Eccl. 7. f Prov. 7.

laqueum, & nescit quòd de periculo animæ illius agitur. Gordiana Magni Gregorii amita, ut ipse deplorat. l. 4. dial. c. 16. licet sanctissimo sororum Tharsillæ & Æmilianæ exemplo frueretur, quia tamen plus æquo gaudebat consuetudine cantatricum ac saltatricum puellarum, miserè seducta fuit, & *Nesciit, quod de periculo animæ ageretur.* Multùm laborarat Augustinus in suo Alipio, ut ejus animum à ludis Circensibus avocaret; & prorsus persuaserat; dum quidam ejus amici & condiscipuli, fortè de prandio redeuntes, obviam facti, familiari violentiâ in circum trahunt, & sequitur sicut avis ad laqueum, idque cæcus, quasi sic tutus, animum enim obfirmârat oculos claudere. Quid fit? dum theatra insaniunt, dum fistula dulce canit, captus est, *a & non erat jam ille, qui venerat, sed unus de turba, ad quam venerat, & verus eorum socius, à quibus abductus erat. Quid plura? spectavit, clamavit, exarsit. Abstulit inde secum insaniam qua stimularetur, redire non tantum cum illis, à quibus prius abstractus est, sed etiam præ illis, & alios trahens*, ipsemet auceps factus. Philoctetes nescio quo telo saucius, vitam tamen omnem aucupio prorogabat: *b* configebat tardus celeres, stans volantes, pennarumque contextu, corporis tegumenta faciebat; complures saucii, sed telis cupidinis, vitam aucupio agunt, configunt tardi celeres, contemplantes & stantes, volantes. Quin & fœminæ, ut ad eas revertamur, hoc aucupium exercent, quæ quidquid cimeliorum; inaurium, pancarpiorũ, monilium gestant, hoc artificio & quæstu sibi compararunt, pennarumque contextu tegumenta faciunt. Quibus gravissimè comminatur celebris Ecclesiastes B. Thomas de Villa Nova: *c Væ miseris mulieribus, quæ in hoc fœno poliendo, adornando, formando, decorando vitam expendunt: vestes pretiosas & jocalia, & muranulas, & alia. puerilia & vana curiosius perquirendo, facta sunt laquei dæmonis, ad capiendos stultos passeres. d* Multò vero nequiùs, dum infames illæ, & prostitutæ pudicitiæ venatrices, ut cum Petronio loquar, prostant in nebula linea, ventum textilem indutæ. *Video sericas vestes*, inquit Seneca, *e si vestes vocandæ sunt; in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit.* Ægyptia mulier sic instructa, Josephum in casses pellicere studuit, de quo præclarè Ambrosius. *f Immisit oculos uxor Domini ejus in Ioseph; hoc est, non ipse se ostentavit, nec cepit incautum; sed ipsa retia sua misit, laqueos suos sparsit* &c. *g sed frustra jacitur rete, ante oculos pennatorum.* At quàm pauci ejusmodi pennati! quàm multi æternùm *optarint pennas tunc habuisse suas.* Aucupium mulieris hujus eleganti penicillo pictor in tabula expresserat, hoc brevi lemmate subjecto: *Plures est invenire tales Dominas, quàm tales servos.* Tales pellices & aucupes, quàm tales aves. His retibus fortissimi Sampsones, sapientissimi Salomones, sanctissimi Davides capti

a Lib. 6. Conf. cap. 8.
b Cic. lib. 5. de finib.

c Conc. 1. Dom. 3. Advent.
d Tolenaer Eccl p. 525. *e* Sen. l. 7. de benef. c. 9. *f* S. Ambr. l. de Ioseph cap. 5. *g* Prov. cap. 1.

capti & decepti sunt: quò enim spectat mentita frons, cerussatæ genæ, crispum capillitium, omnisque oris venustas? nisi ut, Greg. Nazianz. teste; *a ea pluribus viris, non secus ac rete avium gregibus prostet*. Eodem spectat illud Clementis Alexand. l. 2. Pædag. c. 10. *Fœminis caput tegere, & vultum adumbrare justum est; neque enim honestum est, corporis pulchritudinem esse hominum aucupium*. Quid fucos ac pigmenta commemorem? Suffecerit fœminas unguento delibutas (quæ sicut columbæ ad fenestras) iis columbis conferre, quæ unguento illitæ alias secum abducunt, ut videre est in symbolis Caussini l. 6. Polyhist. 43. & Sandæi artif. Euangel. titul. auceps.

Ex quibus patet non phantasticam fuisse visionem magni Antonii, dum super orbem universum expansos vidit laqueos; quod ipsum Chrysostomus hom. 15. ad populum Antiochenum confirmat.

Quare si nomini, si æstimationi, si bonis corporis & animi, si saluti consulere velis, sequere monitum sapientis, *b eruere quasi damula de manu, & quasi avis de manu aucupis*; exemplo Francisci de Sales, qui dum Paduæ studeret, vitæ liberioris juvenes ei retia tetenderunt, puellam subornant, *c ornatu meretricio præparatam ad capiendas animas*. Conveniunt Franciscum, *d* invitant ut secum velit invisere clarissimum quemdam D. Doctorem, qui primum Paduam advenerat: comitatur, ducitur ad domum hujus puellæ, sequitur quasi avis ad laqueum, ascendunt ad superius cubile, puellam inducunt, quæ blandè illum excepit & suaviter confabulari occœpit, sociis interea sese clam subducentibus. Franciscus ubi se solum advertit, ac illam molliorem sermonem auspicari, pudicitiam ejus aucupari, in faciem scorti exspuit, & cum stupore auscultantium sodalium, Euro ocyor aufugit, nec posthac consimili aucupum gregi se commisit. Hunc sequere, & imitare, & ut Hieronymus ad Nepotianum: *tales habeto socios, quorum contubernio non infameris, non ornentur veste, sed moribus: non calamistro crispent comas, sed pudicitiam habitu polliceantur. Talis quisque censetur, qualis est qui cum versatur.* Ac tandem hoc aureo epiphonemate concludit: *nosti, aves concolores simul volitant. Vis nosse hominem, attende quorum familiaritate assuescat. Amicitia pares aut accipit, aut facit.* Idem testatur Plutarchus l. de amicitia: *talis eris, qualis conversatio quam sequeris.* Chameleon induit omnes colores rerum, quibus accedit. Si cum viro literato agis, sermones erunt de literis, de studiis. Si cum bellicoso, de rebus bellicis, stratagematis, vallis, propugnaculis. Si cum venatore, de sylvis, de canibus, de prædis. Si cum lascivo, de amatoriis. Si cum ebrioso, de poculis, quod genus vini optimum. Ita qui *e communicaverit superbo, induet superbiam.* Sed quoniam huc referri possunt, quæ de noxia consuetudine part. 1. Dom. 13. post Pent. enucleatè tractavimus, concludo, & ut pra-

a Greg. Naz. cont. mulieres se ornantes. *b* Sap. 6. *c* Prov. 7. *d* In vita.

e Eccl. 13.

vam societatem declinetis, efficacissimum illud motivum subnecto. Quemadmodum non minimum beatæ menti gaudium ac voluptas est, suavissimo Redemptoris nostri sanctissimæque matris, totque millium fortissimorum Martyrum, Confessorum, virginum contubernio frui, ac beatorum, quibus hic convixit, angelorumque choris interesse, sic & reprobo tormentum erit maximum, societate tam execrabili æternùm liberari non posse. Quid sentias, si cogaris, dum sanus es, inter ulcerosos, morbidos, cadaverosos homines, in eodem hypocausto noctes diesque agere, crura sanie taboque fluentia cernere, fœtores ferre, lamenta eorum, & complorationes varias audire: cùm ille ingemiscit, ille queritatur, ille tussit, hic penè pulmones ejicit, alius plorat, prope expirat alius. O qualis infernus est, dices, inter hos vivere? sed ô peccator, quàm hoc ad infernum nihil est! balsamum est, quod fœtorem vocas; musica est, quod lamentationes dicis. Ludus est, quod cruciatum appellas; paradisus est, quod infernum credis. Nam si grave ac molestum sit inter paucos versari, quibus odio sis, quid ergo molestius, quid acerbius quàm illic esse, ubi nemo alterum amat, ubi omnes alterius flagrant odiis? hi mores sunt in aula satanæ, omnes qui sic se perditè amant, sic mutuis ardent odiis ut alter alterum si posset, dentibus laceraret: nam hi ardentes incolæ, & in aliis, & in seipsis imaginem Dei extremè oderunt: sicut enim Deum, sic quidquid est Dei, summo prosequuntur odio; at inter tales domesticos semper vivere, acerbissimum vitæ genus est. Et sic illud prisci Poëtæ verissimum:

a Nec possum tecum vivere, nec sine te.

Oculos verò potissimum torquebit, eorum sociorum præsentia qui causa exstiterunt damnationis. Quos tum perditionis suæ ac tormentorum auctores, diris omnibus execrabuntur. Ab horum societate non posse liberari gravius supplicium est, quàm in foveam serpentibus plenam conjici, nec inde umquam educi, à colubris assiduò morderi, nunquam emori.

Hæc societas minimè socialis, id facilè à quovis impetret, ut pravas illas societates potantium, ludentium, pejerantium, obscœna crepantium, vitia communicantium quàm studiosissimè fugiat, & quidquid pravi consortii est, caveat religiosè, cùmque iis hic consuescat, quorum contubernio tota æternitate in cœlis congaudere valeat.

a Mart. lib. 12. epigr. 47.

EMBLE-

EMBLEMA XXXVI.

Prudentiores filiis lucis. Luc. 16.



ILLE CATVS PRÆDATVR VT VNAM. a

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Majori ſolertiâ *filii tenebrarum* terrena & fluxa ſectantur, quàm *filii lucis*, cœleſtia & æterna.

§. I. *Milites & Mercatores pro corruptibili coronâ, & fluxis bonis magis deſudant, quàm nos pro æternis.*

§. II. *Homines ſeculares, vanitati ac mundo muliebri impenſiùs deditis quàm nos veritati, & animi cultui.*

a Horat. l. 2. ep. 2. Ovid. l. 3. de arte.

DOMINICA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Prudentiores filiis lucis. Luc. 16.



TARTAREOS hostes, nocturnos lemures, tenebricosos feles, catos ac cautos, ut animas velut mures venentur, Augustinus subindicare voluit, *a* dum se eorum insidiis ereptum gloriatur: exponens quippe illud Psalmi: *ipse liberavit me de laqueo venantium.* quærit quid est hoc? unde eruet me? *de muscipulâ venantium* inquit. ubi ut Lanuza observat, *b* Cacodæmones facit nocturnos venatores, felium in morem, per noctis tenebras nos miseros, velut musculos, cautè & callidè insectãtes. Asseclas verò sibi adsciscunt filios tenebrarum, quibus idem studium, majori longè solertiâ, astutiâ, labore, vigiliis fugitiva & terrena aucupari, quam filiis lucis, ut cœlestia & æterna conquirant. quod in divinis suis commentationibus Africanus Antistes expendens, in has amarissimis lachrymis plenas voces prorumpit: *c* *Amator hominum benignissime, Iudex æquissime! discernèsne hoc æquum & justum esse, ut filii hujus sæculi, filii noctis & tenebrarum, ferventiori desiderio & studio diligant, & quærant perituras divitias, fugitivos honores, quàm nos servi tui diligimus te Deum nostrum, per quem facti, & redempti sumus?* quod quàm indignum, luculentius exaggerabimus.

a Aug. in Psal. 90.
b Lanuza hom. 36. §. 17. n. 7.
c Aug. in medit. c. 35.

§. I.

Majori solertia milites & Mercatores pro corruptili corona & fluxis bonis desudant, quàm nos pro æternis.

FOrtissimi athletæ, qui olim apud Romanos decertarunt, voluptatem omnem, quæ vires corporis enervat, aversari, delicias ac cupedias, quæ homines molles ac effœminatos reddunt, detestari, juxta illud Pauli, consuêrant: *d* *omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet:* Græcè, πάντα ἐγκρατεύεται, *per omnia temperans est*; & ut Cyprianus, *Continens.* Cornelius hîc: omnes "delicatis cibis abstinebant, & "certo necessario victu, seu pane "athletico utebantur. Insuper "nullos labores quantumvis arduos recusare, vitam & sanguinem in apertum discrimen vocare non reformidabant. unus Trajanus, ut Lipsius ex Dione refert, *e* gladiatorum decem millia dedit, qui nullis adversus ictum armis muniti, toti vulneribus patebant: *f* *nihil habent, quo tegantur, totis corporibus ad ictum expositi, numquam frustra manum mittunt*, pergit porrò, sævientis populi voces exprimens: *occide, ure, verbera. quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum au-*

d 1. Cor. 9.
e Lipsii Saturn. l. 1. c. 11.
f Seneca ep. 7.

dacter occidit? quare parum libenter moritur? plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus, nudis & obviis pectoribus excipiunt. in has leges ferreas jurabant: *a in ustionem, verbera, necem*; quæ gladiatores patiebantur ex more. necem cum cecidissent, & ferrum juberentur recipere: flammam & verbera, si quando timidius pugnarent, aut fugerent à ferro. Acron in Horatium: *gladiatores ita se vendunt, & cautiores faciunt uri flammis, virgis secari, ferroque necari.* quorsum hæc? nisi ut populo lanienâ suâ ludum facerent, & sanguine suo spectacula præberent, per vulnera plausum, & mille per discrimina, coronam sibi futilem ac corruptilem conquirerent? *b* & hi *quidem, ut corruptibilem coronam accipiant*, lauream, populeam, gramineam, aliamve, quæ ilicò marcescit. ab illa fortitudine (si tamen ex vero fortitudo est) Tertullian. Adv. Gnost. cap. 5. argumentum sumpsit, ut Christi Athletis adderet animos, morte fortiores. sic enim ad illos altiore stylo: *quid gravatur pati nunc homo ex remedio, quod non est tunc gravatus pati ex vitio? displicet occidi in salutem, cui non displicuit occidi in perditionem? nauseabit ad antidotum, qui hiavit ad venenum?* Miseram prorsus istiusmodi hominum conditionem Augustinus miseratus, ostendit plerosque qui etiamnum militant, iis quàm simillimos esse: *c veterani homines*, inquit, *qui in militiâ laborant, & versantur inter vulnera tot annos, incipiunt militare à juventute, exeunt senes, ut habeant paucos dies quietos senectutis suæ: quando eos jam ipsa ætas incipit gravare, quos bella non gravant. quanta dura tolerant? quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula? & non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies quietis, ad quos utrum pervenient, nesciunt.* Quam arduum à juventute patrios lares, parentes, propinquos, omnia vitæ commoda relinquere, & castra sequi? vigilias, frigus, æstum, famem, sitim, extremam quandoque inediam tolerare, vitam omni monasticâ duriorem inducere? mitto, in quæ se ultrò ingerunt pericula, quibus fortissimi ac generosissimi ut plurimum involvuntur; & hæc omnia gregarius miles intrepidè aggreditur, ut panem victalitium mereatur. alii ut levem auram honoris, ut signiferi, centurionis, chiliarchæ titulos, ut *coronam corruptibilem*, ut *paucos dies quietis* sibi conquirant, quos millesimus vix adipiscitur. hæc nos, ac longè minora pro immarcessibili gloriæ corona refugimus. præclarè Tertullianus ad Martyres cap. 4. *si tantum*, inquit, *terrena gloria licet de corporis & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant, sub præmio laudis humanæ possum dicere: modica sunt ista passiones ad consecutionem gloriæ cælestis.* ac tandem nos imperitos, imò stultos mercatores arguens, subdit: *tanti vitrum, quanti verum margaritum? quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso?* Quis ergo non libentissimè tantum desudabit, decertabit pro cœlesti illâ, & amplissimâ Jerusalem, quantum hic pro exigua urbecula v. g. Ostend-

a Lips. cit. l. 2. c. 5. *b* 1 Cor. 9.
c S. Aug. in Psal. 36. conc. 2.

Ostenda, vel Breda, quæ tantum laboris, calamitatis, & sanguinis steterunt, aut quantum pro pugillo terræ, exigua munitiuncula exantlatur? cum orbis universus, attestante Seneca, *a* in comparatione cœlestis illius urbis, punctum sit; quod tamen ferro, & igne dividitur. plus dico, si tota Græcia in armis steterit, si decennali bello Trojam afflixerit, universam urbem incenderit, tanto generosissimorum juvenum ac heroum sanguine & interitu depugnatum sit pro una Helena, de qua Poëta:

Quid petitur tanto nisi turpis adultera bello?

quid nos pro increata illa Dei pulchritudine, pro venustissima illa æternæ veritatis, seu divinitatis forma contemplanda, facere par est? *b incomparabiliter* quippè *pulchrior est veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum: pro illa enim fortiùs martyres nostri, contra hanc Sodomam, quàm pro illa, mille heroës adversus Trojam dimicarunt* aculeum hîc in segnes Christi commilitones, exerit Doctor mellifluus: *c quis igitur finis, fructusque secularis hujus non dico militiæ, sed malitiæ? si & occisor* (ut sæpius accidit) *lethaliter peccat, & occisus* (qui in peccato mortali) *æternaliter perit.* ex quibus, *ad confusionem nostrorum militum Christi* docet, quantò satius sit, in se, in carnem, in vitia sævire, pro regno cœlorum, quod vim patitur. *d Quid fabros, aut cæmentarios, cæterosque ejusmodi operarios necesse est numerare?* horum laborem, sudorem, molestias, vigilias, vobis considerandas relinquo, & oculos animosque si lubet, ad mercaturam convertamus; occurret primum verissimum illud Poëtæ:

e Impiger extremos currit Mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Studia Mercatorum hujus seculi considerate: quomodo suo absorpti & toti immersi lucro, ut aliud planè cogitare non videantur; hinc omni tempore & loco, omni occasione occurrente, Mercator lucro inhiat: seu mensæ accumbat, seu cubitum concedat, seu strato assurgat, de eo diu noctuque cogitat, hæc illi cogitatio somnum interturbat. accedit insatiabilis sitis habendi, & auri dira fames. de præposteris illis hominum studiis, curisque, questus olim Augustinus, assumptâ Domini personâ: *f jubet avaritia ut mare transeas, & obtemperas; jubet ut te ventis procellisque committas: jubeo ego ut ante ostium tuum, ex eo quod habes des pauperi, piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare.* strenuus es ut horrea tritico oppleas, penuaria vino & oleo redundent, cistæ & sacci, auro & argento turgeant.

Hoc nos imitari non pigeat, ac omni studio in illud incumbere, quomodò nostrũ indies cœleste peculium adaugeamus. quomodo de virtute in virtutem crescere, & gratiæ thesauros accumulare valeamus. quo argumento suis ruborem suaviter incussit Abbas

a Senec. præfat. nat. quæst.
b S. Aug. ep. 9. *c* S. Bern. ad milites templi c. 2. *d* Bern. declamat. ecce nos reliquimus omnia.

e Horat. l. 1. ep. 1.
f S. Aug. in Psal. 18.

Claræ-

Clarævallensis: *a utinam*, inquit, *fratres, nos sic essemus cupidi gratiæ spiritualis, quemadmodum seculares homines pecuniæ temporalis: magna enim confusio, magna valde, quod ardentiùs illi perniciosa desiderant, quàm nos utilia: citiùs illi ad mortem properant, quàm nos ad vitam.* Hac de causa magnus ille Indiarum Apostolus, *b* Franciscus Xaverius erubuisse, & succensuisse legitur, quòd mercatores priùs ad Japonas penetrassent, fluxas ac perituras merces suas illuc devehendo, quàm ipse ut cœlestes thesauros, quibus fides orthodoxa propagari, ac regni cœlorum limites dilatari possent. Erubescamus itaque, & confundamur, quod filii hujus sæculi, prudentiores & multò vigilantiores sint, ut inanes honorum titulos, ac fluxas opes aucupentur, quàm nos ut opes cœlestes, & dignitates æternas conquiramus: cùm tamen redemptor noster, divino illo increatæ sapientiæ consilio, regnum cœlorum, *c homini negotiatori conferre* non dubitarit, nosque omnes negotiari jusserit, dicens: *d negotiamini dum venio.* quô quid aliud commendat, quàm ut eam curam, diligentiam, solertiam, pro regno cœlorum, in quo gloria, & divitiæ ac thesauri reconditi, quo fur non appropiat, adhibeamus, quàm mercatores hujus mundi: *e nonne ipsorum insatiabilia desideria, arguunt nos negligentiæ & tepiditatis? pudeat certè spiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri.* unum vobis in exemplum adduxisse sufficiat, de quo eruditus virtutis magister commemorat: Mercator quidam summâ pecuniæ satis mediocri, *f* quercus emit in silvâ vulgo notissimâ, hac conditione, ut tot excidere illi liceret, & suas facere, quot ictu securis notare posset per integrum diem, ab ortu solis ad occasum. pacto hac ratione inito, Emptor per plures dies & hebdomadas, nemus hoc inambulavit: sagaci oculo lustrando, & observando quercus prægrandiores, sibique maximè vicinas; tum quomodo de una ad alteram, brevissimo itineris intervallo convolare posset. cumque studiosè magnâ copiâ, oculo & animo, omnia robora designasset, diem huic mercaturæ opportunum elegit, Junii diem longissimum, nempè solstitii, neve particula boni diei præteriret, frustum panis, & potum necessariũ asportavit. mox ut illucescere occœpit, tanta contentione, celeritate, solicitudine opus aggressus est, ut gravissimo Domini detrimento, sylvam duarum leucarum in longitudine, unius in latitudine, omni ferè quercu spoliarit. cui tandem subjungit: nos filii lucis, ad lucrum animę cæcutientes, oscitantes, dormitantes sumus: Ecquis enim ea diligentia se manè strato eripit, tanto studio salutis suæ negotia pertractat? Ecquis tanta animi contentione, altas quercus superbiæ, avaritiæ, iræ, luxuriæ, pervicaciæ, decutiat atque prosternat? nullius verò damno, at nostro summo emolumento cœlestes sibi divitias conquirat, quas modò dum tempus habemus,

a S. Bern. ad fratres de altitudine & latitudine cordis serm. 1.
b In vita l. 3. c. 6.
c Matth. 13. *d* Luc. 19.
e S. Bern. ep. 341.

f Crombecius de perfect. l. 1. c. 38.

quisque

quisque sibi comparare deberet? unde; justæ illæ Dei querelæ, justaque expostulatio, quam æquis oculis, attentaque mente, dum spectat Bernardus, hæc etiam in hominem jacit: a *Mirum est de te homo miser, quod ad mala sis totus avidus, totus promptus, totus facilis, totus sapiens, & totus solicitus: ad bona autem es totus durus, totus piger, totus tepidus, totus stultus, totus incredulus & rebellis.* nimirum multis evenit, quod illi quondam, quem sanavit Jesus, summus & corporum & animorum medicus: habebat ille dexteram manum aridam, exsuccam & operi exercendo penitus inutilem; At sinistram succo plenam, vividam atque expeditam. fuit æger ille, quisquis is fuit, typus aliquis miselli homuncionis, cui manus dextera, hoc est facultas ad bonum, arida atque impedita; ad malum autem prompta & expedita. Si potentissimus Hispaniarum Rex gregarium militem, ob operam gnaviter in bello navatam, in archivum suum, ubi omnes thesauri ejus asservantur, immitteret; ut tantum inde divitiarum asportaret in ædes suas, quantum quarta horæ parte auferre posset, & vellet; quanta Deus bone! contentione ac solertiâ hoc breve tempus impenderet! quàm prompta hîc & expedita manus militis, hos auri argentique cumulos versaret! dum ecce thesauri gratiarum & gloriæ, summi illius Regis tibi patent. b *quodcumque facere potest manus tua, instanter operare*, non oscitanter, non pigritanter. nundinas Imperator stupendâ munificentiâ proponi jussit, in quibus quisque horæ spatio comparare posset, sine auro aut argento alive pretio, sed merè gratis, quidquid arrideret, aut adluberet. ad quas omnium undique concurrentium studium, oculorum animorumque aviditatem, penes vos expendite, & ad nundinas æternitatis, quæ momento stant, convertite: virtutes hîc æternis præmiis, aut vitia æternis pœnis digna comparamus. c *non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* sed ô pigram! ô inertem mortalium stoliditatem! quam ut prorsus damnandam redarguat, & è Christianorum animis eliminet D. Chrysostomus, argumentum sumit à fortiori, videlicet ab urinatoribus, à ludis theatralibus, in quibus vel gemmarum avidi mortales, vel vanæ gloriolæ cupidi, nulli labori parcunt, ut emant pretiosa pericula. d *Homo urinator*, inquit, *nullam aliam ob causam, audet seipsum in profundum aquarum demittere, quàm propter margaritas, bellorum causam; & tu ut accipias thesaurum deficere nescium, non sustines æstum, neque sudorem. non vides istos, qui sedent in theatro quomodo sudent, nudoque capite solis radium accipiant, quo fiant captivi mortis, & scorti mancipia?* ubi aureâ fandi copiâ, hæc emisit Chrysostom. tum altum exclamat: *ad exitium illi laborant, & tu ad salutem segnis ac remissus es.* magna profectò abusio, ut guttam roris concretam, è fundo maris hauriant, in apertum vitæ periculum se conjiciunt;

a S. Bernard. serm. de miseria hum.
b Eccl. 9.
c Eccl. 14.
d Chrysost. hom. 2. de verbis Isa.

& ut similem te præbeas, citra ullum vitæ periculum, *a homini negotiatori quærenti bonas* (& veras) *margaritas*, quibus regnum cœlorum comparatur, *segnis ac remissus es*. Hoc olim paucis, sed gravissimis verbis, cum signo admirationis, exaggeravit Hieronymus: *b tanti vitrum, quanti pretiosissimum margaritum!* stulti enim verò, ac stolidi mercatores! rem historia non injucunda explanabit

Amœno vir ingenio, Angelinus Gazæus in suis piis hilariis:

Dum Gallieno Roma subdebat caput,
Gyrovagus, aut ex Alpium convallibus
Mercator (ille de venustorum grege,
Qui defricandis se caminis devovent)
Romam adiit, & mox Gallieni in atrio,
Genus omne merces: tenias, monilia
Sub pergulâ patente, venales dedit.
Venêre visum de gynecæo leves
Animulæ, avidulæ, comptulæ, pedissequæ:
Et post coëmptas, quas lubebat reculas
Acus, inaures, annulos, crumenulas:
Monuere divam Gallieni conjugem,
Prostare baccas pene sideribus pares.
Accitus igitur mango gemmarum, suam
Pandit Apothecam Principi, & solitum sibi
Valere tanti pejerans, adulteros
Vendit adamantes, & pyropos maximi.
Exinde collo & pectori appendit suas
Regina merces, & cubile inambulat,
Pavone gloriosior. fors affuit
Nasutus aliquis, & peritus quid rei
Distent lupinis æra; subridens ait,
Quanti ergo margarita, si tantè vitra?

Deceptam se Regina, & tanti vitrum, quanti magaritum coëmisse non sine stomacho advertit. quæ ut ad mores referamus, ejusmodi vesana mercatrix, habenda est Thomæ Mori uxor Aloysia, quæ impiæ Regis sententiæ marito subscribere suasit, ut ad 20. annos vitam prorogare, uxorem, liberos, propinquos, familiam omnem divitiis ac gloriâ florentem conservare posset: ad quam Morus: vis ergo, ait, æternitatem viginti annis commutem? næ tu imperita es mercatrix, ô Aloysia, *c & quasi una de stultis mulieribus locuta es*: nam si annorum aliquot millia diceres, aliquid tu quidem diceres; sed tamen ad æternitatem quid essent? velut umbra, velut somnium, velut momentum ad æternum, velut vitrum ad margaritam. non est cujusvis inter smaragdum magni pretii, & inter vitreum lapillum per artem dissimulatum, discernere: nisi advocetur doctus & peritus artifex, qui dolum detegat. quod oculis mentis perspicuè dispicies, ubi in alteram regionem commigraveris, ubi invenies,

a Matth. 13.
b S. Hieron. ep. 103. ad Paulin.
c Iob. 2.

nies, *a* quod *argentum tuum versum est in scoriam*, aurum tuum versum est in lutum, seu ut Bernardus, *in glebas terræ*: ubi gemmæ omnes, ac lapides pretiosi, vitrum imò nihilum reputati sunt. illic pluris venire lapides Stephani, ferrum Pauli, lignum Petri, craticulam Laurentii, subulas Crispini; manifestò comperies. quare præposteros hic mortalium mercatus, damnat Hieronymus, non sine luctu, tædio ac pudore sui, id est humani generis. *b considerare*, inquit, *pudet quantus sit fervor in seculo: ipsa magis ætate inflammatur divitiarum amor, insatiabilis est, expleri nescit harum cupido: celerem habitura res finem, sine fine quaruntur: nos cœlestes divitias, immortales honores, pigrâ quadam dißimulatione negligimus.*

a Isa. 1.
b S. Hieron, ep. ad Demetriad.

§. II.

Homines seculares vanitati, ac mundo muliebri, longè impensiùs dediti, quàm nos veritati, & animi cultui.

VIdere propè indies est, quanto apparatu, quantâ curâ, quanto vestium luxu, quanto temporis impendio, quanto omnium virium impendio, filii & filiæ hujus seculi, ad magnifica encænia, ad munifica convivia, ad amplissimas epulas se comparare, supellex omnis, parietes, atria, & potissimum inter convivas sponsus ac sponsa exornari consuevêre. dies, & menses, & anni hic breves sunt; ut verò quis ad cœnam magnam, ad nuptias agni, debitum animi cultum, & vestem nuptialem induat, minima cura tangit: Cum interim in hanc, utpote non levem incuriam, cœlestis ille paterfamilias, Augustino contestante, *c* gravissimè animadvertat, exponens quippè illud Matth. 22. *Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* exclamat: *avertat à nobis Deus illud quod sequitur: cum enim hæc peccator ille audiens obmutesceret, dixit Paterfam. ligate illi manus & pedes, & projicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.* tanti supplicii causam subjungit, dicens: *ecce qualem sententiam accepturi sunt, qui majorem de corpore, quàm de anima solicitudinem gerunt: & plus cogitant, qualiter caro sua parvißimo tempore vivat in oculis hominum, quàm quomodo anima sua ornata bonis operibus, ad beatitudinem vel similitudinem perveniat Angelorum.*

Hæc consideratio S. Nonnum, Heliopolitanum Præsulem quantum commoverit audite, *d* cum videret hic Pelagiam, mulierem vulgarem, ad unguem undequaq; gemmis & auro cultissimam, fortè tum transeuntem, in ejus contemplatione aliquantulum oculis defixus, dein ad circumstantes versus: & quot, inquit, horas putatis, hæc mulier expendit: dum se in cubiculo comit, lavat, ungit, componit, ornat, dum se omnium oculis quàm exactissimè polit? & nos quantillum temporis & studii, neque id sine nausea insumimus, ut animum excolamus, ut Deo placeamus?

c S. Aug. serm. 102. de temp.
d Surius in vita Pelagiæ. Rosvveid. vit. Patrum l. 1. pag. 377.

cum

cum dicto in lachrymas, & preces solutus est, quibus à Deo impetravit, ut omnem corporis cultum ad animum Pelagia conferret. non una hac in urbe Pelagia deflenda est, quæ optimam, & maximam vitæ partem, ante crystallum consumit, in qua classe censendi, ac censura gravi notandi *a juvenes, ut fœmina compti*, in quos ignea jacula Antiochenus Præsul ejaculatur: *b In tonstrina*, inquit, *sedens, & tondens cæsariem accepto speculo, crinium compositionem diligenter examinat, & adstantes consulit, & ipsum tonsorem, an benè quæ circa frontem sunt, composuerit? & cum sit plerumque senex, juvenilibus insanire vanitatibus non erubescit; anima verò nostræ deformiditatem non aspicimus.*

Thomas Morus, ille Martyrum æmulus, & Angliæ gemma, literis & pietate clarissimus vir, dicere solebat: *c quàm plurimos in hac vita, eo labore infernum mercari, cujus vel dimidio cœlum lucrati fuissent*. cumque hic ipse vir sanctus interveniret virgini ad speculum sese contemplanti, quæ multo cum labore, nec sine dolore comas nodo cogebat, & tunicam, quò gracilior videretur, arctissimè astringebat, tam festivè quàm sapienter interpellans: *nisi Deus*, inquit, *tibi pro hoc tuo tanto labore infernum reddat, magnam profectò tibi injuriam faciet*. ô inanes, & verè frustra collocatos labores! ô temporis jacturam irrevocabilem! quanti horulam emerent vel unicam, ad inferos dejecti? & hic tot horas optimas, prodigentiâ pessimâ perdimus magis, quàm vivimus. Bernardi querela est æquissima: *d tempore nihil pretiosius, sed eo nihil aut vilius haberi, aut pejus expendi. transeunt*, inquit, *dies salutis, & nemo recogitat. nemo sibi non reditura momenta periisse causatur*; quorum vel unico, beatam & immensam illam omnium gaudiorum æternitatem comparare possemus: ubi severa illa Carthaginensis Antistitis valet comminatio: ut plus conscientiam sordidam, dedecoris ac turbinis suæ rubor cædat: *e ponat unusquisque ante oculos suos diabolum cum servis suis, id est, cum populo perditionis ac mortis, in medium prosilire, dicentem: ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, sed nec regnum cœleste illis promitto: & munera mihi quàm pretiosa, quàm grandia, quàm nimio, & longo labore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant? tuos tales munerarios Christe demonstra &c. quid ad hæc respondemus fratres charissimi?* dum Christus queretur: nudus eram, & non cooperuistis me. *f* Diabolus in medium adferet Rajolæ crepidam, gemmis distinctam, sex millibus, sexcentis aureis æstimatam. illic fœminæ illius syrma inducet, in quod florenorum duo millia quingentos profuderat. *g* tuum ô puella collare, in quo componendo biennium insumptum, & honestæ familiæ alendæ sumptus expensi. tuas inaures, monilia, mundum muliebrem, & pectines, & calamistra,

a Ovid. ep. 4. *b* Chrysost. hom. 23. ad pop. *c* Stapleton. in vita Thomæ Mori c. 12.

d Bern. ser. ecce nos reliquimus omnia.
e Cyprian. serm. 1. de eleem.
f Drexel. Trismeg. l. 3. c. 10. §. 5.
g Causin. tom. 4.

&c.

& pulveres & unguenta, te totam inducet. hic Alexandrina illa nobis ruborem, quæ olim Pamboni lachrymas excussit; quare dum tempus est, *a amorem vestrum purgate, & quales impetus habebatis ad mundum, tales habeatis ad artificem mundi.*

Alexandriam contenderat Pambo Eremita, *b* ab Athanasio Episcopo accitus: occurrit in via mulier, sumptuosius ac speciosius ornata, quæ omnium oculos in sui spectaculum flexerat. hanc ut deserti incola tacito stupore conspexit, attonito similis hæsit, ut Nonnus: & protinus in lachrymas iit. rogantibus sociis, quid hæ lachrymæ sibi velint? duplex mihi causa flendi respondit: una, quòd videam hanc mulierem sibi, aliisque exitio esse: altera, quòd ego ah! neutiquam tantum studii, ac curæ adhibeam, ut mihi prosim & Deo placeam, quantum fœmina illa, ut sibi obsit, ac Deo displiceat. certè hoc paulò aliquid supra dementiæ malum est, fatigari in suam aliorumque perniciem. infelicem istiusmodi hominis stoliditatem Chrysostomus queritur, *c* dicens: *quis eò usque miser, & infelici sidere natus esse queat, ut nec studii quidem tantundem Christi, quàm peccati ac Diaboli servituti impendat?* ut nec tantumdem curæ, immortali animæ, quàm putridæ ac corruptili carni insumat? nonne anima, & Dei, & tuo, & omnium judicio, magis curanda, quam corpus? cur ergo non ita solicitè quæris ea, quæ prosunt animæ, uti sunt merita gratiæ, profectus virtutum: quemadmodum quæris & optas corpori vestem optimam, habitationem commodam, cibum sapidum? *d nonne anima plus est, quàm esca? inordinata* certè (inquit Bernardus) *e atque irrationabilis misericordia est, sterilis & infructuosa carnis* (quæ juxta Domini verbum, non prodest quidquam) *adimplendis evigilare desideriis: & de animæ curâ, sapientis saluberrimum non curare consilium, admonentis atque dicentis: miserere animæ tuæ placens Deo. bona misericordia, misereri animæ tuæ: nec potest non mereri misericordiam, quâ fit ut placeas Deo.*

Fatendum, quod Romanus Philosophus ethnicis exprobravit: *f insitam nobis esse corporis nostri charitatem*. qui convivium, qui nuptias, qui ludos apparat, quantum laboris, sudoris, curæ, solicitudinis subit, ne quid sapori, splendori, honori desit? quantum denique filii hujus seculi, per omnem vitam diu noctuque exagitentur, inquietentur, ad mortem usque defatigentur diximus p. 1. Dom. 17. post Pent. §. 2. suffecerit illud Gregorii hîc attulisse: *g omnes hujus seculi dilectores, in terrenis rebus fortes sunt, in cœlestibus autem debiles: nam pro temporali gloria desudare usque ad mortem appetunt; & pro perpetuâ, ne parum quidem in labore subsistunt. pro terrenis lucris quaslibet tolerant injurias: & pro cœlesti mercede, vel tenuissimi verbi contumelias ferre recusant. terreno judici toto etiam die assistere fortes sunt, in oratione verò coram Domino, vel unius horæ momento lassantur.* quid, quod ad majorem nostri

a Aug. in Psal. 31. *b* Hist. Eccl. p. 2. l. 6. Ruffin. Aquil. apud Rosvveid. pag. 164. *c* Chrysost. hom. 12. com. ad Rom.

d Matth. 6. *e* Bern. apoleg. ad Abb. Gul. *f* Seneca ep. 14. *g* S. Greg. dist. 1.

confu-

confusionem, gentiles Philosophos Chrysostomus inducat, eorumque virtutes ac animi robur extollat; alto tandem cum gemitu, imò lachrymis suis illud ingeminando: *a valdè defleo, cum Græci* (ita passim ethnicos compellabant) *sint sapientiores nobis, qui jussi sumus Angelos imitari; imò verò qui jussi sumus Deum æmulari!* Tandem ne longior sim, si omnium hominum studia expendamus, omnium opificum officinas percurramus, si primo mane limæ, serræ, mallei fragorem attendamus; non pigebit pro mercede æterna laborare usque ad defatigationem. *b Faber ferrarius* (ait Ecclesiasticus) *sedens juxta incudem & considerans opus ferri: vapor ignis urit carnes ejus, & in calore fornacis concertatur: vox mallei innovat aurem ejus, & contra similitudinem vasis, oculus ejus. cor suum dabit in consummationem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem.* quæ ubi vir doctissimus, juxta ac Religiosissimus attulit, exclamat: *c* pudeat nos minùs & molliùs curare inæstimabile perfectionis opus, quàm Faber Ferrarius lebetem: S. Theodorus Studita: *d scelus est* (ait) *operarios carnales promptius opificia tractare, nos spiritualia segnes atque dissolutos adire. illos sudore fluentes à laboribus non abstinere, nos contentionis monasticæ fastidio duci.* scelus est operarios totam hebdomadam lucro suo inhiare, & unum diem Deo ac pietati, non velle vacare; imò dimidiam sacrificio horam tribuere. Sanctissimi Doctoris querimoniam audite: *e centum & sexaginta octo horas habente hebdomada, unam & solam horam sibi segregavit Deus* (ad Missam audiendam) *ô frigus Christianæ devotionis! ô Sacerdotum teporem, qui huic frigori deservit! hodie Missa non auditur si medietatem horæ excedit. Missa pulchrior est, quæ brevior est.* tot horas operi, tot fabulis, tot epulis, tot somno terimus: & vel quadrantem de die, ante somnum orationi, discussioni nostri insumere, quot mensibus semel sacro epulo animam reficere: semel in anno, aut in vita, paululum temporis suffurari, quo generali exomologesi, animi latebras discutiamus, nimis operosum censetur timendum ne serò & seriò queramur, quod olim ille, *f* qui viro magno à secretis, dies complures & noctes scribendo & lucubrando triverat; ubi morbo lethali oppressus, exclamavit: ô me infelicem, qui supra 25. chartæ volumina conscribendis literis, ac Domini mei rationibus consignandis impendi, & ne modicum foliculum pro rationibus animi mei, pro confessione generali exaranda consumpsi. ne & nos hæc quoque serò deploremus, aureo sermone suo hortatur Chrysologus: *g vivamus Deo paululum, qui seculo viximus totum; dedimus corpori annum, demus animæ paucos dies. tempus est, ut aliquando tibi domuique tuæ provideas.* optima & maxima vitæ pars abiit, imò tota periit, quia *seculo viximus totum.* parum vitæ superest: 10. fortè, vel 12. anni, fortè pauci dies, *vivamus* hoc *Deo paululum*, ut in æternum vivamus.

a Chrys. hom. 26. in 1. Cor. *b* Eccl. 38. *c* Nierenb. ascet. pag. 23. *d* Theod. Studita serm. 17. in æstatem.

e Chrysost. de Euch. c. 5. *f* Barry solitud. pag. 237. *g* Chrysol. serm. 12.

EMBLE-

EMBLEMA XXXVII.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Luc. 16.



PROCUL O PROCUL ESTE PROFANI. a

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

De cultu, ac reverentia templis debitâ.

§. I. *Terribilis est locus iste; non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.* b

§. II. *Domum tuam decet sanctitudo.* c

a Virg. VI. Æneid. b Gen. 28. c Psal. 92.

DOMINICA NONA POST PENTECOSTEN.

Domus mea, domus orationis vocabitur. Luc. 16.

Eteſtandum juxta ac deplorandum ſpectaculum, quod Dominus olim Ezechieli exhibuit, dum omnes abominationes quæ in domo Domini agebantur, ejus oculis, quaſi diducto ſipario objecti, ſic Prophetam compellans: *a fili hominis, putaſne vides tu, quid iſti faciunt, abominationes magnas, quas domus Iſrael facit hic?* Si id putas, falleris: nam plures, majoreſque mox tibi oſtendam. Quas ut penitius perſpiciat, jubetur Ezechiel perfodere templi parietem: & vidit ibi reptilia, & animalia, & idola domus Iſrael, depicta circumquaque in pariete: & 70. ſeniores, iis incenſum adolentes. Prophetæ ad hæc attonito, dixit Dominus: *adhuc converſus videbis abominationes majores.* Viditque mulieres plangentes Adonidem; hujuſmodi tamen tam execrandis flagitiis, atrociora exhibet, *& abominationes majores his. Et introduxit me in atrium Domini interius,* & conſpexi illic viros, dorſa habentes contra templum Domini, ſeu qui terga dabant arcæ domini, & applicantes ramum odoriferum, ſeu floſculum (ut moderni juvenes ſolent) ad nares ſuas. Unde Dominus: *numquid leve eſt hoc domui Iuda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic?* Hîc? ex quibus Deus ille zelotes concludit: *ergo & ego faciam in furore meo; non parcet oculus meus, nec miſerebor.* At quàm multos illis hodierna die conſimiles imò deteriores invenire eſſet, ſi parietem cordis perfodere liceret, & mortalium ſtudia, cogitationes, deſideria, quæ in templis agitant, introſpicere daretur? Et verò ipſa externi corporis ſpecies ſatis loquitur, & oculis indies proponit *abominationes peſſimas*; dum non unum in templo Domini, dorſum non arcæ, ſed immenſo rerum omnium conditori, & ſanctiſſimo illo totius divinitatis ſacrario obvertentem videmus; qui tantiſper dum myſtes finiat, barbam inſtruunt: nunc in aurem quid ſocio obgarriunt, & templum in forum, imò ut prima veritas aſſeverat, domum Dei convertunt in ſpeluncam latronis, ubi non una anima trucidetur: unde qui rei indignitatem expenderit, ejuſmodi meritò ut canes foris pellendos, aut ut garrulas & obſtrepentes hirundines, deturbandos eſſe judicabit, Quemadmodum mitiſſimus Jeſus hodie ſcuticâ armatus, omnes vendentes & ementes tanto zelo expulit, ut S. Hieronymus *b inter omnia ſigna, quæ fecit Dominus, hoc mirabilius aſſerat: quòd unus homo, illo tempore contemptibilis, potuerit ad unius flagelli verbera, tantam ejicere multitudinem. Ignitum enim quiddam radiabat ex oculis,* & divinitatis radios

a Ezech. cap. 8.

b Cit. S. Th. part. 3. q. 44. a. 3. ad 1.

dios evibrabat. Origenes dicit *hoc esse majus miraculum eo, quo aqua conversa est in vinum, eò quòd istic inanimata subsistit materia, hic verò tot millia hominum damnantur ingenia.* Quo zelo pro domo sua accensus, ostendere voluit, quantâ in reverentiâ, cultu, & æstimatione templa habenda sint.

Quod primum probare aggredior ex eo:

§. I.

Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cæli. Gen. 28.

LUidprandus Episcopus Cremonensis, *a* ad Constantinum Leonis Imperatoris Constantinopolitani filium, legatus missus est; quem Rex ad conspectum suum & audientiam admisit, ea majestate ac apparatu fulgens, quo omnibus terrorem incutere consuêrat: throno siquidem considebat inauratis leonibus terrifico, qui singulari artificio, horrendùm mugire audiebantur, atque hæc omnis machina arcanis trochleis, unâ cum Imperatore derepentè in cœlum attollebatur. Adhæc, in medio atrii Regii, conspiciebatur arbor aurea, in qua omnis generis volucres confictæ, suavissimè modulabantur. Omnis denique apparatus, splendore suo sacrum quemdam horrorem, locum hunc ingredientibus adferebat. Ludicra sunt hæc, & puerorum terriculamenta, ad ea, quæ Reginam Saba consternarunt: cui aulam Salomonis ingressæ, ut omnia auro & gemmis vidit collucere, ut Regem illum in majestate sua, eburneo solio, quem 12 leunculi cingebant, considentem, atque omnem ministrantium turbam, ad nutus regios, summa animi corporisque veneratione adstantes conspexit, *b non habebat ultra spiritum.* Terribilis profectò erat locus ille, qui tantum Reginæ terrorem incussit, ut exanimarit. Ad aliud vobis hodie atrium, ad alium thronum, non fictis leunculis, sed maximè tremendo illo leone de tribu Juda, magis formidandum, deducturus sum. Regina Esther, ut cubile regium ingressa est, ubi Rex Assuerus *c residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, eratque terribilis aspectu:* adeò ut Regina corruerit, *& in pallorem colore mutato, lassum super ancillam reclinavit caput*, utque animum resumpsit, hanc attonitæ mentis ac trepidationis causam ingenuè confessa est: *vidi*, inquit, *te Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.*

Quòd si Regem Regum, in cujus conspectu tremunt potestates, millia millium Angelorum se prosternunt, convenisset, & ad hujus alloquium admissa fuisset, haud dubiè pes limini, vox faucibus hæsisset, nec habuisset ultra spiritum. Manifestum hujus argumenti typum expressum cernimus. Gen. 28. vers. 17. Per somnium olim Patriarchæ Jacob objecta est scala in cœlum por-

a Luidprand. lib. 6. de reb. Imp. & Regum in Europa gestis, cap. 2. Causin. court. S. tom. 4.

b 3. Reg. 10. *c* Ester cap. 12.

recta,

recta, per quam Angeli ascendebant & descendebant, & summitati scalæ Deus ipse inniti videbatur. Quâ visione conterritus, exclamat: *quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* docet hîc Cajetanus S.R.E.Card. *a pavorem animi ejus, ac terrorem clarè ostendi à scriptura*; quærit verò ulteriùs, quid timuerit Jacob? & ait eum „ timuisse, quemadmodum, cùm „ primum venimus in conspe- „ ctum & præsentiam maximi „ cujuspiam & sapientissimi Prin- „ cipis, vehementer timemus, ne „ quid sibi displicens in nobis vi- „ deat. Sic etiam Jacob timuit, „ considerando seipsum, cum „ respectu ad præsentiam Dei, & „ frequentiam Angelorum, me- „ tuens ne sua sibi peccata & de- „ fectus imputarentur. Ac tan- „ dem subdit: ad literam visio „ ista fuit figura, & quasi templi „ quædam, in eo loco postea ædi- ficandi adumbratio. Unde Rupertus: *b notandum quod Iacob non ipsum Dominum, sed locum ex- „ pavescit, ut terribilem esse dicit. „ Sed quidnam pavoris & terroris „ per se locus ille poterat habere? an „ quia Dominum in eo loco viderat „ in quiete? Nempè & in aliis lo- „ cis tam ipsi, quàm patri & avo „ ejus, idem Deus apparuerat. Er- „ go non dubium, quin hoc per spiri- „ tum propheticè prævideris quid- „ nam illo somnio significaretur, & „ augustiorem alium sanctioremque „ locum, cujus ille erat figura, per- „ tinuerit. Talis autem locus Eccle- „ sia Dei est, & in ea terribilia Dei „ opera patranda.*

a V. Pererium hic. *b* Rupert. lib. 7. comm. in Gen. cap. 23.

Istic loci, in sacris confessionum tribunalibus, in tremendo illo Eucharistiæ mysterio, à cœlestibus illis nuntiis, qui ascendentes & descendentes, preces nostras ad Deum deferunt, tàm mirabilia patrantur, ut meritò cum Propheta in has voces prorumpere possim: *consideravi opera tua, & expavi. c* Non convolant, ait D. Chrysostomus, apes avidiùs ad alveare, ut mel conficiant, quàm ipsi Angeli, ut cœlestem gratiæ rorem, animis instillent. Omne apum studium, omne exercitium est, ire & redire, evolant, avolant, campos floribus vernantes impigrè pererrant: eo planè modo cœlestes apiculæ convolant ad Ecclesiam, quasi campum omni amœnitate refertum; ubi ex eo, qui est flos campi & lilium convallium, mella virtutum depromunt. Uberiùs hæc prosequitur doctor mellifluus, qui serm. 6. in dedic. Eccl. ubi visionem Jacob expendit, rectè subjungit; *quàm terribilior est iste locus* (de templo loquitur) *quàm evidentius certiusque, Dominus est in loco isto; ubi nimirum non modò duo aut tres, sed tam multi in ipsius congregati nomine perseverant.* Ut enim Deus noster immensus, omni loco intimè præsens sit, peculiariter tamen quasi in domo ac regia sua dicitur esse in cœlo, & in templo: uti intellectus, qui juxta philosophos idem cum animo est, per totum corpus diffunditur; sed peculiari ratione in capite esse cognoscitur, atque ita: *verè Dominus est in loco isto;* Hinc summâ animi veneratione

c V. Lanuza. hom. 28. §. 7.

exclamat: *a terribilis planè locus, & dignus omni reverentiâ, quem fideles viri inhabitant, quem angeli sancti frequentant, quem suâ quoque præsentiâ dominus ipse dignatur.* Quæ tantam loco isti religionem ac sanctitatem confert, ut ipsos ingredientes, singulari quadam numinis illic præsentis prærogativâ, expiare & sanctificare videatur.

Attendite quàm terribilis ille locus sit, ubi Pontifex solenni pompa, ministrantibus purpuratis Patribus, adgeniculantibus Imperatore, Regibus, Principibus, Doctoribus, & universo Christiano cœtu suppliciter adorabundo, sacris operatur; ut subinde vel ipsa loci facies, homini maximè perfido sacrum horrorem incusserit, & saniorem mentem injecerit, istos omnes, & per universam Ecclesiam fideles non adeo idiotas aut idololatras esse, ut frustum panis tantâ veneratione prosequantur, & non potius fide certà illos duci, ut Deum suum istic præsentem adorent.

Quod Florimundus Remundus præclarâ illustrat historiâ: Anno 1575. *b* qui Jubilæus fuit, senex quidam Lutheranæ factionis Minister, Polonus natione, non tam devotione quàm curiositate quadam Romanam illam Babylonem anno isto confusionis (sic Jubilæum & urbem sanctam compellat) visendi, cum Romam proficisci decrevisset, eodem quo cæteri religionis ergo peregrinantes habitu, iter ingressus, & cum iisdem ad commune SS. Trinitatis hospitium divertens, triduum in eo, ut exactè omnia contemplaretur, permansit. Ejus verò Societatis curam tum gerebat Ferdinandus de Medices (is qui hodie magnus Hetruriæ dux est) qui unà cum multis aliis proceribus, peregrinorum pedes abluere solebat. Inter quos cum Minister hic fortè esset, tantam in tanta dignitate demissionem, ut & Pontificis in visitandis Ecclesiis devotionem & pietatem demiratus: ac tandem loca sacra in quibus SS. Apostolorum & aliorum Sanctorum reliquiæ asservantur, attentiùs centemplatus: totus denique veluti mundi undique ad reddenda Deo vota & fundendas, ad SS. Apostolorum & Martyrum tumbas, preces, eò concurrentis religione, nec nõ sacrorum rituum ac pontificalium cæremoniarum majestate obstupefactus, divino monente spititu, ad pedem altaris genibus innixus, oculos aperire cœpit, iisque ad cœlum elevatis, quamvis aliud animo volveret, ut qui spectandi causâ tantùm eò venerat, vehementer ingemiscens & consilium de vita & religione mutandis amplexus, properè è media turba se proripuit, & ad Sancti Petri Basilicam accurrens, pedibus Pontificis se substravit, eosque iterum iterumque exosculatus, lachrymis ac singultibus interclusâ voce omnia complebat. Pontifex ratus hominem fortè esse qui nefarii facinoris sibi conscius id aliis audientibus propalare nollet, præsentes aliquanto secedere jussit, ut solum audiret; at ille resumpto spiritu alta

a Bern. cit. *b* Florim. Remund. de origin. Hæres. l. 4. c. 13.

alta voce exclamat: minimè Pater sancte, sed jube hos manere: quippe peccati mei magnitudo pœnitentiam postulat publicam viginti tres jam anni sunt, ex quo Satanæ fui minister; at jam posthac Jesu Christi, ejusque Ecclesiæ servus esse cupio, ad quam sanctitatem tuam humillimè rogo, ut me admittere & transcribere velit. Tum Papa hominem de singulis diligenter interrogatum, ipse quoque illachrymans, impertita benedictione ad Cardinales quosdam remisit: à quibus ille instructus & absolutus, sanctoque Eucharistiæ pabulo munitus, cum æstu ardentissimo pleraque loca sacra visitasset, in morbum incidit, & in Xenodochium S. Spiritus delatus, post triduum animam Deo reddidit, unicè se gaudere affirmans, quòd post tot tantasque tenebras, in Domo Domini lux sibi oborta fuisset, postque innumera pericula, ad portum salutis tandem appulisset. Ejus audita morte Pontifex, apud quem tunc erant Hieronymus de Marca & P. Bernardinus de la Poste Capucini, sublatis in cœlum oculis in hæc verba cum Apostolo prorupit: *ô altitudo sapientiæ!* quàm multi miseri peccatores vel in Monasterium vel in desertum se conferunt, ut peccata sua diuturna vitæ austeritate eluant, & hic tantus peccator tribus dumtaxat diebus verâ animi contritione, peccatorum remissionem & paradisum promeruit, misericordiam consecutus in medio templi tui. Quod beneficium, ut insolens & prope inauditum sit; hoc tamen frequens & quotidianum Doctor Angelicus è sacratis ædibus referri contestatur, dicens: *a per ingressum Ecclesiæ consecratæ, homo consequitur remissionem peccatorum venialium, juxta illud: benedixisti Domine, terram tuam, remisisti iniquitatem plebis tuæ.*

Quem vera & viva fides instruit, cur non eâ veneratione sacram ædem ingreditur, atque ea pietate, ac animi corporisque reverentiâ aram contemplatur, quâ præsepe, cœnaculum, sepulchrum Domini, aliave loca, quæ exiguo temporis spatio, suâ corporali præsentiâ Deus homo consecravit? Quis non augustum stabulum subingrediens, ubi divinus infans vagiit, ipsius loci veneratione tangeretur? Quis non factum illud Adriani Imp. prorsus sacrilegum detestetur? Qui ut loci hujus religionem emoliretur, in eo statuam Adonidis erexit: *ut in specu* (loquor cum Hieronymo) *b ubi Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangeretur.* Nunc verò in templis, ubi Deus noster, non per menses aliquot, sed ad annos & secula corporaliter requiescit, novos Adonides indies effingere non erubescimus; dum oculis & animo hîc etiam fornicamur, ut in gemitu columbæ lib. 2. cap. 12. piè queritur purpuratus Pater Bellarminus: *quis tolerandum putet, quòd non desunt qui in ipsa sacra æde, dum tremenda mysteria celebrantur, vel dum sacra concio habetur ad populum, laqueos oculis quærunt, & juxta Dei sententiam, oculis ac corde mœchantur?* Tot Adonides in oculis, & corde effor-

a S. Thom. p. 3. q. 83. a. 3. ad. 3.
b Hieronym. epist. ad Paulin.

mantes, quot obscœnas cogitationes & desideria effingunt. Nec miraris qui cœlum silet, qui fulmina continet? etenim si olim vendentes & ementes, flagello armatus expulerit, quid hîc lentus spectet scelera, & sacrilegos hosce ad inferos non deturbet? Quibus pœnis hoc malum, cum suo quoque tempore invaluisse vidisset Chrysostomus, expiandum clamat: *a multi*, inquit, *ad formas mulierum aspiciendas, ad adolescentulorum pulchritudinem curiosius intuendam, in Ecclesiam veniunt*, tum assurgit: *non miraris quomodo undique fulmina non deferuntur? Quomodo cuncta funditus non evertuntur? hac enim non fulminibus solùm, sed etiam gehennæ supplicio dignißima sunt*. Pergit porrò & percunctatur: *quid facis homo? mulieris speciem curiosius in Ecclesia perscrutaris, nec horrescis tantâ Dei templum afficiens contumeliâ? Prostibulum tibi videtur Ecclesia & foro ignobilior: nam in foro erubescis, etiam times ne quis te videat mulierem sectari, in Ecclesia verò Dei, cùm ipse Deus te alloquatur, & ab istis deterreat, eo ipso tempore maximè, fornicatione & adulterio uteris, quo tibi magna voce intonatur, ut ab hu fugias, nec horrescis, nec stupes*. Flagitium in ipso Dei sacrario, sola mente (à qua formalem suam malitiam habet) admittere, non veremur, qui eo in loco peccatum opere externo complere erubescimus. Quem ruborem ut loci sanctitas, & Dei illic corporaliter existentis præsentia inducat, conferet fortè audire invectivam illam Hieronymi, quâ Sabinianum perstringit, qui in Ecclesiam, ubi quondam præsepe Dominicum fuerat, irruit temerarius, non ut sacrificium offerret, sed ut sacrilegium patraret. In quem sic detonat gravissimus doctor: *b infelicißime mortalium! tu speluncam illam, in qua filius Dei natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? Non times ne de præsepi infans vagiat, ne puerpera virgo te videat, ne mater Domini contempletur. Angeli clamant, pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, in cubiculum virginis, decepturus virginem irrepis? Paveo miser, & tam mente, quàm corpore perhorresco, ponere tibi volens ante oculos opus tuum*. Et paulò pòst, insolito quodam eloquentiæ, non tam flumine redundans, quàm fulmine incandescens: *prô nefas!* inquit, *non possum ultra progredi: prorumpunt lachrimæ antequam verba: & indignatione pariter ac dolore, in ipso meatu faucium spiritus coarctatur. Vbi mare illud eloquentiæ Tullianæ? ubi torrens fluvius Demosthenis? Nunc profectò muti essetis ambo, & vestra lingua torpesceret. Inventa est res, quam nulla eloquentia explicare queat: repertum est facinus, quod nec scurra ludere, nec Atellanus poßit effari*. Quasi diceret, cessit eloquentia malitiæ: nam neque in rostris, ubi res figuris suis augentur, & amplificantur, neque in theatris, ubi majora veris finguntur, hoc sacrilegium adeò indignum, potest satis repræsentari. Nunc verò ab actu exter-

a Chrysost. hom. 24. in Matt.

b Hieronym. epist. 48. in Sabin.

externo ad internum, cum Hieronymo nos convertamus & timeamus: *a* *Ego,* inquit, *confiteor timorem meum quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitavero, & me nocturnum phantaſma deluſerit: Baſilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo perhorreſco.* En qui vel animo cogitationem, imò ſomnium turpis ſpeciem habens, admiſerat, templum ingredi reformidat; & tu in ipſa Eccleſia, ſcelus concipere, & anhelare non vereris?

Filii Aaronis, flammis olim hauſti, quod contra jus faſque religionis, ignem alienum in ara excitaſſent. quo ſupplicii genere puniendi, ſi etiam impurum intuliſſent? & tu laſcive Adoleſcens, in Dei ſacrarium audes libidinoſas inferre faces, & inſanæ? [illegible], qui in primo ætatis æſtu, in id ſcelus exceſſerat, ſibi deinde ac virtuti redditus, fœdam otioſamque ſuperis nequitiam, ingenuè confitetur ac luget: ſic enim Deum ſuum compellat alto gemitu profuſiſque lachrymis: *b* *auſus ſum etiam in celebritate ſolemnitatum tuarum, intra parietes Eccleſiæ tuæ concupiſcere, & agere negotium procurandi fructus mortis.* quid autem ſenſerit ſupplicii, paucis edicit: *unde,* inquit, *me verberaſti gravibus pœnis; ſed nihil ad culpam.* quæ enim pœna par eſſe poteſt illi, qui eo loco procurat fructus mortis, ubi vitæ partum legere debuit? vincimur à barbaris, & quod fœdius eſt, non ſanæ fidei Abaſſynis, malo adeò loco apud non paucos, templorum jacet reverentia. Vide quantâ inſolentiâ veſtibulis inſultent, quàm nullâ honoris ſignificatione ſecundum templa prætereant. *c* audebiſne Abaſſyno componere? quem ad conſpectum templorum, equo ſi fortè vehatur, ilicò deſcendere, peditemque tantiſper ire, donec templi frontem prætereat, produnt ejus gentis annales. ſtupendum ſanè prodigium, quo divina bonitas etiamnum loci illius, ubi Virgo immaculatè concepta eſt, religionem teſtatur: *d* cubiculum enim, ubi Virgo Maria, Dei mater concepta fuit, in divæ Annæ ædibus, à nemine niſi ab homine Virgine, & illibatæ puritatis inhabitari poteſt; adeò ut quiſquis, vel conjugatus illud ia morte repente plectatur. quo fit, ut hujus ſancti cuſtos domicilii caſtimoniâ vitæ excellat, atque ipſis Turcis vel ea propter hic locus terribilis ac venerabilis ſit. Quid? quod ædes Lauretana, ad quam toto orbe concurritur, etiam flagitioſiſſimos ſcurras exhorreſcere faciat, qui ipſis parietibus aut veſtibulo ſacerrimi hujus delubri, oſcula figere reformidant. & nos ſacras Dei ædes, ubi toties *e* *in ſacerdotum manibus, velut in utero virginis, filius Dei incarnatur;* profanamus, & Dei domum, quaſi in plateas, in cauponas convertimus.

Olim D. Paulus privatas hominum ædes Eccleſias appella- bat:

a Hieronym. adv. Vigilant.
b Aug. lib. 3. Conf. cap. 3.

c P. Rho. variæ virt. hiſtoriæ l. 3. cap. 7. §. 4. *d* Nierenb. nat. p. 467.
e S. Aug. lib. de dign. Sacerd.

bat: *a salutate*, inquit, *Priscam & Aquilam, & domesticam Ecclesiam eorum.* & alibi: *b salutant vos in Domino multum, Aquila & Priscilla, cum domestica sua Ecclesia:* quia in illis familiis, non minùs sanctæ actiones, quàm in Ecclesiis exercebantur; nunc autem vereor, ne Ecclesiæ privatis ædibus similes videantur, quòd non minùs in his, quàm in illis, scelerum habenæ laxentur. quod D. Chrysostomus, non sine magno doloris sensu expressit: *c domus priscis temporibus Ecclesiæ erant, nunc ipsa etiam Ecclesia in domum redacta est: nihil autem in privatâ domo carnale loquebantur; nihil nunc in Ecclesiâ spirituale memoratur. Cumque Deus loquatur, non modò ipsum cum silentio non auditis, verùm etiam contraria inferentes, inculcavit, quas ob res, acerbè fleo & num-*

Inter fontes lachrymarum, sanè amarissimum Cardinalis Bellarminus hùc derivat, *d* templi cultum jacere, & contemni: ego, inquit, cùm aliquando ex itinere, apud Episcopum nobilem & prædivitem hospitarer, vidi aulam vasis argenteis splendidam, & mensam omni genere præstantium ciborum refertam: mappas quoque & reliqua omnia nitida, & odorem suavem spirantia. sed cum die sequenti summo mane ad Ecclesiam, palatio contiguam descendissem, ut sacris operarer, inveni omnia contraria: id est vilia, & sordida, ut vix auderem in tali loco, & cum tali apparatu divina mysteria celebrare, tum subdit: simul etiam fontibus lachrymarum plangendi, qui exteriori turpitudine & sordibus animi sui impuritatem sordesque testantur, dum sacris operandum est.

Mahumetanis etiamnum locus ille, *e* ubi Apostoli Spiritum sanctum recepêre, tanta in veneratione est, ut nemo quisquam ex illis, nisi nudis pedibus ingredi præsumat. Adeò & ipsi, quod olim Moysi præceptum est, ut calceamenta poneret, hunc locum ut terram verè sanctam venerantur. juxta Davidicum illud:

a Rom. 16. *b* 1 Cor. 16.
c Chrysost. hom. 33. in Matth.
d Bellarm. de gemitu columbæ, l. 2. c. 5.
e Novarini Schediasmata l. 8. n. 131.

§. II.

Domum tuam decet sanctitudo. Psal. 92.

Ita regi sontis severè in Ecclesia præcipiebatur, ut ii omnes è templo non sine notâ ac dedecore ejicerentur, qui eam vanis confabulationibus profanassent. In Constitutione quinta Pii V. *f* hujusmodi Ecclesiæ perturbatores, pœnis ordinariorum arbitrio puniendi tradebantur. omitto alia plurima conciliorum, ea de re, seu monita seu decreta, ut Turonensis tertii, Tridentini, *g* & aliorum. At omittere non possum illustre decretum S. Stephani Regis Hungariæ. Is pro ea, quâ fuit in Deum religione, & in sacris mysteriis reverentiâ, severè sanxit & statuit, ut si quis inter divina missarum solemnia, & scripturæ in templis prælectiones, fabulas o-

f An. 813 c. 38. *g* Trid. sess. 22. c. de observ. Decretal. cap. 8.

tiosas

tiosas intexeret: si major esset, (hoc est illustri domo natus) cum publicâ infamiæ notâ ex Ecclesia pelleretur: sin autem minor, id est è vulgo, in ipso templi atrio, primum vinculis oneraretur, deinde etiam flagellis acriter corriperetur; vel ad aliorum exemplum, vel ad suæ temeritatis supplicium. meritò sanè piissimus Rex eâ animadversione dignos censuit: quos proinde divini cultus amator Chrysostomus, extra Ecclesiæ septa proturbandos ille decrevit, ut *a alienæ salutis insidiatores.* spectârant hi, ut credo, Religiosissimi Ecclesiæ fautores, divinum illud Ecclesiastis monitum: *b custodi pedem tuum ingrediens domum Dei*; quo innuit Ecclesiastes, non parum conferre, qua ratione quis templum ingrediatur. hæc tamen quæstio quibusdam futilis, & inutilis videbitur, quomodo adeundum sit templum: nam surgo, ait quispiam, manè sub horam septimam; puella sub decimam; dein capillos pecto, (illa ne longior hîc sim, mundum muliebrem ingreditur) frontem & manus abluo, tum ad crystallum me contemplor. inde vini quid adusti sumo ad stomachum juvandum, aut ad crapulam frangendã liquidum jentaculum, postea forum inambulo, fabulas cum sociis commisceo: dum alicubi tinnitus ad missam convocet, ubi id lucro apponitur, si sub Euangelium intretur. Alius scortum manu ducit, & nescio quæ ignita per aures immittit jacula. typum scilicet hi integerrimæ sponsæ referunt, quæ procedit ornata viro suo! nostis ô puellæ quo ductore in templum pergatis? *diabolô ductore*, inquit Augustinus, *c in Ecclesiæ conventum pergitis*; & vos Juvenes, qui *istic non precibus insistitis, sed fabulis, jocis & aliis peccatis, cum ipso dæmone ad æterna pergitis tormenta.* Compello te quisquis es, num ea animi & corporis præparatione, Bruxellis in aulam Principis pergeres? num ea morum dissolutione, & mentis evagatione, supplicem Serenissimo libellum oblaturus, fœtenti simul anima accederes? quid dico Principis? Regis, inquam, & Regis Regum aulam, & quidem reus ingrederis: nosti quis te habitus, quis situs, qui mores, quæ interior exteriorque compositio deceat? gravissimum Antistitem adi & audi: *d aulam regiam intraturus, & habitu, & oculis, & incessu, cunctisque aliis te componis & adornas: in Ecclesiam verò ingressurus, ubi verè est aula regia, & talis, qualis cœlestis est, rides.* Cyrilli illius Alexandrini doctrina est, quam experientia comprobat: *ubi Rex est, illic & esse regiam.* ita ubi Rex ille Regum in throno suo considet, cœlestis illic aula est. quam tres illi purpurati, stellâ duce profecti, in stabulo agnoverunt; in genua sese orientales Reges abjiciunt, diademata submittunt, manus cœlo attendunt, preces sternunt, infanti supplicant, munera explicant, proni adorant. si talia non erubuerunt in stabulo, quid facturos putatis in templo?

a Chrysost. hom. 1. de verbis Isa.
b Eccl. 4.
c Aug. serm. 251.
d Chrysost. hom. 15. in ep. ad Heb.

nullæ hîc ex holoserico culcitræ procumbentium genibus substernuntur; sed nuda humo procidentes, adoraverunt eum. hic suis è novalibus, sine fruge abire nos non patitur Japonia. *a* Jusserat Alexander Valignanus, Aloysio Regis filio, ac totius regni hæredi sellam in templo poni, ac tapete solum insterni cum pulvino, abnuentemque regium adolescentem monuerat, eum illi honorem jure deberi, quem Deus Rege patre nasci voluisset: tunc ille, verissimè hæc à te dici scio, atque adeò extra hos parietes, nullam ego honoris significationem non admitto; ubi has fores ingredimur, jam divinæ majestatis amplitudo, quam præsentem veneramur, omnes æquat. quasi diceret: stellas majoris minorisque magnitudinis, omnes perinde in clarissimo solis lumine conticescere. Hîc mihi adeste aularum asseclæ, nobilium sanguis, & vel à Regibus discite, summo Regi habere debitam reverentiam. hominem viderunt, Deum quem non viderunt, coluerunt. vos contrarium subinde facitis, quos homines esse scitis, prope ut Deos veneramini. aliquem mihi ex delicatioribus aulicis date, & videte quas delicias non faciat? quomodo nictet, oscula ferat, poplites torqueat, sæpe pavimentum genibus passus aliquot perreptet, & limbos purpurarum lambat verenti ore. videte quàm vultu & gestu concinnus quoties manum suam dissuavietur, domini genibus advolvatur, ne gratiâ excidat; Jam verò quid in templis? quid Deo? plerosque hos tales gonagra hic laborare credas, adeò genibus parcunt. poplitem humo allidere piaculum, genu vel unum curvare, nisi pulvinus excipiat, aut chirotheca substernatur, nefas. Hosce instruat, moribus certè nobilis puer, de quo refert Justinianus noster: *b* puer, inquit, infimæ classis, Collegii Rhemensis Societatis Jesu, cum ex diuturniori fortè morbo, nondum viribus confirmatis gymnasium frequentasset, atque alios inter condiscipulos, sacris adgeniculatus interesset: à præceptore monitus est, ut ob corpusculi infirmitatem, in pedes erectus staret. ad quæ puer virili & verè religiosa animositate respondit, mori se malle, quàm honorem reverentiamque Deo non exhibere, quem in æde sacra præsentem agnosceret. quod si pueri fortè exemplum quosdam non commoveat, expendant hi gravem illam gravis Theologi apud Baucium censuram: *c* eam templis ac sacrificio reverentiam deberi, ut ab auditione missæ excusari possit, qui non nisi sedendo interesse posset. cùm supplex veniat, qui orat, par est ut supplicis habitum præ se ferat. Chrysost. fœminam petulantiùs comptam, ad templum properantem effatus: *d quid dicis*, inquit, *Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circumfers; an verò saltatura ad Ecclesiam pergis? num ut tui spectaculum præbeas advenisti? ut Deum pro peccatis suppliciter depreceris, ut tuis sceleribus veniã cum gemitu &* *lachry-*

a P.Rho varia virt. hist. l.3.c.7.§.6.

b Iustinian. in Tobiam c.1.v 8. document. 2. *c* V.Baucium pag. 98.

d Chrysost. hom. 8. in ep. 1. ad Titum.

lachrymis petas, ut Dominum tibi propitium facias, accessisti; quid te ipsam ornari improbo, atque intempestivo studio contendis? non iste supplicis est habitus. quo enim pacto ingemiscere potes, ac lachrimas fundere, atque intensissimè, ut decet, orare, quæ ejusmodi ornatu compta procedis? nam etsi lachrymas fuderis, risum cernentibus hujusmodi lachrymæ movebunt. non iste supplicis est habitus. en ades, cum Deo locuturus; ergo genua submitte, oculos dimitte, manus attolle, indue personam supplicis: Principes, Reges, Cæsares, sanctissimi quique viri, submissis genibus orarunt. de Salomone Regum fasti testantur, his verbis: *a factum est autem, cùm complesset Salomon orans Dominum, omnem orationem & deprecationem hanc, surrexit de conspectu altaris Domini: utrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cælum.* ita Petrus, ita Paulus, ita Stephanus positis genibus orarunt. Arelatensis Præsul Cæsarius, *b* in eos, quibus sub oratione niti genibus grave est, non immeritò excandescens: *vellem scire*, inquit, *qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi necessarium aut à Iudice, aut ab aliqua potenti persona expeterent, utrum stantes, & recto capite, negligenter & tepidè supplicarent? rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope usque ad terram nos humiliter inclinamus: & à Deo remissionem peccatorum, & æternam requiem inquirentes, nec capita inclinare, nec genua submittere dignamur.* & exemplo Christi Domini sub aspectum posito: *prostratus*, inquit, *in terram orat medicus, & non inclinatur ægrotus; orat judex, & orare dissimulat judicandus.*

Inauditum, & planè sacrosanctum fuit silentium, *c* non modò in Augustissima illa totius orbis Basilica jam exædificata, ipso, inquam, templo Salomonis, sed quod omnem admirationem in stuporem vertit, in ipsa tantæ molis exstructione: *d & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* quod silentium constanter observatum est, per totos sex & quadraginta annos, quibus ædificatum est; *e* in tanta operarum frequentia, ut centum quinquaginta millia & sexcenti artifices, hominum octoginta millia qui materiæ aptandæ insudarent, operum præfecti tria millia & sexcenti adlaborarint: quorum in eo maxima collimabat industria, ita quodque saxum concisum, lignum dedolatum esset, ut aptè sine ullo strepitu quadraret, & loco congrueret. ipso verò jam templo exstructo, sacerdotes veteris illius legis ad septingentos sacris operabantur, nec quisquam audiebatur. amplius quid Aristeas observavit: *f silentium*, inquit, *tantum inest, ut cùm septingenti ferè ministrorum continuò adsint, & offerentium libamina multitudo ingens, ne unum quidem hominem in loco versari putes.* prodigium prorsus, & architectonicum ingens miraculum: tantam ædicii molem, tali ordine, tanta quiete, tali silentio educi, ut nec dolabra, nec ferramentum cava-

a 3. Reg. 8. *b* Cæsar. Arelat. ho. 30.

c Silentium in templis servandum.
d 3. Reg. 6. *e* Vilalpand.
f Arist. l. de 70. interpret. cap. 7.

torium, nec runcina, nec ascia audiretur; unde loci sanctitatem admiratus David exclamat: *in templo ejus omnes dicent gloriam.* quod accuratè expendens Seleuciensis Antistes: *a Audiant*, inquit, *hac Psalmi verba*, *& confusi suppudescant ii*, *qui in templo prolixissima intexunt colloquia.*

Turcæ, homines cæterum efferi, *b* coram imperatore suo velut statuæ consistunt, nec quisquam tantæ præfidentiæ reperitur, qui socio vel oculo annueret, nedum verbum in aurem insusurraret. atque his majorem ethnici idolis suis venerationem exhibere consueverunt. quorum exemplo Mediolanensis Præsul, Christianos hortatur: *c an quidquam indignius est*, *quàm oracula divina circumstrepi*, *circumsonari sacramenta confusis vocibus*, *ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium? cùm gentiles idolis suis reverentiam tacendo deferunt.* dicti sui rationem confirmat Ambrosius, mirabili religione pueri barbari: *proditur*, inquit, *d Alexandro Macedonum Rege sacrificante*, *puerulum barbarum*, thuribulo arrepto, brachio carbonem ardentem excepisse; *atque adusto corpore mansisse immobilem*, *nec dolorem prodidisse gemitu*, *nec tacito pœnam indicasse fletu.* tum factum illud collaudans exclamet: *tanta puero barbaro fuit disciplina reverentiæ*, *ut naturam vinceret & tu in ministerio Dei*, *virgo* (tu conjugate, tu Adolescens, tu mercator, tu nobilis) *screatus*, *tusses*, *risus abstine.* Regē puer ille barbarus mortalem timebat, & Macedonici Imperii, hoc est unius terræ puncti Dominum, nos immortalem Deum, & universorum Regem non reformidabimus? & quidem in illa ipsa hora, quâ Servator optimus, velut è cœli regia devocatus, sacrificio præsens assistit. in illa dico hora, quam terribilem appellat Chrysostomus: *nos*, inquit, *sub horam terribilis illius ac mysticæ mensæ*, *in vanæ loquentiæ conventiculis occupati sumus.*

Philosophum hoc olim Julianus Imper. monitum voluit: *e in Lyceo ac gymnasio*, *ne respirandum quidem.* tantam in eo non vocis tantùm, sed animi quoque moderationem, atque honestatem requisivit: ut si fieri posset, ne respirandum quidem illi videretur; ne scilicet aut debitæ magistro reverentiæ, aut attentioni obesset, vel sola respiratio. hoc in augusta Dei domo, quam Eusebius *f venerandam & augustam virtutum scholam* pronuntiavit, impensiùs observare debet, quisquis esse volet Christi discipulus, & nomine ac re etiam ipsa Christianus philosophus. aureus orator altius ædem sacram extulit, nec modò scholam virtutum, sed cœlum ipsum indigitare non dubitavit: *g est locus Angelorum*, *locus Archangelorum*, *regia cœli*, *cœlum ipsum. quemadmodum igitur si cœlum quispiam in angustum redactum illuc inducat: etiamsi patrem, etiamsi fratrem videas, tamen præ stupore non alloquare: sic neque hic aliud quidquam quàm sancta so-*

a S. Basil. in Psal. 28. *b* Cuspian. lib. de Orig. Turc. Busbeq. de leg. Turc. *c* S. Amb. lib. 3. de virg. *d* Amb. cit. Valer. Max.

e Zonaras tom. 3. *f* Euseb. de vita Constant. l. 1. c. 46. *g* Chrysost. ho. 36. in 1. Cor.

nare

nare decet. Idem. S. Nilus inculcat, ut templum aditurus, se cœlum ingredi cogitet: *Ecclesiam*, inquit, *non secus ac cœlum frequenta, nihilque in ea aut loquere, aut age, quod terram sapiat.* certè si nobis daretur rapi cum Paulo in tertium cœlum, quantum, & quàm reverens silentium quàm mirabilis stupor illigaret & linguam & mentem! quod cœlo, hoc & templo tribuamus: hoc enim, ut cum B. Paulino loquar: *a est beata cœlestium præparatio mansionum.* est sanctorum in terris sacrarium, est tabernaculum divinitatis, de quo illud jure præscriptum noveris: *b pavete à sanctuario meo.* & hoc vatis regii: *te decet hymnus Deus in Sion*, seu ut ad institutum nostrum, accommodè vertit Hieronymus: *tibi silentium laus, Deus in Sion:* mitto hîc apparatum ac mentis puritatem præmitti debere ad sacra processuro, quæ cœlum ingressuro. id ago, quod Joannes in Apoc. monuit; *c factum est silentium in cœlo, quasi media hora.*

Ut saltem eo, quo divino intersumus sacrificio, omni cogitationum tumultu semoto, attenti & intenti assistamus. *d centum sexaginta horas habente hebdomada, unam & solam horam* (imò dimidiam) *sibi segregavit Deus, & hanc in opera secularia, & in ridicula, & in conventicula insumis.* An tempus, an locum non habetis ad fabulandum, ad nugandum, ad ridendum, ad cachinnandum? an Ecclesiam Dei contemnitis? doctissimus Hebræorum Philo: *e in conspectu Imperatoris, vel subridere periculosum est aliis, quàm valde familiaribus.* imò & familiarissimis quandoque malè cessit. hujus rei testis, magnus ille Carolus V. Imper. *f* qui cum podagræ doloribus nonnihil remissis, per cubile titubando incederet: Maximilianus Buranus Imperatori in paucis charus, risum continere non potuit; quod ut Carolus advertit, causam ex eo importuni risus sciscitatus est, quam cùm ille aliam ex aliâ frivolam adferret, Carolus ingenio cæterum comi & benigno, altiori tono verum ediceret, genuinam tam effusi risus causam se scire velle affirmavit. ad hæc Buranus in genua supplex provolutus, ingenuè fassus est, quod ubi Cœsarem titubantem cerneret, animo occurreret, totum imperium quasi uno pede vacillare. tum Carolus: at vide ne tè severus Imperat. doceat: *caput imperare non pedes:* & insuper hoc age & cave, ne tibi caput vacillet. quo dicto velut fulmine ictus, & tantum non de capite suo actum, Buranus advertit, nec post hac ridere visus est. & tu ô homo qui Deum rides & irrides, de capite tuo, de salute tua, de morte tua, & quidem æterna, agi non reformidas? præfervidè hic Chrysostomus: *g stat sacerdos, Deo orationem offerens cunctorum, tu autem rides? nihil times? non contremiscis?*

Ælianus refert, olim gravissimè interminatum fuisse, ne quis in academia risum ederet, quòd is locus non ad jocos, & faceto-

a S. Paulin. ep. 12. *b* Levit. 26. Ps. 64. *c* Apoc. 8. *d* Chrysost. ho. 36 in c. 10. Matt. *e* Philo de lege ad Caium.

f In vita Caroli. *g* Chrysost. hom. 15. in ep. ad Heb.

rum hominum ineptias, ſed ad decus & animi gravitatem eſſet comparatus. quid de ſacrario dicemus? ubi eſt tabernaculum divinitatis, quid de hac ſacratiſſima Chriſtianorum ſchola dicemus, ubi æterna & immenſa Dei ſapientia præſidet? diverterant Angeli ad ædes Abrahæ: Sara non auſa accedere, abdidit ſe poſt oſtium tabernaculi, ubi cùm auſcultaſſet ſermones eorum, & benedictionem filii naſcituri, in riſum ſoluta eſt: quem unus eorum advertens, vultu ad maturitatem compoſito percunctatur: *a quare riſit Sara?* quaſi diceret, coram nobis ridet? Ecquid ibi piacu-li?erat Sara poſt oſtium, in domo propria, & dumtaxat *riſit occultè*, imò intra ſe, ut habet Text. Heb. aut ut Chald. paululum ſubriſit. Quàm ſeverè cœleſtes illi genii animadvertent in eos qui in domo Dei, in loco totius orbis ſanctiſſimo, ac Deo digniſſimo, in cachinnos ſcurriliter prorumpere non verentur. *domum tuam decet ſanctitudo Domine.* Pſal. 92. In conviviis olim dominorum, ſi quis è miniſtris os ad riſum vel leniter compoſuiſſet, crudelem in modum vapulabat, de quo Cordubenſis Philoſophus audiendus eſt: *b infelicibus ſervis movere labia, ne in hoc quidem ut loquantur licet. virgâ omne murmur compeſcitur; & ne fortuita quidem excepta ſint; tuſſis, ſternutamentum, ſingultus, magno malo, ulla voce interpellatum ſilentium luitur;* & quiſquam mirabitur aut indignabitur, ſi ferventiſſimus Eccleſiaſtes Chryſoſtomus cœlo tonitrua & fulmina evocet? cùm mitiſſimus Salvator noſter in templi prophanatores quaſi in latrones, flagello armatus ſævierit, & manſuetiſſimus agnus, rabiem leonis induerit: radios, ut ait Hieronymus, cœleſtis iræ, oculis illis aliàs benigniſſimis evibrando, ut nemo auſus ſit ſe opponere. quod miraculo adſcribit, uti olim 1. Reg. 14. dum Jonathas exercitum Philiſtinorum, gravi clade illata, in fugam egit; quod adeò ſtupendum, ut ſacer textus dicat: *c accidiſſe quaſi miraculum à Deo. Quæſitu dignum eſt*, inquit ſanctiſſimus Antiſtes, *d qua de cauſa Chriſtus his adeò indignatus eſt, cum aliàs injuriis, contumeliiſque affectus, nihil tale fecerit.* quid ita te, clementiſſime Jeſu, exacerbat, ut tam graviter excandeſcas quid ſuaviſſimum illud miſericordiæ mare, in fel & amaritudinem convertit? Samaritanus, energumenus, potator, ſeductor, latro audiit, & ſiluit: flagellis diriſſimè cæſus, ſpinis redimitus, omni injuriarum ac tormentorum genere miſerrimè divexatus, nihil ſpirat vindictæ. hic verò ſe minimè valet continere. an non graviora Hieroſolymis, in quæ ſævires ſcelera? Etenim ut V. Beda, aliique PP. obſervant: minùs hi vendentes & ementes deliquiſſe cenſendi ſunt, quia inquiunt: *e videbantur licitè vendi in templo, quæ ad hoc emebantur, ut in eodem templo offerrentur Domino. ſed nolens ipſe Dominus aliquid in domo ſua terrenæ negotiationis, omnes ejecit. quid ergo fratres mei, quid putamus faceret Dominus, ſi fabulis vacantes, ſi riſu* diſſo-

a Gen. 18. *b* Seneca epiſt. 47.

c 1. Reg. 14. *d* Chryſoſt. hom. 22. in Ioan. *e* Beda in cap. 2. Ioan.

dissolutos, vel alio quolibet scelere reperiret irretitos? nemo non immane flagitium commissum judicabit, qui ipsum Regem sua manu mucronem jugulo alterius videat immergentem. ab orbe condito compertum non est, Deum per seipsum, sed per suos, plagas inflixisse, *a* Augustino suffragante: *Deus non per se ipsum punit, sed per angelos:* ita ad Pharaonem puniendum, *b misit iram indignationis suæ, immißiones per Angelos malos.* ita exercitum Sennacherib Angelico delevit ministerio. ita ad eversionem Sodomæ cæterarumque urbium, Angelos destinavit. porrò si Paulus nolit Episcopum esse percussorem, idque ut Caietan. sensit: *quia turpe est Episcopo, etiam justè percutere: debet enim aliena, non propria manu percutere delinquentes;* quantò magis hoc Pontifice summo, & mansuetissimo Rege indignum videri posset, nisi factum æternæ sapientiæ, sceleris atrocitatem argueret? Denique ut concludam, longè efficacissimum motivum ex Chrysostomo adduxisse sufficiat, quo irreverentiæ nostræ indignitatem exaggerat, *c in foro silentium, & in Ecclesia clamor!* ubi saltem tantum tremendo sacrificio silentii, & attentionis jure exigit, quantum spectatores ludis olympicis tribuere consueverunt: in quibus agonotheta omnes silere ac decenter quiescere præcipit. quod & nostris temporibus fieri videmus, confertissimam hominum multitudinem spectaculo interesse, & oculis auribusque attentis summo cum silentio, quæ exhibentur spectare. Ambrosius hoc cum stomacho expendens, quo nos magis confundat: *d Cùm plurima* (inquit) *ranarum murmura, religiosa auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, ut conticescerent, ac reverentiam sacræ deferrent orationi* (quod & S. Benno Episcopus Misniensis fecit) *tum subitò circumfusos strepitus quievisse.* inde ad nos oratione conversus: *silent igitur paludes, homines non silebunt? & irrationale animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat, hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium Religioni, quod deferunt aurium voluptati?* quod deferunt comœdiæ, quod deferunt obscœnæ cantilenæ. quis non exclamet? ô tempora! ô mores! *ranuncula vilis,* ut cum Bernardo loquar, *e è sua palude procedens ad thronum Regis Regum, audet omnia incondito garritu complere.* Primum sacellum Christo dicatum, invenimus antrum illud Bethlemiticum, à Christo nato consecratum; at mysterio non caret, quod in eo summum ubique repertum est silentium. nihil in eo locuta legitur Deipara, nihil Josephus, nihil pastores, nihil Magi prolocuti; cœlestes choraulæ è cœlo quasi odeo, soli genethliacon cecinêre: adeò ut in hoc primo sacrario sancire Deus silentium voluisse videatur. & verò jam ante ab ipsis Ecclesiæ incunabulis, visus est observasse.

Philo Judæus *f* ubi disputationem instituit de cœtibus Chri-

a V. Lanuza hom. 28. §. 1. *b* Psal. 77. *c* Chrysost. hom. de bapt. Chri.

d Amb. l. 3. de virg. *e* Bern. ser. 4. de modo orandi. *f* Philo l. de vita cont.

stia-

stianorum, sub nomine Essenorum Alexandrinorum, asserit tantum in iis fuisse silentium, *ut ne mutire quidem cuiquam liceret, aut respirare vehementius.* quò spectat illud admirandum atque imitandum, tot millium sub Cassiani disciplina degentium, in sacris silentium; audiatur ille de suis: a *Cum igitur prædictas solemnitates, quas illi synaxes vocant, celebraturi conveniunt; tantum à cunctis silentium præbetur, ut cùm in unum tàm numerosa fratrum multitudo conveniat, præter illum qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitus adesse credatur. ac præcipuè cùm consummatur oratio: in qua non sputum emittitur, non excreatio obstrepit, non tussis intersonat, non oscitatio somnolenta dissutis malis & hiantibus trahitur. nulli gemitus, nulla suspiria etiam adstantes impeditura promuntur: nulla vox, absque sacerdotis precem concludentis auditur.* Nunc omnia sunt immutata. miscentur sacra profanis, in templis screatus, tussis, garritus; infantum vociferatus, canum latratus, adstantium denique risus ac fabulæ personant, & sacris operantem, & turbam affusam gravissimè perturbant. Hac in parte nunquam satis laudatur Philippi II. Hispaniarum Regis in cultum divinum veneratio, de quo narrat Raphael Columba Dominicanus, b dum rei sacræ supremus hic orbis Monarcha, regio suo stipatus comitatu interesset, duos è suis magnatibus sibi vicinos, familiariùs inter se fabulantes observasse; redeuntem verò in conclave, illos ipsos atroci vultu notasse, ac dixisse: vos à conspectu meo posthac abite. quo velut fulmine icti, ita perturbati sunt, ut alter mœrore sensim contabuerit: alter emota mente, attonito similis, in omnem vitam manserit. quid erit aspectu Dei, in quem desiderant Angeli prospicere, & in quo omne bonum contemplantur, in æternum arceri? quod Isaias prædixit olim populo sacrilego: c *in terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* quam gravissimam pœnam expendit Bernardus dicens: d *durus est hic sermo, & comminatio valde terribilis: non videbit gloriam Domini quid igitur cætera vidisse prastat?* quæ more suo disertè & copiosè deducit Lanuza hom. 28. §. 9.

Consimile quid, vel maximè deprędicandum in Rege barbaro: e adstabat Christianorum sacrificio, Rex Monomotapæ, Christianæ adhuc mansuetudinis ignarus; & quamquam sub ramalibus à sacerdote fieret, majestas nihilominus, & latens mysteriis divinitas, attonitum habebat, animoque suspensum. Inter hæc, nobiles ephebos ante mapalis ostium perstrepentes audit, ratusque violatam, ut non ineptè interpretabatur, præsentis numinis majestatem, non nisi adolescentium cæde posse expiari, rapi ilicò ad supplicium jubet. luissent sanguine irreverentiam Adolescentes, nisi Lusitanus docuisset, Deo uti quam maximè cordi sit

a Cassian. l. 2. c. 10. b Raphael Columba feria 2. Dom. 1. Quad. Drexel. tribunal. l. 2. c. 9. §. 1.

c Isa. 26. d Bern. declam. Ecce nos reliquimur omnia. e P. Rho variæ virt. hist. lib. 3. cap. 1. §. 7.

reve-

reverentia, ita etiam mansuetudine illum delectari, eo præsertim sacrificio, quod incruentum esse sancivit. sic tamen ut istiusmodi sacrorum violatores, vindictam longè graviorem sibi reservet.

Assistunt(inquit Basilius) *a verba describentes Angeli, adest & Dominus, affectus intrantium considerans*, habens, ut expressiùs Ezechiel: *b atramentarium scriptoris circa renes suos.* quo omnia dicta & facta in codices redigantur.

Quis igitur erit tam insigniter impudens, ut coram Angelis testibus, & oculatis, & quidquid viderint in album referentibus, & coram Deo integerrimo judice, singula ad severissimas pœnas reservante, audeat vel leviter delinquere, ne dicam divinam illam majestatem lacessere? severum & verum illud Pauli pronuntiatum est: *c si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*; nec mirum, si id minetur ultor Deus, & re etiam ipsâ ab iis pœnas exigat, qui propter insolentem garrulitatem, *d cum parvo peccato ad Ecclesiam veniunt, & cum peccatis multis de Ecclesia recedunt.*


a Basil. in Psal. 28. b Ezech. c. 9. c 1 Cor. 3. d Ambr. serm. 33.



EMBLE-

EMBLEMA XXXVIII.

Qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 18.



DEPRESSA MAGIS CONSVRGET IN ALTVM. a

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Sola humilitas est, quæ exaltat.

§. I. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit.* b

§. II. *Probatur sacris ac profanis historiis, eos qui se humiliant, exaltari.*

a Lucret. l. 4. b Eph. 4.

DOMINICA DECIMA POST PENTECOSTEN.

Qui se humiliat, exaltabitur. Luc. 18.

Silentio minimè involvendum duxit Tacitus, *a* quod Romanorum Imp. Tiberius, calamo felicius usus quàm gladio, olim & verè pronuntiavit: *optimos quosque mortalium altißima cupere*; suoptè ingenio mortales sublimitatis avidos, atque ut sese erigant, claviculis laudum, quasi manibus ad summa conniti. Id enim verò solertissimus (si Lactantio credimus) morum Magister Seneca, & sensit, & censuit: *b magnanimos nos natura produxit, & ut quibusdam animantibus ferum dedit, quibusdam subdolum, quibusdam pavidum, ita nobis gloriosum & excelsum spiritum.* quo fit ut à pueris, nativo quasi fomite, igniculi ac scintillæ absistant; qui adeò non sopiendi aut restinguendi sunt, ut divinus è cœlo spiritus, eos vehementius succendi ac inflammari desideret, sic quemque cohortando: *c curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni & pretiosi:* nam ut alibi docet: *d melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* quod vel sanguine, & vitâ conservandum, amplificandumque, & SS. Doctorum auctoritas, & annalium vetustas, satis superque contestantur. Quare cum Philosophorum Aristoteles, *e* & Theologorum Princeps Aquinas, honorem inter maxima hominis bona computent, sitque

—— *Fax mentis honestæ Gloria*, cujus splendore integerrimi quique capiuntur; statui ad eam vobis hodierna luce calcar subdere, & veram atque unicam, ad supremos honores viam demonstrare. facem hîc nobis è Claravalle præfert Bernardus, qui humanos divinosque honores adeptus, &

f Famâ super æthera notus,

sic ad sequendum hortatur: *g descende ut ascendas, humiliare ut exalteris; hæc enim est ad sublimitatem via, & non est alia præter ipsam; qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit: quia sola est humilitas, quæ exaltat.*

Non aliam, ut videtis viam, non alium ad veros honores, quàm per insignem sui despicientiam, profundam animi demissionem, & ad infima abjectionem ac descensum, gradum esse, asseverans, asseritque: *h verum humilem hôc sanè (& sanctè) superbum esse, quòd laudes contemnat.* ex quo consequitur laudem, eamque solidam, cum sui demissione posse esse conjunctam, ipso Doctore suffragante Angelico: *i humilitas est quædam laudabilis sui ad ima dejectio*; quæ hominem non modò vilem, segnem & inertem, sed maximè gloriosum & magnanimum reddat: *k magnanimitas porrò non opponitur humilitati, sed*

a Tacit. l. 4. ann. *b* Seneca ep. ad Lucil. *c* Eccl. 41. *d* Prov. 22.
e Arist. l. 4. eth. c. 3. S. Thom. 2. 2. q. 73. a. 2.

f 1 Æneid. *g* S. Bern. serm. 2. in ascens. Dom. *h* Bern. serm. 16. in Cant.
i S. Thom. 2. 2. q. 61. a. 1. ad 2.
k S. Thom. ibid. ad. 3.

conve-

conveniunt. quod celeberrimus Lessius, *a in omnibus beatis videri* adstruit: *sunt enim* (inquit) *ex se humillimi, & ex donis Dei summè magnanimi, imò nulli sunt magis magnanimi quàm illi, qui sunt verè humiles.* magnificè id ipsum ostentantes, dum ultrò oblatos honores respuere, titulos calcare, dignitates omnes ut futiles umbras, ac evanidos fumos excelso magnoque animo despicere contendunt.

Paucis itaque hanc thesim pono: humilem magnanimum, humilem superbum: humilem solidæ laudis ac gloriæ appetentem esse: atque ad eam, non nisi descendendo quemque conscendere valere. Quæ ne primâ vobis fronte peregrina, paradoxa, imò pugnantia fortasse videantur, ipsa luce meridiana, sole divino collustratus, clariora comprobabo.

a Lessius de jur. & just. l. 4. c. 4. dis. 7. n. 51.

§. I.

Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit. b

EXstat illud Plinii, politum sanè ad Trajanum monitum: *c cui nihil ad augendum fastigium superest, hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat.* ita dum decrevit, crevit altissimus, & maximus, se minuendo major effectus est, hoc mysterium non meâ facundiâ, sed Melliflui Doctoris suavi eloquentiâ, animis vestris instillandum est: Christus immensa illa Dei Majestas, *d cum per naturam divinitatis non haberet, quo cresceret: quia ultra Deum nihil est, per descensum quomodo cresceret invenit.* vultis ejus ascensum ex descensu cognoscere? verbum infans, summus imus, *e formam servi accipiens,* quem cœli & terra non capiunt, *in angusto præsepio collocatur.*

Quo tantus ecce decrevit gigas.

Sed *f qui descendit, ipse est & qui ascendit.* de illo enim Isaias vaticinatur: *g Ecce servus meus exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit.* eodem quippè temporis puncto, dum infans vagiret in stabulo, cœlestes choraulæ *gloriam* canunt altissimo; nox sicut dies illuminatur, *h stabulum versum est in cœlum.*

2. Die octavo, non solùm habitu inventus ut homo, sed *mirabilius aliquid audio*, clamat Bernardus: *i formam habet peccatoris, & infigitur velut quodam cauterio latronis.* qui descendit ipse est, & qui ascendit, hinc subdit: *k imponitur ei nomen super omne nomen, quod gloriam indicat majestatis.*

3. Vix dum natus, ad mortem quæritur, *l cunabulis bella moventur.* & ecce tyranno illuso, stella *m cœli lingua* infantem loquitur, Magi Regem agnoscunt, thesauros deferunt, & *n qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus.*

4. *o Fons puritatis, quasi purificationem venit facere delictorum,* sed ô *miracula!* ô *prodigia!* ô *mysteria!* Anna prophetizat, senex exultat, & divino docet oracu-

b Ad Eph. 4. *c* Plin. in Paneg.
d S. Bern. serm. 2. de ascen.

e S. August. serm. 9. de nativ.
f Ad Ephes. 4. *g* Isa. 38.
h S. Epiphan. orat. de Deip.
i Bern. serm. 3. de circumcis.
k Bern. ibid. *l* Chrysolog. serm. 158.
m Aug. serm. 2. in epiph.
n Ful. serm. 2. de epiph.
o Bern. serm. 3 in purif.

lo: *a lumen ad revelationem & gloriam Israeli* exortam. atque ita *b suscepit umbram, daturus lucem.*

5. Nocte secessit in Ægyptum. triste exilium! *c rerum refugium fugit, auxilium latescit omnium, formidat fortitudo cunctorum.* Interim muta saxa fugitivum Deum agnoscunt, inanimis plantæ authorem suum pronæ veneratæ sunt: refert enim Cardin. Baron. *d* arborem persicam (cujus fructus, cordis: folium, linguæ speciem repræsentat) licet planè maximam, adventu Christi curvatam esse, atque ad solum usque se inflexisse, & Christum adorasse. insuper simulachra idolorum, ad pedes ejus se prostravêre, ut Hieronymus, Palladius, Ruffinus testantur, in illud Isa. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulachra à facie ejus.*

6. Venit JESUS à Galilæâ in Jordanem (qui ut S. Thomas ait, *e interpretatur descensus*) ut baptizaretur à Joanne. baptizatur, inquit Jeronymus, *ut omnem justitiam & humilitatem legis impleret: nec Dominus dedignatus est accipere baptisma servi, ut discant superbi exemplum humilitatis. & ecce aperti sunt cœli, & crebris micat ignibus æther. f*

Tunc *g toto se fudit illapsu Spiritus sanctus*, vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, vox de nube audita est: *hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* tota SS. Trinitas hîc mirabiliter incredibili gloria sese manifestavit.

7. In rupe Thaboræa de excessu, de acerbissimo mortis suæ cruciatu loquebatur; verùm quæ & quanta divinitatis argumenta ilicò patuêre? *resplenduit facies ejus sicut sol*, vestimenta candida facta sicut nix, adeoque gloriosus Christus apparuit, ut Petrus in cœlum se raptum arbitraretur. Denique ubi dura & dira omnia, ad quæ se in passione dimisit, consideras: occurrat illud, nonne *h oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* certum illud Maximi pronuntiatum: *i humilitate pervenitur ad Regnum, simplicitate penetratur ad cœlũ. quisquis ergo cupit divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur:* quod equidem ita verum est, ut & in ipso Christo, Filio suo, locum habere voluerit æternus Pater: nec enim illi flecti voluit omne genu, nisi postquam ad ima descendit, & *k humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. propter quod dedit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum.* erat Dei Filius ante secula, jam inde ab æternitate, splendor Patris, & figura substantiæ ejus; neque tamen inde ei flectitur omne genu. erat increata Dei Sapientia, æternumque Patris Verbum; neque tamen ex eo flectitur illi omne genu. Erat ei cœlum sedes, scabellum terra, thronus ipse immensi patris sinus; & tamen etiam inde non flectitur illi omne genu. nimi-

a Aug. serm. 9. de Nat. *b* Chrysost. serm. 158. *c* Chrysol. serm. 150. *d* Baron. an. Christ. 1. Sozomen. hist. l. 5. c. 21. *e* S. Thom. in Matth. c. 3. *f* 1 Æneid. *g* Chrysol. serm. 157.

h Luc. 24. *i* S. Max. serm. de S. Mich. *k* ad Philip. c. 2.

rum id insigne honoris: non potentiæ, non sapientiæ, non majestati reservatum: sed demissioni, sed profundæ humilitati, qua se summus infra omnes abjecit. quod æqua lance expendens Ambrosius: ei (inquit) genu flecto, eum adoro, non quia & me, & hunc mundum aspectabilem creavit, non quia singulari providentia rexit, sed quia tanta demissione redemit: *a quanta fecit Dominus! audeo dicere, & non flexi genu; sed flexi ei, postquam se humiliavit.*

Quod ipsum universa Ecclesia pio ritu testatur, dum inter sacra Missarum solemnia, Sacerdos Deum de Deo, lumen de lumine, patri consubstantialem, & per quem facta sunt omnia, erectus veneratur: tum verò, cum ait: & *Homo factus est*, ei genu flectendum statuit, tunc & capita submitti vult, coronatosque vertices, & omne genu curvari. ex quibus omnibus manifestum est illud Doctoris gentium: *b qui descendit ipse est, & qui ascendit.* sol ille oriens ex alto, qui mineratus sub novem Angelorum choris, infra hominem se abjiciens, veluti ad decem lineas retrocessit: *c unde à summo cœlo egressio ejus*, sed & vicissim, occursus ejus *usque ad summum ejus quod autem* ad eam altitudinem *ascendit, quid est nisi quia* & ad summam profunditatem *descendit?* ubi rectè S. Thomas observat, quod probandum susceperam: *d Christum ascendisse, quia ipse prius descenderat, ut ascenderet: aliter enim ascendere non potuisset.* vultis id ipsum in homine mortali, sed omnium potentissimo ac excellentissimo cernere? Europæus ille Alexander Carolus Imp. V. cum eò jam gloriæ ac dignitatis evectus, ut in terris, *plus ultra* ascendere nequiret, *per descensum quemadmodum cresceret invenit*, nec illustrior umquam in lucem prodiit, nisi dum per orbem universum, splendoris sui radios, & *plus ultra* diffusos, intra Religionis claustra modestè contraxit: quo factum ut sol ille universitatis speculator, cum omnia lustrasset, nihil illustrius, quàm Carolum in umbra conspexerit. hoc nempè omnibus ille major exstitit, quod cum omnia vicisset, quo excelsior staret, vicit & se: *e* dum *levavit se supra se.* quô spectat illud Bernardi, è cujus calamo nihil effluxit, nisi mel, humilitatis cera reconditum, dum [illegible] cœlestis gloriæ ardentiorem inflammat: *f Si humilitatem tenueris, habebis gloriam: quantò enim humilior fueris, tantò te major sequetur gloria altitudo. descende ut ascendas, humiliare ut exalteris, ne exaltata humilieris, quia qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.*

Quod, ut ad propositum revertamur, subtili comparatione Regius Psaltes innuisse videtur: *g tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.* quasi diceret: quemadmodum indies accidere videmus, neminem quemquam posse assurgere, nisi priùs jacuerit, aut sederit; ita nec ad veros honores ascendere, nisi per

a S. Ambr. serm. 14. in Psal. 118.
b Ephes. 4. *c* Psal. 18.
d S. Thom. in ep. ad Eph. c. 4.

e Thren. 3. *f* Bern. serm. 2. in ascens.
g Psal. 138.

humili-

humilitatem descenderit. quod solerter, ut assolet, Augustinus advertit, in illud Psalmi: *a vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis. vis esse excelsus* (inquit) *esto humilis. surrectio exaltationem significat, sessio humilitatem.* unde alibi dicitur: *b Domine tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam, id est humilitatem meam, & exaltationem meam. Ante lucem surgere volebant filii Zebedai, & sedere ad dexteram, & ad sinistram, exaltari antequam humiliarentur. vanum est vobis sic ante lucem surgere. Dominus vester, qui est lux vera, humiliatus est, ut exaltaretur. humiliavit semetipsum Dominus noster, hac est sessio. propter quod & Deus exaltavit illum, ecce resurrectio. & vos ut habeatis nomen & exaltemini, festinate & surgite, postquam sederitis. surgere vultis, sed primo sedete. surgens ab humilitate pervenit ad regnum. sede* & tu *c in pulvere, virgo filia Sion.* & vilitatem tuam contemplando, cum Abrahamo sic preces auspicare: *d loquar ad Dominum, cum sim pulvis & cinis.* & hæc, *e oratio humiliantis se,* (scis quo ascendet?) *nubes penetrabit. sede* hîc cum Magdalena *f secus pedes Domini,* ut cum sponsa valeas ad osculum oris assurgere. *g sede sub umbra illius, quem desideraverat* illa in Canticis. nam si *compatimur & conregnabimus. sede* hic *juxta flumina Babylonis,* & ne te efferas, recordare & plora in amaritudine cordis, peccata adolescentiæ tuæ; quo fiet, *ut ascensiones in corde tuo disponas, in valle lachrymarum.* convallis quippè *h humilis locus est,* ait Gregorius, *i & peccator quisq; dum se in lachrymis humiliter affligit, in corde per ascensum virtutum proficit.* Ii, qui origines, & scaturigines fontium scrutati sunt, liquidò demonstravi aquas è præruptis alpibus, aut præcelsis montibus, per arcanos terræ meatus, ceu venas quasdam, in subjectas valles derivari; atque istic fortè aditu reperto, quâ premuntur incumbentium aquarum mole, summa vi eluctari. hoc tamen sibi injecto à naturâ velut fræno, non altiùs valeant scaturire, quàm eorum origo fuerit, ex qua descenderint; adeò ut quò profundiùs descenderint, hòc altiùs eluctentur; ea propter & frequentiores, & altiores fontes in convallibus, juxta illud: *k qui emittis fontes in convallibus.* ubi Augustinus, *l convalles, humilitates sunt terrarum; noli contemnere humilitates, inde fluunt fontes, & saliunt in vitam æternam.* adstruere id ipsum videtur Eccl. c. 35. *lachryma ad maxillam descendunt, & à maxilla ascendunt usque ad cœlum;* adeò ut fons è maxilla ascendat, quod l. Jud. c. 15. factum legimus. quæ quàm aptè hactenus fini nostro congruant, testatur illud quod Epiphonematis loco, limpidissimo fonti, Sciolus Belga subscripsit; *m quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit?*

a S. Aug. in Psal. 126.
b Psalm. 138.
c Isa. 47.
d Genes. 18.
e Eccli. 35.
f Luc. 10.
g Cant. 2.

h Psalm. 83.
i S. Greg. hom. 19. in Exod.
k Psalm. 103.
l Aug. in Psalm. 103.
m Eph. 4.

Probatur

§. II.

Probatur sacris ac profanis historiis, eos qui se humiliant, exaltari.

AD honores & dignitates sæculi, ut quis efferatur, quantum studii, diligentiæ, solertiæ impenditur, quàm pretiosa potentioribus munera missitantur, quam humilia; imò infima obsequia deferuntur? in hoc camelis consimiles, qui se dimittere docti, donec impositas exceperint merces; ita & hi honoris candidati, ac gloriæ aucupes, ut ait perillustris auctor Aresius, caput submittunt, genua & collum inclinant, *donec accipiant*. Sic factitasse legimus in cœnobio virum; *a* qui singularem animi demissionem, & profundam humilitatem capite inclinato, submissis oculis totius corporis habitu præ se ferebat. At in demortui Abbatis dignitatem communi calculo adlectus, animo ac vultu factus elatior, extento collo obambulabat. miranti autem cuidam subitam morum mutationem, respondit: priùs se dimisso vultu, oculisque dejectis processisse, quòd cœnobii claves quæreret, quibus nunc repertis se erigat & cervicem attollat. Ejusmodi hodierna die non unus est, *b qui nequiter humiliat se*, ut titulos & honores quibus inhiat, acquirat. Aculeum hîc jure exerit doctor mellifluus: *c ô perversitas! ô abusio filiorum Adam! quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum; ipsi & leviter ascendunt, & difficilius descendunt: parati ad honores & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelicis humeris formidandos.* Aliam omnino *d tutam veramque viam*, ad divinos honores *molitur humilitas*: qui non munerum corruptela, non potentum tutelâ, non fucatâ sed sincerâ & probatâ animi modestiâ, ac infimâ demissione comparantur. Nunc à filio ad matrem transeamus. Qua nulla ab orbe condito major cum dignitas, tum potestas excogitari ac conferri potest, ea ab omnipotenti Deo, conferenda homini jam erat mortali: ut in cœlorum Reginâ, mundi Dominam, ipsius Dei matrem una aliqua deligeretur. Quæ excellentia, tria inter, à D. Thoma numeratur, *e* quæ inexhausta numinis potentia, nequit reddere dignitate illustriora: hanc ubi Hipponensis Præsul Mariæ collatam, attentiùs secum expendit: perinde ac si cœlestem virginem coram alloqueretur affectu præcipuo: *f* dic mihi ô Mater Sancti Sanctorum, quid, quæso, boni egisti? Quid donorum obtulisti, quos patronos adhibuisti? per quos Reges ambiisti, qua cogitatione, quo spiritu, eò pervenisti, ut venerit in uterum tuum Deì filius, ut Mater Dei, Regina Cœli, mundi Domina efficiaris? Virginis responsum additur: *g* quæris à me, quod obtulerim munus, & unde sim effecta Mater Creatoris? *Respexit* Deus non vestem, non gemmas,

a Beyerlinck apophteg. sacra pag. 63. tit. ambitio.
b Ezechiel. 19.
c S. Bern. serm. 2. de ascens. Christi.
d Aug. l. 16. de civ. c. 4.
e D. Thom. part. 1. q. 25. art. 6. ad 4.
f Drexel. Rosæ part. 2. c. 4.
g Luc. 1.

gemmas, non formam, non stirpem, non commendationem, *sed humilitatem ancillæ suæ:* exstantque epistolæ ejus non alio nomine signatæ, *a* quàm *humilis ancilla Jesu.*

Attonitus hîc exclamat Bernardus: *b quæ est hæc tam sublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat.* Profundissima animi demissione, Virgo ad ima descendit, & ad summa extollitur: infra omnes mortales se humiliat, & supra omnes etiam cœlestes genios exaltatur. Hoc Angelus olim S. Brigittam edocuit, dicens: *c* quia inter omnes Angelos & homines, Maria est inventa humillima, ideo super omnia, quæ creata sunt, facta est sublimissima, omniumque pulcherrima, atque ipsi Deo super omnes simillima: Etenim cum felici nominis omine, altum idem sit quod profundum (nam & puteus altus est, fit ut in eo Virgo fuerit simillima altissimo, & immensæ capax majestatis (*quia locus debet proportionari locato*) *d* Quod ut ille est altissimus in dignitate, ita illa fuerit altissima in sui profunditate, & abysso sui nihili, atque adeo abyssum omnium, & plenitudinem deitatis complexa sit. Vnde rectè Bernardus: *e castitate placuit, humilitate concepit.* Facit hîc quod Nicolaus Lancicius; *f vir præcipuis Societatis muniis præclare perfunctus, sed sapientia & virtute clarissimus*, refert in hunc modum: P. Cornelius Wischavejus *g* qui Romæ vivente S. Ignatio fuit nostrorum confessarius, vir tantæ sanctitatis, ut mortuum suscitarit, cujus testimonium manu resuscitati, subscriptum vidi: is dicere solebat, sicut Deus hanc rerum universitatem, & omnes res naturales ex nihilo condidit, ita etjam velle in rebus spiritualibus, omnia ex nihilo efficere, hoc est ex homine, qui pręhumilitate sui, verè nihil est. Quam sui quasi annihilationem, ut ad praxim redigamus, doctissimi viri Didaci Ruiz instructionem audiamus, *h* ajebat ille: si in universo nullus alius homo esset, nisi ego solus, " tunc certè pro honore mei no- " minis nō essem solicitus; at om- " nes quicumque sunt in univer- " so, sunt nihil, cur ergo curabo " gloriam meam? Quoniam ma- " gnifacio homines, timeo ab i- " psis despici, & honorari gau- " deo; oportebit igitur quoad " hoc, flocci omnes pendere. Ad " quod juvabit conferre homines " cum Deo: tunc enim apparebunt nihil esse. Rectè quidem. " de nihilo enim nihil curandum, nihil exspectandum nec de hominibus, nec de suis honoribus, cum omnia & omnes tamquam nihilum ante Deum. Quare vento & vanitate turgidi mortales, *i exinanite, exinanite*, quicumque vestris lucubrationibus inane vobis nomen parare studetis: quicumque sancti, casti, cauti, prudentes audire, & digito mon-

a Epist. Deiparæ ad S. Ign. à cast. de Deip. c. 23. Nier. de amore Mariæ c. 24. *b* S Bern. serm. 4. super Missus.
c In Revel. Lancic. opusc. Spir. par. 2. c. 8. n. 74. *d* Arist. l. 4. Phys. c. 6.
e Bern. serm. 4. super Mis.
f Biblioth. script. Soc.

g Lancic. opusc. Spir. 8. l. 2. c. 1.
h Niéremb. ascetic. l. 3. doct. 2. c. 25.
i Psal. 136.

strari

ſtrari vultis: quicumque dignitates, prælaturas animo verſatis: quicumque lingua vel calamo popularis auræ plauſum, ut muſcas aucupamini, *exinanite, exinanite*; hæc ſtudia exinanite, has cogitationes exinanite, omnia hæc vana deſideria, hæc ſtulta vota *exinanite, exinanite uſque ad fundamentum.* Adhortantem vos venerandum ſanctumque Præſulem induco: *a magnus eſſe vis? A minimo incipe. Cogitas magnam fabricam conſtruere celſitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quiſque vult, & diſponit ſuperimponere molem ædificii, quantòque erit majus ædificium, tantò altiùs fodit fundamentum.* Cùm igitur in virgine, celſiſſimum illud Dei templum fuerit exſtruendum, altiſſima prius humilitatis jacta ſunt fundamenta: ſuper quæ divinus Spiritus artifex cœlo ſublimius templum exſtruxit, quod non prius fecit, quàm illam *obumbravit*, id eſt ut Theophylact. ait, velut pictor *extrema picturæ lineamenta duxit*; conſtat autem omnem picturæ ac colorum eminentiam, umbris ſuis non tàm obſcurari, quàm colluſtrari. Ita quidquid eſt quamvis amplum, id certè parum eſt, niſi modeſtiâ velut umbrâ augeatur. Excelſæ mentis eſt, de ſe demiſsè ſentire & loqui. Vadem habeo Joannem Baptiſtam, quô, teſte vel ipſo primę veritatis oraculo, *b non ſurrexit major* in terris; demiſit ille ſe ad Chriſti pedes, nec dignum ſe credidit, qui etiam ſolveret ejus corrigiam calceamenti. Vidiſti demiſſionem, attende exaltationem. *c manum, quam calceamento dicit indignam, ſuper caput ſuum Chriſtus attraxit*, docet Chryſoſtomus. Quò illuſtriora de Joanne ferebantur ex ore divino encomia, quoque eum homines altiùs ſupra prophetas, ſupra Eliam & Meſſiam extollebant, hòc de ſe demiſſius ſentiebat. In quo non arundini, ſed vaſto robori, ac ſolidæ arbori ſe ſimilem præbebat: quæ

d —— quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.

Vos verò qui diligitis vanitates, ad laudes veſtras confictas, (quas melius fraudes dixero) ad falſas aſſentationes, adeo ſtultorum more vobis applauditis, ut à ſtatu mentis, ſuaves illi favonii vos deturbent, & omnibus, vel ipſis tui laudatoribus ludibrio faciant, juxta illud: *e popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Quid ergo vir magnus, ſuaviſſimis hiſce laudum ſuarum præconiis impetitus, agat? Quid ad prolixas rerum præclarè geſtarum panegyres reponat? Iſtud comprimis Iſaiæ altè in animã dimittat: *qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt.* Hoc de ſe in humili valle Abbas cenſuit: *f dico vobis ego qui de me loquor non ex conjectura, ſed ex ſententia: non ſum talis, qualis putor vel dicor. Quod tam ſecurus fateor quàm certus experior. Sed orate ut talis fiam, qualem me prædicatis.* tum illud Gregorii magni uſurpet, qui hôc ſe ipſo major exſtitit, quòd laudes omnes huma-

a S. Aug. ſerm. 10. de verbis Dom.
b Matth. 11.

c Chryſoſt. hom. 38.
d 4 Æneid. *e* Iſa. 3.
f S. Bern. epiſt. 11.

nas

nas infra se duxerit: Etenim cum in magnifico orbis consessu disertissimus Orator, Sanctissimum Patrem non minùs ingeniosè, quàm copiosè collaudasset, modestum hoc responsum objecit: *a Deum precare, ut ea quæ de me prædicas, vera efficiat.* Nec minus fortè illud Caroli V. Imp. arrideat, qui Parisiis oratione sanè encomiastica (quo genere dicendi valent Franci plurimum) exceptus, sic paucis dicta elusit: *b hæ laudes me commonent, qualis esse debeam.* Radices arborum tectæ ac dimissæ sint oportet, ut latiùs & uberiùs germinent. E quibus licet mutis plantis Seleuciæ Episcopus nobis documentum tradit: *c humilitatis plantam diligamus, cujus fructus cœlum est.*

„ Aliàs, ut Cardinalis Bellarmi„ nus *d.* observat: vir magnus, vir „ doctus, vir sapiens, addo etiã vir „ castus, vir fortis, vir misericors, „ quid aliud sine humilitate erit, „ quàm magna arbor sine radicibus, vel magna domus sine fundamento, quæ levi ventorum flatu evertatur & corruit? Hoc metuens S. Paulus, qui ad cœlos usque, virtutum suarum ramos emiserat, solidissima humilitate radicatus stetit, ut Chrysostomus testatur: *e Paulus ille humilis erat, cùm diceret:* mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus* (seipsum abortivum reputans) *cogita quisnam esset is, qui hæc verba proferebat: Paulus cœlorum civis, Ecclesiarum columna, terrestris Angelus, homo cœlestis. Talis quippe virtutis hujus est potentia, ut hominem in Angelum convertat, efficiatque ut anima velut pennis prædita, in cœlum tendat.*

a Beyerlinck. apoph. sacra pag. 24.
b Ibid. *c* S. Basil. orat. 28.
d Bellarm. con. 3. super Missus.
e Chrysost. hom. de pœnit. & mœstit. Achab. Ephes. 4.

Quæret fortè hîc aliquis, qua ratione Apostolus sine fictione aut mendacio, ita de se loqui potuerit, cùm non ignoraret, plus gratiæ atque donorum sibi à Deo concessum, quàm multis aliis fidelibus, quos exhortabatur dicens: *f imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Perplexum hic quidpiam agnoscit Hieronymus; *reperiendum tamen est argumentum,* inquit, *quo & verè omnibus sanctis infimus fuerit, & tamen de Apostolica non ceciderit dignitate.* Quæ optimè conciliantur, si dicamus Paulum attendisse, quid esset quantum ex se, & quid sine gratia Dei fuisset; sicut de Seraphico Patriarchâ, S. Bonaventura refert, *g* solitum illum dicere: si quemcumque scelestissimum tantâ misericordiâ Deus prævenisset, tot auxiliis & gratiis juvisset, quot ipse fuerat adjutus, persuasum sibi esse, futurum illum Deo gratiorem, & in ejus obsequio ferventiorem. Contrà verò si Deus gratiam & misericordiam ab eo subtraxisset, plura & graviora, quàm ullus mortalium peccata se admissurum. Quâ sublimi humilitate, dum seipsum mortalium maximum peccatorem reputat, in cœlis thronum auro & margaritis radiantem sibi meruit comparare, simulque vox audita: hæc sedes Luciferi, nunc humili servatur Francisco. Quo verissimum

f 1 Cor 11. Hieron. in c. 3. ad Ephes.
g Bonavent. in vita S. Fransc. c. 6.

illud compertum est: *a superbia ex Angelis dæmones fecit, humilitas homines similes Angelis constituit.* Quin & suis hanc virtutem ita inculcatam volebat, *b* ut Gregorius IX. liberè pronuntiarit: *Minores* ideo suos fratres compellasse, ne majores fieri præsumerent.

Pythagoras, qui veritatem symbolis obscurioribus pingere volebat, censebat in luna ac sideribus, esse depressas valles: quas Cælius Rhodiginus, *c* illustrem aliquam animi demissionem interpretatur, quæ mortales supra mortalium sordes evehat, sideribus inferat, eamque facere virtutes cæteras, velut in obscuro cœlo stellas, illustrius eminere. Testis luculentus Coriarius ille Alexandrinus, qui locum in paradiso, reliquis sublimem designabat; *d* sibi verò uni infernum reservatum indies proclamabat: cum interim magni Antonii consummatam perfectionem adæquasse, & excelsus in cœlis extitisse deprehensus sit. Ita sensit humillimus frater Urigmam è Dominicana familia, qui cùm nullum sibi congruum locum reperire posset, nisi in profundo inferno sub ipsomet Lucifero, hanc è cœlo vocem accepit: *citò hùc ascende ad thronum altissimum, in ipsum cor Dei Patris.* Hoc siquidem cœlestis sponsus, B. Brigittam edocuit dicens: *e humilitas est scala, quâ de terra ascenditur ad cor Dei.* Nos per inanem ac fucatam quandam pietatis umbram conscendere paramus: ubi semel in durâ cubavimus sine plumis, cum Paulo nos ad tertium cœlum rapiendos arbitramur. Si pueriles quasdam corporis afflictiones assumpserimus, quasi cum Pachomio, aut Hieronymo de Sanctitatis titulo nobis adblandimur. Alia in cœlum via est. tua te animi demissio ad inferos ducat, & reducet. Turbo vehemens, fluctus maris ad inferos ipsos dejicit, & in cœlum extollit:

f Nam, jam tacturos, tartara nigra putes.
Iamjam tacturos, sidera summa putes.

Ita spiritus vehemens, ducem Gandiæ B. Borgiam ad inferos præcipitârat, *g* & ad pedes Judæ dejecerat, à quibus etiam decessit, & quasi sub tartara descendit, ubi sentit & hunc ipsum locum à Christo fuisse prius occupatum. Qua animi demissione ille, ille spiritus vehemens (sic dictus quasi *vehens mentem*) supra stellas firmamenti, ad insignem gloriæ coronam extulit: verissimumque vel exemplo suo, illud Bernardi comprobavit: *h oportet humiliter sentire de se, nitentem ad altiora.*

Æterna lege sancitum est, ut omnis qui se humiliat, exaltetur. Quod consimili propè modo Basilius fieri asserit, ut si in staterâ alteram lancem depresseris, altera elevetur necesse sit: *i Ita,* inquit, *in animo, & corpore contingere assolet:* sunt enim superbia & humilitas,

a Aug. ad fratres in erem. serm. 12.
b Beyerlinc. apoph. sacra. tit. honorum contempt.
c Cælius Rhodigin. l. 1. lect. antiq. c. 4.
d Nieren. de adorat. in spirit. l. 1. c. 8.
e Revel. extra c. 93.
f Ovid. l. 1. trist.
g In vita.
h Bern. serm. 34. in Can.
i S. Basil. in illud. *attende tibi.*

militas, quasi duæ lances, quarum si prior ascendat & crescat, homo decrescit & descendit; si verò pretiosissima virtutum humilitas descendat, & se deprimat, homo in magnam dignitatem, ad cœlos usque ascendit. Nummo aureo justum pretium est, si bilanci impositum descendat, hic enim *a se pondere prodit*; at si ascenderit, ut scrupis aliquot levior, reprobatur. Cui consimiles hodierna die omnes illi de tribu Levi, levi corde, levi capite, levi oculo, levi pede, qui *b in levitate ambulant*. Et passim aliquot unciis, imò libris ingenii, prudentiæ solidæ virtutis cæteris leviores sunt. Vanos quippe, inanes, stolidos, stupidos se efferre, & minimo gloriolæ vento, ac popularis auræ inflari, indies videmus: quos apto symbolo expressit, qui spicas evanidas, & vacuas aristas, cæteris toto vertice eminentes; turgentem verò segetem, frumenti mole depressam depinxerat, hoc Virgilii adjecto: *c se pondere prodit*. Quæ uberrima virtutem seges in horrea domini devehetur.

Quia Elias popularem auram aversatus, curru igneo hominum oculis subductus, in cœlum evectus est. Quis autem hic radiosus ac triumphalis currus fuerit, aureo ore Chrysostomus pronuntiavit, *d* qui ad consimilem ascensum suos hortatur, dicens: *sedebis in curru humilitatis, qui te in cœlum sustollit, qui equos habet alatos.* Ita enim verò se res habet, celsitudinis origo prima est humilitas, nec excelsum quidquam esse aut censeri debet, quod non è parvis assurrexerit, ut proinde rectè dixerit Augustinus: *e mensura humilitatis cujusque, in mensura ipsius magnitudinis data est.*

Ex hac mensura humilitatis celeberrimus orbis Doctor, mensuram magnitudinis adinvenit. *f* Imperatorum maximus Carolus V. cum præter Petri Soto, sibi olim ab arcana confessione, sepulchrum transiret, aperto capite, ac profundè inclinata victrice illa fronte; hominis sibi probè cognitam virtutem, gemina Christianæ modestiæ laude clarissimam, veneratus est: quod nempe & oblatas à se sacras infulas deprecatus esset, ac ne porrò cuiquam mortalium, hoc ipsum aperire (nam res sine arbitris agebatur) instituisset. En quanto apud Cæsarem sapientissimus Soto in honore fuerit, eundem humiliter aspernando.

Vides aliquid ac stupes re ipsa excelsum, vide quàm humile; & contra, miraris atque amas quàm humile, considera quàm magnum.

Gen. 39. Josephus à cisterna obscura, ad duram servitutem & ab hac etiam ad carceres & vincula damnatus est. Ecce tibi abjectissimum inter mortales mancipium. Sed ab his gloriæ suæ telam orditur, quam ita patientia, & singulari animi modestiâ in tenebris texit, ut in regalem purpuram protenderit: ab illa quippè demissione vocatur ad regnum, ad sceptrum, ad Ægypti totius amplissimum dominatum. Superbia, inquit Augustinus, Nabucho-

a Virg. 2. Georg. *b* Tob. 3.
c 2. Georg. *d* Chrysost. hom. 40. in epist. 1 ad Cor.

e Aug. de S. Virgin. c. 31.
f P. Rho. exempl. virt. l. 4. c. 7. §. 2.

buchodonosor in bestiam transmutavit: *a sed humilitas Ioseph Principem Israël constituit. Humilitas exaltavit Moysem, Danielem, aliosque innumeros, quorum* gloriam præcedit humilitas. *b* Et quantò magis ad ima depressi, hòc altius elati fuêre. sagittarium vidisti quandoque, summo nisu sagittam deorsum attrahentem, quâ fini? Nisi ut altiùs in cœlum ejaculetur: *quò depressa magis, magis hæc consurget in altum.* Quo in genere hac etiam tempestate, illustria non desunt testimonia: viros quippè integerrimos, vel æmulorum invidiâ dejectos, vel calumniantium linguis denigratos, aut etiam gravissimorum criminum falsò insimulatos audivimus, & legimus sacris amotos, anathemate percussos, alios ad haras porcorum, alios ad squallorem carceris, ad abjectissima quæque dejectos; qui exinde, quasi nocte discussa; innocentia sola vindice, illustriores longè ac excelsiores apud Deum & homines exstiterunt, experto credite: *c qui humiliatus fuerit, erit in gloria.*

Mardochæus à cinere & cilicio cui indormiebat, ad primos à Rege honores evocatus est, conscenditque equum regium, diademate redimitus, & per amplissimæ urbis compita circumductus, à fastuoso Amano præ invidiâ tabescente, audiit magnificum illud: *d sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare.* Quam sententiam celebris per Hispaniam Ecclesiastes, *e* in festo S. Andreæ, & alius in Belgio, tres Martyres Societatis cruci confixos collaudans, usurpavit: summo illos honore affectos fuisse comprobando, quod cruce, quasi equo regio, in cœlum evecti essent, solido D. Thomæ nixi suffragio, qui illud Petri exponens: *f & vos eadem cogitatione armamini: Christus,* inquit, *in pedibus, quasi calcaria, clavos infixos, pro equo vero, habuit crucem.*

Ex quo equo, præ Mardochæo præclarissimam adepti sunt gloriam, quod vel ipsi tyranni in supremo die cum fremitu & gemitu proclamare cogentur: *sic honorabitur, quemcumque voluerit, Rex honorare.* Nolim hîc adferre, quam summus ille Imperator noster extollat eos non modò apud Deum, sed etiam apud homines, qui hîc latuerunt in cryptis, in speluncis terræ: qui nunc sicut oves occisionis, sicut peripsema, *g tunc exultabunt ossa humiliata.* Nunc quique, qui terrena sapitis, attendite, quia & apud homines, amici Dei nimis honorati sunt: cilicium Arsenii, auro includitur: tunica Pauli Anachoretæ, purpuræ regiæ præfertur: crinem Magdalenæ, quem Lanuza habet, *h* omnibus regnis mundi appendit. Antrum Alexii in marmoream Basilicam convertitur. Sudaria ac hemicinthia Pauli Apostoli, quid virtutis habuerint, sacræ paginæ loquuntur. S. Gregor. inter plurima, quæ hîc adducit, *i* commemorat mortuum ad vitam revocatum, calligulâ S. Honorati Abbatis, quem ejus discipulus

a Aug. serm. 12. ad frat. in Erem.
b Prov. 15. *c* Iob. 22. *d* Esth. c. 6.
e Hernando de Santiago in festo S. Andreæ.

f S. Tho. in ep. 1 Petri 4. *g* Psal. 50.
h Lanuza hom. 30. §. 11. V. Massutium in vita Pauli l. 8. c. 5.
i Greg. l. 1. dial. c. 2.

Libertinus,

Libertinus, ex magna devotione & fide circumferebat.

Famam & nominis splendorem spectas? num majorem speres, quàm Paula, de qua Hieronymus: *unius urbis contempsit gloriam, & totius orbis opinione celebratur. quam Romæ habitantem, nemo extra Romam noverat, latentem in Bethlehem, & barbara, & Romana terra miratur.* ita alibi quærit: quotusquisque Aristotelem legat, Platonis libros, vel nomen nôrit. vix in angulis eos otiosi semel recolimus; Rusticanos verò inquit, & piscatores nostros, totus mundus loquitur, eorumque sepulchra jubet Chrysostomus, cum sepulchris Alexandri aliorumque Regum conferri, circa quæ magna sit solitudo, cùm circa hæc, divina celebritas habeatur. triumphum minimi sancti in cœlis, mortalium nemo assequi valet. umbram unius in terris cernite. An. 1231. mortua est 19. Nov. Marpurgi, Elizabetha Hungarica, & post 4. annos Sanctorum Catalogo adscripta: *a* tanto verò populi concursu sacrum ejus corpus, anno indè sequenti elevatum, & aureæ thecæ inclusum, præsente Imperatore Frederico, ut ad duodecies centena millia convenisse tradantur. plus dico, eos qui se hîc humiliarint usque eò exaltari, ut non in cœlis dumtaxat supremi, sed & in terris, divini illis honores decernantur. Athenienses adventanti Pompejo, divinosque honores recusanti, gratulabundi scripsere: *quatenus te censes hominem, eatenus nobis es Deus.* En quis splendor humilitatis? adeo vel ethnicorum oculos perstringens, ut honorum contemptores, Deos inter haberi non dubitarint. Quod potiori jure de Christianis sensit S. Maximus, dicens: *b quisquis cupit divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur.*

Testis hîc nobis Paulus & Barnabas, qui viles & abjecti in speciem homines: cùm mira patrarent, nec sibi quid inde arrogarent, tantam de se in hominum animis opinionem concitarunt, ut una voce exclamarint: *c dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos.*

Nec compesci poterant, sed magis clamabant, uti de Christo: *& vocabant Barnabam Iovem, Paulum verò Mercurium.* At ipsi contrà vociferabantur: *nos mortales sumus similes vobis homines; & hoc dicentes, vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent.* Adeo penè cum invidia divinitatis, divina fuit habita virtus. Eadem humilitas " superiore seculo Franciscum " Xaverium, & Andream Oviedum Deos mentita fuit impiis. " Numina habebantur, Xaverius " adhuc superstes, Oviedus etiam " defunctus; de quibus *Nierenberg. de arte volunt. l. 6.* hæc " commemorat: invenio mandatum scriptis extranei Auctoris, qui ab oculatis testibus fatetur accepisse, Japonios Bonzios coëgisse comitia, ut Xaverium consecrassent Deum, arâ " sacrisque colendum: misissque ad illum nuntios (ut olim " Baptistæ) per quos divinos referrent honores. Gloria est " Christianæ modestiæ tales edu-

a Spondanus an. 1231. Pag. 152.

b S. Maxim. serm. de S. Mich.
c Act. 14.

„ casse viros, per quos ipsa Religio ita posset periclitari. Respondit humillimus pater: indignus sum, quòd creatura sum, & vultis Creatorē esse. Nec Barbaris visa fuit humilitas indigna Deo. Non potuit obstare Xaverius, quin procumbentes in genua pedes suos adorarent osculis. sic quosdam consecrat humilitas usque ad sinceram simulationem Deitatis.

§. III.

Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet. a

SApientis est, humilius ostium, demisso ad palmam capite transire, quàm erecto, altiùs ad unguem vertice, ad illud impingere. hoc sapiens & sapidum Mellei Doctoris monitum est: *non est periculum, quantumcumque te humilies: est autem grande malum, horrendumque periculum, si vel modicè plus verô te extollas: quemadmodum enim si per ostium transeas, cujus super liminare (ut ad intelligentiam loquar) nimium bassum sit, non nocet, quantumvis te inclinaveris* (ut anseres etiam urbis portas transeuntes) *nocet autem, si vel transversi digiti spatio, plusquam ostii patitur mensura, erexeris.* hoc cogita, quoties ostium, quo ad locum digniorem via est, transis; ad quod complures graviter offenderunt, & cerebrum excusserunt. stoliditatis est summæ, eruditiori, locupletiori, nobiliori, potentiori, se præferre vel uni quod propè serò & malo suo didicit Ludovicus Sylveria: *b* de rebus longè gravissimis, Emanuel Rex Lusitaniæ, ad summum Pontificem epistolam scripturus, jusserat ut & Ludovicus suo ex ingenio unam contexeret, & quam epistolam præstare judicasset, missurum. Incubuit ad scribendum Sylveria, & nescio quo ingenium stimulo excitatum, ut supra Regem saperet, immemor fuit Sapientis: *c ne gloriosus appareas coram Rege.* & porrò elegantia ac judicio præpollebat; damnatâ itaque Rex suâ epistolâ, alteram prætulit. hoc ut vidit Ludovicus, suam incogitantiam ac præcellentiam damnans, ut domum revertit, uxori filiisque de se actum esse renuntians, nullum sibi ampliùs apud eum Regem, quo ipse se ingenio prætulerat, jam superesse gratiæ locum dictitabat: proinde ne concepta ostensio, in iram olim erumperet, seseque perderet, aliò migrandum, atque in exilio, procul à patria vivendum duxit. verissimè ille: *d non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem plurimum, si vel uni te præponas.* sapientis est, ferventiùs contendenti concedere, juxta illud Pauli monitum, quod non Religiosis, sed & Christianis præscribit: *e nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes:* contendere quippè cum superiore, ut ait Seneca, furiosum est, *f* cum pari periculosum, cum inse-

a Eccl. 11.

b P. Rho variæ virt. hist. l. 5. c. 1. §. 10. Cornel. in Prov.
c Prov. 25. d Thom. à Kemp. l. 1. de imit. Christ. c. 7.
e V. Velasq. ad Philipp. 2. v. 3.
f Seneca l. 3. de ira c. 34.

inferiore ignominiosum. contra verò, *a honor est homini, qui separat se à contentionibus*, & silentio suo sibi honorem, alteri ruborem ciebit. unde Naz. *b cedamus ut superemus, sicut Athletæ, qui ex eo plerumque quod se humi deprimunt, adversariis supernè incumbentibus victores evadunt*. Sciolos passim garrulos repereris, qui gloriam è tricis verborum aucupantur: horum unum aliquem depingens Apostolus, ait: *c superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstionem & pugnas verborum*, an syllaba longa, an brevis pronuntianda sit. in quo Doctor Angelicus, *d* singulare nobis documentum reliquit, dum olim inter legendum super cœnam, à præfecto mensæ perperam correctus, statim repetiit. sociis exindè contendentibus non producendam fuisse syllabam, quam ex natura ipse prius brevem pronuntiarat, modestè respondit: parum referre, syllaba brevis aut longa, gravi an acuto accentu pronuntianda sit; plurimum autem, ut unus gradus humilitatis, & solidæ virtutis acquiratur: *e ubi est humilitas, ibi est sapientia*. supra omnes velle sapere, desipere est. vix credent, qui imperium contumacia metiuntur, & quę ipsi non invenerint, consilia aspernantur, hi, inquam, vix credent, quod de Claudio Aquaviva accepimus: *f* eum cùm 34. annos Societatem rexerit, semel tantum contra assistentium sententias fecisse; qui nihil illis faceret inconsultis; idque in Claudio admirabiliùs quod altissimi esset consilii, atque ingenii, ubi incaluisset, ardentioris. quod inter prudentum facta, jure ut illustre recensitum est. Sapientis est in omni consessu novissimum locum tenere, nec à loco aut pulvino sibi splendorem ac celsitudinem mendicare: quod politici ab Ethnicis, fortè avidiùs haurire satagent, quos in convivio 7. sapientum Plutarchus instruit: "Itane verò metuis, ne quemadmodum Ægyptii stellas ajunt, pro loci, in quem attolluntur aut devehuntur conditione augeri, minuive; ita tibi quoque locus claritatem, obscuritatemque adferat? Certè Latone illo es deterior, qui cum ei in choro ultimum locum præfectus assignasset, benè, inquit, abs te factum, qui hujus quoque loci cohonestandi rationem repereris, cùm non virum loco, sed locum viro ornari, atque cohonestari existimaret." Illud supremi Magistri monitum est: *g cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: amice ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria, coram simul discumbentibus. bus.* Quod & in spectaculis, in supplicationibus, in disputationibus, in comitiis, in omnibus publicis congressibus locum habet. Dicti veritatem eventus luculento miraculo comprobavit. *h* S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, à Liberio Papa ad concilium evocatus, id unum spectavit, quæsivitque impensiùs, ut in sacro illo consessu, cederet omnibus, essetque in postremis. Et quidem

a Prov. 20. *b* Naz. orat. 3.
c 1 Tim. 6. *d* In vita.
e Prov. 11. *f* P. Rho. variæ virt. hist. l. 5. c. 4. nostra §. 2.

g Luc. 14. *h* In vita. Beyer. Apoph. Sacra. tit. humilitas.

quod insignis reverentiæ fuit, staret ipse considentibus aliis. Et rectè ex voto suo stetit, ac novissimum locum tenuit; sed divina providentia diu stare non est passa: mox enim, quæ vicinior erat terra, cui insidere parabat, usurpans illud Psalmi: *Domini est terra, & plenitudo ejus:* ilicò visa intumescere, attollique ac formari in modum suggestus, in quo ceu sublimissimo humilitatis gradu, supra omnes eminebat S. Præsul; quem eo prodigio, Deus ab imis ad summa duxit, & omnibus amori ac venerationi esse voluit, & fuit ei *gloria coram simul discumbentibus.* Contra ac illi qui primo loco discumbens, ubi honoratior supervenerit, omnibus ludibrio est, & cogitur cum *rubore novissimum locum tenere*; uti in comœdiis quandoque fieri videmus, ut qui inter media subsellia honestè consedisset, si prima occupet, exire compulsus, ad ima deturbetur, & omnis fastus subsidit. *a* Et verò istiusmodi vanos ac inflatos, qui cæteris eminere gestiebant, laudabiliter ille ludibrio habuit: dum altis pulvinis, quibus uteres supposuerat, insidentes: ephebis signo dato, uteres acu configentibus, subsidere fecit.

S. Thomas in illud Lucæ 14. *Amice ascende superius*, advertit hunc ascensum, illi ex descensu collatum fuisse: *sic* inquit, *pro humilitate aliquis coronatur honore, unde sequitur; tunc erit tibi gloria. Pulchrè autem dicitur, tunc erit, ne nunc quærere incipias.* nescio quid hanc in rem illustrius proferri queat, quàm quod Deiparam à S. Luca contendisse, nonnulli asserunt: *b* nimirum S. Evangelistam, Apostolorum res gestas, Ecclesiasticamque historiam conscribentem, seriò atque obnixè à Virgine rogatum esse, ut syllabum eorum daturus, qui Spiritus sancti adventum per singulas generationes præstolati fuissent, postremam se omnium in libro generationis nominaret, neque S. Lucam illud modestissimæ Dominæ suæ negare potuisse. Vultis alterum prorsus humillimæ matris monumentum. Addo quod à B. Joanne Menesio, cœlitus acceptum legimus. *c* Asserit ille, quando Apostoli cæterique discipuli è toto terrarum orbe convenerunt, ut morientem spectarent Deiparam, domi ejusdem, ob summam rerum omnium penuriam, ipsis excipiendis, alendisq; nihil admodum suppetivisse, tum ipsam quam ab aliis omnibus inopem, tam meritis opulentam à dilectissimo filio suo impetrasse, quò egregiè sustentarentur & recrearentur, gratissimum corporis ipsius pabulum: adeò ut quamdiu illic adfuerunt sancti Apostoli, solo hoc sanctissimo cibo, lautè ac delicatè victitârint. Vt verò ostendam, quàm illa etiam novissimum locum, in hoc convivio divino sibi vindicârit: ultima vice qua S. Eucharistiâ reficienda erat, S. Petrus rem divinam peragebat, quem humillima Virgo enixè rogavit, ut post alios omnes sacrâ ipsam hostiâ impertiretur, verùm enim verò quæ novissimum sibi locum delegit, audire meruit: *ascende superius*, supra solem &

a V. P. Spoelberch. Wercken der S. Medegesellen. S. Francis. pag. 500.

b Nierenb. de amore erga B. Virg. c. 24.
c Nierenb. cit.

lunam.

lunam. *ascende superius* supra omnes choros Angelorum. *Ascende superius* supra omnes Patriarchas, Confessores, Martyres, ad ipsum thronum Dei: *a Amplectamur itaque humilitatem, si sublimes fieri desideramus*: hæc enim *unica* ad supremos honores *via est. Et quoties interrogares, inquit Augustinus, hoc dicerem.* Quod Demosthenis probat testimonio: *sicut Rhetor ille nobilissimus, cùm interrogatus esset, [illegible] primum videretur, in eloquentiæ præceptis observari debere? Pronuntiationem. dicitur respondisse; cum quæreretur quid secundò? eandem pronuntiationem. quid tertiò? Nihil aliud quàm pronuntiationem dixisse.* ita Augustinus ad sublimem perfectionem, ad summam gloriam *b unica via est humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas.* Quam viam calcasse videtur & inculcasse P. Balthazar Alvarez, qui cùm daret monita cuidam primæ nobilitatis dominæ monasterium discalceatarum ingressæ, hoc ei per literas commendavit: *c si quæras in quo debeas maximè eminere; dico in te valdè, valdè, valdè humiliando.* Sed ne plures hîc Magistros audiamus, quicunque veræ gloriæ cupidus, quem summi honoris *laudisque immensa cupido* exagitat, Christum qui unus ac supremus Magister est, adeat & audiat: *d discite à me quia mitis sum, & humilis corde*; quam brevem lectionem, humilitatis discipulus sic expendit: *e ille cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoscit nisi Pater: non dicit, discite à me mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia facere, & mortuos suscitare; sed discite à me quia mitis sum, & humilis corde. O doctrinam salutarem! O Magistrum Dominumque mortalium! quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est. Noluit docere quod ipse non esset, noluit jubere, quod ipse non faceret. Audio clamantem. Quid? ut discamus à te venimus ad te? quoniam mitis sum, inquit, & humilis corde.* Tum sublimem hanc humilis Magistri doctrinam admirans, exclamat: *huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es, & humilis corde? itane magnum est esse parvum, ut nisi à te qui tam magnus es, fieret, disci omninò non posset? Ita planè.* Hanc Christi lectionem, ne excideret, Joanna Regina Lusitaniæ, Monialis facta collo inscripserat: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde*; ut dum ea manu, quâ sceptrum rexerat, filum duceret, nunquam non in oculis haberet, ac animo volveret.

Bienvenida de Austria, Virgo sanctissima, *f* miro ardebat desiderio Jesum intuendi, eâ planè formâ, quâ fuerat in terris triennis. Audiit pia vota benignus Deus: nam cùm aliquando in templo esset, ecce tibi puellum ibi videt elegantissimum & formosissimum, cujus mox amore capta, blandissimè invitat, secum ut recitet salutationem Angelicam; obsequitur divinus pusio,

a Chrysost. hom. 66. in c. 20. Matth.
b Aug. ep. 36. ad Dioscor.
c P. Lanci. in opusc. spirit. 8. c. 2.
d Matth. 11. *e* Aug. de S. Virgin. c. 35. & serm. 10. de verbis Dom.

f Nierenb. de amore erga Iesum c. 20. Ioan. Gavasson in vita.

& virgine sibi verba præeunte, perquam libenter & religiosè *Ave* dicit matri suæ *Mariæ:* verum illis verbis *benedicta tu in mulieribus*, commodum cum magistra sua prolatis, ad sequentem clausulam, *& benedictus fructus ventris tui*, quia sibi honorificam, conticuit; adeò vel jam in cœlis modestus & humilis est Jesus. Mitto nunc motiva divina humilitatem esse, quæ nos meritis, & gratia apud Deum verè magnos efficiat. Ad humana & politica descendo; & dico: ut quis etiam inter homines verè magnus & nuncupetur & æstimetur, humilitate præcellat necessum est: non me, sed virum etiam de gradu dejectum animo excelsiorem Scribanium in politico suo Christiano audite: si quæras quem in Impe-,, rio magnum statuam? Respon-,, debo cum viro docto: *a ille* ,, *incrementis suis major est, quem* ,, *sublimitas parti honoris inclinat.* ,, Sed & admirationem ille pro-,, vocat, admiratio laudem & a-,, morem. Scio quasdam gentes, ,, augustiorem quandam severita-,, tem, ac majestatem in Princi-,, pe suo desiderare; nulla ta-,, men tam barbara est, quæ su-,, perbo Principe gaudeat: ne-,, que tam barbara gens ulla, cui ,, sine fastu imperari non possit. ,, *Deus sanè orbi universo imperat,* ,, *& tamen tàm procul ab omni su-* ,, *perbia, quàm procul ab omni peccato est.* Quòd si Principes, Præsules, Prælati, superiores imitarentur, apud suos in veneratione, in honore ac amore essent. Eventus id comprobavit in pluribus: Cardinal. Bellarminus cum Collegii Romani Rector declaratus esset, primam, quam de more ad ad nostros exhortationem habuit, sic auspicatus est: *b Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex ipsis, & non inpedias musicam.* Quæ turbatur, si altiori, quàm debet quis tono excedat. Hæc tanti viri modestia, *c hac animi despicientia* (ut cum Tullio loquar) *admirabilitatem magnam apud omnes concitavit.* Tenuitatem suam, & exiguam prorsus authoritatem arguit, qui minimo submissionis actu, de hac omninò actum arbitratur: perperam veriti, *d ne dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas;* quæ numquam magis integra Caroli V. Imp. servata est, quàm dum ad servile obsequium se dimisit. *e* Postremo ejusdem ex Germania recessu, cum Vlissingæ ventos navigationi propitios operitur, factum ut cum Seldio, Ferdinandi fratris legato, in seram noctem de rebus seriis ageret. Iã & nox, & lumina, somnum postulabant, signoque nolâ dato, nullo è ministris, *somno vinoque sepultis,* accurente: ipse Carolus candelam arripit, Seldio quantumvis renitenti, præfert, eique per gradus ad quietis locum deducto: *hoc tibi monumentum,* ait, *illius Caroli habeto Seldi, tot exercitibus & satellitibus quondam stipati, quem nunc solum, & à familia desertum vides, & cui tu tot annis servivisti, ille tibi serviit, & lumen prætulit.*

Quid excellentius & excelsius? Novit siquidem:

a Scriban. polit. l. 2. c. 9

b Eccl. 32.
c Cic. de offic. l. 2.
d S. Thom. 2. 2. q. 161. a. 3.
e Tylingen. parad. in vita Caroli. Gaspi Ens Epidorp.

quo

a ——— *quo fortunâ altius*
Evexit ac levavit humanas opes:
Hoc se magis supprimere felicem
decet.


Hoc Ethnicus Poëta cecinit, & orator docuit, *b ut quantò superiores sumus, tanto nos sumißius geramus; quantò superiores* dignitate, doctrinâ, ingenio, facundiâ, tantò *nos submißius geramus.* Domestica non desunt exempla in hac minimâ Societate nostra, JESU suo hoc vicinior, quò ab honoris ambitu solenni auctoramento remotior: ut si societati alius, à majore Dei gloria quærendus esset scopus, humilitas viciniſſimus sit reponendus, quæ quò profundiores semper radices agat, P. Claudius Aquaviva, *c* filius ducis Atrii, (qui visus aliquando à Philippo Nerio multo lumine coruscare) tria per B. Virginem, quam ut filius impensè colebat, Societati universæ concedi postulabat. *d* 1. *Summum candorem vitæ.* 2. *Studium divinæ gloriæ promovendæ.* 3. *Infimam animi demißionem.* Quam si filii minimæ Societatis, quam si vos omnes æmulari studueritis, verè magni & excelsi in Cœlo & in terris erimus.

a Seneca.
b Cic. 1. offic.
c Nierenb. ascetica l. 3. doct. 2. c. 25.
d Biblioth. script. Soc. Iesu.



EMBLEMA XXXIX.

Loquebatur rectè. Marc. 7.



DICENDA TACENDAQUE CALLES. a

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Rectè loquitur, cujus lingua, affabri instar horologii, opportuno tempore sonat, & peccantem commonet. Quâ in parte, tacendo non leviter peccatur.

§. I. *Væ mihi quia tacui.* b

§. II. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum.* c

a Persius sat. 14. b Isaiæ 6. c Matth. 18.

DOMI-

DOMINICA UNDECIMA POST PENTECOSTEN.

Loquebatur rectè. Marci 7.



IRUM quantum ad exquisitam cujusvis reipublicæ politiam, & ordinem contulerit, scitè elaboratum & omnino accuratum ex æde summa prominens horologium: quod opportuno tempore sonet; & diurnas nocturnasque ære campano horas, clarè denuntiet; ex eo porrò velut signo dato, benè manè portæ panduntur, officinæ recluduntur, opifices suum debitè opus auspicantur, gymnasia pueri, mercatores forum, Senatores curiam, viri Religiosi chorum ordinatè frequentant, omnes denique ex horologii pulsu seu ductu, negotia sua dirigunt atque disponunt. a *Ordini servando* (inquit Cassiodorus) *necessarium horologium propter horarum distributionem.* Ut non injuriâ Pompejus devictâ Africâ triumphans, b inter pompæ fercula, pretio & artificio spectanda, musæum ex margaritis, in cujus fastigio elegans & concinnum horologium circumferri mandarit: innuens musæum ac omne studium ex horologii quasi optimi monitoris ductu auspicandum ac moderandum esse.

Quod & olim Romanos factitasse legimus, qui horas quasi certam ac inviolatam actionum suarum regulam religiosè observabant: primas quippe diei horas mutuis salutationibus insumebant. Tertiâ forensibus causis vacabant. Quintâ omnium opificum labores maximè fervebant. Sextâ quæ nobis duodecima meridiana est, ab opere respirabant. Septimâ finem imponebant. Ab octavâ ad nonam palæstritæ exercebantur. Nona cœnam designabat. Unde Martialis libro quarto epigrammate septimo:

Prima salutantes, atque altera continet hora.
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores;
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palastris.
Imperat exstructos frangere nona thoros.

Quód si Gentiles illi *omnium* (ut ita dicam) *horarum homines* exstiterint, quid de cœnobitis nostris, quid de viris ac mulieribus sub disciplina monastica degentibus, sentiendum est? quibus omnibus diei ac noctis horas ad cœli solisque cursum attemperatas esse necesse sit. Hinc illa Petri Damiani solers vigilantia: c *Noverit significator horarum, quia nulla magis in monasterio est oblivio fugienda: si enim articulum suum cujuslibet synaxis hora, vel praventa, vel dilata non teneat, omnem procul dubio horarum succe-*

a Cass. l. div. lectic. c. 30. & l. 1. var. ep. 46.
b Guevarra horolog. princ. in dedicat.

c B. Pet. Damian. ep. 13. c. 17.

dentium ordinem turbat. Adeò ut si horologium perturbatum fuerit, sæpius cespitet, hallucinetur, conticescat, dum insonandum est; aut è contra dum tacitè decurrendum, intempestivè pulset ac intonet, omnes ordinum omnium functiones perverti, atque omnia perturbari compertum est, ut verissimè dixerit Poëta:

a —— Falsa regula prima,
Omnia mendosè fieri ac distorta necesse est.

Ea propter non exercitus modò explicandi, aut aciei optimè instruendæ; sed & reipublicæ gubernandæ peritia, si quis præcellens Belgarum decus Carolus, primum illudque præcipuum sub ingressum cujusvis civitatis horologium observabat: huic intendebat, hoc attentâ aure inter gravissimas Regni curas explorabat; num ex Sapientis monitu: *b tempus tacendi & tempus loquendi* servaret: ex eo se dictitans, ritè ac rectè constitutæ reip. statum, certò assequi atque dijudicare consuevisse.

Quod in amplissimis urbibus in quavis Republicâ, sonorum æs campanum, hoc in privata cujusque familiâ, quin & in omni hominum cœtu sua cuique lingua est: quæ si *tempus tacendi & tempus loquendi* probè observarit; si ad opus debitè exercendum, aut à vetito desistendum, opportunè insonuerit, ubi locus & tempus correptionem differendam suaserint, tacuerit is *c dicenda, tacendaque callet:* deque eo verè dixeris: *Loquebatur rectè.*

Ac primùm quidem, quid interfit, quæque necessitas cuilibet incumbat, correptionem in tempore adhibere, & vitia proximi cohibere, paucis exponemus, ne serò illud cum nostræ ac proximi salutis jacturâ deploremus.

§. I.

Væ mihi quia tacui. Isa. 6.

Cum Galli duce Brenno captâ urbe sub noctis silentium falsis vigiliis, & canibus consopitis, capitolium inscendissent, *d* anserum strepitu detecti, atque inde dejecti sunt. Vnde Vates:

e Hac servavit avis, Tarpei tecta tonantis.

Quo factum, ut anser apud Romanos summo in honore habeatur, atque in Capitolio alatur; canes verò quia non valentes latrare, indigno supplicio afficiantur. Quem morem ad sua usque tempora durasse Plutarchus testatur: *Etiamnum* (inquit) *solenni pompâ canis in crucem actus, & anser splendidè admodum in lectica, & veste stragulâ pretiosa sedens gestatur.* Addit Plinius: quotannis mense Augusto, supplicia canes Romæ pendunt, qui primò verberibus cæsi, vivi in sambuceam crucem sublimes rapiuntur: quia taciturnitate suâ, arcem Romanam summo discrimini exposuêre.

Quot urbes, tot arces deperditæ; quia excubitores, canes *f muti, non valentes latrare*, ut Isaias queritur?

Quot proditiones, quot fraudes ac perfidiæ adornantur, quia conscii, nescio quo metu panico, *canes muti, non valentes latrare.*

a Horat. | b Ecc. 3.
c Pers. sat. 4.

d Livius l. 5. e Mart. l. 13. epig. 69.
f Isa. 56.

Fiunt

Fiunt furta in honore, in famâ per detractiones, per calumnias: Auditores *canes muti*. Infertur damnum pudicitiæ, arx castitatis expugnatur, parentes, propinqui, vicini dissimulant, *canes muti*. Enormia optimates inter, gravi cum scandalo grassantur flagitia, sacri Ecclesiastes, Confessarii ne gratiâ excidant, ne aliò pœnitentes divertant, *canes muti*. Doctores Medici ne hominem lethali morbo correptum, graviùs affligant, uxorem & liberos unà dejiciant, præsentis periculi, quo & de anima agitur, commonere non curant, *canes muti* Quot causidici, quot viri togati; *canes muti non valentes latrare*, quia offa aurea vel argentea eis objecta est? Hos omnes Severus, & verus ille Iudex, non ut Romani canes suos in furcam; sed suppliciis condemnabit æternis. Nec dubium, quin gravissimi viri P. Jacobi Laynez, *a* qui in venerando illo Tridentino concilio primum inter Theologos locum obtinuit, testimonio, *Plerosque non leviùs noxa reos, & justissimè addici, ac condemnari contingat, quòd correctione neglectâ, conticuerint; cùm tempus maximè loquendum postularet*. Vt infrà de præcepto correptionis declarabimus. Priùs tamen ex damno & jactura, quam taciturnitas in rebus temporalibus ac perituris inducit, conjecturam facilem ad detrimentum animæ, & cœlestium bonorum jacturam faciemus, neminē porrò ulla tenet dubitatio, quin civitas omnis aut arx quantū vis munita, facilè hostium potestati ac direptioni cedet; ubi excubitores obdormiscunt, ubi nemo centurionum vigilat, ubi nullum ære campano signum datur; hostis habet muros, urbs capta est, priùs quàm rumor ad aures pervenerit. cujus rei urbs Atrebatensis luculentum præbet argumentum; quæ hoc stratagemate à Burgundis occupata est anno 1492. Cùm Atrebatum quindecim annis sub Francis gemuisset, *b* die quintâ Novembris dum Præfectus urbis Cardonius cum multis militibus Creveceurium evocatus esset, Joannes Marius civis Atrebatensis, *Grisardus* vulgò à canitie dictus, vir tenuis fortunæ, sed acris ingenii suique Principis perstudiosus, hoc stratagemate usus est: multis compotationibus perquam familiarem se reddidit Channio Franco, cui claves urbis commissæ, & portas urbis claudendi ac reserandi provincia demandata erat. Jamque ita Channii animum occupârat, tantamque gratiam & fidem invenerat, ut Channio non semel ad pocula confidente, ipse cum militibus, urbis portas occluderet. Quod cùm sæpius fideliter factitasset, quodam vespere ad id muneris cum aliquot præsidiariis progressus, ex condicto, in itinere à conjuratorum uno, semipotum se simulante, & poculum vino plenum ostentante intrò ut bibat invitatur. Rogat Grisardus socios ut paululum præcedant, se quàm mox subsecuturum. Ingressus reperit ceream materiam paratam. cui claves imprimat. Sicque Grisardus ad portas tendit, claudit, & ut consueverat ad Channium compotaturus accedit. Claves ceræ

a Bibl. Script. Soc. P. Rho. var. virt. hist. l. 1. c. 11.

b Haræus tom. 1. an. 1492. pag. 488.

ceræ impressas, mox conjuratus ille Duacum fabricandas defert; tertius conjuratus (hic pictor erat) Melunium, Vaudreium, aliosque Burgundos ad stratagema incitat. Stato die 5. Novembris *Grisardus* signum constitutum, tritam Atrebati cantilenam exorsus est. Eam in vallo contentâ voce alacriter Grisardo cantante, Burgundi inter colliculos iter placidè faciebant: sed attendite quàm silenter: equorum soleis, panno laneo suffultis, hinniendique facultate eis impeditâ procedebant. Atque ipso Grisardo tacente, ex condicto, consistebant. Vesperi hora nona conjuratorum unus in turrim conscenderat (nam & hujus clavem expresserant) ac ferream campanæ linguam adstrinxerat, ne ad arma signum dari posset. Duo insuper complices in muris, vigilabant, dum socii cum Francis conjurationis ignaris, largius vinum potitantes, in porta excubant. Sub noctis duodecimam pictor ostiolum portæ Haiguervæ clam aperit, & ad Burgundos adventantes contendit: omnia salva denuntiat, cantilenam *Grisardi* duntaxat observent, atque eis tesseram quæ erat S. Georgii exponit. Ipse ex illis intelligit Burgundicam tùm D. Michaelis. Sicque ad suos cum tredecim Burgundis in urbem prorepit, qui signo dato, portæ custodes invadunt, valvas nemine obsistente aperiunt, Burgundos equites peditesque admittunt, *Grisardo* semper, jamque alacriùs concinente; atque ita sub tertiam matutinam Burgundi urbe potiti sunt; & septimo die Novembris Magistratus renovatur, omnesque conjurati in eum adlecti, *Grisardo* urbis Prætore constituto. Vnde hoc, quæso, tam repentinum amplissimæ urbis excidium? Vnde ea ædium ac familiarum vastatio? unde omnium opum ac divitiarum direptio? nisi quia excubiæ mutæ, campana muta, altum ubique silentium, à nemine quoquam ad arma conclamatum est. Ita olim, ita jam pridem, ita die proximè elapso;

a Spectaculum capta nec minus
urbis erat:

quando cœlestis illa urbs Jerusalem, civitas sancta, innocens anima, omni genere cœlestium divitiarum locupleta ab infestis tartarei hostis administris diripitur, vastatur, & fœdæ libidinis flammis injectis absumitur: hac solùm de causâ, quòd nemo imminentem cladem denuntiet; nemo auxiliares undas, nemo incendium inclamet. Profectò in publico patriæ incendio, Mardochæus vel cum capitis periculo, Reginæ non silendum esse duxit: edictum impii illius Aman pendebat in Susan, quo totam Judæorum gentem stirpitus evellere, omnes eorum urbes ferro ac face vastari præceperat. Nulli interim sine præsenti capitis discrimine ad Regem accessus erat. Quid agis Mardochæe?

Potes hoc sub casu ducere somnos?

Potes hujus catastrophæ tacitus funestum exitium præstolari? minimè, Reginam semel iterumque interpellat, & ad loquendum efficaciter impellit, dicens: *b Si nunc silueris, tu & domus Patris tui peribitis.* Patria omnis funestis Veneris flammis conflagrat,

a Proper, l. 2. b Esther c. 4.

a Hæc species Trojæ, cùm caperetur erat.

Si nunc silueris tu Pastor, tu præceptor, tu paterfamilias, tu vicine, tu tutor, tu pædagoge, *tu & anima* proximi tui *peribitis*. Si intempestâ nocte in urbe incendium exortum fuerit, nemo opem inclamet, nullum ære campano signum insonuerit, in immensum omnia flammæ depopulantur. Domus tua conflagrat, ignem à lascivo proco injici advertis, & siles. Omnis ardet vicinia, vides solutos conjugatos, sub obscuro vespere promiscuè ad scortum, è regione divertentes, & non elatâ voce exclamas? *incendium, incendium!* Ejusmodi non malè quis Perusino isti cani contulerit, qui in culina ab amasiis enutritus, eos non allatrabat; sed ut domesticos admittebat, in cujus rei gratiam hoc famosum meruerit epitaphium:

Latrabam fures, sed amantum furta tacebam:
Vt placui Domino, sic placui Dominæ.

Erit aliquando illa dies, cùm canes hi muti horrendum ululabunt, & clamabunt illud Prophetæ: *b Væ mihi quia tacui!* Quæ verba expendens Gregorius: *c Si aliquando tacere culpa non esset, Propheta non dixisset: Væ mihi quia tacui.*

Nec aliam hic culpam agnoscit quoque S. Hieronymus, quàm quod Vates Isaias, Regis Oziæ arrogantiam, & hominem profanum sacra attrectantem, non reprehenderit ac represserit: *d Quia* (inquit) *Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec juxta Eliæ exemplum libera voce impium designârat, labia habet immunda,* quæ per Seraphim ignito calculo exaltari desumpto, necesse fuit expurgari. Graviori certè immunditiâ, graviori culpâ infecti sunt, qui scelera atrociora dissimulant. Vides ancillam cum famulo, adolescentem cum filia liberiùs agentes, audis verba lasciva, sermones, cantilenas obscœnas, in curribus, in navibus, in conviviis: cura ex consilio Chrysostomi *e* & mandato Christi, aquam adferri, ut os abluant: Nam ut rectè Anselmus: *Vbi non est correptio, ibi est corruptio.* In publico cœtu, in honesto puellarum ac juvenum consessu, velut scintillam in arundineto disseminari advertis & siles, nec reprehendere, nec divertere satagis. *Væ tibi* quia tacuisti, tot culparum reus es, quot hîc præsentes flamma afflavit. Nec est quod turpitudinis suæ ulla Virgo, aut conjugata corrupta excusationem adsciscat dicens: quia vim passa sum, clamorem infamia cohibuit. His fortissima ac castissima Susanna in exemplar proponitur, & quævis secum expendat, an majori umquam non famæ, sed & vitæ suæ periculo exposita fuerit, ut clamare necessum non habuerit: *f Ingemuit Susanna & ait, angustiæ sunt mihi undique; si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Quid agat? exclamavit voce magnâ Susanna.* Quàm paucæ Susannæ hodiernâ die, & hinc non

a Ovid. l. 1. Trist. eleg. 3.
b Isa. 6. *c* S. Greg. 3. Mor. c. 17.
d Hieron. ep. 142. ad Damas. & in Isa. c. 6. & lib. 2. adv. Pelag.
e Chrys. hom. 9. in acta.
f Dan. 13.

non raræ violatæ; si plures clamassent, quàm multæ & pudicitiam, & animam servâssent, & fœdum illud incendium restinxissent. Quare frivolam hanc excusationem S. Vincentius reputat, *a* vim virgini invitæ illatam esse; eamque sceleris condemnat, quæ ne silentium frangeret; conticuerat. Audi Ambros. ad virginem lapsam, *b Sed dices nolui hoc malum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: Ego enim inter duos presbyteros, id est seniores, posita inter duos utique judices populi, sola inter sylvas Paradisi constituta; vinci non potui; quia nec volui, tu ab uno ineptissimo adolescentulo, & in media civitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia ultrò voluisti violari? quis denique voces tuas audivit?* &c. Hi tamen casus, cùm inter honestas rariùs contingant, non passim populo exponendi. Alia quæ hoc in genere frequentiora occurrunt incommoda, liberiùs ac liberaliùs exaggeranda, atque ea sunt, quæ famam ac existimationem proximi graviter lædunt, & impunè auferunt. Ecquis vestrûm hîc furem alteri sibi adstanti crumenam præscidentem, aut manum marsupio inserentem tacitus spectet? quis è vicina officina spectet hominem, clanculum frustum panni auferentem, & non inclamet? Interim complures hîc præsentes contueor, qui graviora furta, quæ pleno die, & ipsis inspectantibus committuntur, taciti & quasi muti dissimulant. Cùm similes, cæterum mansuetissimus David exemplo suo acriter insectari doceat, *c detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar.* Nec minùs in eos sæviendum, quàm in eos qui hominem laniant aut discerpunt, Paulo attestante: *d Si invicem mordetis & comeditis: videte ne ab invicem consumamini.* In eos autem & lingua, & si opus etiam unguibus sæviendum, qui domino suo per blasphemas voces suas non parcunt; sed indies proscindunt. Canem nobis hero suo perquam fidum S. Ambrosius in exemplum adducit, *e* ut ab eo latrare & in vitia insilire condiscamus.

Antiochiæ sub vesperam civis solo cane comitatus, domo egressus, à latrone ex insidiis confoditur, & omnibus exutum, nudum ac saucium cadaver destituitur. Non tamen herum demortuum canis deseruit; sed fidus custos totam noctem ei adhæsit, viciniam omnem immani ejulatu, & latratu infestans. Dum Sole exorto ingens hominum turba confluxit, qui hominis adeò truculenter occisi sortem miserati, insuper incredibilem canis illius fidem, qui loco dimoveri nequibat, satis demirari non poterat. Cæteros inter, quo suspicionem omnem à se dimoveret, homicida quoque accurrit; cùm è vestigio mox, ut hominem canis conspexit; leonis instar ferocire, atque hunc horrendum ac incessanter allatrare aggressus est. Nec hoc satis, *sed canis sequestrato paulisper doloris sensu* (ut Ambrosius loquitur) *arma ultionis assum-*

a S. Vinc. Dom. 2. fer. 5. post Trin.
b S. Amb. ad. Virg. lapf. c. 4.

c Psalm. 100. *d* Galat. 5.
e S. Amb. l. 6. hexam. c. 6.

psit,

psit, inque eum toto impetu irruit, dentibus apprehendit, prensumque mordicus detinens, horribiles dabat latratus. Quo spectaculo tota adstantium corona attonita, de homine quod suberat suspicari, & de facto in carcerem duci jusserunt, nec multò pòst justas homicidii pœnas persolvit. *Mirabile factum* (exclamat S. Præsul) *quid nos dignum nostro referimus Creatori, cujus cibo vescimur, & dissimulamus injurias?* Proscinditur & laniatur; nam ut Augustinus docet: *a Non minus peccant, qui blasphemant Christum regnantem in cœlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris.* Nec tamen insurgimus, non involamus, non illud os contundimus? Fecit hoc quod admirationem habet, & ad imitationem movet, *b* R.P.F. Joannes Hurtado, è florentissima S. Dominici familia, vir hôc major & excelsior, quòd infulas Granatensem & Tolosanam ab Imperatore Carolo V. oblatas, sub pedibus habuerit. Hic ut zelo Dei flagrantissimus, militem fortè blasphemas voces impudenter jactantem audierat, conversus ita in hominem invectus est: *Mentiris maligne, Deus is non est, qualem tu eum blasphemo ore fingis; sed bonus est, justus est, & misericors.* Quibus verbis alter efferatus pugionem stringit, ac mille diris Ioannem aggressus: Tibi, tibi (inquit) sacrilege incumbit mea dicta lacessere? Quid tibi mecum ô porce! ô bestia! ad hæc à Deo in se detorta convitia, Hurtado in genua provolutus, martyrii palmam avidè exspectabat. Sereno vultu ac ore renidenti: jam (inquit) amice mi, verum dicis, jam rectè loqueris. Quidquid in me evomueris, infrà condignum est.

Hæc & tu æmulare, & vel sanguinis pretio, & vitæ periculo, Dei gloriam tuere. Non me, sed altiori è loco Chrysostomum audi, severiùs commonentem: *c Si quempiam Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, non recuses; ipsius faciem alapâ percute, contere os illius, & percussione manum sanctifica.* Divinâ quâ pollebat, hoc argumentum eloquentiâ prosequitur disertissimus Antistes: *d Si quem videmus veste breviori, vel alioqui indecenter vestitum, admonemus & emendamus; verùm videntes vitam ejus dissolutam; nec verbum quidem proferimus, videntes mores ejus nefarios præterimus: tametsi ridicula sint, quæ ad vestes pertinent, periculosa autem & damnosa quæ ad animam.* Tum aliam non minùs efficacem subdit similitudinem: *Dic obsecro nonne cùm vides fratrem per præceps ferri, manum ei porrigis? Nonne à lapsu erigis? Nonne reprehendis, & arguis? & in his majoris facis non offendere, & non haberi pro inimico, quàm salutis ejus curam habere? quàm habiturus es apud Deum veniam, vel defensionem?* in cujus rei confirmationem expendit illud Domini præceptum, Israelitico olim populo præscriptum: *e Nonne audisti* (inquit) *quod Deus Iudæis præcepit, ne errantia inimicorum jumenta despiciant, & lapsa ne prætereant?* Hinc assurgit: *quòd*

a Aug. in c. 26. Matt. *b* Ann. Dominic. Pennequin amour divin. p. 3. c. 2.

c Chrys. hom. 1. ad pop. *d* Chrys. cit. & hom. de ferendis reprehens. tom. 5. *d* Exod. 23. 4.

cum

cum Iudæis ne inimicorum bruta contemnant, nosne fratrum animos, Christi sanguine redemptos despiciemus? Et quomodo non est summa inhumanitas, & ferina crudelitas, nos non tantùm curæ hominibus impendere, quantùm alii jumentis? hoc est quod vitam nostram confundit; hoc est, quod omnem ordinem subvertit. Confer, si lubet, legem Judaicam ad legem gratiæ, populum ad populum, jumenta ad hominem, jacturam hujus & illorum; & facilè despicies, quanta tibi præ illis major incumbat obligatio. Potentissimum ad animos Josephi commovendos motivum adduxêre Ægyptii, quo extremæ suæ penuriæ ab eo triticum impetrarent, dicentes: *cur moriemur te vidente?* Quis credat hominem reperiri adeò barbarum, qui nos & liberos nostros jam propè fame enectos, contueatur, & horrea ac penuaria frumento redundantia occludat? Ecquis fratrem aut propinquum in puteum aut flumen delapsum prætereat, & funem aut manum porrigere negligat? ex quo Doctor Angelicus ad mentem Augustini concludit: *a Si neglexeris corripere, pejor factus es eo, qui peccavit.*

Etenim si homicidii reus arguatur, qui viderit alterum aquis præfocari aut fame emori, cùm facilè occurrere & morti eripere queat, quid ni gravissimi sceleris arcessitum, qui animam sinit perire, quam æternis pœnis eripere & beatitudini adscribere valeret? Argutè & acutè Mediolanensis Antistes: *b pasce famem patientem, & si non pavisti, occidisti.* Neminem verò tenet dubitatio, quin opera misericordiæ spiritualia tantùm antecellant corporalia, quantùm anima potior est corpore: unde consequenter sentit & consentit Gregorius: *c Si indigentibus proximis abscondimus pecunias, eorum mortem optamus; ita si peccantibus fratribus subtrahimus correptionem.* Nemo non suspiceret, & ut *insignum pietate virum* in cœlum extolleret eum, qui in dies singulos, mille aureos in pauperes & egenos liberaliter erogaret; donec tandem ipsa, quæ dives possederat, ad decies centena millia profudisset. Hunc tu quisque es, exsuperare potes, nullo temporalium bonorum detrimento: *d Si immensas pecunias pauperibus eroges, plus effeceris si unam converteris animam. Magnum sanè & laudabile est misereri pauperum, sed magis, si errantem ab errore revocaveris.* Olim Christus: *e Silentium imposuit Saducæis*, tacitos reddidit, non mutos. Ubi bene observat Origenes, *f* non homini sed mari dictum fuisse, *obmutesce*; homini verò tempus tacendi, & tempus loquendi præscripsisse, ut disertè Ambrosius testatur: *g Quid igitur mutos nos esse oportet? minimè: est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Denique si pro otioso verbo reddemus rationem: videamus ne reddamus &* pro

a S. Thom. in catena. Aug. serm. 16. de verb. Dom.

b Amb. epist. 4. & lib. de corrept. & gratiâ cap. 3. 20. c S. Greg. lib. 1. Pastor. curæ cap. 1. admon. 26.
d Chrysost. hom. 3. in ep. 1. ad Cor.
e Matth. 22. f Orig. tr. 23. in Matt.
g Ambr. lib. offic. cap. 3.

pro otioso silentio, *& maximè perniciofo.* Hactenus quàm perniciosum in ruina proximi silentium sit, consideravimus; nunc quâ obligatione ad corripiendum obstringimur, quomodo & quando loquendum, videamus.

§. II.

Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum. Matth. 18.

CUm in Chinas primò horologium partibus suis dissolutum Europæus artifex asportasset, *a* regni illius incolæ dentatas rotas, axes, campanulas, malleos, pondera exigua cum admiratione spectabant, omnemque hanc machinam velut inertem molem, frustra tanto molimine in Regiones adeò longinquas delatam dictitabant. At verò ubi aptè partibus inter se dispositis concinno ordine, nec non arguto concentu, minora campanilia præludere, inde horam sonantem audierunt: tantâ hujus rei novitate, delectatione juxta ac admiratione rapti fuêre, ut confestim ad hoc tam varium, tam dulce melos urbes confluerent; & humanâ quid altius industriâ considerantes, machinam hanc veluti genio quodam aut intelligentia animatam, & ferrum loquax, *le fer qui parle*, nuncupare non dubitarent.

Consimili ratione hominem, quem Romanus Philosophus horologio non inscitè comparavit, *b* ita supremus artifex efformavit, ut extremam velut manum, linguæ apposuisse, & mirandam prorsus absolutamque perfectionem, *ut tempus tacendi, & tempus loquendi teneat*, ne quà offendat, in eo collocasse videatur. Quem meritò, ut cætera adsint, si nullum opportuno tempore signum dederit, sed damnando & execrando silentio obmutuerit, quasi inutilem, & momenti nullius molem abjecerit: Cui vitio ut occurratur, & aptè suo tempore horologium hocce nostrum insonet, divinorum præceptorum, ac solidissimarum rationum pondera appendemus.

Natura docet, & ratio dictat, quod unius corporis pro *c invicem solicita sint membra*: ita & nos omnes in uno spiritu Jesu, in uno mystico Ecclesiæ corpore *d sumus invicem membra*: unicuique mandavit Deus de proximo suo, & curam præcepit habendam, quasi de membro suo. Quare disertè non consilium, sed mandatum suum expressit Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum.* Et in lege nova: *e Si peccaverit in te* (id est coram te, ut S. Thomas & Augustinus) *frater tuus, vade & corripe eum, inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Quod præceptum sub lethali noxâ obligare, apud Doctores in confesso est. Horum Principes audiamus: Doctor Angelicus 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3. *Prætermittitur fraterna correctio cum peccato*

a Garass. doctrin. curieus. l. 4. Sect. 22.
b Senec. cons. ad Marc.

c 1. Cor. 12. *d* Ephes. 4.
e Matth. 18.

mortali.

mortali. Fundatque se in Levitico & Matthæo citato.

Doctor verò irrefragabilis Augustinus serm. 16. de verbis Domini: *Vides fratrem tuum perire, & negligis; pejor es tacendo, quàm ille conviciando.* Et libro 5. contra Julianum capite 3. majorem in quibusdam obligationem esse astruit, dicens: *Si eos in quos nobis potestas est, ante oculos nostros perpetrare scelera permittimus, rei cum ipsis erimus.* Ex quibus rectè deducit insignis Theologus Joannes Sanchez, *a* hoc peccatum omissæ correptionis fraternæ, in confessione exponendum esse; quod omnibus vult seriò inculcatum: *Pauci* (inquit) *se reos produnt hujus mandati naturalis fractione, & negligentes Confessarios penè omnes video ad sciscitandum, num omissum sit, vel non; cùm interrogare adstricti sint, ut docet Suarez & Bannes & universi fateri tenemur.* Hujus præcepti vim, etiamnum adolescens probè tenuit, *b* & suum cum rubore Pædagogum instruxit. Anno 1593. Divione Pædagogus schedam à suo discipulo conscriptam reperit, legitque ignarus peccata in ea numerari, inter cætera & hoc præscriptum erat: *Pædagogum meum temere jurantem non correxi.* Ea res sic hominem attonuit, ut sui officii memorem, ad frugem redegerit. Illi siquidem ex officio magis incumbebat, in discipuli sui mores animadvertere. Et quoniam hîc mihi cum viris, qui confitentibus aures præbent, sermo est, norint sibi eo potissimum loco ac munere, medicinalem correptionem quandoque necessariò adhibendam. Quod melleus Doctor severiùs suos monuit: *c Ferveat in nobis zelus ille, charissimi, ferveat amor justitiæ, odium iniquitatis; nemo vitia palpet, peccata dissimulet nemo.* Nec nobis accidat, quod tragicus eventus edocuit, quem quamquam animus meminisse horret, narrare incipiam. Pater Ioannes Lorinus, quem ob variam omnium scientiarum eruditionem *d Spirantem Bibliothecam nuncuparunt*; cùm Lutetiis Parisiorum altiores litteras profiteretur, viro de Societate tragœdiam omnem retulit; quemadmodum is postea Bruxellis coram Archiduce Alberto & Isabella pro concione exposuit. *e* Novisse se in Italia insignem usurarium; qui cùm turpem illum quæstum dimittere nollet, in pœnitentiæ foro ab urbis parocho, & nostris Patribus rejectum, in Monachum tandem incidisse, qui cæteros arctioris conscientiæ & scrupulosæ insimulans hominem quoties collibitum absolvit, quo ita se in usurarii hujus gratiam insinuavit, ut familiarissimè se uteretur, & propè indies mensæ adhiberetur. Accidit ut liberaliùs unà cœnassent, jamque sero vespere vir Religiosus se ad claustrum contulerat; ipse verò vix cubitum se receperat, cùm subitâ morte exstinctus est. Atque ilicò duo ex orco genii ephæbos ementiti, ad cœnobium convolant, quantocyus hunc monachum à tali viro acciri

a V. Nierenb. doct. ascet. pag. 189.
b Drex. de vitiis ling. cap. 30. §. 3. de ling. jurante.
c S. Bern. ser. de Ioan. Bapt.
d Bibl. Scrip. Soc.
e V. Pædag. Chrest. c. 15. tit. conf.

acciri denuntiant. Ad nuntium hunc ille mirari, mox repentinum morbum fortè exortum suspicatus, præeuntes cum socio subsequitur. Jamque in forum devenerant, dum cernit usurarium hunc lunæ beneficio, in talari tunica inambulantem: quem non sine stomacho, num se rideat percunctatur? Respondet alter, alto cum gemitu se vivis excessisse, æternis pœnis addictum ob usuras, & potissimùm ob sacrilegum sacramentorum usum; in quo cùm ipse partem non minimam culpæ habeat, seque cùm corripere debuisset, tacuisset, unà secum æternis inferorum supliciis cruciandum. Quo dicto immani terra hiatu panditur, & hos duos simul cum ephœbis illis tartareis assumpsit: attonito & in mortuum simili socio relicto, qui superiori omnem actæ rei tragœdiam enarravit. Ex quibus obiter hîc relatis, quanta hujus præcepti obligatio sit, facilè innotescit. Plura qui volet, Theologos consulat. Nunc quando & quemadmodum correctio adhibenda sit expendamus. Certum enim est non statim explendum, nec Deum in flagranti delicto Prophetam, ad Davidem increpandum ablegasse. Sed ad tempus Nathan conticuit, & ubi opportunum Regem redarguit, *a* accuratè *tempus tacendi, & tempus loquendi* observando. *Non in ipso momento, quo David deliquit*, Propheta *ad eum missus est* (inquit Chrysostomus) *b sed expectavit*, Non quod tempus observare opus fuerit, temporum moderatori, *sed vidit in ipso peccati vigore* *obcæcatam animam & obturatas aures*. Juvat hîc in morbis animi, Medicos corporum imitari; qui morbi tempora, incrementa, paroxismos, dies criticos observant, quibus potiones sumendæ, phlebotomia adhibenda sit: quandoque enim febricitantibus medicinam porrigere, est oleum camino addere. Ut ille verè cecinit:

> *c Temporibus medicina nocet, data tempore prodest:*
> *Et data non apto tempore vina nocent.*
> *Quin etiam accendas vitia, irritesque vetando:*
> *Temporibus, si non aggrediare suis.*

Adeò ut in his maximè ægroti temperies spectanda sit. Seneca consolatione ad Helviam matrem: in morbis, inquit, nihil est magis periculosum aut perniciosum, quàm immatura medicina. Consentit S. Ambrosius: *d Interdum opportunitas esca sanitatem reddit; quod si importunè aliquid accipias, aut non convenienter, implicatur periculo.*

Rem mirabili eventu S. Augustinus confirmat: *e Magnus ille nostrorum temporum medicus Vindicianus, consultus à quodam: dolore ejus jußit adhiberi, quod in tempore congruere videbatur; adhibitum, sanitas consecuta est: deinde post annos aliquot eàdem rursus corporis causâ commotus, hoc idem putavit adhibendum. Adhibitum vertit in pejus; miratus recurrit ad medicum: Indicat factum. At ille, ut erat acerrimus, ita respondit: ideo*

a Eccl.3. *b* Chrys. ho.5. de pœnit.

c Ovid. lib. 1. Remed.
d Amb. ep. 23. ad Horont. lib. 5.
e Aug. ep. 5. ad Marcel.

malè

malè acceptus es, quia videlicet illi ætati, hoc se jam non fuisse jussurum: Quæ enim juveni saluti fuerat, eadem potio seni veneno erat. Ex quibus rectè conficitur, ut apto tempore medicina, ita & monitio adhibenda est. Hoc ille scitè observavit qui cecinit:

Impatiens animus nec adhuc tractabilis arte
Respuit, atque odio verba monentis habet.
Aggrediar melius tùm cùm sua vulnera tangi
Iam sinit, & veris vocibus aptus erit.

Quæ ut pleniùs deducamus, non abs re erit, auream hìc Chrysostomi doctrinam inducere, qui considerans, Psaltem regium non petiisse murum ori apponi ut obmutesceret, a *sed custodiam & ostium circumstantiæ labiis*, hoc documentum elicit: *os nostrum custodiamus, ei rationem tanquam clavem adhibentes; non ut perpetuò claudatur, sed convenienti tempore reseretur.* Cui congruit sensus Gregorii: b non poni ori suo parietem sed ostium petit, quod videlicet aperitur, & clauditur. Unde & nobis cautè discendum est, quatenus os discretè & congruo tempore vox aperiat, & rursus congruo taciturnitas claudat. Ardet quis iracundiâ, correptio medica differenda dum furor remittat, rabies omnis subsidat; aliàs, ut est in sacro proverbio: c *expedit magis ursæ occurrere raptis fœtibus.* Ea propter monet Ambr. d *Si medicus medendi tempus exspectat, ut digestis ægritudinibus medicinæ subsidia deferantur, ne acerba adhuc & immatura (ut asserunt) ægritudo, curationis remediis reluctetur: quantò magis explorare nos convenit, ut maturè & opportunè medicinalis sermo procedat, qui non accendere luctum sed lenire videatur.*

Hac prudentiâ excelluit Abigail insignis fœmina, quam non latebat rabies viri sui Nabal, quâ in Davidis legatos exarserat & vitam suam ac facultates, totamque familiam in extremum discrimen adduxerat: Norat quippè monitionem homini temulento non adhibendam e (*Et tu in convivio vini, non arguas primum*) sed sagax mulier sinit crapulam omnem edormire; manè verò ut vidit hominem sibi redditum, mentis compotem, animo tranquillum, omnem rei gestæ seriem exponit, & præsens in quod etiamnum versatur periculum describit, Regisque indignationem quàm primum avertendam persuadet. Ad eum propè modum, si fœminæ cum viris temulentis agerent, non tantas turbas indies, citra ullum fructum cierent, Quibus par esset, non cum ebriosis contendere, Philippicas omnes & Verrinas converrere, sed manè cum piscis in sicco erit, ex sponda quasi è ripa concionentur. Quod consilium conforme illi, quod Angelus olim Tobiæ juniori dedit, qui cùm piscem ingentem, se quasi invadentem formidaret, monet Angelus: f *trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, traxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes ejus.* Non semel

a Psal. 140. Chrysost. in Psal. 140. n. 3.
b S. Greg. 3. part. Past. admon. 15.
c Prov. 17. d Ambr. in Psal. 37.
e Eccl. 13. f Tob. 6.

ludicra

ludicra hæc Tobiæ historia peragitur; maritus è liquido, bene potus, ferox ac furibundus irruit, uxor clamat; *invadit me; Quid consilii? trahe eum in siccum*, cubitum deducas, vapores concoquat. Et manè ubi se in sicco adverterit, comperies quod *palpitare incipiet ante pedes tuos*. Tunc mollia fandi tempora, tunc ebrietatis fœditas, tunc nota familiæ inusta, tunc colloquia abs re à temulento habita, tunc bonorum dilapidatio, liberorum penuria graphicè exaggeranda est: nusquam enim aptius quadrat illud Sapientis: *a mala aurea in lectulis argenteis; qui loquitur verbum in tempore*. Similiter non ita pridem vir vice versa conjugem merobibulam, manè *thoro sic orsus ab alto* aggressus est: *quousque tandem abuteris patientia nostra* &c. Nec levem fructum labiorum, vitæ emendationem legit.

Quod in ebrietate, idem in quovis iracundiæ motu observandum est. Valetque hîc illud Augustini: *b ubi vis mel ponam? plenus es aceto*. Notat Liranus consimilem in Jonatha Principe prudentiam. Viderat hic Saulis patris sui animum, in Davidem adeo exulceratum, ut præciperet suis occidere David. *Hoc tempus tacendi* prudenter ducit Ionathas. At ubi furor ille remisit, ac patrem per campos sereno animo, exporrecta fronte deambulantem conspexit, se ei suaviter insinuat, ac sensim mentione injecta, de libera in aulis Regum calumniandi licentia, modestè induxit Davidem falsò ab æmulis traduci, atque ex altera parte virtutem, ejusque in patriam beneficia exposuit, *c locutus est ergo Ionathas de David bona; quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valde: & posuit animam suam in manu tua, & percußit Philisthaum, & fecit Dominus salutem universo Israeli, vidisti & latatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa?* quâ opportunâ perorandi ratione, omnis ira animo excidit, & Saul placatus voce Jonathæ, ipso in vestigio sententiam revocavit, atque Deo in testem adhibito, sanctè juravit: *vivit Dominus, quia non occidetur*. Da tu & tempus & spatium iræ: *homo sapiens tacebit ad tempus*. Eccl. 20.

d Differ, habent parva commoda magna mora.

Postremum est, ut modum in correptione congruum spectemus, ne voce elata, aspectu torvo, animo commoto, & quod longè detestabilius, plaustra conviciorum congerendo, graviùs ipsi delinquamus in quo alterum corripimus; sed illud Pauli observemus: ut in *omni patientia, in spiritu lenitatis* procedamus, Attendite quo animo, quo vultu, quo vocis sono Nathan Davidem accesserit: *e ingressus non dixit: ô flagitiose! ô profane! ô adulter! ô carnifex!* Sed placidè, quasi è re Regis & regni, unum aliquem tecto nomine accusare aggressus est: cumque Rex sceleris atrocitatem expendens sententiam tulisset, *f quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc*. Tunc Nathan habens fatentem reum, mutato

a Prov. 25. b Aug. hom. 37. ex 50.

c 1 Reg. 19. d Ovid. l. 3. Fast.
e Chrysf. in Psal. 50. f 2. Reg. 12.

nomine dixit: *tu es ille vir*. præclarè hic Gregorius: *a ad ægrum medicus venerat, secandum vulnus videbat, sed de patientia dubitabat: abscondit igitur ferrum medicinale sub veste, quod eductum subitò fixit in vulnere, ut secantem gladium sentiret æger, antequam cerneret; ne si ante cerneret, secari recusaret.* Propheta Nathan in eo Chirurgum æmulans, qui volsellam (cujus vel conspectum horrebat puella gravi apostemate laborans,) spongiæ inseruit, atque ita leniter ulcus tangendo aperuit & vitam dedit.

Denique ut aureo ore concludam, Herodem nullis diris aut conviciis Joannes impetiit aut graviùs lacessivit: *b non dixit scelestè, pollute prævaricator ac profane, conculcasti Dei legem &c. Sed in reprehensione apparuit mira mansuetudo: dixit enim, non licet tibi habere uxorem fratris tui. Erat magis verbum in parabolis docentis quam reprehendentis, erudientis quàm punientis.* Quod si eum nos corripiendi modum teneremus, plus sperati fructus, gratiam & benevolentiam præ indignatione referremus. Expertus hoc est, & quia ad praxim spectat, aures animumque advertite: *c* virum Principem minus decorè sanctiori majoris hebdomadæ die, in templo fabulantem Hermannus Hugo moniturus, blandè accedens quasi de negotio agere vellet, secretò in aurem insusurrans, diei ac loci sanctimoniam illi revocavit in mentem. Arrisit alter, addens: habes confitentem reum; quid pœnæ imponis? & Hugo semper in lucra animorum intentus: ut vitæ totius acta repetens, arcanâ expies confessione, placuit salutaris pœna, & factum (inquit) puta: cras te conveniam; nec fidem fefellit, quam blanda monitoris charitas obligaverat. Eadem monendi facilitate usus, raræ pietatis Magister Joannes Avila: *d* Curionem minus reverenter sacra tractantem levi adrepens gradu leniter correxit: dicens: *optimo is loco natus est* (Christum in hostia designabat) *ideoque perhumaniter tractandus*; quo ille se & quem præ manibus haberet, emendatus agnovit. Ad eum modum dico, Auditores: *e sermo vester semper in gratia, sale sit conditus*, & verissimum comprobabitis: *f argue sapientem, & diliget te*, & diligeris à Domino, & lucratus eris fratrem tuum.

a S. Greg. 3. past. c 3. *b* Chrysost. hom. 28. in 2. ad Cor. *c* P. Rho. variæ virt. hist. l. 1. c. 11. nostra in fine.

d P. Rho. ib. n. 12.
e Ad Collos. 4.
f Prov. 9.

EMBLE-

EMBLEMA XL.

Absque eo quod intrinsecus latet. Cant. 4.



QVÆQVE LATENT MELIORA PVTA. a

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

Oculo mentis, cœlestia attentiùs contemplanda, quò terrena omnia despiciantur.

§. I. Cum S. Ignatio exclamandum: *quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.*

§. II. Cum Apostolo: *quæ sursum sunt quærite: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* b

a Ovid. 1. Metam. b Coloss. 3.

DOMINICA DUODECIMA POST PENTECOSTEN.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10.



CYNICUS ille Philosophus, *a stulti sapiens imitator*, dum jam supremum spiritum duceret hoc testamenti tabulis cautum volebat: ne se supinum, quemadmodum cæteros mortales, sed pronum, dorso cœlum versus, tumularent. hujus tam insolentis sepulturæ causam sciscitatus, respondit: *universam orbis machinam inversam esse; confidere se tamen, aliquando mundum adeò perversum, rursus convertendum: tum porrò aliis in terram pronis, se os oculosque in cœlum erectos habiturum.* id enim verò unicè exoptandum, ut hoc tam inverso ac perverso morum & amorum seculo, quo omnes terram spectant, & *b terrena sapiunt*, tu ô homo, mentis & corporis, in cœlum oculos sustollas, dum plerique mortalium aratores Ægypti æmulantur, quorum nemo cœlum aspicit. Nilus nominatissimus fluvius, Philone teste, *c* quod aliis regionibus cœlum, hoc ipse præstat Ægypto. nam uti cœlum, pluviis supernè defluentibus, terram irrigat: ita Nilus aquis ex imo ascendentibus, inundat agros. Hinc aliarum regionum incolæ cœlum; Ægypti Nilum aspiciunt, à quo pluviam exspectant: ut scitè Seneca observavit: *in Ægypto nemo aratorum aspicit cœlum*, simillimè hîc dixerim: nemo amatorum mundi, cœlestia contemplatur; cœlum iis inane nomen est, terram intuentur.

d O curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes!

Longè aliter ad cœlum nati se gerunt. olim Israëli Moyses: *e Terra*, inquit, *ad quam ingredieris possidendam, non est sicut terra Ægypti, ubi jacto semine, hortorum in morem, aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est, & campestris, de cœlo exspectans pluvias.* illi nimirum quibus cœlestis patria in oculis est, quidvis solidæ voluptatis è cœlo trahunt: inde iis ros fluit optatissimus, *f eorum omnis vultus in cœlo est.* Isaias vates digitum cœlo intendens hortatur & clamat: *g levate in excelsum oculos vestros, & videte quis creavit hæc.* Sol unicus toto aquæ terræque globo centies, sexagies sexies major est, quid de reliqua cœli vastissima planitie dicturi sumus, brevi perdisces: ô illa Romani Philosophi verissima! *h sursum ingentia spatia sunt, in quorum possessionem animus admittitur.* hinc sanctissimi quique viri *non inferiora secuti*, cœlum assiduè suspiciebant, veluti patriam, peregrini & exules; velut portum inter seculi procellas fluctuantes; velut coronam, & præmium cum hostibus decertantes. Rogatus Empedocles cur viveret? ut cœlum, inquit aspiciam, tolle cœlum & nullus

a Ovid. 2. Fast. *b* Philipp. 3.
c Philo de profugis.

d Persius Sat. 2. *e* Deut. c. 11.
f Seneca l. 7. nat. quæst. c. 1.
g Isai. c. 40.
h Seneca l. 1. nat. qu. in præf.

ero. si Christiani sanguinis homo interrogetur, cur vivis? jure optimo respondebit, ut cœlum non tantùm aspiciam, sed & possideam; ad hoc nati & educati sumus. hæc una contemplatio;

a Dulce viatori lasso in sudore levamen.

Beatus Macarius cœli desiderio incensus, apud se statuerat, quinque omninò diebus ita mentem componere cum Deo, ut aliud non cogitaret, quàm cœlum & Deum. eo fine tuguriolum observavit, nulli nec interroganti, nec pulsanti responsurus. Initio tam arduæ contemplationis seipsum cohortatus: en, inquit, ascendis cœlum. cave ante constitutum tempus terram respicias: hîc ordinibus Angelorum interes, hic Deo frueris; hîc manens, biduum ita exegit. sed non tulit cacodæmonis invidia; nam die tertio casam Macarii sic populari cœperunt flammæ, ut etjam storea, quam vir sanctus insistebat, cœperit ardere. quod Macarius geminos dies, geminasque noctes ardore incredibili toleravit. utinam nos subinde geminis horis, aut horarum partibus faciamus, ea ratione, ut quis ipse sibi dicat: humiles ac sordidas cogitationes pelle, relinque terras, paululum ascende cœlum, eò suspice ac suspira, ad quod conditus es. vel ipsa erecti hominis forma, gentili teste Poëta, huc vocat & invitat:

b Pronaque cum spectent animalia cætera terras,
Os homini sublime dedit, cœlumq́ tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere (vultus.

a Catull. eleg. 69. b Ovid. l. 1. Met.

Hinc meritò Bernardus ad caduca malè depressum increpans: *non pudet te*, inquit, *erecto vultu cœlum suspicere, dejecta mente in terra repere?* multa ubivis gentium ac terrarum visuntur illustria oculorum sensuumq; irritamenta, multa magnaque nativæ pulchritudinis miracula; quis nescit? alibi spectantur nemorum amœnissima viridaria, & hortorum gemmantia prata, in quibus passim, aut rosarum ardentium purpura, aut violæ vernantis gratia, aut uvæ liventis vindemia commendantur. Alibi pubescentium florum areolæ, aut nives liliorum æstimantur. hîc auri gravissimi pallores blandiuntur; ibi argenti dites venæ, fodinæque adulantur; jam & unionum candentium pondera, & gemmarum lucentium pretia, quid vobis aliud videntur, quàm uberrimæ venustatis voluptatisque argumenta! & hæc tamen omnia, qualiacumque tandem sint, vilescent animis, & oculis mortalibus, si cœlestia contemplentur. Vadem habeo D. Gregorium: *c qui cœlestis*, inquit, *vitæ dulcedinem perfectè cognoverit, ea quæ in terris amaverat, libenter relinquit; in comparatione ejus vilescunt omnia.*

Hoc minimæ Societatis nostræ maximus Parens Ignatius sensit ac censuit, qui nocte intempesta solarium conscendere solitus, unde cœlum liberrimè suspicere liceret: hic ille corpore immotus, oculis in cœlum defixis, aperto capite, genu submisso, per amplissima illa cœlorum spatia, mentis aciem distendebat, atque illic ad scintillantes tot astrorum

c S. Greg. hom. 11. in Euang.

 faculas,

faculas, erecto vultu, usque eò exardescebat, ut nisi lachrymarum imber ardorem temperasset, Ignatius totus in flammas abiisset; quos inter singultus, ac liquidissimæ voluptatis illecebras, identidem illud secum ingeminabat: *quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio*: quas voces à Paulo, cœli incolâ, edoctus; qui sibi redditus, & hortorum viridaria, & Regum palatia, & honorum insignia, *a omnia* denique *arbitratus est ut stercora*, ut ne oculo quidem dignaretur lumen omne, quod bonis caducis, & mortali pulchritudini aspersit mundus. & jure sanè meritissimo, ut enim Philosophus: *lumen majus obfuscat minus*, & oriente sole, fugiunt minora lumina, & pulchritudo pulchritudine vincitur. de quo Chrysostom. ex uno, de reliquis vult esse conjecturam. *b tu verè cùm mulierem videris formosam, splendentem oculis, respice desuper, quò tale spectaculum prætereas.* quod in illis illecebris formæ faciendum dixit S. Præsul. hoc in omnibus hujus vitæ mundique lenociniis usurpandum: auri fulgor atque gemmarum nitor blanditur, *respice desuper* (ubi divitiæ, quò fur non appropiat) *quò illud spectaculum prætereas*: voluptates suas ingerit blanda caro, & per mollia brevis ævi blandimenta ducit, per Bacchum & Venerem trahit, *respice desuper* torrentes voluptatis, *quò tale spectaculum prætereas*. orbem tibi aperit, semper insatiabilis ambitio, & Regna regnis, sceptra sceptris addi vult. *respice desuper*, ubi regnum, cujus non erit finis, *quo tale spectaculum prætereas*, & illud Ignatianum identidem inclama:

§. I.

Quàm sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.

SUnt Geographi, qui orbem, orbisque partes spectandas in tabulis proponunt: sunt & Astrologi, qui cœli zonas, siderum cursus, planetarum motus in revolubili sphæra repræsentant. Fuit Geographicæ scientiæ studiosus amator, qui in hac palæstra exercitatum accessit, & petiit per orbem sese compendio duceret, doceretque varias regiones in chartâ nosse,

> *c Nec minùs è tabulâ, pictos ediscere mundos.*

Mox ille hominem ad ingentem tabulam suaviter trahens, ostendit sermocinante manu, hîc Asiam, novam illic Americam, istic Africam & Europam. ita flumina, maria, provincias, regna plurima commonstravit. Jam probè instructus à Geographo, in Astrologiæ Doctorem incidit, qui radio matheseos arrepto, cœlestium orbium revolutiones, quæ siderum magnitudines, quis numerus, quis ordo, quis motus, qui eccentrici, qui plani, qui solidi sint orbes ostendit; sphæræ medio cingebatur terra, vix nucem æquans. Ita simul cœli terræque distantiam explicavit. *d curiosus spectator* (loquor cum Seneca) *excutit singula, tunc contemnit domicilii prioris angustias: quantulum enim est, quod ab ultimis littoribus Hispaniæ, ad In-*

a Philipp. 3.
b Chrysost. hom. 8. de pœnit.
c Propert. l. 4. eleg. 3.
d Seneca præf. nat. quæst.

dos jacet! paucißimorum dierum spatium, si navem suus ventus impellit. at illa regio cœlestis, per 30. annos velocißimo sideri viam præstat. Auditor hic admirabundus, quid hoc rerum est obsecro! exclamat: Prior ille Geographiæ Professor in extensâ telâ, terræ globum esse maximum monstravit; tu verò Clarissime Domine, terram vix nuci, magnitudine parem exhibes, & evidenter demonstras. nunc certè patet, quàm toto cœlo aberrant, qui terram sibi scopũ ponunt, contra ac purpuratus Pater Borromæus, *a* qui pro gentilitiâ tesserâ, firmamentum, innumeris stellis distinctum, & viâ lacteâ illustre desumpsit adjecto symbolo:

b —— *monstra iter.*

In rem nostram hæc faciunt: diabolus Geographicus est peritissimus, & ecce artis specimen: viro nobili accuratè ad calculum reducit, quot fundos, quot terræ jugera, saltus, vivaria, quàm longa, quàm lata possideat, villas alius & prædia computat: mercatores sunt adeò opulenti, ut supra centum ædes, una in urbe proprias, suis sibi impensis coëmerint, aliis in divitem censum elocandas. his omnibus ex orco Geographus, portiones terræ magnificat. At verò divinæ Astrologiæ Doctor eximius: *c ecce gentes quasi stilla situlæ, ecce Insulæ, quasi pulvis* (seu punctus) *exiguus.* unde utriusque orbis sphæram cœlestem & terrestrem, æquâ mente expendens Tullius, exclamat: *d quid potest ei magnum videri in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo? ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, pœniteret.* parum hoc, Romanum Imperium puncto conferri, quò quis altiùs assurrexerit, hoc inferiora omnia minora videbuntur; ex præcellsâ turri aut prærupto monte, gigantes pigmæi ac locustæ apparent. adeò ut si quis cœlos mente contigerit, jam universus terrarum orbis, granum milii, aut papaveris, imò putum punctum, ab oculatissimis, habeatur & censeatur. Seneca, qui mente polos adiit: *e punctum est,* inquit, *in quo navigatis, in quo bellatis, in quo Regna disponitis. hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro, & igni dividitur. ô quàm ridiculi sunt mortalium termini! cùm te in illa verè magnâ sustuleris, videbis exercitus subrectu ire vexillis, & licebit dicere: it nigrum campis agmen: formicarum iste discursus est, in angusto laborantium.* Ite jam mortales, ite Cosphmophili, & neglecto cœlo, pro terræ glebulâ digladiari magnificum putate; cùm universa terra punctum sit; fratrem frater ob exiguam portionem jugeri, ob pedem fundi, in jus ambulare cogat, ad necem usque persequatur. Ite insani, & ambite domos, & prędia, villas, civitates & Regna, & hoc punctum in infinita puncta, ex Aristotelis mente, dividite. Severinus Boëtius, Senecâ sublimiùs incedens, ex hoc puncto punctum subtrahens: *f omnem,* inquit, *terræ ambitum, sicut astrologicis demonstratio-*

a Ex Musæo Stradæ. *b* 2 Æneid.
c Isa. 40. *d* Cicero in somnio Scipion.

e Seneca præf. nat. quæst.
f Boët. l. 2. de contempl. philosoph. metro 6. prosa 7.

nibus accepisti, ad cœli spatium, puncti constat continere rationem: id est, ut si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil prorsus spatii habere judicetur. Huic tam exigua terrarum portioni, si quantum maria, paludes, loca inhospita, bestiarum Regna occupant, cogitatione subtraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumsepti, atque conclusi, de pervulganda fama, de proferendo nomine (de puncto honoris) *cogitatis.* heu quæ & quanta, pro indivisibilis honoris puncto, mortalium studia! quæ & quanta pro eo obtinendo desudant ingenia! quàm gravia pro eo tuendo exarsêre dissidia, & duella! hoc vel puncto gladii vindicandum est; quantum pro hoc puncto sanguinis fusum est! & æternos honores ac immensum gloriæ pondus non attendunt. quàm porrò omnis honor in puncto consistat, non dissimulavit Francus ille, *a* Carolo VII. Galliarum Regi intimus, dum familiariter ab eo rogatus, quid esset in mundo, quod suam cum Rege amicitiam infringere posset? respondit intrepidè: *un affront Sire.* si me pupugeris, si punctum honoris tetigeris. ilico, de quo sibi adeò applaudebat, honor evanescit. Quid quod viri bellicosi inter hostium mucrones intrepidi, hac læsi honoris levi punctiunculâ acerbo fato occubuere. Talis exstitit Alvarez Bassanus Marchio de Sanctacruz, *b* qui cùm in classe adornanda Ulissipone nonnihil moras necteret, ubi in conspectum Regis Philippi II. venit, sic leviter perstrictus est: *malè tu quidem,* inquit Rex, *pro benevolentia in te mea, mihi gratiam rependis.* nec pluribus opus fuit, ut inde domum abiens, ex mœrore de vita decederet. cui Epiphonematis " loco Strada subnectit: adeo sæ- " penumero homines inter vul- " nera invictos erectosque, unius " verbi punctiuncula facilè prosternit: quasi istis pro corde sit honor, quo læso vivere non sustineant. Ejusmodi hoc seculo plures reperiuntur, de quibus verissimè Propheta: *c gaudium hypocritæ* (id est impii, inquit Pineda) *ad instar puncti.* quod Gregorius Magnus non pro momento temporis, sed pro puncto lineæ accipiendum ducit: *d in puncto*, inquit, *stylus mox ut ponitur levatur, nec mora ulla agitur, ut per exprimendam lineam trahatur. sic hypocrita præsentis vitæ gaudia cum tangit amittit.* punctum Mathematicis quid indivisibile est, cui si quid ademeris, totum tollis. punctum quod in lineam ducere Aman parabat, sibi à Mardochæo velli advertit, & totum amisit. Pulchrè D. Bonaventura in soliloquiis cap. 2. locum hunc illustrans ait: *Hypocrita est hic mundus, cujus gaudium est instar puncti, quod nec longum, nec latum, nec profundum.* non longum, quia nullam propè habet durationem, & vix esse incipit, cùm desinit; non latum, quia non verè dilatat cor, sed multis anxietatibus & angustiis constringit; non altum, quia nil cœleste ac divinum sapit; non pro-

a P. Barry solitud. pag. 295.
b P. Strada de bello Belg. Dec. 2. l. 9. an. 1588.

c Iob 20. v. 5. Pineda hîc.
d Greg. hîc.

profundum, quia in charitate Dei minimè radicatur. similiter addit ,, Doctor Gorderius: *a* pulchri- ,, tudo, quæ à fœminis præcipuè ,, in magnis æstimatur, & gau- ,, dium in ea fundatum in pun- ,, cto consistit: tolle ex ultima ,, parte nasi mulieris pulchrioris ,, punctum pelliculæ, vel adde ,, oculo punctum, & peribit ejus ,, pulchritudo. cùm itaque omnia humana, & universus terrarum orbis, punctum sint, *b ideo viri cordati audite:* cor vestrum in puncto dumtaxat, terram contingat, cœlo se dilatet, hîc se pandat, ad quod creatum est. consimile quod propheta impiis precatur Psalmo 82. *Deus meus, pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* non in terrenis ac fluxis hisce consistant, non diu, non longè eas contingant, sed in puncto; non aliter, quàm rota vel sphæra volubilis, juxta matheseos præcepta, tangit planum in puncto. quod nemini cuiquam difficile accidet, qui cœlorum amplitudinem, atque immensam illam, supernæ Jerusalem capacitatem, animo complexus fuerit.

Demades inter Græcos vir magni nominis, multæ experientiæ, nec picturæ ignarus, ad Philippum Macedoniæ Regem missus est, ab Athenienlibus legatus. super mensam Rex Macedo varia quæsivit de Athenis, quàm ampla civitas, num pulchra, num sua metropoli major? Demades graphidos peritus, non verbis solùm, sed & lineis Athenas in tabulâ sic figuravit, ut Rex urbis potiundæ desiderio incensus, dixerit: *ut urbs hæc mea sit, vel ferro, vel auro efficiam.* ita rudis hæc Athenarum adumbratio Philippum movit, ut beatum se Regem non putarit, nisi ea urbe potiretur.

Haud aliter, ut cœlestem vobis, vel prece, vel pretio quovis civitatem comparetis, arrepto velut ab exstincto foculo, carbone, ejus dumtaxat, quò pertingere mortalium oculis concessum est, exteriorem ornatum, & quasi murorum amplitudinem, brevi hac in tabulâ, rudi manu adumbrabimus, ex quo cuilibet facilè conjiciendum erit:

c Quæque latent meliora puta.

Magna prorsus, & incredibiliter ampla sit hæc civitas necesse est, quæ citatissimo Solis cursui, immensum pene spatium præbuit. Ajunt Mathematices & Astronomiæ peritissimi, *d* Solem hora unica percurrere, ducenta, sexaginta millia milliaria Germanica, quorum quodlibet, duas requirat horas. & quantula hæc cœli quarti, in quo sol volvitur, portio est? (de hac aliorumque cœlorum à terra distantia, Dominica proxima pleniùs differemus) stellæ verô, quas nos veluti exiguas noctis scintillas intuemur, quælibet infimæ magnitudinis, (nam eas in sex magnitudinum differentias distinguimus) omnem terræ magnitudinem, decies & octies antecellit: ut si loco stellæ, humanus oculus consisteret, globus hic terrestris, non ut atomus, sed nihil appareret, aciemque omninò effugeret. est Theologorum non nemo *e* qui dicat, si Deus è sin-

a P. Corderius in Iob c. 20. v. 5.
b Iob c. 34.

c Ovid. 1. Metam.
d V. Clavium in sphæra.
e Drex. cœlum l. 2. c. 8. §. 2.

gulis arenæ granulis, quæ littus marinum ſtipant, ſingulos crearet orbes terrarum, innumeri certè ac infiniti eſſe dicerentur; ii tamen immenſa cœli ſpatia non implerent; quid miri ſi ſtella primæ, ſummæque magnitudinis, univerſam terræ molem, centies & ſepties excedat? tamen ut Clavius demonſtrat, numerus ſtellarum primæ magnitudinis, ad tegendum totum firmamentum in parte ejus concava, ut ſe contingerent, requirerent ait 71209600. id eſt ſeptuaginta, & unum milliones, ducenta & novem millia ſtellarum, & ſexcentas. Jam verò prôh quantum firmamenti ſpatium, à ſtellis vacuum eſt! quòd ſi fingamus undique ſtellis infimæ magnitudinis plenum eſſe, non dubium quin is ſtellarum numerus æquaret, imò ſuperaret beatorum numerum, ex quo conficitur, cuique eorum locum vigeſies majorem, quàm ſit tota terra, aſſignandum fore. Etenim ſi tanta eſt firmamenti, quanta erit cœli empyrei, ubi beatorum ſedes, amplitudo? quam Baruch obiter contemplatus, attonito ſimilis exclamat: *a O Iſraël! quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus! magnus eſt, & non habet finem, excelſus eſt, & immenſus.* ſunt qui empyrei cœli magnitudinem milliaribus 10314085710. definiant, latitudinem vero 3600000000. milliaribus metiantur, ſed melius ac verius Propheta: *non habet finem.* Neroni olim urbs anguſta videbatur, ut auguſtam domum conderet, unde libertimâ plebis indignatione jactatum illud: *b Roma domus fiet.* hanc auream dici voluit, non ineptè quidem ſignans nomine pretium: auro enim & gemmis cruſtata, ac ſtellata domus fuit, tantæ altitudinis, ut in veſtibulo coloſſus centum viginti pedum ſtaret. intus porticus atque aulæ, laquearibus aureis, atque eburneis tabulatis, & convexa atriorum, cœli inſtar vi propria ſeſe ſenſim diebus ac noctibus ſine intermiſſione volventia. ſtagnum quoque maris æmulum, ædificiiſque circumdatum, & littore, urbis in morem; rura præterea, & paſcua, & vineta, & ſylvæ omnium generibus animantium referta. Atque omnem hanc magnificentiam Nero contemplatus, exclamavit. *jam tandem ut homo habitare incipio.* non tamen aureos, aurea in domo dies duxit, multoque latius, quàm lætius habitavit, ut homo ſi quidem mortalis, mille anguſtiis oppreſſus, non ut beati cœlites in ſua domo, morabatur. Jactet Auguſtus ſe Romam lateritiã, marmoream reddidiſſe; ſed qui oculos in cœlum ſuſtulerit, cum B. Fulgentio exclamabit: *quàm ſpecioſa erit cœleſtis Ieruſalem, ſi ſic fulget Roma terreſtris? ſi in hoc ſeculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis præſtabitur ſanctis diligentibus veritatem?*

Alcinous Rex palatium habuit muris æneis, portis aureis, argenteis poſtibus, laquearibus electro ac ebore, ad miraculum elaboratis: & ut pauca ex multis delibem, veteri verbo jactatur, magna avis magnus nidus: nec enim Aquila & Acanthis, ſimili modo nidificant. Potentiſſimus Rex Salomon, idemque architectus dexter-

a Baruch c. 3. *b* Sueton. Plut.

dexterrimus, templo jam per septem annorum spatium absoluto, tredecim annos ad regiam sibi domum exstruendam insumpsit; quanto autem splendore, quanta amplitudine palatium Salomonis exædificatum sit, ex eo licet conjectare: operarum ac cæmentariorum centum sexaginta quinque millia in ea mole numerati: architectorum & eorum qui operi urgendo præerant, tria millia, trecenti fuerunt. si ergo præter centum millia, insuper & sexaginta quinque millia in opere faciendo quotidie laborarint, quantas substructionum moles tredecim annis educere tot manus potuerunt, præsertim cum tot essent, qui opus urgerent. urbem aliquis fuisse dixerit, Salomonis Basilicam. ædificavit quoque domum saltus Libani cum porticibus, deambulacris, omnique suo ornatu. domum etiam fecit filiæ Pharaonis (quam uxorem duxerat) longè excellentissimam, de qua sacræ paginæ: *a omnia lapidibus pretiosis.* Solium etjam eburneum fecit sibi elegans, quod purissimo vestivit auro. sex quoque gradus, quibus ascendebatur, auro tecti erant: & scabellum quod pedibus calcabat aureum, & brachiola duo altrinsecus, duosque leones stantes juxta brachiola, omnia aurea, ut in toto terrarum orbe nihil simile sit visum; omnia quoque vasa convivii Regis, erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Hæc nos miramur, & obstupescimus, nec injuria: Villalpandus *b* libro de Salomonis templo fatetur se plurimos nosse, qui vel solo Salomonici templi splendore ac magnificentiâ mirum in modum ad divinæ majestatis venerationem fuerint excitati. quos inter Philippus II. Hispaniarum Rex, cum Patrem illum de augustissima hac æde disserentem audiret, quod libens ac diu faciebat, sub tempus, quo thesauros immensos in extruenda S. Laurentii Basilica, & monasterio quod *Escuriale vocant*, liberaliter profundebat, totus rapiebatur. cumque hujus fabricæ Salomonis ac Symmetriæ descriptione, in plures dies Regem detinuisset, tandem in has voces prorupisse fertur: *ô Estranno edificio!* ô stupendum ædificium! aderant auscultanti Regi Philippus III. & Isabella posteà Belgarum Princeps, qui & ipsi mirifica animi voluptate & admiratione tenebantur. At si hinc oculos in supernam illam summi Regis Basilicam sustulerimus, ut formicarum antra, ut puerorum crepundia, ut hirundinum nidos universa hæc cum Doctorum Præsule aspernabimur, *c* quia *hic nidus est, & hic peregrinatio, & hic suspirium. quid est autem, quod concupiscimus? quò it, quò tendit desiderium nostrum, quò nos rapit?* ad sublimia, ad æterna, ad immensa illa cœli spatia, in quorum comparatione, omnia etiam amplissima mortalium palatia, nidi sunt, aut puerorum casulæ: *d Quo enim distamus à pueris, ludendi gratiâ casulas* (ex arena vel chartis) *ædificantibus, nos, qui ampla prætoria & præclara construimus?* ita certè, ô mercatores! ô magnates! qui hîc

a 3 Reg. 7. *b* Villalp. in præf.

c Aug. in Psal. 83.
d Chrysost. in Matth. c. 7. hom. 24.

amplas domos & porticus inambulatis, vos superi ridendo despiciunt, & nos si eorum loco essemus & evacuassemus, quæ sunt parvuli, similiter hæc crepundia rideremus: sed *nondum*, inquit idem SS. Præsul, *venimus ad maturitatem virorum, quò cum venerimus, intelligemus hæc omnia esse puerilia. nam & illos, cum ad virilem transimus ætatem, ridere consuevimus; ob ea certè ipsa, quæ cum pueri essemus, etiam studiosè credebamus esse facienda. nam & testas aliquando, & lutum sæpius aggerentes, non minus gloriabamur, quàm hi certatim amplas porticus & triclinia gaudent superba construere; sed tamen peribant illa, & continuò corruebant. verùm ne stantia quidem utilia nobis esse potuissent: sicut ne illa quidem splendida domus, quæ certe jam cœli civem capere non possunt.* pergit porrò in eadem similitudine: *ut nos pedibus ludicra illa ædificiola plerumque destruimus, ita cœlestia sapiens, illa subvertit: & sicut nos parvulos, de illa flentes substructione ridemus*, ita superi nos ob lapidum subitam congeriem lachrymantes, explodunt. cœlum mente conscende, & tu quoque inferiora ridebis: audi gentilem: *a juvat inter sidera ipsa vagantem, divitum pavimenta ridere, & totam cum auro suo terram nec potest antè contemnere porticus, & lacunaria ebore fulgentia, & tonsiles silvas, quam terrarum orbem superne despexerit.* quod ni fecerit, exclamat: *ô quàm contempta res homo est, nisi supra humana se erexerit!*

Nobis hîc in terra peregrinis, & verè extra patriam peregrè degentibus usuvenit quod homini rustico, aut villico, qui tuguriolum suum, & pugillum terræ, adjecto horreo, per omnem vitam incolere consuevit, latè se habitare arbitratur, ac paucos sibi pares, vixdum superiores novit. donec aliquando in amplam urbem divertit, atque ibidem per varia atria & proceras porticus ad Domini conspectum admissus, quasi in alterum orbem delapsus, alia ex aliis vastissima triclinia aulæis, peristromatis, picturisque exornata contemplatus, stupore defixus hæret; ac tum primò suum sibi mapale sordescere, & angustum videri, supellex omnis fictilis, ac testacea vilescere, eamque, ut est verè lutum, aspernari. Ita jure quis Neronis & Salomonis domos aureas despexerit, qui civitatem integram Lutetiis, aut Babyloni parem, ex puro puto auro, domos aureas, plateas aureas, portas etiam gemmeas conspexerit, talem *non usitatâ pennâ* sublimis illa aquila depinxit cœlestem Jerusalem: *b ipsa civitas aurum mundum, simile vitro mundo. & fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. & duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea civitatis aurum mundum, tamquam vitrum pellucidum.* dixit quod dicere potuit oculatus testis, nec enim minus, sed nec amplius quid potuit enuntiare. auro & gemmis, æstimationi humanæ nil pretiosius.

Chrysostomus loquente digito ad hanc civitatem oculos nostros erigens: *c suspiciamus*, inquit, *in cœlum,*

a Seneca præf. nat. quæst.

b Apoc. 21.

c Chrysost. in ep. ad Hebr. c. 4.

cœlum, quando nulla se interponit nubes, & clara est omnis ejus corona: deinde ad pulchritudinem aspectus ejus considerandam, aliquantulum temporis perdurantes, intelligamus quoniam & solum habebimus, non quidem tale, quale nunc est, sed tantò melius effectum, quantò luteis testis aureum est melius. Heu! heu! miseri mortales! ad hæc cœlestia & æterna talpæ sumus, qui ad terrena & caduca toti lyncei; qua in re consimiles cervo isti jure videmur, qui uno orbatus oculo, hac parte qua cæcus, fluvii littus continuo legebat; ea verò parte, qua oculatus erat, campos & saltus prospiciebat, ne qua inopinatò venator insidias tenderet: cum interim suburbanus villicus, cymbulâ conscensâ, trans fluvium icit incautum. *a ita nos ad torrentes voluptatis, & maria beatitatis* (ut August. loquitur) cæci sumus, aut oculos claudimus, quos dum ad campos, & saltus, & exiguos hujus terræ hortulos, apertos & nimiùm intentos habemus, morte inopina ex insidiis ferimur.

b Sed quia nonnunquam mentes audientium, plus exempla fidelium, quàm docentium verba convertunt, (loquor cum Gregorio) *volo vobis aliquid de proximo dicere, quod corda vestra tantò formidolosius audiant, quanto eis hoc de propinquo sonat.* In speculo suo vanitatis lucidissimo, exhibet nobis Tollenarius hominem, *c* cœli oblitum, terrenis immersum, & maximè caducæ florum amœnitati intentum, quem

a Aug. solil. c. 22.
b Greg. in Euang. hom. 38.
c Tollenaer in speculo vanit. Eccl. c. 2. sect. 3.

d tædet cœli convexa tueri. novi inquit, in Belgio extitisse " virum quemdam copiosum, qui " cum hortos cultissimos in ur- " bis pomœrio haberet, salute à " medicis depositâ, per hortum " sellâ se gestatoriâ deferri cura- " vit. & eheu! crudele fatum " exclamat, quod à tantâ amœni- " tate divellit! ô Deus! num- " quam à te cœlum petii, cur mi- " hi invides hanc terram? sed " frustrà voces ille blasphemas " jactabat: neque terram impe- " travit, quam perditè respicie- " bat, an autem cœlum, quod mi- " nimè spectabat, obtinuerit, non " injuriâ quis dubitareâ potest. " *e heu Regni rerumque oblite tuarum!* Parum scilicet Elisios campos animo perlustrâras, ubi ver perpetuum, ubi rosæ spinarum expertes, ubi lilia numquam marcentia, botri semper liventes, poma semper sapida, semperque recentia, qualia Theophilo submissa cœlo, à virgine Dorothea. quod hæc orexim nostram non provocent, sitim non excitent, in causa est, quòd cœlestia ne primoribus quidem labris, attentâ mentis contemplatione quandoque degustemus. cum falco hostilem ardeæ sanguinem libavit, ægrè retrahitur ab aucupe, qui ardeâ ereptâ falconis oculos pileolo tegit, & hunc prædonem suum ad perticam ligat. Hic falco plurimum luctari, vincula rostro vellere, unguibus pileolum trahere, eum velle excutere, alas librare, volatum meditari, miserè huc illuc se torquere, vinctum retineri nolle. quid avem hanc tam inquietam facit? ad avolandum quid impel-

d 4 Æneid. *e* 2 Æneid.

lit?

lit? prægustata dulcedo. frui cupit, quo jam inescari cœpit. videte mihi Paulum falconi simillimum, permittitur volare & gustare beatitudinem, rapitur in paradisum. redit in terram, caput obnubitur, velantur oculi, ad Concionatoris munus quasi ad perticam alligatur. hæc multum à paradiso divertunt, *a ubi audiit arcana quæ non licet homini loqui*: vidit divina, quæ non valet effari. jam igitur avis nobilissima pugnat & luctatur, oculorum velum vult amotum, alas parat, redire cupit; hinc illæ voces: *b cupio dissolvi & esse cum Christo*, hinc & nos secum rapit, & provocat ad volandum dicens:

a 2 Cor. 12. *b* Philip. 1.

§. II.

Quæ sursum sunt, quærite: c quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

Hieronymus Cardanus vir rari & præclari ingenii, instrumentum singularis artificii, quo quis se ipsum non difficili nisu sursum trahat, curiosè describit. si res corporis, ad animum transferamus, desiderium beatitudinis, & contemplatio cœlestis, ipsissimum hoc instrumentum est, quo quis seipsum quotidie sæpius ad immensam pertrahat altitudinem. in cœlum vis evehi? te ipsum sæpiùs in cœlum attrahe desideriis, illic per contemplationis rimam, arcana cum Paulo mirare. pondus sui hic molestissimum sentit dicens: *d supra modum gravati sumus. supra virtutem ingemiscimus gravati.* nihilominus tractorio instrumento, se ipsum in sublime ad tertium cœlum attraxit, illiusque conversatio non in terris, sed in cœlis erat. magno catenarum pondere gravatus, obscuro detrusus carcere Paulus latebat: *e tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se consedere Christo in cœlestibus testaretur. sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic, ubi illum necessariò pigra adhuc caro retinebat.* quo quidem spiritu imbutus Tertullianus vinctos demulcebat: *auferamus,* inquit, *f carceris nomen, secessum vocemus: etsi corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent: vagare spiritu, spatiare spiritu, & non stadia opaca, aut porticus propone tibi, sed illam viam, qua ad Deum ducit; quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris. nihil crus sentit in nervo* (nec æger in lecto) *cum animus est in cœlo. totum hominem animus circumfert, & quò velit, transfert.* hæc ille. quibus non importunè adnectas quæ de sapientis animo, sese vinculis corporis dissolvente, dixit Seneca ep. 65. *nam corpus hoc ei pondus ac pœna est; premente illo urgetur, in vinculis est, nisi accessit philosophia, & à terrenis dimisit ad divina. hæc libertas ejus est, hæc evagatio; subducit interim se custodiæ in quâ tenetur, & cœlo reficitur.*

Ergo è carcere etiam in cœlum sese animus attollere valet, quod ille cecinit:

g Omnia possideat, non possidet æthera Minos:

c Coloss. 3.
d 2 Cor. 1. & c. 5. Philipp. 1.

e S. Greg. l. 31. mor. c. 34.
f Tertull. l. ad Mart. c. 2.
g Ovid. l. 8. Metam. & Trist.

Gratia

Gratia dis; animo, quo libet, ire licet.

Tractorio hoc instrumento mentem religiosam, cellæ parietibus, & claustri monastici seris conclusam, se in cœlum efferre posse, testatur Hieronymus, de S. Assella Romana: *a unius cellulæ clausa angustiis; latitudine paradisi fruebatur.* ita nullus nobis locus cœlum eripit:

b Cœlum undique, & undique cœlum.

Hùc etiam lecto affixus, qui pedem cubili efferre nequit, sine plumis valet evolare. fidem facit Beatissimus ille Turonensis Præsul Martinus, qui jugi aspectu inhærebat cœlo, eâque notâ à cæteris dignoscebatur, unde vulgo sortitus nomen, *suspex cœli*; cumque lethali febre arderet, supino cubili jacens, oculis in cœlum defixis precabatur, cœlique immensa spatia perambulabat. rogatus à discipulis, ut corpore tantisper verso quiesceret, dum vis morbi remitteret: sinite me ajebat, cœlum potiùs, quàm terram aspiciam: ut suo jam itinere, iturus ad Dominum spiritus, dirigatur. Hoc omnibus quavis infirmitate dejectis æmulandum, atque illo Cypriani, animus ad cœlestia erigendus est: *c quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias gloriosum, claudere in momento oculos, quibus homines* (uxor, liberi, propinqui) *videbantur, & mundus; & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus. tam feliciter migrandi quanta velocitas! terris repentè subtraheris, ut Regnis cœlestibus reponaris. hæc* inquit, *oportet die ac nocte meditari.* quod Seraphicus Franciscus, corpore graviter affecto, in cinere volutans factitavit, eo animi affectu, ea oculorum assiduitate cœlum contuendo, ut à terrâ tenue corpusculum, præeuntem animum auderet sequi & humo sese altius efferre. ita vis desiderii & amoris, attollebat molem corporis; hinc & pingitur terræ globum calcans, hoc lemmate subjecto: *quæ sursum sunt, non quæ super terram.*

Nec in morbo dumtaxat, sed quovis adversitatis pondere mens oppressa, in cœlum conniti debet, & se expeditam sentiet. quod ut cæci mortales videant, & intelligant: notandum est Raphaëlem (qui Dei medicinam significat) Tobiæ olim senioris oculos felle piscis curasse. ubi solerter Velasques noster disquirit, *d* quis & qualis hic piscis fuerit; rectè autem ait Franciscum Vallesium in Philosophia sacra c. 42. conjicere, non alium fuisse quàm callionymum, qui teste Galeno, *e* Plinio & Æliano, valet ad curandos oculos: observatque rectè Plinius, hunc piscem græcè *Vranoscopum*, seu *speculatorem cœli appellari*, quòd inter omnes pisces, insignem in capite oculum habeat, quo marinis fluctibus superior, cœlum spectet & contempletur. In hoc turbulento rerum mundanarum Oceano aureus Orator nos omnes uranoscopos esse desiderat, & ex hisce calamitatum fluctibus,

a Hier. ep. ad Marcel.
b Virg. 3. Æneid.
c S. Cyp. serm. 6. de lapsis.

d Velasq. in ep. ad Philipp. c. 3. V. 8. ann. 10.
e Galen. l. 10. de simp. medic. c. 12. Plin. l. 7. c. 32. Ælian. l. 3. c. 4.

bus ac procellis, caput efferre, quo fiet inquit, ut inter has omnes adversitates, tempestates, tranquilli, imò & læti vivamus. ipsum audite: in hoc mari magno, *a ubi morbi, ubi insectationes, ubi prœmaturæ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi perturbationes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ solicitudines, ubi perpetua sibique succedentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia, Paulus dixit fieri posse, ut semper gaudeamus,* (at quomodo) *si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput.*

E cruentis persecutionum fluctibus Symphoriani mater efferens caput, sic eum hortatur: nate, nate, memento æternæ vitæ. cœlum suspice, & ibi regnantem intuere. Hanc & tu collo tenus immersa anima æmulare, & è fluctibus paupertatis, è fluctibus tentationis, calumniæ, caput erige; hortatur Basilius: *b affecit te aliquis ignominiâ? quin tu ad eam suspice gloriam, quæ reposita in cœlis est: jacturam rerum tuarum adiisti, oculos imprime fixiùs cœlestibus illis divitiis: patriâ exclusus es? at patriam habes cœlestem Ierusalem: periit tibi filius? at Angelos habes, &c.* denique illud Seraphici Patris crebrò usurpa: *tantum est bonum quod me exspectat, ut omnis pœna me delectet, omnis morbus, paupertas, miseria omnis.*

Hoc indies per sacros mystas populo inculcatur: *sursum corda*; at videant, qui sacrificio intersunt, quàm ex vero adjiciant: *habemus ad Dominum.* plerique sanè hoc ævo sunt, quibus ea verba ore excidunt, non corde promuntur; labiis cœlos petunt, at animo in terris degunt. hos acutiore stylo pungit Augustinus, probatque multis, annonæ frumentique majorem esse curam, quàm animi & cordis, sic enim eos arguit: *c frumentum tuum si haberes in inferioribus, ne putresceret levares ad superiora: frumento tuo quæris mutare locum, & cor permittis in terra putrescere;* quæ tamen ex naturæ inclinatione & gratiæ genio, non est opportunus humano cordi locus: quippe quod terram despicit, & cœlos amat. *d* Ejusmodi fuit magni illius Arsenii, jam morientis ad discipulos voces; *ibi, ubi.* ibi fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Quòd si omni hora locove jubemur sursum erigere corda, maximè verò eo loci ac temporis, cum superum Regia tota panditur. tum tamen reperire est, qui, ut severâ eloquientiâ, ait Chrysostomus, *e sub horam terribilis mysticæ mensæ in vaniloquentiæ conventiculis occupati sunt.* quos idem sanctissimus Antistes ita perstringit: *quid facis ô homo? non promisisti sacerdoti, qui dixit, sursum corda, & dixisti, habemus ad Dominum, non erubescis eâ horâ mendax inveniri?* si alio tempore, locove mendax repertreris, venia fortassis danda foret; at in templi sacrario, Christi Regiâ, Servatoris oculis, in luce, soleque illius majestatis, mendacii impudentis reum teneri, ne insolens

a Chrys. in orat. de S. Philogonio.
b Bas. hom. de grat. action.
c August. in Psal. 85.
d In vita.
e Chrysost. hom. de Euchar. in encæniis.

&c

& pudendum hoc crimen! quod ut eluas, age, fac ori cor consonet, conspiretque lingua cum animo: & hic, & illa tollatur sursum, ut cœlestem rorem excipiat. Indico mari conchylia sese cœlo pandunt, ut uniones, ac margaritas patenti diviteque sinu concipere & gignere queant. nimirum à sudo calentique æthere, petenda gemmarum lux, non à frigido salsoque aquæ elemento. Quod illis, hoc tibi, à superis ducendi partus, Deo digni. ut porrò ducas, animæ sinus, & vota cœlestibus aperi, & terrenis claude. ne si adhæc languidius aspires, segnius anheles, ejusdem summi boni fruitione (quod tormenti genus gravissimum) priveris, ut eventus non semel comprobavit. atque ipsa comprimis Deipara, luculenter D. Brigittæ manifestavit *a* unum aliquem Anachoretam vitæ sanctimoniâ conspicuum, ad insolens quoddam purgatorium, quo solo desiderio, seu pœnâ damni, ut vocant, torquebatur, damnatum: quia minus ardenter ad cœlestem illam beatorum mansionem anhelarat. Consimile quid refert Cæsarius, *b* virgini religiosæ, raræ sanctitatis, accidisse: quæ per duas horas cœlo seclusa, quòd in vitâ non satis ferventè, Dei conspectum efflagitasset. Quod exiguum temporis spatium, animæ à cœlesti patriâ exulanti, seculum est, & cruciatus ipso inferno gravior. unde Guilielmus ille ex integerrimis D. Bernardi alumnis, amico cuidam suo per noctem se exhibuit, non alio tormento se excruciari queritans, quàm privatione visionis Dei, obnixè eum rogans, ut Prælato miserum, in quo attinebatur, statum exponat, suisque omnibus pro se preces indicat. re perceptâ superior mandavit per septem dies, singuli psalmum Davidicum: *c quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, piè recitarent. Cum ecce die septimo, se spectandum in gloriâ, sub Reginæ cœli aurata chlamyde præclarè exhibuit. Quare ne acerbo hoc exilio mulctetur, omnis *d anima quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nihil desiderare, sed frequenter suspirat dicens: sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* quo ex desiderio, illum fructum consequitur, ut citiùs omnis boni fonte satietur; quod olim Abbas Hyperichius docuit: *e cogitatio tua semper sit in Regno cœlorum, & citò in hæreditatem capies illud.*

Ut ergo eò revertamur, unde exordium duximus; qui gloriam cœlestem ardenter ambit, quietæ noctis silentio, cœlum fixo mentis, & oculorum intuitu frequenter contempletur, & illud suavissimi Poëtæ expendat:

Stellata cœli templa, divorum domus?
Quoties revulsam trahitis aspectu, suam
A corpore animam! seque furatur sibi,
Deo ut fruatur.

Aut cum Seraphico Doctore exclamet:

a V. Pennequin Amour divin. p. 3. c. 2.
b Cæsar. l. 2. c. 37.

c Psalm. 41.
d Aug. in manual. c. 20.
e Rosvveid. vitæ Patrum.

clamet: *a ô anima quid dicere valeo cum futurum gaudium aspicio? jam pene præ admiratione deficio; quia gaudium erit intus & extra; subtus & supra, circum & circa gaudebis in omnibus, gaudebis de omnibus. O anima! qualis tibi erit dies illa, cum supra omnes has stellas, ad felicissimas choreas fueris assumpta!* ita anima devota, inquit Genevensis Antistes, *b* pellucidum fontem contemplans, qui nocte serena cœlum stellis suis splendidum referebat: ô mi Jesu, ait, hæc lucidissima sidera, hoc speciosum pavimentum aliquando pedibus meis substernetur, & quemadmodum hæ stellæ in aquis resplendent, sic animæ in vivo fonte divinitatis refulgebunt. Hæc & tu attende ô anima, quæ cœlestia contemplando, cœlum fieri potes, juxta illud Aristotelis; *c intellectus intelligendo fit omnia,* si cœlum contempletur cœlum fiet, *nam corda fidelium cœlum sunt qui in cœlum quotidie eriguntur.* Quod si filius Regis Japoniæ, *d* eâ cautelâ educatus fuit, ut ne pedibus terram umquam contingeret, quia hæres futurus Regni, quod terrenum & caducum erat, quanto majori studio ac solertiâ nobis à terrenis recedendum est, qui hæredes sumus cœlestis *Regni, cujus non erit finis.* quas voces, quoties sub sacrificio, B. Theresa in symbolo pronuntiari audiret, mente in cœlum abripiebatur

e Illa per immensas spatiatur libera terras,
In cœlũ celeri pervenit illa fugâ.

Possidonius tria celebrat S. Augustini desideria: *Romam videre in flore, Paulum in cathedra, & Christum in carne;* quæ omnia excellentiori longè modo in cœlis intuetur. beati habeantur oculi, qui Romam, & Paulum, & Christum contemplati sunt; at longè beatiores, qui Jerusalem triumphantem, Paulum in gloria, & Christum regnantem, atque omne bonum in Deo conspecturi sunt: *quid enim non vident,* inquit Gregorius, *f qui videntem omnia vident?*

g Felices animæ, quibus hæc cognoscere, primum
Inque domos superas scandere cura fuit.

Si itaque extima cœli facies, quam digito solùm monstravimus, mortalium ad se animos adeò rapiat, ut has voces non uni expresserit: *h tota pulchra es patria mea, & macula non est in te, tota pulchra es; absque eo quòd intrinsecus latet, nescio quid celatur in eo, quod hic non gustatur.*

O si scires quid in eo celatur, si interiorem ejus fulgorem, si amplitudinem, cœlestium civium frequentiam, & supra omnia, ipsius æterni Regis majestatem & gloriam daretur intueri, verissimè exclamares:

Quæque latent, meliora puta.

Ab hoc arcano manum & mentem abstinuimus, sola superficie dumtaxat cœli contenti: quia, ut gravissimi Doctoris verbis utar: *i de Rege autem qui horum medius resideat,*

a Bonav. soliloq. c. 4.
b Franc. Sales prax. spirit. part. 1. c. 12.
c Aug. serm. de Redempt.
d Solier. hist. Iapon. l. 1. c. 6.
e Ovid. l. 4. trist.
f Greg. l. 4. c. 33.
g Ovid. l. 1. fast.
h Bern. serm. 8. in festo S. Martini.
i Aug. de sanctis, serm. 37. in festo omnium SS.

resIdet, dicere vox nulla ſufficit: effugit omnem ſermonem, atque ſenſum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa gloria, illa magnificentia, illa majeſtas: ultra enim omnem ſanctorum eſt gloriam, ipſius inæſtimabilem aſpicere conſpectum, & ſplendore majeſtatis ejus irradiari.

Ecquid mirum ſi facultatem noſtram, ſi capacitatem noſtram ſummi boni fruitio excedat, cum è tribus illis, ut D. Thomas loquitur, *a* quæ omnipotens Deus majora ac præſtantiora reddere nequit, viſio beatifica meritò cenſeatur, quæ ob arctiſſimam cum immensâ illâ majeſtate conjunctionem, quandam habeat in ſe infinitatem, quâ creata omnia innumeris paraſangis antecellit.

Dixerit olim M. Tullius, ab exilio Romam, quaſi in alterum orbem delatus: *b* quid admirer? quæ ſpecies Italiæ? quæ celebritas oppidorum! quæ forma Regionum! qui agri, quæ fruges! quæ pulchritudo urbium! quæ humanitas civium! quæ reipub. dignitas! (& præ his omnibus) quæ veſtra majeſtas! Ita, ut in ampliſſimâ illâ beatorum Regione, omnia illuſtria ſint, omnium tamen animos infinita unius ſummi boni majeſtas, ſibi totos vindicavit; quod bonum adeò ineffabile, incomprehenſibile, immenſum, ut hîc veriſſimè dixero:

c Non mihi ſi linguæ centum ſint,
oraque centum,

Verbis valeam adumbrare, nedum enarrare, quid voluptatis immenſus ille ſummi boni Oceanus in ſe complectatur; cujus vel ſtillam, ubi S. Auguſtinus delibârat, quaſi ebrius vociferatur: *d O anima, ſi quotidie oporteret nos tormenta perferre, ſi ipſam gehennam parvo tempore tolerare, ut Chriſtum in gloria videre poſſemus, nonne erat dignum pati omne quod triſte eſt?* teſtimonium veritati, vel ipſe pater mendacii, perhibebit. Jordanus è D. Dominici familia vir magnus, *e* interrogavit hominē à dæmone inſeſſum, quid perpeti non recuſaret, ut Deum intueri poſſet? ad quæ inviſus hoſpes reſpondit: ſi ego ſolus omnium ſociorum meorum infernalium pœnis, ac ſuppliciis par eſſem, non eas detrectarem uſque ad ſupremi Judicii diem perferre, modò demum liceret Deum intueri. expavit vehementiſſimè ad has voces Jordanus, & iterum: dic ait, pulchritudinem conditoris noſtri, cui rei creatæ comparandam cenſes? hæc ſtultè quæri, malus genius repoſuit? ſed quia id ſcire aves, compendio dicam: ſi pulchritudo omnium florum, gemmarum, ſiderum, animalium, hominum, in unam confluerent elegantiam, quis mortalium eam ſatis æſtimaverit? atqui certò ſcias, hanc omnium rerum creatarum, velut colliquatam venuſtatem, cum divinâ pulchritudine minus conferri poſſe, quàm denſiſſimas tenebras, ad clariſſimum meridiem. væ igitur illis, qui pro nihilo habuere terram illam deſiderabilem! væ vobis quos fluxa, quos ficta, quos fucata formæ venuſtas, ab hac divinâ, increatâ, infinitâ,

a S. Thom. p. 1. q. 25. a. 6. ad 4.
b V. Bellarm. con. 3. de infern.
c 2 Georg.

d Aug. de ſanctis ſerm. 37. in feſto omnium SS.
e Ioan. Hero dotus in ſerm. litt. G.

finitâ, incomprehensibili pulchritudine, gaudio, voluptate, avocare consuevit: quæ teste Doctorum omnium magistro, tanta est, [a] ut *etiamsi non liceret in ea manere, quàm unius diei mora, propter hoc solum, innumerabiles anni hujus vitæ pleni deliciis, & circumfluentia temporalium bonorum, rectè meritoque contemnerentur; non enim falsò, aut pravo affectu dictum est: quoniam melior est dies una in atriis tuis super millia.* quid igitur non laboris & sudoris hilariter ac constanter exantlandum? cujus desiderium non accendant, ne dicam dies unus, sed mille, sed mille millia annorum, æternitas ipsa sine fine duratura.

[a] Aug. l. 3. de libero arbit. c. 25.



EMBLE-

EMBLEMA XLI.

Steterunt à longè. Luc. 17.



QUANTUM *DISTAMUS AB ILLO.* a

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

Peccatum quodvis hominem longiſſimè à Deo ſejungit.

§. I. *Peccator cum filio prodigo in regionem* longinquam *proficiſcitur.*

§. II. *Magnum Chaos peccatorem inter & Deum, firmatum eſt.*

a Ovid. 13. Metam.

DOMI-

DOMINICA DECIMATERTIA POST PENTECOSTEN.

Steterunt à longè. Luc. 17.



DIsceptatio hæc multis non ingrata, & ad instructionem morum peraccommoda, institui solet: quæ gens, quæ natio maximo locorum intervallo ab alterâ sejungatur? Quod regnum, quæ regio in hoc vastissimo terrarum orbe, ab alterâ maximè remota censeatur? Ab Antverpiensium aut Bruxellensium urbe, quæ civitas, quis locus, in China, in Japonia, in Peraquaria longissimè distet, quotque inter hæc spatia, leucarum millia intercedant: Quod apud Clavium, aliosque Geometras, qui volet, videre poterit.

Ad propositum nostrum hęc indubitata assertio est, nullas gentes aut populos longiùs aut remotiùs, quàm Antipodes à nobis distare ac separari; ejusmodi verò censentur, qui adversis vestigiis contra nos incedunt. Quæ Antipodum ratio, cuivis peccatori à Deo longissimè semoto, atque adversus eum procedenti congruere, magno teste Gregorio comprobatur, hom. 33. in Euang. ubi solerter observat, quod mulier, quæ fuerat in Civitate peccatrix, per pœnitentiam appropinquans, steterit secus pedes Domini, quæ anteà per flagitia longè ab eo remota, adversus Deum ambulabat. *a Secus pedes Iesu stetit mulier*, inquit; *contra pedes enim Domini stetimus, cùm in peccatis positi, ejus itineribus obnitebamur*, juxta commonitionem illam Levitici 26. *si ambulaveritis ex adverso mihi, ego quoque contra vos adversus incedam:* quod Cordubensis Philosophus, qui occultus Pauli discipulus fuisse creditur, sic uberiùs ad mores prosequitur. *b Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (ut ait Virgilius,) pedibus nostris subditos è contrario posuit:*

Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina vesper.

Talis hominum (quos depingit) *contraria omnibus non regio sed vita est. Sunt quidam* (quod maximè mirandum) *in eadem urbe Antipodes, qui ut M. Cato ait, nec orientem umquam solem viderunt, nec occidentem;* noctem vertentes in diem, moribus, genio ac ingenio sibi ac Deo maximè adversantes, longè à gratiâ, longè à salute, longè à cœlesti patriâ, longè à summo & increato bono recedunt.

§ I.

Peccator cum filio prodigo in regionem longinquam proficiscitur.

NOminatus ille Trismegistus, ut eloquentiæ Princeps commemorat, *c* rogatus quid esset Deus?

a V. Massutium vita Pauli lib. 7. c. 8.

b Seneca epist. 122.

c Cic. lib. 2. de nat. Deor.

Deus ? ubi se ipse diu torsit, & omnem ingenii vim & aciem explicuit, ut Dei sui terminum ac definitionem inveniret, tandem eam extulit: *Deus est circulus, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam.* A quo Hebræi sapientes non multum dissidentes, Dei ter optimi maximi bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo statuerunt, unde ea controversia moveri posset, qui fieri possit, ut peccator longè sit à Deo, *a longè est Dominus ab impiis,* qui ubique rebus minimis præsens est ? quoniam *in eo vivimus, movemur & sumus.* Cui difficultati dilucidè occurrit D. Hieronymus, epistolâ ad Damasum: *peccatores*, inquit, *recedunt à Deo affectuum, non locorum spatiis.* Atque adeò fit, ut propinqui sint, & remoti à Deo, procul & propè: quod duobus labyrintho inclusis subscriptum legi: & *procul, & prope.* Hoc enim verò Augustinus etiamnum, Andabatas & Antipodas inter cæcutiens contestatur: *b ecce intus eras, & ego foris: mecum eras, tecum non eram, & me tenebant longe à te, quæ diviserunt inter me & te.* quod cum gemitu identidem ingeminat dicens: *c Ubi eram, & quàm longè exulabam à delitiis domus tuæ, anno illo sexto decimo ætatis meæ?* & ut viæ justorum rectæ, ideoque brevissimæ, ita & peccatoris obliquæ ac tortuosæ, quæ longè à cælesti patria & amantissimo parente seducunt; quas vias ulteriùs se ingressum queritur lib. 3. conf. c. 3. *Vagatus sum præfidenti collo ad longè recedendum à te, amans vias meas & non tuas, amans fugitivam libertatem.* Viæ Domini ad prærupta montium, ad ardua virtutum deducunt, viæ autem peccatoris in malum declives, ad vitiorum præcipitia invitant: adeoque inter se dissitæ, ut Isaias earum distantiam mensus, *d* affirmare non dubitârit: *sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ (inquit Dominus) à viis vestris.* Quidni contrariis insistendo, longissimè aberrârit, ut se cum filio verè prodigo in regionem longinquam profectum ultrò fateatur: *e profectus sum*, inquit, *abs te in longinquam regionem, ut substantiam dissiparem in meritricias cupiditates.* Ubi amabo vos, attentiùs quæ sacer historicus *f* de prodigo commemorat, auscultate. Ac primum illam vocem, *abiit*, cum summis Ecclesiæ magistris expendite: *g abiit ergo* inquit S. Thomas *adolescentior, nondum adultus mente*, & impudenti quadam libertate patrem alloquitur, tædio se intra domesticos parietes detineri, parentis consuetudinem sibi gravem, nec quid ex familiarium convictu se voluptatis capere posse; proinde deliberatum sibi esse relictâ paternâ domo, fratre, parente, in exteras & ignotas terras proficisci, suam sibi debitam hæreditatis partem annumerari velle, omnemque de se insuper curam ac solicitudinem mittere: quid si adjecerit, piget vobiscum ulteriùs commorari, ad capitalis hostis tui ædes me recipio, illic liberaliùs indulgentiusque habebor, & me

a Proverb. 15. *b* L. 10. conf. c. 27.
c Aug. lib. 2. conf. cap. 2.
d Isa. 55. *e* L. 4. conf. cap. 16.
f Luc. 15. *g* S. Thom. hic.

servum

servum libens mancipabo, eique infimum obsequium ac famulatum summa animi mei voluptate exhibebo. Quis impudens illud os, & beluinam barbariem sustinere queat? ea peccatoris impudentia est, sic ille sine fronte Deum suum alloquitur: Nihil mihi in te Deus placitum est, nihil è convictu tuo sensibilis gaudii est, nihil in domo tuâ voluptatis est, te spreto ad amatores mundi, ad hostes tuos confugio: ita abit & longè à domo Domini, à cœlesti illo patre secedit. Neminem Deus è domo sua deturbat, neminem deserit, nisi prius deseratur, à nullo recedit, nisi prius peccator ab eo quàm longissimè recedat, quod præclarè Hipponensis Præsul edocuit, dicens: *a anima ut deseretur, deseruit.* Et S. Bern. *b fidelis socius est, nec deserit sperantes in se, nisi ipse prior deseratur*; quam doctrinam sacrosanctum Concilium Tridentinum confirmat: *c numquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur.* Non ipse abit à nobis, sed per scelera longè ab eo recedimus. *d* Hoc olim Propheta graviter questus est: *quasi de industria recesserunt ab eo, & sequi vias ejus noluerunt*; deliberato animo, quemadmodum ille prodigus, Deo noluerunt ulteriùs adhærere, familiam ac societatem ejus insimularunt tristitiæ, melancholiæ, tædii, nullam animi relaxationem corporisque voluptatem in domo Dei reperiri; sed quamdam velut umbram mortis, horridum silentium, lachrymas & suspiria incolere. Hæc jactitant, & se ac alios secum in regionem longinquam abripiunt, quos ipse Dominus benignè compellat, ac dicere compellit, quid in eo displicuerit, cujus conversatio non habet amaritudinem, nec tædium convictus illius, sed gaudium: *e audite verbum Domini domus Iacob, & omnes cognationes domus Israel, hæc dicit Dominus: quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia* elongaverunt *à me, & ambulaverunt post vanitatem?* Quæ iniquitas mea? quid in me culpæ, quid vobis injuriæ intuli? Deus tantum hunc contemptum duxit, ut velut stupore & indignatione attonitus, exclamet: *f obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Consimili stupore commoveri ac conturbari visus est Christus, in sacrilegum illum sui proditorem Judam; de quo dum agunt sacri Euangelistæ, sic ajunt: *g tunc abiit unus de duodecim.* Quam tragicam historiam D. Joannes perscribens, cùm oculos suos in omnes Christi gestus ac nutus intenderet, advertit, quod quamprimum Salvator noster vidit Judam mensa assurgentem, cœnaculo egredientem, sibi terga vertentem, *h turbatus est spiritu & protestatus est*, quia nullam ei causam præbuisset, cur se desereret. *Protestatus est* quod ipse eum à consortio sanctorum à suo con-

a Aug. l. 13. de civit. c. 15. *b* Bern. lib. Med. c. 7. *c* Trident. Sess. 6. c. 11. *d* Iob 34.

e Hierem. 2. *f* Hierem. 2. *g* Matth. 26. *h* Ioan. 13.

spectu

ſpectu non arceret. *Proteſtatus eſt* ſe invito, ne minimâ offenſionis ansâ oblatâ, à ſe abiret Sed oculos, ſi lubet, mentis reflecte ad prodigum & contemplare, quàm gaudens & geſtiens è paterna domo diſceſſerit, jam tetrici ſenis ereptum ſe contubernio, gravi ejus cenſurâ, ſi fortè liberius genio indulgere, aut cum amicis pergræcari, aut bene potum intempeſtâ nocte redire contingeret; nunc crumenâ bene instructâ, omni jugo excuſſo ſibi adblandiebatur. Interim hunc miſerum & verè miſerabilem totum explorat Propheta, & deplorat, noſque ad planctum invitat dicens: *a plangite eum, qui egreditur*; quæ verba eleganter expendit Hieronymus: *b viden' adoleſcentem, quàm hilaris, quàm paternis ædibus excedat animatus? Quàm turgidus prodeat ſuperbia? Quàm excitatus voluptate? Plangite eum quaſi mortuum, ædibus valedicens ubi bonis omnibus affluebat? quid niſi mala reperiret univerſa?* Quod Chryſoſtomus proſequitur: nonne, inquit, *c hæc diſceſſio digna lamentis? Quò fugis infelix & miſer? Quo fugis à vita & ſalute tua? Si à Deo fugias, quò reſpicies? Vnde poſthac vives? Etenim quid ſupereſt, niſi ut, qui lumen deſerit, in tenebris cæcutiat, quid reſtat* fratres (hunc profugum adoleſcentem notans) *d niſi ut recedens ab ejus calore torpeſcat? recedens à veritate vaneſcat, recedens ab eo, qui ſummè & incommutabiliter eſt, in deterius mutatus deficiat?* Ovum gallinæ alis, umbra, calore ſubmoveas, videbis in quid evaneſcat. Quàm ſpecioſus erat ille, Princeps Angelus; derepente dum ſe à Deo ſeparat, cùm nulli creaturarum foret donis naturæ ac gratiæ ſecundus, omnibus ilicò exutus, in teterrimum ſpectrum commutatus eſt, quid Adamo quærit idem doctor, *e Quid illi deerat? dicatur mihi, quid iſti deerat in paradiſo conſtituto?* Suis obſequi voluit cupiditatibus, fræna laxare voluptatibus, & ſpreto Deo, quid illi occurrit niſi fames, egeſtas, labor, dolor, morbi, mors? *abîſti*, inquit, *& periiſti, male vagus, male præſumens, recedendo à via juſtitiæ.* Momento temporis invenit eum Deus in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, & velut in extremo orbis angulo abditum quæreret, exclamavit: *f Adam ubi es? Adam ubi es?* num oculos illos lucidiores Sole latebat? minimè, *g* ſed quærendo & clamando indicare divina bonitas voluit, in regionem quàm longinquam illicò tranſlatus eſſet, vociferatur: *h Adam ubi es, ut attenderet ubi eſſet.*

Arrectis auribus & hianti ore, quandoque eam quæſtionem à populo excipi adverti, quam Delrio noſter in diſquiſitionibus ſuis magicis proponit, *i* ope Dæmonis aut arte necromantica, ſagos ac ſagas breviſſimo temporis puncto, quandoque ab hirco in exteras terras, & quàm remotiſſimas à patriis ſedibus deferri; quod mirando eventu comprobat: quidam inquit, cùm accepiſſet uxorem ſuam noctu "

a Hierem. 22. *b* Hieronym. epiſt. 46. ad Ruſt. *c* Chryſoſt. hom. 11. in epiſt. ad Philip. *d* Aug. in Pſal. 70. part. 2.

e Aug. in Pſal. 70. *f* Gen. 3. *g* V. Paz. in epiſt. Iacobi. c. 4. v. 8. § 1.
h Aug. lib. 13. de civit. cap. 15.
i Delrio diſquiſit. Mag. l. 2. q. 16.

„ frequentare sæpe sagarum conciliabulum, eandem suspectam „ habuit, & quæ multorum rumor sparserat, vera opinari cœpit: finxit se itaque quadam „ nocte altum dormire. Quod „ ubi uxor percepit, surgens de „ lecto, inunxit se unguento ex „ vasculo prius abscondito, & „ statim nusquam comparuit. „ Stupens autem vir ejus; & „ quadam curiositate ductus, de „ lecto surgens idem fecit quod „ uxor, & statim per caminum, „ per quem etiam sibi visum fuerat ascendisse uxorem, in quandam illustris Comitis cellam „ vinariam deportatus est: quo „ loco uxorem cum aliis pluribus reperit. Eo autem viso, „ uxor ejus statim cum aliis, quodam signo dato discessit, & viro suo illic relicto, qui manè à „ famulis domus inventus, & „ cum clamoribus, quasi latro „ captus, & ante comitem constitutus, accepto loquendi spatio, factum omne enarravit. Ex eo accusata uxor illius apud inquisitorem, quæ scelus confessa, pœnas dedit flagitiis dignas. Gravius quid pectori obvenire solet, qui scelere concepto, ex Jerusalem in Babylonem defertur, & quemadmodum Sedekias Regno exutus, in Babylonem ex Judæâ ductus, ilicò gravissimis catenis vinctus, oculis orbatus, & vitâ privatus est; ita peccator in Babylonem, quæ regio omnium flagitiorum est, delatus, vinculis peccatorum colligatus, excæcatur: juxta illud Sap. 2. *excæcavit illos malitia eorum*; ac tandem nisi misericordiâ Dei manum porrigente revertantur, non in cellam vinariam, sed in stagnum picis & sulphuris transferendi sunt. Sed ut luculentiùs ostendam, impios non tantùm subitò ex felicissimo, in miserrimum statum deferri, verùm etiam quàm remotissimè à Deo elongari, proderit alteram, quam idem autor ex Alphonso à Castro, aliisque commemorat, historiam attexere: *a* mulier quædam Habinensis, hanc profitebatur diabolicam artem; de qua cùm maritus suspicionem haberet, interrogavit eam pluries; sed cùm pertinaciùs negaret, observavit quadam nocte se ungentem, quasi avem avolare: uxorem reducem maritus compulit edicere omne maleficium, & quò abiret; eamque fustibus graviter pultando, duriora interminando, veritatem expressit. Mulier illi in genua procidens, rem omnem aperuit, & veniam petiit, quam illi maritus hac conditione indulsit, ut se ad tales congregationes adduceret; quod illa facilè addixit, & promissum ex licentia sathanæ implevit. Adductus igitur ille ad locum, ubi ludi fiebant, ludum & choreas, & cætera omnia contemplatus est, ac tandem cum cæteris accumbens, cum cibos insipidos judicaret, petiit salem adferri, iterumque, iterumque petit, ac tandem ubi sal allatum est, dixit: nunc laudetur Deus, quoniam sal venit, quibus verbis prolatis, dæmones & reliqui omnes lucernis extinctis disparuerunt, atque hîc miser in tenebris in loco horrido & deserto relictus est. Orto jam Sole, cùm ubi esset gentium planè ignoraret,

a Delrio cit.

ret, quosdam eminus bubulcos conspiciens, percunctatur: quæ hæc regio esset, in qua degeret? responderunt agrum Beneventanum esse in regno Neapolitano, qui locus distabat à viri patria ad centum milliaria, jamque ad eam penuriam redactus erat, ut cætera opulentus, stipem cogendo, longo ac difficili itinere in patriam, unde momento discesserat, reversus sit: abierat, inquit doctor Aquinas, *a non localiter à Deo discedens, qui ubique est, sed affectu: fugit enim Deum peccator, ut à longinquo stet?* Nonne hîc suis coloribus imaginem impii, in regionem longinquam abeuntis expressam cernitis, dum momento procul à Patria, civis jam mundi, reperit se in regione umbræ mortis: ubi fames valida cogit mendicando redire ad Patrem. benè hic Ambrosius: *b quid enim longinquius est, quàm à se recedere, nec regionibus sed moribus separari, studiis discretum esse non terris, & quasi interfuso luxuria secularis æstu, divortia habere factorum? etenim qui se à Christo separat, exul est patria, & civis mundi:* ita olim regius Propheta, quia longè à sole sejungitur, ideo in tenebris; quia longè à divino illo igne, ideo frigidus; quia longè ab immensâ illâ bonitate, ideo malus; quia longè ab infinitâ potentiâ, ideo infirmus; quia longè à summâ puritate, ideò immundus; quia longè ab increatâ sapientiâ, ideò fatuus; quia longè à vitâ, ideò mortuus; quia *c longè à peccatoribus salus*, ideò peribit. Unde exemplo suo nos commonet: *d quia ecce, qui elongant se à te peribunt.* Ubi Doctor egregius: *e & quid est longè à Deo fieri? perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* Tu ne talis sis, elabora: *f* ut *quantum distat ortus ab occidente, longe facias iniquitates tuas.* Ubi præclarè Africanum sidus: *g quando peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia. Peccata tua tamquam in occasu sunt, gratia quâ liberaris in ortu est. Oriens* quippè est lucis regio, Solis thalamus thronusque, & surgentis orbis oculus, cùm è contrà *Occidens* noctis sit sedes & plaga tenebrarum. Viderat Sol ille oriens ex alto, Saulum in occidente, hyberno frigore torpentem, in tenebris cæcutientem, vocem audit intonantem: *h avertere, avertere ab Occidente, convertere ad Orientem, occidunt ibi peccata, oritur inde justitia. In occidente vetus, in oriente novus, in occidente Saulus, in oriente Paulus.* Vides Augustino indice & judice, Saulum inter & Christum, quantum esset intervallum, quamque necesse (quod inter longè absentes fieri assolet) iterum, iterumque geminari illas voces: *Saule, Saule*; quia nimirum clamabat Christus in oriente, ut Saulus audiret in occidente: ideoque validum & ingentem clamorem esse oportuit. Tu cum hodie, si audis, noli obdurare cor tuum, noli aures occludere; sed potiùs & cordis, & aurium sinus aperi, & dic cum Paulo: *Domine quid me vis facere?*

a S. Thom. in Luc. cap. 15.
b Amb. l. 7. in Luc. de Patre & duob. filiis. *c* Psal. 18.

d Psal. 72. *e* Aug. in Psal. 72.
f Psal. 102. *g* Aug. in Psal. 102.
h Aug. hom. 14. ex 50.

re? dic cum Augustino: *a ea me tenebant longe à te, quæ si in te non essent, non essent. Vocasti, & clamasti, & rupisti surditatem meam.*

Huc adducit disertissimus Lanuza *b* clamorem illum, quo Christus Lazarum à morte revocavit, quem typum peccatoris in regione longinqua sepultum asserit, ut ibi videre est. Nos profectò longiùs epulonem in inferno sepultum à Deo, quàm animam Lazari à corpore distare manifesto comprobamus.

a Aug. lib. 10. cap. 27.
b V. Lanuza hom. 18. §. 9.

§. II.

Magnum Chaos peccatorem inter & Deum, firmatum est.

Queruntur quandoque amantes se ab invicem separari, aut quod durius, cancellis sejungi: unde illa in Canticis: *c Dilectus meus prospiciens per cancellos.* Omnem verò conspectum & colloquium, interjectus paries arcere solet, de quo ille apud Poëtam amore insaniens:

d Invide dicebam paries, quid amantibus obstas?

Ita inter cœlestem sponsum & animam fieri consuevit: veniales noxæ velut sipario quodam, seu cancellis quibusdam, speciosum illum præ filiis hominum, à familiari consuetudine sejungunt, at læthale flagitium crassus omninò paries, imò murus aheneus jure nuncupari potest, quem rectè Isaias descripsit dicens: *e iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum.* In prima universi molitione, auctor naturæ Deus, divisit aquas ab aquis, superas ab inferis, & ne quæ earum esset communio, firmamentum interjecit, quod eas à se invicem discerneret: dixit enim *f fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum.* Ne quid illis commune intercederet, quod aquis illis, hoc tibi, cum à virtute, à gratia Dei proximus esses, solutis & patentibus cœli cataractis in te illabi, & impluere cœlestes aquæ, & gratiarum fluenta solebant; at ubi intercessit peccatum, ab aquis divisæ sunt aquæ, & interpositum est velut firmamentum ære fusum, murus aheneus (ut infrà fusiùs ostendemus.

Luna omne suum à Sole sibi lumen vindicat, quo privatur, ac eclipsim seu defectum patitur, dum globo terrarum interjecto, Soli opponitur. Haud aliter varias anima eclipses patitur, dum terrena ac carnali mole interposita, à Sole justitiæ separatur; *g illa circa corpus occupatio* (inquit Bernardus) *quid est nisi à Deo quædam absentatio?* Et eheu quantum distat benignissime Jesu ira nostra, à mansuetudine tua! & hinc sanguinis imbre interjecto, anima eclipsim patitur. Quantum distat avaritia nostra, à munificentiâ tuâ! & hinc anima auri massa elipsatur. Quantum distat luxuries nostra, à puritate tua! & hinc carnea mole interjecta anima eclipsatur. Eruditè Cardina-

c Cant. 2. *d* Ovidius Metam. *e* Isa. 59.

f Gen. 2. *g* Bernard. tract. de præcepto & dispens. cap. 17.

lis

lis Bellarminus: *a* Lunæ proprietas magnum esse potest documentum vel exemplum mortalibus, ut intelligant quàm solliciti esse debeant propinquitatis, subjectionis & conjunctionis ad verum patrem luminum, Deum. Luna significat hominem, Sol Deum; quando Luna est longè distans opposita Soli, tunc lumine mutuato à Sole, respicit solam terram, & terga quodammodo vertit cœlo, unde etiam tunc pulcherrima apparet habitantibus in terrâ, sed deformissima habitantibus in cœlo. Sic omnes mortales homines quando longissimè recesserunt à Deo, ut filius ille prodigus, quando recessit à patre & abiit in regionem longinquam, tunc abutuntur lumine rationis, quod à patre luminis acceperunt ad solam terram aspiciendam.

Cœlorum ea ratio ut cœlum empyreum, sit omnium supremum. Summo subjectum est cœlum, quod primum mobile appellant: huic crystallinum, crystallino orbis siderum seu firmamentum; post hoc, septem planetarum orbes volvuntur. A Lunæ ultimo, sphæra ignis suum explicat imperium: post ignem aër, ejusque districtæ tres regiones, suprema calida, media frigida, mixta infima. aërem, elementum aquæ sequitur, cui adjuncta est terra; terræ gremio gehenna delitescit, hic igneum damnatorum ergastulum est! heu quàm dispares æternitatis domus, chaos immensum inter hanc & illam interjectum. Omnia hactenus enarrata expressit dives ille, qui ex infima abysso, in fornices cœli empyrei mentis oculos attollens, horrendum illud pronuntiatum audiit: *b inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* Ubi rectè S. Thomas: *c Chaos magnum significat, justorum à peccatoribus distantiam; nam sicut affectus eorum varii fuerant, sic etiam mansiones non modicum differunt*; adeò ut distantia, qua tota æternitate à summo bono, à beatorum consuetudine, sejuncti erunt, major non valeat inveniri. Quam ut cognoscere possitis, peritos Astronomos ac eruditos Matheseos magistros consulamus: Christophorus Clavius in hac arte Professor & Doctor eximius affirmat, *d* infimum Lunæ cœlum à terrâ distare milliaribus germanicis (quorum quodlibet duas requirat horas) quinquaginta quinque millibus, centum octoginta tribus. Solis seu quartum cœlum, abesse ait à terrâ milliarium Germanicorum nongentis millibus, & sexaginta quatuor millibus, trecentis sexaginta & uno; porrò firmamentum sive octavum siderum fixorum orbem, asserit à terrâ remotum, ad millariâ germanica, trigesies octies millena millia, octingenta nonaginta tria millia & quingenta milliaria. Atque hic Astrologos jubet Plato quiescere; sed longè altius, altius est conscendendum ut non à terrâ, sed à profundissima miserorum abysso, ad cœli empyrei concavum, intervallum ac chaos magnum metiamur. Cornelius *e* com-

a Bellarm. de Ascens. mentis gradu 7. c. 4.

b Luc. 16. *c* S. Th. hic. *d* Clavius in Sphæra. c. 1. *e* Cornel in Pentat. & in Baruch. c. 3. ô Israel quam magna est domus Dei.

pendio docet ex Clavio, quemadmodum terra distat à concavo firmamenti, octoginta millionibus milliarium; sic concavum firmamenti (tanta ejus crassities seu spissitudo) à convexo abest octoginta itidem millionibus milliarium.

Empyreum verò à centro terræ.

hinc ratio deducit ista, *a* nemo octo millibus annorum, ad cœlum empyreum perveniret, etiamsi quotidie octoginta milliaria conficeret, in hoc ad cœlum itinere. 2. Quod si molare saxum ab octava siderum sphærâ dejiceretur, ante nonagesimum secundum annum non attingeret terram, etsi singulis horis ducenta milliaria (nec enim plura posset) cadendo absolveret. At si è summo cœlorum orbe, quæ sedes Beatorum est, plumbeus globus dilaberetur, spatio quadringentorum annorum ad terram non pertingeret.

Quid mirum si sacræ literæ referant, quod dives in tormentis positus, *b vidit Abrham à longè?* Atque ideo validam ac horrendam vociferationem ejus fuisse; nam etiam, ut ait Chrysostomus, *c magnæ pœnæ magnam vocem reddebant.* Insonet hæc utinam peccatorum auribus, teque epulo ex altissimo illo inferorum spelæo clamantem, & desperationis plenum responsum audiant: *inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* Hiatus ingens, & immensa quædam vorago interjecta est, *Vt si, qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare.* Frustra clamores & lamenta, incassum gemitus & lacrymas etiam igneas fundis, quia longè à peccatoribus salus, ad quam non datur ullo annorum numero pertingere aut permeare. Age Cain jam prope 6000. annorum devoluta sunt, quod salute tua excidisti, quàm longè etiamnum abest à te salus? aliis 6000. & tunc, quam longè aberit? adhuc 600000. millionibus; nunc reduc ad numerum stellas cœli, maris guttas, terræ arenas, & cœli atomos, & arborum folia, & agrorum gramina, tantundem adhuc aberit salus, æque *longè à peccatoribus* & toto illo damnatorum infaustissimo grege *salus.* Quorum illud quisque Jeremiæ ingeminare poterit: *d longè factus est à me consolator,* longè à nobis suavissimum illud Beatorum contubernium, longè à cœlesti patriâ, longè à benignissimo redemptore, ab omnium bonorum copiosissimo fonte, ab uxore, à liberis, ab amicis, idque in æternum *e infeliciter exclusi, infelicius includendi.*

Vos ergo priusquam in hoc triste exilium, in hanc profundissimam abyssum præcipitemini, qui profecti estis cum prodigo in regionem longinquam, dum tempus est misericordiæ, redite ad patrem, *f appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Eleganter more suo Augustinus: *g hi ab eo longi esse dicuntur, qui peccando dissimillimi facti sunt, & hi ei propinquare, qui ejus similitudinem*

a Salmeron. tom. 2. Vega in festo omn. SS. Drex. cœlum l. 2. c. 8. *b* Luc. 16. *c* Chrysost. hom. 40. in Euan.

d Ierem Thren. 1. *e* Aug. hom. 16. ex 50. *f* Iacob. c. 4. *g* Aug. tract. 36. in Ioan.

pie

pie vivendo recipiunt. Sicut rectè dicuntur oculi tantò esse ab hac luce longius, quantò fuerint cæciores. Quid enim est tam longè à luce, quàm cæcitas, etiamsi lux præstò sit, atque oculos perfundat exstinctos? Propinquare autem luci merito perhibentur, qui sanitatis accessu lucem recipiunt. Qui longè à cœlesti illo igne recessisti, inerti frigore torpescis, qui longè à sole abiisti, in spissis tenebris versatus es: *a recedendo enim frigescis, accedendo fervescis; recedendo tenebrescis, accedendo clarescis.* Christum in vastam solitudinem secuta turba, ubi nullum diversorium, in quo quiescerent, nulla taberna, in qua reficerent, nullum macellum aliæve officinæ, unde sibi necessaria petere possent, jamque triduano jejunio propè confecti, benignissimum Christi animum commoverunt, ut in has voces eruperit: *misereor super turbam*; sed quid viscera ejus misericordiæ commovisse, quid piissimam illam vocem, *Misereor*, expressisse existimatis? Hoc unum, ut ipse palam fatetur: *quidam enim ex eis de* LONGE *venerunt.* Duo longissimè distant, peccatum & gratia, virtus & vitium, Deus & peccator, ut ne per omnem Dei potentiam se simul compatiantur: hi autem de longè veniunt, qui ex latâ viâ perditionis, ad actum virtutis & contritionis; à luxuria ad continentiam; à temulentiâ ad sobrietatem; ab injustitia ad justitiam redeunt, ex regione longinqua ad Patrem misericordiarum revertuntur. Longitudinem viæ brevibus verbis expressit. Ven. Beda in cap. 8. Marci: *b alii post carnis flagitia, alii post furta, alii post illatas inimicitias & violentias, alii post perpetrata homicidia ad pœnitentiam redeunt, atque ad omnipotentis Dei servitium convertuntur: hi videlicet ad Dominum de longinquo veniunt; quantò enim quisque in pravo opere erravit, tantò ab omnipotente Deo longiùs recessit.* Hos ergo ut videt à longè venientes, exclamat *misereor*, in occursum pergit, in amplexum ruit, & *qui aliquando eratis longè, facti estis prope.* Quæ breviter sed nervosè S. Thomas exponens, *c vos, qui aliquando eratis longe, id est, elongati*, inquit, *à Deo, non loco, sed merito, quidam enim ex eis de longe venerunt, scilicet de regione dissimilitudinis. Vos autem modò facti estis prope, Deo scilicet & Sanctis ejus, in sanguine Christi*, in omni æternitate, arctissimo dilectionis & unionis gloriosæ vinculo conjungendi.

a Aug. in Psal. 70. part. 2.

b S. Thom. ibid. *c* S. Thom. in Marcum. cap. 8.

EMBLEMA XLII.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6.



VNI SOLI.

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Uni & Soli Deo serviendum esse, omnemque affectum ei Soli exhibendum.

§. I. *Nemo potest duobus Dominis servire.* Matth. 6.
§. II. *Gravis Dæmonis fallacia persuadentis, posse aliquem duobus Dominis servire.*
§. III. *Uni Soli Deo ac Domino serviendum.*

DOMI-

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6.



Ximius ille *Doctor a* (ut eum S.D. Paulus V. non semel nuncupavit) Franciscus Suarez, & cum eo Christiani passim Philosophi docent, contra omnem naturæ exigentiam, Deum per potentiam absolutam (ut ajunt) efficere posse, ut idem ferrum sit calidum ad octo, id est in summo candens, & simul summè frigidum. 2. ut idem paries eodem loco habeat nigredinem & albedinem; dici possit omnino albus & niger. 3. ut idem potus, habeat in se summam amaritudinem, & simul summam dulcedinem, &c. Etsi enim hæ qualitates sibi naturaliter adversentur, atque unà aliam expellat; cum tamen res physicæ ac positivæ sint, valet auctor naturæ illam contrarietatem sistere & impedire; ne una in aliam agat. Quemadmodum in fornace Babylonica accidisse videtur, ubi idem ignis, qui Chaldæos adurebat, tribus pueris fuerit veluti ventus roris flantis: & in anima Christi, liquidissimum illud gaudium ex visione Dei, cum acerbissimo dolore imminentis passionis, se compatiebantur; at verò tenebras & lucem, noctem & diem, mortem & vitam; gratiam & peccatum, Deum & Diabolum simul consistere ac convenire, per omnem & immensam & inexhaustam Dei potentiam (cum hæc manifesta contradictoria involvant) nullo modo possunt. Unde Doctor gentium: *b Quæ participatio justitiæ, cum iniquitate? aut quæ societas luci, ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial?* Utriusque hujus Domini genium, & ingenium dispar, Seraphicus Doctor scitè depinxit: *O quàm dissimiles* (ait) *sunt isti duo* DOMINI, Deus & Diabolus! primus enim est suavissimus juxta illud: *c Suavis Dominus universis.* Secundus crudelissimus teste Propheta: *d Tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium. Deo servitur flendo per pœnitentiam: e Diabolo ridendo per lasciviam. Unde Christus Dominus Ioan.* 16. *Plorabitis & flebitis vos, mundus gaudebit. Deo servitur vigilando in custodia contra Diabolum. Diabolo servitur dormiendo in negligentia contra Dominum. Deo servitur ascendendo de virtute in virtutem usque in cœlum. Diabolo descendendo de vitio in vitium usque ad infernum. Cum ergo nemo possit duobus Dominis servire; repudiemus alterum, scilicet Diabolum, ut Soli Deo serviamus: præparate corda vestra Domino, ut illi Soli serviatis.*

a Bibl. Scrip. Soc.

b 2 Cor. 6. *c* Psal. 144. *d* Isa. 19.
e S. Bonav. serm. 1. in Dom. 14. post Pent. ad illa verba: *nemo potest duobus Dominis servire.*

§. I.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6.

Q*Vibus verbis* (inquit Doctor Angelicus) *f Dominus Iesus*

f S. Tho. ser. in Dom. 15. post Trinit.

Christus ostendit, quod Soli Deo serviendum est, & non alteri, contraria Deo præcipienti, vel servire Deo impedienti. Quemadmodum fieri non potest, ut duo Navarchi eandem navim regant, quorum unus velit in orientem, alter in occidentem,

a paretque incerta duobus;

ita nec cor nostrum rectori tenebrarum & patri luminum obsequi, nec spiritu tartareo, & spiritu divino ferri, nec terris simul & cœlo degere potest. Quod tamen pueri cujusdam, sed stolidum omnino votũ fuisse memorant: ex eo quippe dum quis fortè sciscitatur, num de facto mallet cœlũ conscendere, an hîc in terra sociis colludere? hoc paucis responsi dedit: *Optare ut caput cœlo insertũ habeat, ad isthic se sacharo opplendum; pedibus verò in terris degat ad ludendum.* Hæc nos ut ludicra ridemus, qui hoc parvulo nihil altius, nec rectius sapimus: dum hic corpore volutare volumus in carne & sanguine; animo ad tertium cœlum cum Paulo, in oratione sustolli; hîc implere ventrem, & ibi mentem: quos gravi censurâ perstringit Hieronymus: *Difficile, imò impossibile, ut & præsentibus quis, & futuris fruatur bonis: ut & hic ventrem, & ibi mentem impleat, ut de delitiis transeat ad delitias. & in utroque seculo primus sit, ut & in cœlo, & in terrâ appareat gloriosus.* Quod quid est aliud, quàm velle uno oculo cœlum, & altero solum contueri? verissimè Iuvencus cecinit: *b*

Nemo potest Dominis pariter servire duobus.

Sacra Regum historia enarrat, Philistæos collocasse Arcam juxta Dagon, & altera die: *c Ecce Dagon jacebat pronus in terram ante Arcam Domini.*

Doctor Seraphicus *d* vocat Dagonem *Idolum Veneris.* Atque hinc acriter perstringit Philisteos, multò verò acrius Sacerdotes, qui indignè sacris operantur: *Philistæi* (inquit) *posuerunt Arcam Domini, juxtà idolum Veneris Dagonem. Sic mali Sacerdotes, quando ponunt filium Virginis, juxta filium Veneris in altari.* Quàm primum introivit in Judam Satanas, ilicò Christus ad eum: *e quod facis, fac citiùs.* quod appositè exponit Ambrosius *f Ut quia introierat in illum Satanas, ipse abiret à Christo; ejicitur itaque & excluditur, eò quod jam cum Domino esse non possit, quia cœperat esse cum Diabolo. Nulla enim communicatio Christi ad Belial.* Et quidem Judas, ubi cordis hospitio Diabolum excepit, de cœnaculo Christi *continuò exivit. Erat autem nox.* Præclarè hîc idem Mediolanensis Antistes: *Ubi Satanas immisit se in cor Iudæ, Christus recessit ab eo; momentoque eo quo illum recepit, hunc amisit.* Vti in formis repugnantibus fieri videmus, eo momento quo baculo curvitas inducitur, rectitudo perit; & eo ipso, quo candela in cubili lumen diffundit, tenebræ diffugiunt: hinc subdit: *g Non solùm exivit, sed continuò & nocte exivit. Nec mirũ si noctis tenebras habebat, qui Christũ deserebat.* Vides ut lux & tenebræ, dies & nox, Christus & Antichristus, ab eodem animo se invicem excludant: *h Eàdem*

a Ovid.l.8.Metam. *b* L.1.v.638.

c L.1 Reg.c.5. *d* S.Bonav.in Ps.28.n.1.
e Ioan.13. *f* Amb.l.2.de Abel & Cain. c.4. *g* Amb. cit.
h Tertull.l. adv. Physicos.

ope-

operatione (inquit Tertullianus) *spiritus iniquus educitur, quo sanctus inducitur*. Adeò enim bonus, & & malus spiritus sibi opponuntur, & altero in animã ingrediente, alter egrediatur. Quod curiosè Sanctus Thomas observat, Judam exivisse, *a cùm accepisset buccellam: fortè* (inquit) *in mensa dimisso pane nullam traxit moram: cujus quidem ratio esse potest, quòd Diabolus, qui jam intraverat in cor Iudæ, timens ne si panem comederet, eum cadere oporteret, non valentem in eodem loco cum Iesu esse, non permisit Iudam panem comedere: quæ enim conventio Christi ad Belial?* Quæ verò sacrilega impudentia? qui cor tuum omnipotenti Deo templum aperis, & in eodem corde Pluti, Bacchi, Veneris idolum erigere præsumis? Audi gravissimum Doctorem monentem: *b Si vis esse templum veritatis, frange idolum falsitatis. Iam in cor tuum si placet, intret arca testamenti, & ruat Dagon.* Intret Arca Virginei corporis Domini, & ruat Dagon Veneris & luxuriæ. Intret Arca liberalis testamenti in pauperes, in causas pias, & ruat Dagon avaritiæ. Intret Arca pacis & fœderis cum Deo, cum uxore, & ruat Dagon iræ & discordiæ. Quemadmodum enim Deus & Diabolus, ita vitia & virtutes nequeunt in una sede, in uno corde morari. Intravit Redemptor noster in domum Zachæi publicani & peccatoris, confestim ille: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*, id est, ut Doctores exponunt: *c* firmiter statuo *dare*. Ex quibus verbis, vitii & virtutis, Dei & Diaboli repugnantiam, Ambrosius eruit: *d Zacchæus*, inquit, *excipiendo Christum, exclusit avaritiam, relegavit perfidiam, renuntiavit fraudibus: aliter enim non ingreditur Christus, nisi ut vitia excludat, quia non cohabitat erroribus.* Ac paulò post, ipsum Zacchæum loquentem inducit: *Fugerunt crimina, postquam Christus intravit. Diffusa est omnis carnalium cæcitas passionum, ubi æterna vitæ lumen infusum est.* Et econtrà, ubi nox peccati ingruerit, lumen gratiæ evanescit: *e Et egresso Iacob foras, venit Esau.* Quia teste Chrysostomo, tam disparis ingenii sub eodem tecto, se non compatiebantur, quod utinam experientia non verissimum in animo nostro comprobaret: dum ii qui mane arcam Eucharisticam in templum cordis sui induxerunt, sub meridiem per nimiam crapulam, idolum gulæ, aut per jurgia, calumnias, detractiones, idolum discordiæ; aut per compotationes & ebrietatem, idolum temulentiæ inducunt; aut sub vesperam, sub noctem, per fornicationes, aut adulteria, idolum luxuriæ; aut die postero, per adulterinas merces, per fraudes & perjuria, idolum avaritiæ, omnis denique flagitii idolum Dagon inferunt. Quò fit ut ilicò Christus Rex noster, cum omni gratiarum ac virtutum comitatu, è vestigio excedere cogatur. Hanc itaque tantam duorum incompatibilitatem D. Hieronymus expressit, dicens: *f Quomodo dies & nox misceri non queunt;*

a S. Thom. in c. 13. Ioan. v. 30.
b Aug. serm. 14. in Festo omnium SS.
c Maldon. Salmeron. Barrad. Mendoza l. 1 Reg. c. 5. annot. 16. circa lit. sect. 1.
d S. Amb. l. 2. de Abel & Cain. c. 4.
e Gen. 27.
f S. Hieron. Lib. 2. cont. Iul. in principio.

sic nec justitia & iniquitas, peccatum nec bona opera, Christus & Antichristus; si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris, ilicò fugamus diabolum. Si peccaverimus, & per peccati januam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit.

Juvenis nobilis Nepotianus, ubi illud Euangelii sibi prælegi audivit: *a Nemo potest duobus Domine servire*, sic secum ratiocinabatur: veritas prima dicit, non potes duobus Dominis servire; atque eadem veritas dicit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi Soli servies. Ergo diabolus & mundus deserendus est, quod è vestigio effecit. *b Et audet* (inquit Hieronymus) *quisquam* (nostrûm) *Deum mendacem facere?*

a Hieron. in Epitaph. Nepot.
b Hieron. ep. 7.

§. II.

Gravis Dæmonis fallacia persuadentis, posse aliquem duobus Dominis servire.

POsterorum memoria celebrata est; *a* illa duarum mulierum coram Salomone contentio, quarum utraque filium vivum suum dictitabat; quem cum divino prorsus judicio, Rex dividi præcepisset, adulterina mater exclamavit, *Dividatur*, Germana verò repugnavit: *commota quippe sunt viscera ejus super filio. Obsecro Domine mi Rex, da illi infantem vivum.* Non aliter Deum inter & diabolum, inter virtutem & voluptatem, inter carnem & spiritum, de corde nostro decertatur; totum sibi jure suo Deus ac Dominus cordis nostri, sibi postulat (ut proximo paragrapho videbimus) Diabolus verò urget, ut *dividatur*. Suaviter sed fortiter Bernardus: *d Non Patris, non matris illa vox erit: nec mihi nec tibi sit, sed dividatur.* Hæc vox infamis meretricis, carnis, voluptatis & tartarei tyranni: *dividatur*. Duæ fœminæ altercantes, ait Ambrosius, virtus & voluptas, prior clamat totum Deo consecrandum, altera: *e dividatur. Corpus in choro, animus in foro*, in prædio, in prandio. Vnum genu Deo, alterum Diabolo vel mundo; cùm sapientissimus Rex Salomon. *f utrumque genu in terram fixerit.* Vnam aurem justitiæ, alteram tinnitui pecuniæ. Vel unam verbo Dei, alteram garrienti socio tribuendam. Vnam manum volvendo Rosario, alteram mulcendo mento. unum oculum altari, alterum puellæ. Sacrum audiendum est, media pars fabulis *dividatur*. Concio maximâ parte somno *dividatur*. Exercitia omnia spiritualia exterioribus occupationibus dividantur. Vnâ manu Psalterium, alterâ Horatius teneatur. Quibus ut terrorem incutiat, sic exsurgit Hieronymus: *g Quis consensus Christi cum Belial? quid facit cum Psalterio Horatius, cum Euangelio Maro, cum Apostolis Cicero?* Aliorum cor cœlestibus & terrenis divitiis congregandis, *dividitur*, quæ Ambrosio teste, à dividendo dictæ sunt. Sic enim lib. 2. de Abraham Gen. 5. *Divitiæ sic dictæ, quòd mentem dividant.* Quis non tor-

a 3 Reg. 3.

d Bern. epist. 258. *e* S. Thom.
f 3 Reg. 8. *g* Hieron. ad Eustoch. de Virgin.

menti

menti genus duxerit, uno brachio in cœlum suspensum, altero terræ alligatum detineri? Aliter anima divisa torquetur, ut Augustinus queritur? a *Trasta Domine, ut amem te, sed te solum; fac ut caduca omnia contemnam, sed omnia: nam intolerabilis mihi crux est, & supplicium, sic cœlum inter & terram suspensum manere.*

Vbi hoc maximè deplorandum, cum homo constet carne & spiritu, inter cœlum & terram, inter virtutem & voluptatem, inter bonum & malum genium consistat, divisionem hanc sub quadam æquitatis, imò etiam sub Christianæ vitæ specie, non unum in partes suas traxisse, & optimum judicasse illud *dividatur*; quibus non minùs verè, quàm severè Oseas interminatur: *b divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Quod Laurentius Deaponte exaggerando confirmat, c dicens: „Meus sensus est, ex hac infami „& præpostera cogitatione „Deum adeo offendi, ac tam „acerbè tolerare, quod scilicet „reputent Christiani, Deo simul „& mundo se deservire posse, „sicque latum habere cor, ut „tam distantia, dissita, contraria „simul includere valeant, ut ab „hoc multorum pendeat perditio: & non secus ac Iudam, in „quem Diabolus intrârat in profundum omnium vitiorum Barathrum decidere permittat; & „ut quid insolens dicam: mitius „credo Deum acturum cum iis, „qui verè statuentes se duobus „Dominis servire non posse, uni Diabolo se manciparunt, quàm „cum illis, qui rati se utrisque „servire posse, mille astutiis ac „sophisticis argumentationibus „virtuti simul & voluptati se dare, & citra peccatum delitiari „nocte, & manè Deo sacrificare „posse. Et ne pias in hac re au- „res offendam, à quibus scivi, à „quibus vidi, à quibus intellexi, „& à quibus legi, supersedeo; „pudet dicere, quæ hac in re dicere possum. Qualia monstra, verè amphibia animalia (ut Nazianzenus loquitur) istiusmodi sectatores exstitere. Ranæ in terris degunt, & in palude. Complures manè in sicco, in terra promissionis, uxori spondent, & sanctè Confessario promittunt, popinas & ebrietatem declinare; vesperi in palude, & luto temulentiæ. Mane in templo ad mensam Domini, vesperi in diversorio ad mensam aleatoriam, ad pocula Bacchi: quos Paulus coarguit: *d non potestis bibere calicem Domini, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensa Domini participes esse, & mensa dæmoniorum.* Manè intimo cordis sinu excipis corpus Jesu: noctu jungeris corpori meretricis. nec perhorrescis, inquit Hieron. ô Christiane: *e iisdem labiis filium Dei osculari, quibus osculatus es labia meretricis?* repertus qui noctu ad Cœnam Calvinisticam, manè ad mensam Christi accederet. Istiusmodi homines Nicodemo non absimiles videntur, qui *venit ad Iesum nocte*, & audiebat verbum ejus; per diem in Synagoga Pharisæis aures præbebat, unde D. Gregorius Nazianzenus, eum vocat *nocturnum*

a V. Camus. Dom. 16. post Pent.
b Osea 10.
c Deaponte in Matth. c. 6. v. 24.

d 1 Cor. 10. e Cit. Suarez 3. p. q. 66.

tantùm

tantùm Dei cultorem. Et orati. 16. ſub finem: *ille* inquit *dimidiata tantum ex parte, Chriſtum amans Nicodemus.* Hic linguas Oratorum velim diſertas, exaggerando illud Nazianzeni: *ille dimidiata tantùm ex parte Chriſtum amans Religioſus*, Mercator, Cauſidicus, uxor, filia, &c. Solerter inquirunt ſacri interpretes, quâ formâ Dagon exſtiterit? communis ſententia eſt, ſuperiori parte hominem, inferiori piſcem retuliſſe; quin & chimæras, ac viva monſtra, ſyrenes, ſatyros, centauros, lycantropos, ſuperiori ſui parte, formâ humanâ; inferiori verò belluinâ reperire eſt: quibus complures ex hîc etiam ſtantibus, potiori jure, quàm integerrimum virum Bernardum conferendos ſentio, qui hæc ſingulari modeſtia de ſe dixit: *a clamat ad vos mea monſtroſa vita, mea ærumnoſa conſcientia: ego enim quædam chimæra mei ſeculi, nec Clericum gero, nec laicum: nam Monachi jam dudum exui converſationem, non habitum.* Veriſſimè hos vos Adoleſcentes & adoleſcentulæ, uſurpare poteſtis: *ego quædam chimæra mei ſeculi*, quæ ſpeciem honeſtatis, pietatis, caſtimoniæ extus præfero, & intus in animo, me vanis, fœdis imaginibus oblecto. Ego *quadam chimæra mei ſeculi*; qui nomen habeo viri probi, liberalis, ſodalis Mariani, & injuſtitia, perjurio, adulterio me fœdè commaculavi. Qualis chimæra Eccleſiaſtes in cathedra veritatis, cum corde vano. Religioſus animo ſeculari? *Ego quadam chimæra mei ſeculi.* quæ manè per plures horas ante aram Domini preces fudi, ac ſponſum virginis complexa ſum; veſperi laſciva verba cum ſponſo carnali miſcui. *Ego quadam chimæra ſeculi mei*, qui plures orationes fundo, eleemoſynas diſtribuo, pia opera exerceo, ſed injuriam illatam animo eradere nequeo. Quo poſito, quid mirum, ſi Deus noſter holocauſtum tuum, velut illud Caini averſetur, de quo Bernardus: *b quid miraris ô Cain, ſi non reſpicit ad te, qui ita diviſus es in te? ſi manum devotioni, quid animum das livori? non concilias Deum tibi, diſcors tecum: non placas, ſed peccas.* Atque uti hæc magis monſtra ſunt, quàm ſi toti in feras degeneraſſent, ita eos Deus longè gravius execratur, qui ſic diviſi, ſibi ac diabolo ſerviunt, quàm ſi illi toti adhærerent. In quos ſic per prophetam ſuum detonat: *c uſque quo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini illum.* Pilatus claudicabat in utramque partem, Chriſto & Cæſari amicus eſſe volebat: cum Regius vates dicat Pſalm. 52. *Deus diſſipavit oſſa eorum qui hominibus placent.* & Paulus: *ſi hominibus placerem, ſervus Dei non eſſem.* Ubi ſcripturæ videntur ſibi repugnare. Eccl. 35. de Moyſe dicitur: *dilectus Deo & hominibus.* 1 Reg. 2. de Samuele etiamnum puero legitur: *puer autem Samuel proficiebat, atq; creſcebat & placebat tam Domino, quàm hominibus.* & Luc. 2. *Chriſtus creſcebat gratiâ apud Deum & homines.* Quæ Gregorius Magnus componit *d* dicens: *ſcito quia placere Deo & pravis hominibus nullus* *poteſt*;

a Bern. epiſt. 249.

b Bern. ſerm. 24. in Cant. c 3 Reg. 18.
d S. Greg. ep. 36. ad Maxim.

potest; in tanto se ergo existimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoverit. Fit ut vir gravior in convivio, in cœtu multorum, quemdam oris procacis audiat, viro Religioso, personæ in dignitate Ecclesiasticâ, aut seculari constitutæ non levem calumniæ notam inurere, plurimum splendori ac existimationi detrahere, silet. Rogatus ut quid sermonem non diverterit, silentium indixerit? respondet se quidem iis quibus detrahitur obstrictum, amicum esse, eorumque integritatem sibi perspectam; sed noluisse alterum habere inimicum, ejusque offensam incurrere. Quod & in pluribus aliis negotiis accidere, disertus Ecclesiastes facilè comprobabit. Suffecerit hîc indicare, tales proditoriè agere, illudque proprium esse proditoribus, *duobus Dominis servire*; Qui quàm Deo, & hominibus execrandi sint, in confesso est. Quapropter Samariam graviùs à Deo punitam accepimus, juxta illud: *a cum Dominum colerent, diis quoque suis serviebant.* Vbi Amb. *Deus tolerabilius judicat infidelem integrum, quàm fidelem divisum.* Quia hic Deum quem novit, contemnit, quod est gravius: ille Deum quem non novit, prætermittit, quod est levius. Vnde illa Dei comminatio: *b disperdam eos qui jurant in Domino, & jurant in Melchom.* Hoc est, qui Deum verum Israëlis, & falsum idolum Ammonitarum, pari cultu & religione venerantur. Legisse me memini quod nonnulli festivum, ego omninò infestum dućo, hominem repertum, qui quot hebdomadis D. Antonio cereum accendebat, sed & alterum porco, seu dæmoni, ei appicto. Causam rogatus, respondit se divo Antonio id cultus ac religionis deferre, ut prosit & opituletur, dæmoni verò ne obsit & adversetur. Quasi verò divis ac Deo potestas non sit, hunc canem compescere, & alligare, atque omne auxilium ad se confugientibus liberaliter per se elargiri. Illum nihilominus plures sectantur, qui cereum ardentis affectus sui, seu cor suum in anathema arcæ pecuniariæ; & in templo aræ veri Dei appendere non erubescunt. *c Hi sunt*, inquit Hieronymus, *qui seculo pariter, & Domino putant se posse servire, & duobus Dominis satisfacere, Deo & Mammonæ: qui militantes Christo, obligant se negotiis secularibus, & eandem imaginem offerunt Deo, & Cæsari.* Talis exstitit sanctimonialis illa in monasterio S. Mariæ, cujus miserandam sortem sic deplorat Bernardus: *d volens sub habitu & nomine Religionis, instar unius de seculo conversari, sola Deum à te voluntate repuleras, non autem valens quod stulte volebas, non tu quidem mundum, sed te mundus repulerat. Deum ergo repellens, & à seculo repulsa, inter duas (ut dicitur) sellas corrueras. Nec Deo itaque vivebas quia nolebas, nec seculo quia non poteras.* Hunc qui sectantur, profectò ipsis belluis, Deo Domino suo, se infideliores ostendunt; canem hîc vobis contemplandum propono, qui unum semper Dominum habere com-

a 4 Reg. 17. *b* Sophon. 1.

c Hieron. in c. 1. Sophon.
d S Bern. ep. 115.

probatur, ut si subinde duos socios sequatur, cujus canis sit, & quem Dominum agnoscat, patet, ubi hi ab invicem secedunt ac valedicunt: tunc enim suum herum sequitur.

a Estque unum è Dominis, emeruisse satis.

Ita qui hic duos Dominos sectari student, ubi valedicendum erit in æternum, patebit illos Diabolum, carnem, mundum, Dominos agnovisse & habuisse. Vnde ab eo, qui Solus Dominus, & cui se totos debuerunt, audient horrendum illud: *nescio vos.*

a Ovid. l. 2. am. eleg. 8.

§. III.

Vni Soli Deo ac Domino serviendum.

DE mundi hujus Monarchis, verissimè Lucanus cecinit:

Nulla fides regni sociis, semperq́; potestas.
Impatiens consortis erit.

Augustum nimis imperium Romanum exstitit, ut duos fratres complecteretur; *b Roma ut condita est, duos fratres simul habere non potuit.*

Nec Etheocles, Polynicem germanum fratrem ferre potuit. Quod luculentiùs Plutarchus comprobat, dum Darium inducit, præpotenti Alexandro, dimidiam partem regni sui deferentem; ad quem Alexander: cœlum non patitur duos Soles, nec unum imperium duos Reges. De Augusto & Antonio, Minutius Felix: *c tam magni imperii fortuna, duos non cepit. Non capit* regnum duos. *Rex unus apibus, Dux unus in gregibus, in conventis Rector unus, tu in cœlo summam potestatem dividi credas?* Quod ipsum inter bruta animantia observare licet: nam inter volucres aquila, inter pisces delphinus, inter feras leo principatum tenet; causam subdit Hieronymus: ad pacem, inquit, unus Imperator in imperio, unus Judex in provincia, unus præses in concilio, unus dux in castris, unus Navarchus in navi, unus pater familias in domo. Quod si amplissimæ familiæ, provinciæ, urbes, Imperia, duos Dominos quandoque sanguine junctos, & veros germanos, nullo unquam tempore tolerarint? eccui mirum videbitur, si cor nostrum tam exiguum, tam angustum hospitium, duos Dominos, adeò sibi repugnantes excipere non valeat? Gilbertus ad illud Cant. 3. *in lectulo meo quæsivi &c.* Expendit illud in lectulo, non lecto dici: *ego*, inquit, *planè coarctionem quandam in hoc verbo intelligo, ut Soli dilecto sufficiat; Bonum est ergò non dilatare, sed magis contrahere stratum cogitationis, & cordis lectulum.* Vnus pileus nequit duo capita tegere, nec unus calceus duos pedes, parvus lectus non capit duos, nec brevis stragula utrumque operiet, testante Propheta: *d coangustatum est stratum, ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non potest.* Quasi diceret, interprete Hieronymo: si unus lectulus duos " capere non potest, nec unum " pallium duos viros cooperire: " quo pacto cordis nostri angu- " stiæ, Deum ac Diabolum com- "

b Hieron. ep. ad Rust. c Hieron. cit.

d Isa. 29.

plecten-

plectentur? quod jure suo Monarcha mundi, & Dominus dominantium, sibi Soli totum vindicavit. Deuteron. 6. *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est.* In quem unum & indivisum, amorem nostrum omninò conferendum & unicè diligendum præcepit, dum mox subdit: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Ex quo, ut Theodoretus rectè concludit: *a docemur dilectionem non scindere, in dilectionem Dei, & dilectionem auri, sed totam dilectionis vim, creatori Deo consecrare.* Quare horologio solari inscribere placuit: *uni Soli servio.* Quod nulli alteri luci, nec Lunæ, nec stellarum, nec facis quantumvis illustris, sui usum præberet; id ipsum lemma cordi nostro divinus amor insculpi voluit, ut per omnes dies, horas & momenta, candori lucis æternæ, nocte & die suos radios benignè elargienti, nos totos conformemus, atque *illi Soli* serviamus, non attendendo fulgorem auri, honoris aut splendoris perituri. Vnde idem Theodoretus, eximium illud, quod David de se tulit encomium: *confitebor tibi Domine in toto corde meo,* mirificè extollit, ut nulla cordis pars alieno Domino inserviret: *proprium,* inquit, *est perfectorum hominum, totum cor Deo dicare, & omnem mentem ipsi consecrare. Qui enim partitur cogitationes in mammonam & Deum: in Christum & in aurum: in præsentem vitam & in futuram, non potest verè dicere: Confitebor tibi Domine in* toto *corde meo.*

Hoc B. Ægidius cantabat & inculcabat: *b* qui percunctanti, quid Deo gratissimum accidere posset? respondit: *unum uni, unum uni, unum cor uni Deo.* Ita & animus noster ô DILECTE MI.

c Te solum norit, tibi semper inhæreat uni.

Ecquid amabo, in alios amatores aut benefactores, amorem tuum dividis? cum Deus tuus, omne in se bonum complexus, omni titulo à te totus diligendus sit: idem Deus, qui per se hominem creavit, per se hominem redemit. Cur non per Angelum, aut quamvis aliam excellentem creaturam? rectè Athanasius: *d conveniebat redemptionem fieri per eum, qui natura Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnosceremus.* Quo pertinet illud, quod ex D. Anselmo referri solet, seu potiùs ex Hugone Victorino, in libro sententiarum: *ne amorem divideres, idem tibi factus est creator & Redemptor.* Et quotus quisque est, qui omnem suum affectum, in hunc creatorem, redemptorem & largitorem omnium conferat? qui non affectus aliquid in divitias, in honores, in corporis commoda, in parentes, propinquos, conjugem, liberos dividat? qui utinam hanc saluberrimam D. Augustini doctrinam, attenta mente revolvant: *e minus te amat* (Domine Jesu) *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Rationem subdit ille qui cecinit:

Alterius vires, subtrahit alter amor.

Appositam ad hoc similitudinem suggerit Plutarchus, Lib. de “ multitudine amicorum: sicut “

a Theodoret hic q. 3.

b Drex. Rhet. l. 1. c. 12. §. 2.
c Ovid. l. 3. de arte.
d Orat. 3. cont. Arria.
e Aug. in solil. c. 19.

„ fluvii

„ fluvii in multos rivos deducti, „ leniorem habent cursum, & ex- „ arescunt;

In plures quoties rivos deducitur amnis.
Fit minor, atque unda deficiente perit.

Ita vehemens amor in multos dispersus, haud dubiè marcescit. Vnam si mater prolem nacta est, eam integerrimè amat, & totam omninò deperit; si alia, atque alia succedat, amor ille in plures divisus, erga primam imminuitur. Probè id cognorat Ducissa quædã Sabaudiæ, *a* quæ solicita quomodò placeret marito, & ut Paulus ait, *divisa* fuerat: post mortem mariti, omnem curam, solicitudinem, affectum omnem ad unum Deum convertit, & illi soli servire, ejusque amore inflammari studuit, in symbolum sibi assumens phœnicem, ad Solis radios immota tenentem lumina, hoc brevi, sed nervoso lemmate subjecto: *Sola facta, Deum Solum sequor*; jam mentis oculis apertis expenderat, quia Deus noster zelotypus est; quod & conjux in conjuge gravissimè celatur, hoc in Sponsa sua cœlestis Sponsus ardentissimè: *Dilectus tuus* (ait Thomas ille Asceticus) *b talis est natura, ut alienum non velit admittere; sed Solus vult cor tuum habere, & tamquam Rex in proprio throno sedere.* Bucephalus phaleratus, nullum præter Alexandrum sessorem admittebat. Alter equus Joanni Primo Pontifici Maximo, *c* dono datus Corinthi, qui sessione Pontificis ita ferox evasit, ut Dominam, quæ illo anteà mansuetissimo usa fuerat, postea semper excusserit. Ita cor tuum, ut generosus equus & ut jumentum Dei factum, ejus Solius suavè jugum admittat, eum amorem, rectorem sequatur, omnemque alium excutiat. Ruborem hîc nobis incutiat, Cydippe nobilissima, ditissima, & pulcherrima filia, mille petita procis; totam tamen sibi rapuerat Acontius, qui eam præ cæteris deperibat, & longè efficaciora amoris pignora detulerat, quo factum, ut quotiescumque Cydippen alius procus accederet, ejus conspectum aversata in febrim incideret, & animo tota deficeret. Appositè Augustinus: *d Quomodo non potest fieri adultera conjux, nisi sit inimica viro suo, sic anima adultera amore rerum secularium, non potest nisi inimica esse Deo.* Quam notam ne incurrerent tot tenellæ virgines, uni sponso animæ suæ, dilecto suo Iesu Soli adhæserunt. Ex harum numero S. Agnes, agno nupta: *e* ipsi (inquit) sum desponsata, cui Angeli serviunt, cujus pulchritudinem Sol & Luna mirantur: *ipsi Soli* servo fidem, ipsi me totâ devotione committo. *f Zelotypus est Iesus, non vult ab aliis videri faciem*; Cœlestis ille sponsus corrivalem amorem non patitur, quod clarissimè Magnus Basilius nobis proposuit: *Nullius*, inquit, *g neque præsentis, neque absentis hominis speculum sit virginis anima, quàm sancti sponsi sui: & nulla alia forma in ipsa videatur, quàm illa sola,*

a Perard. Dom. 16 post Pent.
b Thom. à Kemp. l. 2. de imit Christ. c. 7. *c* S. Greg. l. 3. dial. c. 2.

d Aug. in Psal. 91.
e In Brev. Rom. 21. Ian.
f Hieron. ad Eustoch. de custod. Virg.
g S. Basil. lib. de Virgin.

si autem

si autem mortalis in hoc speculum intueatur, necesse est mentem circa spectaculum hujus formæ occupatam, priorem sponsi formam occultatam & subgressam, deinceps nusquam videre, ut in speculo fieri consuevit.

Viderat B. Michelina, a limpidissima illa anima, simulachrum unici filii, quem deperibat, noctu atque interdiu sese oblectare: verita ne formam filii Dei, amantissimi sponsi sui excluderet, ne præter Christum diligere cogeretur, illique Soli affectus suos integerrimos consecraret, mortem filii à sponso suo exoravit. Hoc stultæ matres audiant, & æmulari audeant, quæ in tam numerosam prolem, amorem suum dividunt, atque ex eo vel minimam portionem, auctori Deo impertiunt; quàm hæ procul remotæ, ab apice illo perfectionis, quem Bernardus in speculo monastico proponit: *sic se existimet, quasi ipse sit Solus, & Deus.* Ad hunc apicem connitens Arsenius, cum spretâ aulâ desertum cogitaret: rogatus ut quid tam splendido muneri, puerorum nempe Principum, Arcadii & Honorii magisterio ac ipsius Theodosii Imp. gratiæ se subduceret? Respondit: *Non possum me dividere Deo & hominibus.* Non possum Regis gratiam & Dei simul aucupari, Magistrum me Principum, & discipulum Christi præbere: simul aulæ & delitiis cœlestibus interesse, fluxis ac terrenis, & simul æternis ac cœlestibus vacare. Quodipsum Nyssenus pluribus exemplis demonstrat: quemádmodum non possumus duas simul artes manibus exercere, veluti agriculturæ & nauticæ: aut ferrarium simul & lignarium fabrum agere, neque unâ linguâ diversos vocum sonos formare, simul Hebræa & Græca pronuntiare: nec aurium sensus, plures orationes simul excipere: *Denique non licet nobis duobus Dominis servire, quia fieri non potest, utriusque imperiis pariatur:* ita cum duplex nobis servitium disparatis Dominis exhibendum sit, opera quæ uni impenditur, alteri subtrahitur; imò necesse est, si uni serviat, alterum oderit & contemnat; nec cor nostrum duas curas simul facilè susceperit, dum quælibet earum totum hominem requirat:

> *b Pectora nostra duas non admittentia curas.*

Quod in negotiis secularibus locum habere, tritum illud testatur: hæc lis, hoc studium, hoc negotium, *totum hominem requirunt.* Vnde Tullius Philippicâ XI. *duas res magnas præsertim, non modò agere uno tempore, sed ne cogitando quidem explicare quisquam potest.* Et quisquam mirabitur negotium animæ, litem illam unde æternitas felix, vel infelix dependet, totum hominem sibi vendicare? Bonaventura, vir capacitatis maximæ, hæc tamen adeò disparata capere nequivit: *c Non possum* (inquit) *Domine intendere mihi & tibi.* Testes vos invoco, qui ad laudes Deo concinnendas, vel preces fundendas acceditis: si concioni, lectioni scholasticæ parandæ, liti decidendæ, mercaturæ aut alteri negotio: si vos mulierculæ, vanitati, rei domesticæ intendatis,

a Nierenb. de amore erga Iesum. c. 8.

b Iuven. Sat. 7.

c S. Bonav. Stim. part. 2. c. 2.

tendatis, quâ Deum attentione oretis!, & cœlestium consolationum dulcedine perfruamini? Bernardus serm. 3. de ascensione, loquens de terrenis affectionibus ex libro quarto Regum, capite quarto; elegantem typum expressit: *Impleri* (inquit) *visitationibus Domini, anima non potest, quæ his distractionibus subjacet, & tantò magis illis evacuabitur, quantò magis illis implebitur: si multùm, multùm; si parum parum. Vel certè si magis probas, numquam ista illis misceri poterunt in æternum. Quia ubi vasa vacua non invenit, oleum stare necesse est. Nec mittunt vinum novum, nisi in utres novos, ut ambo conserventur. Neque enim spiritus & caro, ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur.* Vnde idem alibi: *a Errat omninò, si quis cœlestem illam dulcedinem, huic cineri, divinum illud balsamum huic veneno: charismata illa spiritus, misceri posse hujusmodi illecebris arbitratur?* Aliam similitudinem ad mores, & captum accommodatam, Hipponensis Præsul adducit: dum amorem hominis, quasi manum animæ considerandum proponit: si aliquid tenet, tenere aliud non potest. Si puer manum habeat pomo repletam, pecuniam, aut saccharum, nisi eo rejecto, non excipiet: *Ita nec nos cœlestes dulcedines, nisi terrenis rejectis capere valemus.* Et Doctor mellifluus: *c Quomodo ignis & aqua simul esse non possunt; sic spirituales & carnales delitiæ, in eodem se non compatiuntur.* Meritò itaque dicere possumus cum Bernardo: *Cum ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud totum est, sicut stella ad Solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? non habeo nisi minuta duo, imò minutissima, corpus & animam, vel potiùs unum minutum, voluntatem meam, & non dabo illam ad voluntatem illius, qui tantus, tantillum tantis beneficiis prævenit, qui toto se, totum me comparavit?* Et adhuc ô anima! in plura diffluës & divides te? abripior melleo flumine: *c Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro me refecto, & refecto hoc modo? nec enim tam facilè refectus, quàm factus: nam qui me semel, tantùm dicendo fecit; in reficiendo profectò, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura: nec tantùm dura, sed & indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se: & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus: me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro se: nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum?*

a Bern. serm. 6. in Ascens.

b Bern. ep. 2.

c Bern. tr. de diligendo Deo.

EMBLE-

Noli flere. Luc. 7.



TE DIGNA MANET DIVINI GLORIA RURIS.[a]

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Liberos à parentibus, velut traduces à vite avulsos, Christo meliori colono in Religione traditos, minimè ut mortuos flendos esse.

§. I. *Religiosi mundo mortui, & quasi vivi sepulti.*

§. II. *Homines mundo mortuos non flendos: quorum* [b] vita abscondita est in Christo cum Deo.

§. III. *Quale peccatum à Religione avertere, aut impedire: & quam graviter à Deo punitum?*

a Georg. lib. 1. b Colos. 3.

DOMI-

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

a *Noli flere.* Luc. 7.



Ephte vir bellicosus, ut referunt sacræ Judicum historiæ, *b votum vovit Domino, dicens: si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* & ecce victoriâ potitus, filiam sibi unigenitam obviam habuit: cui ille dixit: *aperui os meum Domino, & aliud facere non potero.* & tandem subditur: *fecit ei sicut voverat.* Quid hîc existimatis? patrem se carnificem præbuisse, & quemadmodum Abrahamus filium; ita hunc manu sua filiam jugulasse?

a In ingressu Religionis aut Professione. *b* Iudic. 11.

§ I.

Religiosi mundo mortui, & quasi vivi sepulti.

GRavis Patrum authoritas, Jephte filiam capite truncasse comprobat; at in rem nostram Arias Montanus, Esthius, Joannes Mariana, Pagninus, & solerter Liranus, docent filiam Jephtæ, in loco abdito & recluso, ab omni hominum consuetudine in assiduis precibus & orationibus, per omnem vitam virginitatem servasse, ut ea verba innuere videntur: *fecit ei sicut voverat, quæ ignorabat virum*; ac si diceret, ut Bonfrerius exponit: *c* votum suum explevit, ut separata & cœlebs permaneret. atque ita civiliter mortuam fuisse probat, seque præbuisse *d hostiam viventem*; quemadmodum de Religioso dicitur in jure canonico: *e mundo mortuus, Deo vivit.*

Hujus suæ sententiæ veritatem confirmat ex illo Levit. c.27. ubi omnes res dicuntur mortuæ, quæ Deo consecratæ: *f omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, neque redimi poterit. & omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* quæ de morte naturali intelligi nequeunt, quæ in agros non cadit, neque in hominem, qui non est animal immolatitium, atque adeò mortem hîc æquivocè, seu duplici sensu accipi, ut animalia Deo per veram mortem immolarentur, agri, servi & alia similia, mori dicerentur, quia transirent in jus perpetuum Sacerdotum; homines verò, quos occidere nefas est, Deo consecrati, quales erant olim Levitæ, mori dicerentur, morte quadam civili, quâ usque ad mortem divino cultui addicebantur; sicut de viris Religiosis ac Monialibus S. Basilius, Chrysostomus, Bernardus aliique sentiunt. Hinc S. Ephrem

c Bonfrer. hic in lib. Iud.
d Ad Rom. 12. *e* 16. q.1.c.placuit.
f Liran. in cap. 27. Levit.

suos

ſuos commonet: *a quid nobis & negotiationibus hujus vitæ, qui mortui ſumus mundo?* quod egregio facto declaravit Apollo, unus ex antiquis Patribus, qui D. Bernardo referente, *b* cùm ad eum carnalis frater, auxilii gratiâ adiiſſet: quæſivit ab eo, cur non potiùs ad alterum tertium fratrem recurriſſet? cumque ille, qui venerat, non ſine admiratione reſpondiſſet, eum jam pridem mortuum, ſepultumque eſſe: tum Apollo, ſe quoque ante viginti annos, cùm vitam illam ſuſcepiſſet, mortuum eſſe ſubjecit. de hac morte Theophylactus agens, docet Monachum *c ante tempus ſecedere à corpore, & adhuc viventem emori*, cadaveris in morem, cui S. Franciſcus, & poſt eum S. Ignatius, ordinis noſtri dux, ſuos aſſimilari exoptabat.

Monaſterium eſt Bavariæ, *d* quod à S. Altone nomen trahit, & in duas claſſes virorum & fœminarum diviſum; ut duplex ac diſtinctum, diu noctuque cantandis Dei laudibus Cœnobium conſtituat. hîc moris eſt, cùm virgo ſacrum velamen in templo accipit, & Chriſto in ſponſam initiatur, ut finitis publicè ſacris omnibus, nova Chriſti nupta, in Monaſterium deducatur per ſacrarium: præeunt illam quatuor è Monialibus, & laudabili cæremonia feretrum præferunt; ingreſſis omnibus ſacris virginibus, fores clauduntur, & obſerantur, perinde prorſus ac ſi novę Chriſti ſponſæ diceretur: vide mea virgo, ut quod jam incipis, ritè conſtanterque perficias; cogita te nunc viam hanc ingredi, non regreſſuram, niſi mortuam efferendam. en per hanc januam tranſis in domum obedientiæ, nec redibis per hanc, niſi in hoc quod vides feretro, cum ultimum iter facies, ad ſepulchrum ſuper humeros tuarum ſororum; è cellâ ad cœlum tibi via ſemper aperta eſt, non ad mundum, non ad patriam, non in paternam domum: vivam enim te jam ſepelimus, & mundo mortua tu ipſa tuas ducis exequias. Hoc ſpectatoribus, potiſſimùm propinquis, ac parentibus lugubre habetur, & mœſtum ſpectaculum: heu, inquiunt, æternâ caveâ ſic includi, uno ſemper loco deliteſcere, ita filiam unicam à parentibus, à mundi uberibus avelli, ante mortem vivam ſepeliri! hoc mortis genus acerbiſſimum, & ſortem ducunt mortalium omnium longè miſerrimam. Reperti ſunt qui ſe ipſos tumularunt, hoc maximè flendi, quod inſana quadam libidine moriendi, aut in extremam deſperationem, aut phreneſim acti, è ſepulchro ſibi mortem, quaſi theſaurum effoderint. Labienus, *e* quia omnes dicaci ore lacerabat, Rabienus dictus, eò exoſus fuit, ut omnes ejus libri fuerint combuſti. non tulit hoc Labienus, nec voluit ſuo ingenio ſuperſtes eſſe; ſed in monumentum ſuorum majorum ſe juſſit deferri & includi: nec tantum finivit ipſe ſe, ſed ſepelivit. itaque Labienus à ſe ipſo vivus tumulatus eſt. Sed plus admirationis habet *vivus ſepultus, mortuus inſepultus.*

a S. Ephrem. t. 2. §. 44. *b* S. Bern. ſerm. de miracul. in nupt.
c Theoph. Simoc. lib. 1. hiſt. cap. 14.
d Drex. de æstern. conſid. 4. §. 1.

e Cæl. Rodigin. lib. 11. antiq. c. 13.

pultus. Storax Neapolitanus, *a* paucis abhinc annis homo locuples, delicatus, fastuosus, annonæ præfectus: cùm mala fide munere suo fungeretur, plebs famis impatiens, in hominem irruit. ille latebras quærens, in D. Augustini æde, sepulchro sese abdidit: inventus tandem inde eductus, lapidibus petitus & frustillatim discerptus est, adeò ut sanguinem ejus non pauci lamberent, & ossa deessent sepulchro. Epitaphium illi hoc scriptum est:

Storax, qui vivus subiit sepulchrum
Mirum, defunctus caruit sepulchro.

Zenonem Imp. *b* subtilem Scotum virum divinum, aliosque vivos tumulatos (de quibus suprà) quis non fleat? quis non commiseratione dignos duxerit? quis talia fando *temperet à lachrymis?*

Atqui acerbiùs longè fatum, liberos suos incurrere parentes autumant, dum longa & quotidiana sibi moriendi necessitate imposita, seipsos vivos intra quatuor parietes sepeliunt, ac vivum funus trahentes, parentes sibi parentare cogunt. verùm enim verò in hac civili morte, & religiosa sepultura nihil horridum, nihil amarum, nihil funebre ac funestum reperiri, atque adeò consimiles, nulla commiseratione ac comploratione: sed congratulatione, & pia quadam æmulatione dignissimos, luculenter comprobabo.

a Drex. de æter. cap. 3. §. 8.
b V. part. 1. Dom. 15. post. Pent. §. 2.

§. II.

Homines mundo mortuos, non flendos, quorum VITA ABSCONDITA EST IN CHRISTO CUM DEO. *c*

IN Castellum Magdalenæ, viri nobiles ac potentes ex affinitate convenerant, ut mortem Lazari complorarent, ac sorores solarentur: *d multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur de fratre suo.* dum interim Martha audiens Christum appropinquare, occurrit ei, ac spe de resuscitatione Lazari plena, in cubile ad Magdalenam accedit, eique in aurem silentio dicit: *Magister adest & vocat te*, quæ ilicò surrexit, & nullâ ad præsentes excusatione aut aulicismo adhibito, è medio cætu se proripuit ad Christum; affines ubi Magdalenam abesse advertunt, percunctantur solicitè quò domina abiisset? cùm quidam ex Judæis existimarunt, eam quo liberiùs dolori fræna laxaret, ad sepulchrum Lazari se recepisse, dicentes: quia *vadit ad monumentum, ut ploret ibi.* Cæcum ac perversum prorsus Judæorum judicium! Magdalenam ad monumentum contendisse putant, quæ ad paradisum omnis voluptatis se receperat; in loco horroris apud quatriduanum mortuum illam lachrymis jugiter indulgere dictitant, quæ apud vitam, apud JESUM suum, suavissima dulcedine perfundebatur. Hoc plerumq; hominum secularium judicium est, ubi

c Coloss. 3. *d* Ioan. 11.

puel-

puella, ætate, formâ ac opibus pollens, se sponso suo Christo in Monasterio consecrat: vivam hîc se illam tumulari, vigorem omnem ac venustatem assidua mortificatione, brevi in exangue ac deforme cadaver commutare, suas sibi exequias ducere arbitrantur: cùm interim felix illa anima, in terris vitam vivat angelicam, *a & angustiis cellæ* quasi consepulta, *latitudine paradisi perfruatur*: ut cum Apostolo liberè exclamare queat: *b vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus.* possum hîc usurpare illud Zenonis Veronensis: *c Sol semper intrepidus ad sepulchrum noctis contendit, sciens in ipso habere, quod vivat.* ut quemadmodum Sol, dum nobis occumbere & emori videtur, tunc alio orbe splendidiùs renascitur, ita & hæ animæ omnem speciem ac pulchritudinem seculò subtrahentes, eam Deo ac vitæ alteri renascentem, cum fœnore recipiunt; Basilio Magno attestante: *d cella*, inquit, *Dominicæ sepulturæ propemodum æmula: quæ peccato mortuos suscipit, & per afflatum Sancti Spiritus, Deo reviviscere facit.* felices itaque ac beatos vos dixero Adolescentes & Adolescentulas, quibus frustrà inter mortuos, & cum mortuis, parentes lachrymis ac gemitibus parentant. Hos acerrimè perstringit Hieronymus: *e detestandæ sunt istæ lachrymæ, plenæ sacrilegio, incredulitate plenissimæ, quæ non habent modum; ululas & clamas, & quasi quibusdam facibus accensa, quantum in te est, tui semper homicida es. sed ad talem clemens ingreditur Iesus & dicit: quid ploras? non est mortua puella, sed dormit. irrideant circumstantes. ista infidelitas Iudæorum est. te quoque, si ad sepulchrum filiæ volueris volutari, Angelus increpabit; quid quæris viventem cum mortuis?* narrat Ruffinus Aquilejensis, *f* apud Thebaidem Monasterium tam amplum, quàm nominatum existere, laxissimis mœnibus septum, hortis, puteis & omnibus ad vitæ usum necessariis liberaliter instructum, ne ulla cuiquam ansa detur, vel causa cogitandi excursus. hæc enim cœnobii lex est immobilis, ut quà quis semel pedem intulit, hàc nunquam efferat ampliùs. Ad cœlum & ad sepulchrum dumtaxat, non aliò egressus patebat. Et mirum videatur, inquit Ruffinus, quod *hac lege ingressos, non legis necessitas, sed ipsius vitæ beatitudo retineat?* eâ verò vivunt temperantiâ, & singulari prærogativâ, quasi in paradiso constituti, ut nullus inter eos morbus sit, nisi ultimus, hoc est ipsa mors, quæ dilectum amoto velo, & stantē post parietem corporis, facie ad faciem exhibet. *Talium*, inquit S. August. *g mortuorum vox est: vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* quid est hoc? vivo ego, jam non ego. vivo ego jam non vitam mortalem, corruptibilem, terrenam, brutalem; sed vivo ego vitam immortalem, incorruptibilem, cœlestem, divinam, vitam denique Christi, qui in me vivit. hâc vitâ, & velut spiritu Christi, vivunt omnes Re-

a Hieron. *b* Gal. 3. *c* Zeno Veron. serm. de Resurr. *d* S. Basi. hom. de laud. Erem. *e* S. Hier. epist. 25. ad Paulam. in morte Blesillæ.

f Ruffin. lib. 2. cap. 17.
g S. Aug. lib. de contin. cap. 13.

ligiosi, mortui mundo & terrenis affectibus. Gregorium hîc Nyssenum audiamus: hom. 15. in Cant. *mihi vita Christus est: hisce verbis*, ait, *tantum non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam vivere, non fastum, non timiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non injuriarum memoriam, non invidiam, non vindictæ, avaritiæ, honoris aut gloriæ cupidinem; sed his omnibus abrasis, solus, inquit, ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & veritas, qui pascitur inter lilia, in splendoribus Sanctorum.*

Sed hæc vita cœlestis, hæc vita gratiæ, hujus seculi amatoribus incognita & occulta est. *a mortui enim estis* (ô viri religiosi) *& vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo.* quasi dicat (ut Cor-„ nelius exponit) *b* mundus non „ videt vestram divinam vitam „ gratiæ, quam habetis, & glo-„ riæ, quam exspectatis. *delitescit*, „ inquit ex Chrysostomo Theo-„ phylactus, *margarita tantisper*, „ *dum in conchyli fuerit; simul ac* „ *verò illud perfractum fuerit, tum* „ *in gloria relucet: sic & nos* (& „ vos Religiosi) *in hoc corpore* (in „ hoc Claustro) *quasi latentes vi-„ vere debemus, ab omni gloriæ cu-„ piditate alieni; cùm autem hoc* „ *corruptibile corpus dissolutum fue-„ rit, tum gloria nostra resplende-„ bit.* Margaritas vos Moniales intra Religionis conchas conclusas, non injuriâ vocitâro, quas cœlestis sibi sponsus delegit, ab humano aspectu abscondit, & rore pascit gratiæ ac cœlestium consolationum: Etenim ejusmodi *c habere de exterioribus consolationem nolunt, qui internis gaudiis dum mente appropiant, vitam in se funditus corporeæ delectationis necant; talibus namque per Paulum dicitur: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* præclarè Lauredanus: *d* mortuum se olim simulans Rex, in loculo repositus, per hostes salvus transiit; sic per hostes animæ transit, qui se mundo mortuum facit, per religiosam vitam. Etenim Boëmundus, Roberti Siciliæ Regis filius, cùm redux ab expeditione Hierosolymitanâ, timeret transire per ditionem Alexii Imp. hostis sui infensissimi, se velut mortuum in loculo gestari jussit: atque eo astu salvus & incolumis elapsus est. ita inquit, cùm nos in patriam pergimus, hostiles dæmonum, carnis & mundi acies penetrandæ sunt, ne apertum discrimen incurramus; in angusta cellula, quasi in loculo nos vivos sepelientes, tutò penetrabimus. erat Boëmundus Princeps dives ac potens, honoribus ac deliciis assuetus, iis tamen ad tempus se privavit, illudque usurpare poterat: *e collocaverunt me in obscuris, sicut mortuos seculi*: id passus est in via, ut felix regnaret in patriâ. haud aliter multi viri Principes & nobiles filiæ, arcto claustro se vivos tumularunt, ut regnarent in patria. Quod ubi viva similitudine confirmavit Hipponensis Præsul, hos inter mortuos censeri, & vitam hanc ducere divinam, totis medullis cordium

a Coloss. 3. v. 3. *b* Cornel. hic n. 10. 11.

c S Greg. l. 8. mor. c. 19. *d* Lauredan tit. Relig. §. 2. *e* Psal. 142.

exoptat:

exoptat: *a Hyemis tempore*, inquit, *etiam viridis arbor, arida similis est: venit æstas, & viva radix folia producit & impletur fructibus. Sic hyems nostra, Christi occultatio est, æstas nostra, Christi revelatio: mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo; b certè mortui, sed mortui specie, vivi radice. Attende autem venturum tempus æstatis, quomodo sequatur & dicat: cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Hæc attenta mente pervolvens Religiosissimus Antistes exclamat: *Eia ergo dulcissime Deus, hoc mihi tecum pactum erit; planè moriar mihi ipsi, ut tu solus in me vivas: totus intra me silebo, ut tu loquaris in me: totus quiescam, ut tu solus opereris in me.*

Quod novum, insolens, ac paucis usitatum, internè vivendi ge-
„ nus, mundus ignorat, aversa-
„ tur, & mortem æstimat: atque hoc errore ac cæcitate seculares decepti, filios & filias suas, Religionem amplectentes, ut mortuas lugent; quibus, si modò rationem admittant, paucis plurimum solatii, & non tam flendi, quàm gaudendi uberrimam segetem suppeditabo: duo, inquit Lessius, solent à parentibus adferri. *c* Primò, durum esse filium aut filiam amittere, in perpetuum à se abdicare, & avelli, quemadmodũ si à vite tradux avulsus, uberibus lachrymis dolorem suum testatur; cùm traduci sæpius melius sit in benigniori solo, & amœniori viridario, sub peritiori colono foveri. sic Chrysostomus hom. 2. de S. Anna, comparans Samuelem teneræ plantæ, quæ vix nata in aliud solum fœcundius ab industrio agricola transplantatur, juxta illud psaltis: *d plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt.* ubi Theodoret. *agricolam*, inquit, *habent Deum, viridarium verò divinum templum.*

Secundò timere se, ne non perseveret, cum dedecore egredi cogatur, ob naturæ teneritudinem. verùm facilis est refutatio: ad primum, cogitent, quòd Deus ipse, omnium conditor ac Dominus dedit filium suum unigenitum, in nostrum obsequium, ut nostrâ causâ subiret labores, dolores & mortem. & magnum nobis, vel durum videbitur, si gratitudinis causâ, filium nostrum ejus obsequio consecremus? quæ enim comparatio filii nostri ad filium Dei? hoc Hieronymus Paulam monuit: *e non vereris, ne tibi Salvator dicat: irasceris Paula, quia tua filia* (Blesilla) *mea facta est filia*, tuus filius, factus est meus filius, *indignaris de meo judicio, & rebellibus lachrymis facis injuriam possidenti.*

2. Si Rex filium nostrum in suum palatium, ad primariam aliquam dignitatem vocaret, vel filiam suo filio sponsam posceret, non obsisteremus, nullæ in ejus decessu lachrymæ, sed signa lætitiæ ac gratulationis exhiberentur: etiamsi eos numquam amplius visuri essent. Cur non magis beneficii loco ponimus, quod ab eo, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, ad cœlestes

a Aug. serm. 112. de temp.
b Coloss. 3. *c* Lessius de statu vitæ deligendo q. 8. n. 10. 3.
d Psal. 91. *e* Hieron. ad Paulam de obitu Blesillæ.

æternasque dignitates & nuptias vocentur? hic aurei Oratoris sensus est: *a si qui ex paterna domo, à Principe aliquo abducti, & alicui muneri præfecti fuerint, illustriores fiunt, quàm si domi consenuissent, ipsisque parentibus & honori sunt & gaudio; quantò magis hoc eveniet iis, quos Deus ad suum servitium evocat? debere ergo parentes permittere, ut filii sui in cœlesti monasterio famulentur, non in templum eos introducentes ut Anna Samuelem, sed in ipsum cœlum, cum Angelis divino ministerio dedicando.* & alibi: *si filia*, inquit, *cum nobili sponso ad partes longinquas profecta in omni prosperitate & gloria vitam ducere intelligatur, parentes non dolent; & si à cœlesti sponso filia abducatur, ubi in deliciis nutriatur, capillos vellunt.*

Quod præclara nec minùs rara historia illustrabit: *b* desponsata Philippo II. Hispaniarum Regi Isabella, filia Henrici II. & soror dein trium Regum, Francisci II. Caroli IX. & Henrici III. magna nobilium stipante caterva, deducitur hæc Regina ad oras utrique regno conterminas, regio apparatu à Cardinale Toletano, & Antistite Burgensi excipitur. jamque suis valedicens & Principibus Franciæ de more patriæ extremum osculum libans, tanto sensu à suis, & patria sua hæc Regina virgo divellitur, ut subitò eam animus liquerit, & tota exanimis in terram corruerit. ubi hoc memoratu dignum accidit, dum paululum recreata Cardinali Toletano inniteretur, his regii Psaltis verbis, eam animavit: *c Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* cui accinuit Præsul: *& concupiscet Rex decorem tuum.* quo dicto animum resumpsit, & in Hispaniam perrexit. Quanto potiori jure hæc cœlesti sponsæ, immortali Regi tradendæ accinerentur?

Mitto hîc absentiam liberorum, ex aliis causis æquo animo ferri, dum exteras terras, extremas Indias lucri causâ, præsentissimo tum corporis, tum animæ periculo petunt.

3. Accedit dum filium aut filiam Deo offerimus, nihil nos ei donare; sed quod omni jure ipsius erat, ei reddimus. nihil nostrum propriè est in illis, præter peccatum. Intellexit hoc præclarè Macchabæorum mater, sic suos ad mortem fortiter subeundam animans: *d non ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam & singulorum membra non ego compegi, sed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem.* itaque cùm Deus eos repetit, jure repetit, suumque exigit: & qui eos retinet alienum retinet; quod genus est furti, vel potiùs sacrilegii. de quo rectè S. Greg. *e cùm festinantes ab omnipotentis Dei servitio incautè retinemus, illi invenimur negare quædam, qui dedit omnia.* quare & præceptum illud Hieronymi ad Furiam, etiam ad vos, ô filii & filiæ, spectat: *contristabitur pater, sed lætabitur Christus; lugebit familia, sed angeli*

a Chrys. l. 3. contra vitup. vitæ monast.
b Andreas Favyn. in hist. Navarræ sub an. 1559. Pise tom. 1. in epiph. pag. 85.

c Psal. 44. *d* 2. Macch. 7.
e S. Greg. 4. reg. ep. 44.

gratu-

gratulabuntur. faciat pater quod vult de substantia sua; non es ejus cujus nata, sed cui renata, & qui te grandi pretio redemit sanguine suo. quantum hoc in omnium animis valere debeat, declaravit aliquando illustris Adolescens Albertus nomine, aComitis Falkenbergensis unicus filius, qui Lutetiæ insciis parentibus ordinem Dominicanorum ingressus est. pater eo intellecto, cum magno suorum comitatu, mox Lutetiam advolat, & omnem machinam admovet, ut filium ab eo consilio abducat. sed frustrà, quòd jam amor Dei, juvenile pectus adversus carnalem amorem obfirmasset. parente superato, illustrior eidem Alberto congressus fuit cum Theodorico consobrino; hic dolore ardens, omnia attulit ad consilium ejus labefactandum argumenta: lachrymas, preces, matris denique commiserationem, quam præ animi ægritudine, vel jam mortuam esse, vel moribundam decumbere affirmabat. Consederant fortè è regione iconis cujusdam, in qua Christus inter matrem & Joannem discipulum, in cruce pendebat; tum Albertus oculos ac digitum in eam tabulam intendens: en, inquit, Dei filius, cùm matrem & consobrinum, utrumque sibi tam charum, doloris gladio confossum videret, è cruce tamen descendere noluit. quare nec ego hanc religiosæ vitæ crucem deseram, quamvis & matrem, & te consobrinum ad pedes meos exanimes jacere viderem. quin tu potiùs in hanc crucem mecum conscendis. quid plura? tantum valuit hic adolescentis sermo, ut illum permoverit ad idem institutum amplectendum, obstupéscente tota civitate. Omitto alia, ex quibus perspicuum est, quo loco in hoc negotio propinqui sint habendi, & nullo modo Deo præponendi.

4. Si filius morbo, vel alio casu eriperetur, ferendum esset, nec posses adversus Deum murmurare: quantò magis nunc æquo animo ferre debes, cùm non perit, sed salvus manet, ut vivat in domo Dei, in obsequio summi Principis. quod S. Jordanus parentes opportunè admonuit, dum Novitium habitu religioso indueret, & multi flerent: *ne flete, sed gaudete quòd ipse futurus est quasi domesticus & aulicus Regis, ad mensam sessurus; cùm seculares, etsi Deo serviant, sint in familia magni illius Regis, tamquam coci & stabularii.*

5. Cogitent nihil melius in hac vita posse filio obtingere; atque adeò recolant exempla eorum, qui libros forti animo Deo obtulerunt: talis Abraham Isaacum unigenitum. Anna Samuelem, mater Macchabaorum 7. filios; & in novo testamento totidem S. Felicitas Deo consecravit, quæ, ut scribit S. Gregorius: b *ita timuit filios post se in carne relinquere, sicut carnales parentes metuere solent, ne morituros præmittant.* talis fuit nobilissima illa Paula, quæ & filiam Eustochium ad Religionem adduxit, c & Paulam neptem adhuc infantulam Deo addixit: & quotquot

a Platus de bono status. Relig. l. 3. c. 43. Less. de statu vitæ delig. q. 4. n. 51.

b S. Greg. hom. 3. in Euang. c S. Hieron. ep. 27. & in epitaph. Paulæ.

poterat è suis, ad deserendum seculum incitabat. talis exstitit S. Bernardi mater, etiam (quod ad nos commovendum potentius,) a jam mortua & cœlo recepta, cujus judicium à veritate discrepare non poterat: sic enim ferunt, cùm is de seculo deserendo cogitaret, idque simul ageret, ut ex fratribus & propinquis quàm plurimos secum abduceret, Andream natu minorem, novæque militiæ spiritu ferocem, difficiliorem se aliquandiu præbuisse donec cœlesti viso impulsus exclamavit: video matrem meam. viderat enim eam, nec solus ipse, sed Bernardus quoque læta facie arridentem, & salutari filiorum deliberationi hilariter gratulantem. hæc quidem vel viva id ipsum fecisset, quæ liberos in lucem editos, Domino offerre consuerat.

Discant parentes hujus exemplo, quis sibi sensus in hac re futurus post mortem, cum hujus vitæ brevitatem, illius autem æternitatem manifestè intuebuntur. Quæ enim tunc erit eorum comploratio, si filium, aut filiam tanto bono privatos, suo consilio & lenocinio in æternam mortem præcipitârint? quod igitur tunc facerent, ad illud nunc suos adhortentur.

Denique perpendant hanc S. Basilii sententiam, qui in præfatione ad monasticas exercitationes, cùm explicuisset, quanta Religiosos maneant præmia, sub finem ita parentes adhortatur: *cùm itaque tam eximia iis posita sint præmia, qui Christi militiam fuerint secuti, agite libenti animo, & patres filios suos, & matres filias ad eam venire patiantur, prolemque ipsi suam ultrò ad eam alacriter adducant. lætos eos faciat æternorum spes bonorum, quorum una cum liberis futuri sint participes.*

a Platus de bono status Relig. l. 3. c. 35.

Ad secundum respondeo cum Lessio, timorem illum vanum esse: cur enim non perseveret tot adminiculis adjutus, tot exemplis animatus, tot orationibus defensus, tanta gratiæ copia roboratus? cur non magis timent eum jungere matrimonio, cum plurimis nuptiæ infelices obtingant, & plures maritos adulteros (ut Chrysostomus ait) quàm Religiosos apostatas reperire sit. nec refert quosdam quandoque deficere: longè enim plures sunt, qui perseverant. itaque multò magis speranda perseverantia, quàm defectio timenda. plurimi denique in quovis genere status, infelices exitus sortiuntur; non tamen idcirco parentes ad illum reformidant filios promovere. Quis enim filium suum non velit esse Canonicum, Decanum, Præpositum, Episcopum, Comitem, Ducem, Regem? & tamen quo quis altiori loco, tanto gravior ei impendet ruina? Quod autem vereantur, ne austeritates ferre possit, ob teneritudinem sub onere opprimendum. Cur ipse non possit, quod innumerabiles alii, non minùs teneri, & delicati alacriter præstiterunt? nulla ex parte spatio vitæ acciso, sed magis etiam roborato? quare non tam externas punctiones, quàm unctiones attendant; quo præclarè mellifluus Doctor, Gaufridi parentes mœstos ob ingressum filii in Claravallem, sola-

solatur: *a quotquot sumus in Claravalle ipsum in fratrem, vos in parentes suscipimus; at fortasse metuitis corpori ejus. vitæ asperitatem, quod nimirum tenerum nostis ac delicatum? caterùm de hujusmodi timore dicitur: trepidaverunt timore, ubi non timor. Confidite, consolamini: ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium, quousque de manibus meis excipiat pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Nolite ergo lugere, nolite flere, quia Gaufridus vester festinat ad gaudium, non ad luctum. Ego illi omnia sic attemperabo & dispensabo, ut & spiritus proficiat, & corpus non deficiat, denique serviet Domino in lætitia & exultatione.* Plura qui volet, videat Mendozam in l. 1. Reg. c. 2. annot. 10. sect. 2. ubi Religiosos quasi ab orbe remotos, & in hoc turbulento mari florentibus insulis comparat. juxta illud Davidis, *latentur insulæ multæ.*

a S. Bern. epist. 110.

§. III.

Quale peccatum à Religione avertere aut impedire, & quàm graviter à Deo punitum.

COmmunis Doctorum sentententia est: *b* qui vi, vel fraude, vel metu injecto, aliquem impedit à religionis ingressu, peccat mortaliter contra justitiam, & tenetur fraudem aperire, & vim ac metum tollere; quia infert injuriam in re maximi momenti. Fraudem voco calumniam in Religionem, & omne mendacium, quo alter decipitur & inducitur ad mutandum salutare propositum. si enim is, qui tali modo quempiam impedit à matrimonio, beneficio, officio obtinendo peccat mortaliter, quantò magis is, qui à tanto bono. idem confirmat Tridentinum, *c anathemati subjiciens eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittendi, quoque modo, sine justa causa impediunt.* ubi Suarez, & cum eo Lessius expendit illud: *quoque modo impediunt.* ex quo consequitur, esse peccatum mortale, non solùm cum injicitur metus mortis, aut gravis læsionis, verberum, contumeliæ; sed etiam cum injicitur metus, quem Doctores *reverentialem* vocant. ut cùm parens tanta auctoritate premit prolem, ut non audeat illi contradicere, malitque quidvis sustinere, quàm vultum ejus iratum intueri.

d Dico 2. etiam qui absque vi, fraude, vel metu, aliis modis importunè agit, ne perfectionis propositum exequaris, sed maneas in seculo, graviter peccat: quod enim majus damnum inferre posset? nisi fortè persuadeat hæresim, aut apostasiam. plus enim tibi nocet, dum à proposito avertit quàm si illud propositum retinentem, pertraheret ad peccatum.

Accedit non levem in Deum injuriam esse, consilium Dei impugnare, & quem ad servitium suum vocat, avertere & impedire. si quis, inquit Lessius, hoc modo ageret cum aliquo, quem Prin-

b Less. de statu vitæ delig. q. 8. n. 89.

c Trident. sess. 25. cap. 18. de Regular.
d Less. cit.

ceps secularis vocaret ad suum obsequium, posset ille censeri amicus Principis? unde severissima hæc SS. Patrum in similes censura: Hieronymus epistola ad Heliodorum: *retrahere à Religione nihil est aliud quàm Christum in pectore alterius occidere, Christo se opponere, spargere & dissipare, quæ Christus collegit, donativum militiæ Christi suffurari.* S. August. epistola 38. *hunc affectum in matre occidendum, ne ipsa in æternum pereat.* S. Bernardus epist. 104. *mater tua vult contraria tuæ, ac per hoc & suæ ipsius saluti.* epistol. 111. parentes, qui à Religione avocant, dicit esse *duros, sævos, crudeles, nec esse parentes, sed peremptores.* rationem adfert, quia impediunt, ne servias Deo; ne fugias ignem, qui à tergo instat, ne vites latrones, ne ex tempestate in portum te recipias. sed nihil efficaciùs, peccati hujus gravitatem manifestat, quàm severissima divinæ vindictæ in ejusmodi parentes testimonia.

Hieronymus ep. 7. ad Lætam de institutione filiæ, quam Paula avia Christo destinârat: *cave,* inquit, *ne aures ejus perfores, ne cerussa aut purpurisso consecrata Christo ora depingas; nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irrufes, & aliquid ei de gehennæ ignibus auspiceris.* Hæc Hieronymus de filia, quæ nondum suo arbitrio religionem eligere poterat, sed solùm ab avia divino cultui erat destinata. His præmissis ostendit, quàm Deo illud displiceat: *Prætextata, inquit, nobilissima quondam fœmina, jubente viro Hymettio, qui patruus Eustochii virginis fuit, habitum ejus cultumque mutavit, & neglectum crinem mundano more texuit: vincere cupiens, & virginis propositum, & matris desiderium. Et ecce tibi eâdem nocte, cernit in somnis venisse ad se Angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: tune ausa es viri imperium præferre Christo? tu caput virginis Dei, tuis sacrilegis attrectare manibus? quæ jam nunc arescent, ut sentias excruciata quid feceris, & finito mense quinto ad inferna duceris. sin autem perseveraris in scelere, & marito simul orbaberis, & filiis.* addit Hieronymus: *omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signavit interitus. sic ulciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas & pretiosissima ornamenta defendit.* unde patet tale factum interdum esse causam eversionis totius familiæ, & æternæ damnationis, ut verba illa: *ad inferna duceris,* indicare videntur.

Quod si matrona hæc tantam pœnam meruit, quæ neptem jubente marito vanè exornavit, quantam merebuntur, quæ minis, metu, asperitate, blanditiis, variis technis, adolescentis aut virginis propositum exstinguere contendunt? quos Deus inopino fato (utinam non æterno) sæpissimè è vivis sustulit, de quibus, ut innumeros alios eventus tragicos omittam, illud ex Ambros. juvat audire: [a] *memoria nostra puella, dudum nobilis in seculo, nunc nobilior Deo, cùm urgeretur ad nuptias à parentibus & propinquis, ad sacrosanctum altare confugit. Quò enim melius virgo recurreret, quam ubi sacrificium virginita-*

[a] S. Ambr. l. 1. de virgin. in fine.

ginitatis offertur? ne is quidem finis audaciæ. stabat ad aram Dei, pudoris hostia, victima castitatis, nunc capiti dexteram sacerdotis imponens, precem poscens; nunc justæ impatiens moræ, summum altari subjectans verticem: num melius, inquit, mater tu quàm altare velabis, quod sanctificat ipsa velamina? plus talis decet flammeus, in quo caput omnium Christus quotidie consecratur. quid agitis vos propinqui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis animum? jam dudum provisas habeo. sponsum offertis? meliorem reperi. quaslibet exaggerate divitias, jactate nobilitatem, prædicate potentiam; habeo eum, cui nemo se comparet, divitem mundo, potentem imperio, nobilem cœlo. si talem habetis, non refuto optionem: si non reperitis, non providetis mihi, sed invidetis. Hæc cum illa magno fervore dixisset, *silentibus cæteris, unus abruptiùs: quid si, inquit, pater tuus viveret, innuptam te manere pateretur? tum illa, majori religione, moderatiore pietate: & ideo fortasse defecit, ne quod impedimentum posset adferre. Quod ille responsum de patre, de se oraculum maturo sui probavit exitio. ita cæteri, eadem sibimet metuentes, favere cœperunt, qui impedire quærebant: nec dispendium debitarum attulit virginitas facultatum, sed etiam emolumentum integritatis accepit.* tandem hoc saluberrimum epiphonema subjungit: *habetis puellæ devotionis præmium, parentes cavete offensionis exemplum.*

Sed longè illud luctuosissimum, parentes quandoque qui liberos Deo subduxerunt, eosdem suæ crudelissimæ lanienæ habuisse carnifices. Ubi rem narrare aggredior, omnium quas Hispaniæ vidêre atrocissimam. a nomini parcitur, inquit auctor, quia etiamnum cadaver parentis in furca spectabile, & rota filii sanguine rubescit. In provincia Castellana Adolescens, fortè animum ad Societatem nostram applicuerat, in qua ubi parentes admissum accepêre, lymphati ad urbem accurrunt, natum pertinaci insaniâ reposcunt. Nostri ne filium dolo malo, aut per vim attinere crederentur, dant videndi inter se, loquendique copiam. ibi mater (nam hunc sibi præcipuè sexum affectus mancipârunt) in amplexus cum filio ruere, lacerare pectus, crinesque impexos lamentis convellere: tacitâ demum eloquentiâ virilem adolescentis animum verberare. Interim & pater oratione vehementi filium adorsus, suam illi orbitatem, & canos ostendere: natique adolescentiam & stultitiam arguens, jam vitæ nimios rigores, jam libertatis amissæ illecebras percensere: &, quod inter prima irritamenta est, opes partas, ipsique uni paratas laudare. cæterùm meministis quid consequi plerumque soleat hæc sirenum blandimenta, nisi auribus maturè ceram affigas: expugnatus domestico ariete animus procubuit, & in parentum sententiam concedens, pullo amictu ceu eluxisset, in prasinum converso, simul à Deo religioneque divertit. At non diu fuit impune fugitivo: secum enim carnificem conscientiam circumfe-

a P. Ioan. Cordier la famille Saincte cap. 4. 4. §. 5. pag. 404. Bidermanus acroam. 4. lib. 1.

rebat, quâ adeò exagitatus fuit, ut ad aliud rudimentum Capuccinæ familiæ, clam omnibus confugerit, ubi fugæ prioris maculam nova severitate elueret. parentes brevi cognito, ubi locorum filius lateret, iterum ad suos questus, iterum ad insidias decurrunt, rursus inducunt, & à Religione abducunt. jam de cætero nullam palmam, ac ne pugnam quidem cogitare ausus, animum adversus furias, & juges stimulos obfirmans, tandem nullo consilio domum conjugem ducit indotatam, imparem, totiquè familiæ adeò invisam, ut exinde & nurum, & filium pater severissimè execrari non destiterit; quo factum, ut capitale inter eos odium exortum sit, quemadmodum eventus probavit: patre enim in suburbanum ad vineas suas digresso, cùm recens discordia, tùm veteris injuriæ memoria filium gravius icit, patrem insequitur, quem brevî assecutus, mulâ deturbat; hic fracta ætate senex tragœdiam sibi apparari veritus, valido juveni longè impar, ad preces confugit, sed frustrà, ubi gravissimam sibi à parente injuriam illatam filius exaggerasset, quod mortalibus & immortalibus se æquè invisum, solis inferis gratum reddidisset, uno parricidio omnia statuit vindicare, nec par esse, fidem ab eo pater exigeret, quem ipse docuerit datam Deo fallere. atque adactâ in jugulum sicâ, fauces ei præscidit. Brevi pòst, cadaveris inventio, & mox fama, urbem pervasit: dubites crudeliores haberet ad jugulandum manus, an exercitatiores vultus ad simulandum. Is ultro Magistratus jura, prætorios fasces, & judicum secures implorabat; biduum triduumque exercita quæstio, promittitur judici grandis summa. dum ex opilione intelligitur, duos se eminus conspexisse litigantes, quod varia brachiorum jactatione, corporisque motu conjecerit; inde alterum duorum, transversa per arva cursim fugisse: vestium colorem describit, è quibus filius hic depingitur, comprehenditur: qui urgente nemesi, sponte omnia aperuit, ducitur; ferali spectaculo interfuere, qui nuper ejus familiares, nec multis ante annis, in ludo condiscipuli: vivus in partes sectus, in rotam actus est. & quamquam mutus jam, mortuusque, magnis tamen vivisque clamoribus, auditus est in prætereuntium animis vociferari:

a Discite justitiam moniti, & non temnere divos.

Alia non minùs tragica, eodem acroamate P. Bidermannus noster recenset. Videtis, ut opinor, ad quem sceleris & sævitiæ gradum, præpostera ista parentum charitas perveniat; ut dum maximè se suis consulere arbitrantur, ita noceant, ut etiam parricidas efficiant. jure igitur Bernardus: *b sola causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est: ipse enim dicit, qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*; ac tandem exclamat: *ô durum patrem, ô sævam matrem! ô parentes crudeles & impios, imò non parentes, sed peremptores! qui me malunt perire cum eis, quam*

a Virg. lib. 6. Æneid.
b S. Bern. epist. 111.

regnare sine eis. mira abusio, domus ardet, ignis instat à tergo & fugienti prohibetur egredi, evadenti suadetur regredi, & hac ab iis, qui in incendio positi sunt & obstinatissima dementia, & dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. ardens ardentibus, quod solatium praestare poterit ? testentur hoc, qui secum liberos ad æternum incendium rapuerunt. Quare ô filios, ô filias, qui ejusmodi sibi validos obices strui sentiunt, valida illa, & acris Hieronymi adhortatio animet: *a licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat mater ostendat; licet in limine pater jaceat : per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.*

Falluntur igitur parentes, & insigniter falluntur, qui liberos ejusmodi sibi periisse arbitrantur, quos D. Bernardus epist. 11. coarguit : *si*, inquit, *filium vestrum Deus facit suum, quid vos perditis ? aut ipse quid perdit ? fit de divite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri, & quod his omnibus majus est, sanctus de peccatore. sed vos non perditis eum, quin potius multos per eum acquiritis vobis filios : quotquot sumus in Claravalle, ipsum in fratrem, vos in parentes recipimus.*

a S. Hier. ep. ad Heliod.

Neque solùm metaphoricè plures acquirunt filios, sed propriè, qui unum Deo consecrant; testis est Anna, quæ unum offerens, quinque postea accepit, ut notat D. Hieronymus ad Lætam : *tali*, inquit, *immolato sacrificio reversa domum, 5. liberos sibi genuit, quia primogenitum Deo pepererat.* idque & S. Chrysost. hom. 21. in epist. ad Ephes. observat : *quoniam*, inquit, *primitias Deo obtulit, alvus ejus facta est fœcunda, atque alios etiam fratres illi acquisivit*; imò & eum quem obtulit, non amisit, ut idem testatur : *tunc maximè & verissimè filios habemus nostros, cum Deo nostro illos tradiderimus : longè quippe ille eos melius & excellentius, quàm nos moderabitur & reget.* & deducet in portum voluntatis eorum.

Amice ascende superius Luc. 14.



SCANDERE CURA. a

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Testudo bellica quam propugnatores, victoresque conscendere olim soliti, mundum ejusque titulos calcandos docet.

§. I. SUBLIMABUNT NOS SI FUERINT INFRA NOS. b

§. II. *Quinam calcando honores, sibi gradum ad immortalem gloriam struxerint.*

§. III. *Orbem universum calcando, in cœlum conscenditur.*

§ IV. DE VITIIS SCALAM NOBIS FACIMUS, SI VITIA IPSA CALCAMUS. c

a Ovid.1. Fastor, b Emiss. ser. de Asceus. c Aug. ser. 176. de temp.

DOMI-

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Amice ascende superius. Luc. 14.

DIODORUS Siculus, vetus auctor l. 2. refert: olim incolas Taprobanæ Insulæ, genus quoddam avium grandium educasse, quarum dorso infantulos imponebant, ad eorum indolem explorandam: nam si qui motum illum volitantis per aërem volucris, generosè tolerabant, & turres terrasque super, impavidi ferebantur, hi in spem alebantur præcelsæ dignitatis; sicut è converso, qui nutantes, tremulique suam capitis animique ad excelsa vertiginem prodebant, ut imbelles ac degeneres abjiciebantur. Simillimum, nescio quid, fieri mihi videtur à Deo cum prædilectis suis; nobiles quippe mentes, non inferiora secutas, quæ gestiunt à rerum terrenarum colluvione in sublime efferri, has tamquam genuinas, & ad excelsa natas educare consuevit. ubi illud Taciti omninò tacitè præterire nequeo: *a optimos mortalium altissima petere.* Quod paradoxum fortasse cuipiam apparebit, cum videamus homines vanissimos, perversissimos, per fas & nefas ad apicem honoris contendere, ipsumque honoris culmen in ancipiti maximè loco situm esse, è quo plerique præcipites acti, ruinam corporis & animi passi sunt: ut eo quempiam concitare, hominem perdere & perimere censeri posset. Hodie nihilominus ostendam ad alta & sublimia enitendum esse sine ullo metu, sine crimine, aut discrimine ullo, sed omninò feliciter bonis alis & avibus; quod aliis infeliciter cessit, ut Richardus Vict. part. 1. c. 18. testatur: *felices, inquit, quibus vertitur in scalam, quod aliis solet esse in ruinam.* Quis credat gulæ, intemperantiæ, iracundiæ impetus; carnis stimulos; divitiarum ac honorum appetitus, qui hominem sensim ad ima demergunt, nos in altum extollere, & in scalas ad cœlestem beatitudinem converti posse? rem paucis complexus est Eusebius Emissenus:

§. I.

Sublimabunt nos, si fuerint infra nos. Emiss. serm. de Ascen.

LIpsius inter militiæ veteris moles ac machinas, *b* facilè principem ponit testudinem bellicam, quæ hac arte construebatur: hærebat viro vir, & constipati scuta super capita gestare cogebantur; hanc testudinem quandoque triplicem, aliis aliorum cervicibus ac scutis impositis efformabant: quam machinam dux exercitus aut belli Imperator, postremis flexo poplite adgeniculantibus, conscendebat, eorumque colla ac scuta calcabat; imò in cavo & angusto quandoque loco, adeò constipati hærebant, ut equi & currus super eos agerentur-

a Tacit. l. 4. ann.

b Lipsius in poliorcet.

agerentur, & in subjectos hos Imperator triumpharet.

Ejusmodi vobis omnibus machina exædificanda est, si in altum conscendere velitis: ipsi tartarei milites subjiciendi sunt, robustissimæ passiones calcandæ, & super scuta, quæ insignia gentilitia, ac vanos titulos cum omni honorum suggestu referunt, generoso pede proterenda. hic audacter & præfidenter inculco illud: *a Amice ascende superius.* sint infra te, & extollent te. Quotiescumque te hujus seculi vana delectat ambitio, *amice ascende superius: sublimabunt nos, si fuerint infra nos.* quoties te gula proritat, subtus te sit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. quoties te hostis ad vindictam exstimulat,

b Vince animos iramque tuam,

sit infra te, extollet te. Olim Regum mos erat, ut quos devicerant, eorum capita calcarent. hoc ritu exponit Euthymius illud Prophetæ Regii: *c imposuisti homines super capita nostra. olim*, inquit, *Reges, qui aliquos devicerant, solebant in triumphis, captivorum capita conculcare.* Est in promptu memorandum vel potiùs execrandum Tamberlani facinus: leges apud Horatium Turselinum Bajazetem Turcarum Regem, anno à partu virginis 1040. à Tamberlano Tartarorum Rege, celeberrima illa victoria (qua Tartarus quidquid terrarum est è Tanai flumine ad Nilum domuit) non modò victum captumque, & in cavea ferrea ad ludibrium asservatum, verùm etiam coactum fuisse cœnante Tamberlano, catena collo injecta, inter canes cibum sub mensa sumere. insuper insolentis atque post hominum memoriam inauditæ superbiæ edidit argumentum. Etenim fama fert, Tamberlano equum conscensuro, Bajazetem tergum præbuisse, & fastu planè barbaro, hujus cervice calcata, equum inscendisse. Simillimum prorsus sublimis dominatus monumentum prodit Tyrius Antistes, *d* scribens de Romano Diogene, Græcorum Imperatore, cui Constantino Duca exstincto, Eudocia Augusta nupserat. hic collatis in Asia cum Turcarum Sultano signis, non modò victus, verum etiam vinctus in potestatem ferocissimi hostis redactus, fertur proculcatus ab eo pedibus, quin & ascensuro descensuroque tyranno, Augustus pro scabello fuisse. ita Sapor Persarum Rex, *e* cum Valerianum Imperat. vi victoriaque superasset, si quando admittere equum voluisset, adesse captivum jubebat, & superbo pede colla ac cervices calcando, ascendebat.

Illustrior nobis proponitur triumphus, adeptuque facilior, immanes belluas ac animi perturbationes calcare, mundumque universum pessumdare. Summi sacerdotis habitus, hujus documenti nos admonet, qui in fronte laminam gestabat, in qua nomen Dei exaratum; ex orâ autem vestimenti, malogranata dependebant, quibus regna, urbes &

a Luc. 14.
b Ovid. epist. Briseid.
c Psal. 65.

d Tyrius de Bello sacro l. 1.
e V. Chresolii antholog. part. 2. pag. 597.

regiones

regiones designabantur, ut teste Cyrillo Alexandrino *a* vel tacens inclamaret, humana omnia proterenda. huc quoque spectabat primorum fidelium mos, quo ad Apostolorum pedes, pretium agrorum deferebant, innuentes maximè post Dei in terras adventum, opes ac fortunas calcandas esse, & animum his excelsiorem gerendum, qui auro non opprimatur. Millies milleni & octogesies mille coronati, scabellum Regis Persarum seu suppedaneum dicitur. *b* utinam hæc proterendo, animum illis excelsiorem gereret! Natura ipsa aurum, argentum ac opes præstantissimas calcandas tacitè docuit, dum nostris pedibus subjecit, inque terræ, quam calcamus, visceribus inclusit. præclarè Seneca: *nulli nos vitio natura conciliat, nos illa integros & liberos genuit, nihilque quod avaritiam nostram irritaret, posuit in aperto. pedibus aurum & argentum subjecit: calcandum & premendum dedit, quidquid est, propter quod calcamur & premimur.*

Ita Stoicus Philosophus, diceres è Theologica Christianorum schola prodire, & cœlesti sapientiâ imbutum crederes. Statuam hoc altius & sublimius extuleris, quo basim celsiorem subjeceris: & tu mercator hòc supra omnes mortales altiùs animum evexeris, quo saccos divitiarum, & auri acervos calcando, majorem tibi basim substraveris.

a Cyrill. Alex. l. 11. de adorat. in spiritu.
b Drex. tom. 2. pag. 316.

§. II.

Quinam calcando honores, gradum sibi ad immortalem gloriam struxerint.

Causam fortassè quæsieritis, quî Moyses tantus evaserit, & ad tam excelsum dignitatis apicem ascenderit, ut Deus Pharaonis & dictus, & habitus sit? à teneris etiamnum puer diadema calcavit. Audi rem portentosam: *c* cùm aliquando Thermutis filia Pharaonis, Moysen pumilionem venustissimum ad Regni successionem adoptatum, in sinum Pharaonis collocasset, Rex (ut ait Josephus) blandè exceptum puerum, pectori appressit,

d *Deque viri collo, dulce pependit onus:*

Et ut filiæ gratificaretur, comiter diadema suum, infantis capiti imposuit: Moyses verò diadema capiti detractum, indignabundus in terram abjecit ac pedibus conculcavit. Ex tunc animus illi excelsus erat, & hic ad majora gradus, ut Deus Pharaonis posthac audierit. At postquam Rex Regum in crucem sublatus, omnia Regnà Mundi sub pedibus habuit, complures Moyses imitatores numeravit. Tricoronides infulas Gregorius, Eugenius, Laynius, aliique sub pedibus habuerunt. Episcopales mitras Bernardus, Bruno, Aquinas,

e *Et quos præterea longa referre mora est,*

omnes calcarunt, & pedum pede presserunt. Imperatores ac

c Ioseph. l. 2. antiq. c. 5.
d Ovid. l. 2. fast.
e Ovid. l. 1. fast.

Reges,

Reges, qui diadema cum Moyse calcarunt, & caputio commutârunt, prolixo satis Elencho Platus recenset: *a* dum Anastasios, Theodosios, Isaacios Comnenos, & inter hos Lotharium inducit, à quo Lotharingia nomen accepit, cùm antea Austrasia diceretur: hic recordatus sermonis, quem Ludovicus ejus pater moriens de mundi vanitate habuit, eum calcavit. Inter Reges Pipinus, Caroli M. primogenitus, Ramirus Rex Arragoniæ, Veremundus Castellæ, Sigibertus Angliæ, Joannes Armeniæ, qui Leoni nepoti Regnum reliquit, quod 24. Reges, qui omnes diademate redimiri consuerant, sub potestate habebat. hi omnes coronas sub pedibus habuerunt, de quibus olim Propheta vaticinatus: *b pedibus conculcabitur corona superbiæ.* De Regum filiis:

c Ante diem clauso componet vesper Olympo,

quàm vel nomina recensuero; quos omnes, inanis honoris contemptores Bernardus suspexit, eoque excelsiores duxit, quò plures dignitates sub pedibus habuerint: *d legeram*, inquit, *non multos nobiles, non multos sapientes, non multos potentes elegit Deus; at nunc præter regulam, mirâ Dei potentiâ talium convertitur multitudo: vilescit gloria præsens, juventutis flos conculcatur, non reputatur, generositas, parentum & charorum renuntiatur affectibus*; qui numquam tanti fuissent etiam in seculo, vertice diademate, aut mitra redimito, quanti apud Deum & homines fuere, ea calcando; porrò ut idem Doctor observat: *e de contemptu gloriæ gloriosiùs sublimati, & sublimiùs gloriati sunt.* In exemplum audivi sacrum Ecclesiasten, quondam adduxisse Franciscum Borgiam, sic se Ducali coronâ sub pede positâ, ad sublimia incitantem: *amice ascende superius.* Episcopali infulâ adjectâ: *amice ascende superius.* Galero purpureo addito: *amice ascende superius.* nec umquam Borgias excelsior stetit, quàm dum hæc sub pedibus habuit. Illo nihilò inferior, inter purpuratos Patres Carolus, qui cùm in vivis se ad pauperum pedes abjecisset, hoc excelsior etiam post mortem fuit, quod testamento sancîerit: ut corpus sub gradus chori, ubi frequentissimus transitus, conderetur, ut sic omnium pedibus conculcaretur: cui hoc symbolum sepulchro incisum: *humilitas*; quem titulum Ducalis corona tegebat, quasi *humilitas coronata.* *Magna prorsus*, exclamat Bernardus, *f & rara virtus: humilitas honorata*; at longè rarior sic coronata. quisquis coronam ambit immarcessibilem, quisquis æternos sectatur honores, hoc unum ei inculco: conculcet vanitates, & insanias falsas. Non me, sed magnum audiat Gregorium, qui hæc cœlitus è columba capiti obvolitante hausit: *g hoc esse speciale specimen electorum solet: quod sic sciunt præsentis vitæ iter carpere, ut per spei certitudinem, noverint jam se ad alta pervenisse: quatenus cuncta, quæ præterfluunt, sub se esse videant, atque omne quod in hoc mun-*

a Platus de bono status Relig. l. 2. c. 26. *b* Isa. 28. *c* Virg. 1. Æneid.
d S. Bern. epist. 109.

e Bern. ep. 113. *f* Bern. hom. 4. super missus. *g* S. Greg. l. 31. mor. c. 34.

do

do eminet, amore æternitatis calcent: hoc enim est, quod sequenti se animæ Dominus per Prophetam dicit: *sustollam te super altitudines terræ. nam quasi quædam inferiora terræ sunt damna, contumeliæ, egestas, abjectio, quæ ipsi quoque amatores seculi, dum per lata viæ planitiem ambulant, vitando calcare non cessant; altitudines autem terræ sunt lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor & sublimitas dignitatum; quæ quisquis adhuc per ima desideria incedit, eo ipso alta æstimat, quo magna putat. at si semel cor in cœlestibus figitur, mox quam abjecta sint cernitur, quæ alta videbantur. nam sicut, qui montem conscendit, eò paulisper cætera subjacentia despicit, quò ad altiora gressum amplius tendit; ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annisu ipso nullam præsentis vitæ gloriam esse deprehendit, super terræ altitudinem elevatur, & quod priùs in imis desideriis positus super se credidit, post ascendendo projiciens, sibi subesse cognoscit.*

§. III.

Orbem universum calcando, in cœlum conscenditur.

NIcolaus S. Bernardi Notarius, ita exclamat: *O si cognovisses & tu, quàm dulce sit, cupiditates fugisse atque fugasse! mundum habere sub pedibus, & ex altissima paupertatis specula respicere, & despicere vanitates & insanias falsas.*

Est filius primogenitus, vel si lubet unigenitus, dives, ingeniosus; est filia specie pervenusta, naturæ dotibus conspicua, hos Deus divino instinctu ad se convocat, luctatur in corde affectus parentum, occurrunt patris minæ, propinquorum indignationes, matris lachrymæ, complorationes, imò mors ipsa. quid agant? Hieronymum audiant: *a per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem*, ascende superiùs, sublimabunt nos, si fuerint infra nos. *b est novum pietatis genus, in hac re esse crudelem.* Neronem constat, olim matris cadavere proculcato, per hoc sibi gradum ad solium fecisse; est novum pietatis genus per parentum ejusmodi protrita dura capita, gradum sibi sternere ad thronum gratiæ, & gloriæ sempiternæ. hinc plangentibus propinquis applaudit Fulgentius ad Eugypium: *c multum*, inquit, *gaudeo, quòd jam secularis dilectionis nexibus non teneris, & mundum contemnendo calcas, à quo cùm eum diligeres, calcabaris; nunc verò consulatu proveheris, nunc felici triumpho certissimè sublimaris, non cui populus Romanus applaudat, sed cui Angelicus cœtus adgaudeat.*

Alexandrum quandoque in tabula conspicati estis, mundi globum (ut moderni Imperatores assolent) manu gestantem; B. Aloysium verò nunc orbem pedibus proterentem depingere consueverunt. *d* accidit autem, ut infanti suo ludibunda mater expressam utriusque in diversis tabulis effigiem obtulerit: mundi globum obterebat imposito pede Aloysius, orbem subjecta manu sustentabat Alexander: hic puer cum multa pro ætatis inge-

a Hier. ep. ad Heliod.
b Hier. cit.
c S. Fulgent. ep. 6. c. 2.
d Imago 1. seculi Soc. pag. 264.

nio

nio percunctando, curiosè tandem ex matre quæsivisset: Rexne esset Aloysius universi ac orbis victor, eò quòd eum pedibus calcaret? respondissetque illa, non quia universo imperaret, orbem pedibus conculcare, sed quia animo excelso infra se humana omnia duxisset, victorem eum dici ac existimari. Tum ad imaginem Alexandri puer conversus, istene igitur, mater, à mundo victus est, qui leges, dominatumque subjecta manu ferre compellitur? bellè hercule supra ætatem; si quidem ut manum, sic mentem mundi servitio Alexander subjecerat, quam Aloysius mundo excelsiorem gestabat. quo quid gloriosius, quàm mundo ipso celsiorem esse? qua super re, sic S. Aelredus, vel potiùs S. Bernardus melleo flumine excurrit: *a quid gloriosius quàm mundo contempto, mundo se cernere celsiorem, ac in bona conscientia vertice consistentem, totum mundum habere sub pedibus?*

Sed quàm multos reperire est, qui mundum non sub pedibus, sed in capite & super caput gestant. quàm multi nihil aliud, quàm de mundi vanitate interdiu cogitant, noctu somniant? quot puellæ mundum in capite gestant, dum tot cirris, cincinnis, unionibus, inauribus ornatè procedunt? imò omni corpore mundum circumferunt: earum enim totum choragium non alio aptiori nomenclatura, quàm *mundus muliebris* appellatur. Filiæ Babylonis, quotquot excelsæ, conspicuæ, sublimes esse satagitis, mundum muliebrem cum omni vana supellectile sua calcate: specula, pectines, calamistra, unguenta, acus, inaures, hæc omnia vobis gradum in cœlum sternant: *b* nihil quippè *gloriosius, quàm mundo contempto totum mundum habere sub pedibus.* Jacob scalam vidit, quam calcando in cœlum conscenditur: elevans ergo Iacob pedes, abiit in terram orientis. ubi Ambrosius: terram illius vult indicari, de quo dicitur, *c* quod *Oriens nomen ejus.* hæc autem terra cœlum est. appositè Hieron. ep. ad Furiam, vocat religiosam vitam scalam Jacob. uti & S. Benedictus in Reg. c. 7. per quem S. Romualdus suos Religiosos vidit in cœlum conscendentes; per contemptum nempè rerum terrenarum, quem Religiosi profitentur. ubi præclarus scriptor Lauredanus observat, *d* olim pro qualitate palatii, scalas minùs aut magis preciosas confectas fuisse; unde legi, inquit, in libris itinerum, quosdam Reges in remotis partibus orbis, scalas ex auro & argento asservare, atque ipsos gradus, per quos ad thronum regium scanditur aureos: eóque pretiosius gemmis, aut margaritis convestitos, quò majori potentia ac opum affluentia, Rex ipse abundat. quod de pretiosissimo Salomonis throno sacræ literæ testantur: 3 Reg. 10. *vestivit eum auro fulvo nimis, qui habeat sex gradus.* Cùm ergo

a S. Bernard. opusc. de charitate c. 18.

b Bern. cit.
c Zach. 6.
d Lauredan. tit. pauper.

ergo (hic in rem nostram assurgit Auctor) cœli palatia, & domus magni Regis, adeò augusta & præcellens sit, quid mirum si per aureos & argenteos gradus, per conculcata scilicet ejusmodi metalla ascendatur ad hanc regiam, & per conculcatum aurum ascendatur ad thronum gloriæ, in quo verus Salomon in majestate conquiescit?

Persarum Regum ambitio & fastus, eò superbiæ & amentiæ rapuit, ut subjecta pedibus mundi sphærâ, radiato capite cœlum conscenderent; quorum fastum calcans Chrysologus, ab eo sic suos dehortatur: a *ne simus ut Persarum Reges, qui subjectâ nunc pedibus suis sphærâ, polorum se calcare vices mentiuntur.* liceat pace tua, auree orator, ad altiorem mentem, quàm Persarum Reges induerint, Christianos incitare: ut sanctâ quadam superbiâ mundi sphæram calcare, & caput astris inserere satagant. A muliere viri discere non erubescant: Agnetem orbis dominam, narrat Petrus Damianus, erepto è vivis Imperatore conjuge, posthabitis humani Principis nuptiis, omni mundo muliebri abjecto, totam se sponso Christo dicasse: ad quæ sic Beatus ille Cardinalis exclamat: *O beata ista superbia! ô beata mentis elatio, & omnibus digna præconiis!* quid enim aliud est *superbire*, quàm *super se ire*, & è voluptatibus & deliciis mundi, sibi scalas in cœlum erigere? suffragante Augustino:

a Chrysol. serm, 120.

§. IV.

De vitiis scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. b

SEmel dumtaxat scalæ è cœlo in terras, idque per somnium protensæ narrantur; sed hæ ilicò ex oculis, ex manibus evanuêre: suffecerit vel ideam humanæ menti impressam esse, ut consimiles nostra opera exstruamus, materiam operisque solertiam suggerente Chrysostomo: c *vitia*, inquit, *nostra recensentes, ea tempore corrigamus, & hoc mense unum, alio aliud, & ita subsequenter meliores efficiamur: & sic tamquam per gradus quosdam ascendentes, per scalam Iacob, ad cœlum perveniamus: etenim scala illa mihi per illam visionem, paulatim per virtutes ascensum significare videtur, per quam à terra in cœlum ascendere nobis licet, non gradibus sensibilibus, sed morum incremento,* nunc gulam, nunc superbiam, nunc iracundiam nobis subdamus, & scalas in cœlum erigamus. Est, qui in mensâ opiparâ plusculum sibi indulgere consuevit: ipsa fercula (ut in Indiis fit, ubi lances lancibus imponuntur) ipsæ vini amphoræ pro gradibus, pro scalis servire poterunt, si sub te sit appetitus tuus; ut remotis epulis, medicus aptus sit, qui ægro consulat; Advocatus, qui causas discutiat; Consiliarius ut lites decidat; Nobilis ut de omni re apposite discurrat; Ecclesiasticus ut oret ac studeat. sic extollent te, sic scalas tibi ipsi feceris. Ingeniosè excogitatum fuit,

b Aug. serm. 176. de temp.
c Chrysost. hom. 82. in Ioan.

quem-

quemadmodum in vini amphorâ quis alteri ſcalas ſuppeditârit: captus erat Andronicus & in edita rupe aſſervabatur, *a* dum nuſquam evadendi eſſet occaſio, hoc ſanè commentum quidam ex aulicis adinvenit. dum cibus & potus illi de more ad prandium deferebatur, in amphoram vino repletam, ſcalam è funibus, aut nervis ſubtilioribus, forma quæ nautis familiaris eſt, immiſit: itaque Andronicum carcere ereptum, regno reſtituit. hoc ſtratagema cuique noſtrum uſurpandum eſt. quin ipſa gulæ lenocinia, cum ſint Dei munera, vel ſapore ſuo auctorem ſapere, & ad eum aſcendere nos docent, quod ſuos Seleucienſis Præſul obſervare voluit: *b age*, inquit, *& nos per creaturam ad Creatorem Dominum aſcendamus: Deus namque cum res creatas in modum ſcalæ adaptârit, per eam ſui amantibus aſcenſum ad ſe exſtruxit.* ſcala autem non aſcenditur, niſi gradus conculcetur: hujus documenti memor Franciſcus ille Aſſiſiates: *c contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia, proſequebatur ubique dilectum: de omnibus ſibi ſcalam faciens* (inquit Bonaventura) *per quam conſcenderet, ad apprehendendum eum, qui eſt deſiderabilis totus.* hoc enim verò indigniſſimum, eſſe qui his ſcalis abutantur, ut ad inferos deſcendant.

Denique ne longior ſim, pollet quis ingenio, rerum experientia, prudentia ac conſilio valet, hæc ſint infra te, & extollent te. His quemcumque in cœlum ſcalis aſcendentem, ſic laudibus effert S. Richardus Victor: *d felix*, inquit, *cui viſibilium ſcientia ſit ſcala ad inviſibilia cognoſcenda. felices quibus exteriorum ſcientia ſit ſcala aſcenſionis, non ruina dejectionis: felices, quibus ſcientia, quæ inflat, non eſt ad inflationem, ſed ad inflammationem ejus, qui ædificat.* hiſce ſcalis ad aſtra conſcendit Andreas Corſinus, *e* qui poſtquam opes ac mundi illecebras generoſo pede calcaſſet, ad religioſæ perfectionis culmen contendit; hic non excelſo ſatis loco ſtetit, ſublimiori ſcientiâ præcellens, ad infulas & pedum erigendus erat, dum ea calcando, ex ipſis ſibi ſcalas fecit, ut manifeſta viſio declaravit: ipſo enim Chriſti naſcentis pervigilio, quo Chriſtus in cunas deſcendit, viſus eſt Andreas per ſcalas in cœlos conſcendere. *hærent parietibus ſcalæ*, has tibi erectas reliquit: *amice aſcende ſuperius.* Conſpectæ quandoque à ſociis S. Franciſci ſcalæ purpureæ, has ſibi purpurati Martyres è funibus, cratibus, equuleis, cataſtis, rotis in cœlum erexerunt. Fuit, qui in feſto D. Simonis ſerram erectam, in qua dentes gradus expreſſerant, Simoni cuidam dicavit, apto emblemate ſerram in ſcalam efformans, ſubjecto lemmate: *ſic itur ad aſtra:* hæc enim omnia crudelitatis & dedecoris inſtrumenta, gradus & climata fuere in cœlum. quæ D. Salviani concludo ſuffragio: *Martyres ad cæleſtis regiæ januam, gradibus*

a Novarini agnus myſticus. n. 1192.
b S. Baſil. orat. 2.
c Bonav in vita c. 9.
d Rich. Vict. tr. de exter. mal. c. 6.
e In vita 6. Ian.

dibus pœnarum ſuarum aſcendentes, ſcalas ſibi quodammodo de equuleis cataſtiſque fecerunt.

Aſcende & ſuper modeſtiam ſuper arrogantiam. per ſobrietatem ſuper intemperantiam. per pudicitiam ſuper luxuriam. per manſuetudinem ſuper iracundiam. Aſcende per mundi contemptum, ſupra mundi faſtum, per tui odium ſupra tui amorem. ſuſpicieris, ſi omnia deſpexeris. Dic ſed alia mente, quam ventoſiſſimus ille aſcenſor: *a in cœlum conſcendam.* Eleva te ſupra terram, aſcende ſuper aërem, ſupra planetas, ſupra ſidera, ſupra firmamentum, ſupra cœlum. cumque hæc omnia fuerint infra te, pertinges uſque ad altiſſimum.

a Iſa. 14.



EMBLE-

EMBLEMA XLV.

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Matth. 22.



PROXIMVS HVIC. a

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

De Amore, quo Proximus noſter diligendus.

§. I. *Diliges proximum ſicut pupillam oculi tui, quoniam* SUMUS INVICEM MEMBRA. b

§. II. *Ionathas & David perfectum mutuæ dilectionis exemplar: proximum diligendum, ſicut ſeipſum demonſtrant.*

a V. Æneid. b Epheſ. 4.

DOMI-

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Diliges proximum tuum sicut teipsum. Matth. 22.

ARCTO planè nexu, & arcano naturæ vinculo, alterum alteri oculo colligatum, optici tradiderunt: & ipsi quotidie in nobis experimur, uno oculo in lachrymas profuso, alterum collachrymari: uno torvum contuenti, & alterum turbari in furore oculum: hoc sursum aut deorsum prospectante, eodem & alterum deferri; adeò ut summæ charitatis & concordiæ symbolum, Cantuariensis Antistes nullum aptiùs excogitârit, quàm quod lib. similit. expressit: *a omnes justi concordia tanta erunt, quanta sunt in præsenti oculi nostri: sicut enim oculus unus verti non potest, quò non vertatur & alius, sed in eandem partem semper volvuntur; sic societas ista justorum, nihil poterit velle diversum, sed eandem semper voluntatem habebit.* Quam divinæ speciem charitatis & concordiæ, ut de cœlo in terras deducamus, proprietates oculi, & dilectionis proximi, paucis conferamus. Ac primum quidem:

b Si nescis, oculi sunt in amore duces;

Anteambulones sunt, ductores ac Doctores, qui viam ad amorem sternunt, qui ducant ac doceant, quid pro amato exantlandum & tolerandum, quantâ cum solertiâ & solicitudine opitulandum sit, non secus ac alia pro aliis, *c solicita sunt membra.* quo subtilem ingenii sui aciem intendens Augustinus, dicit: *d ecce spinam calcat pes, quid tam longè ab oculis, quàm pes? longè est loco,* PROXIMUS *charitatis affectu.* Principes regni, primates reipub. amplissimarum familiarum Domini, velut corporis oculi censentur, qui longè videntur abesse ab hominibus miseris, pauperibus, pedissequis, famulis quos habent à pedibus: *quid tam longè ab oculis quàm pes?* sed *proximi* fiant *charitatis affectu,* eosque non secus ac *pupillam oculi sui* tueantur ac complectantur; quo affectu filios Israel, nosque omnes benignus Deus complexus est, *e & custodivit quasi pupillam oculi sui.* Porrò si charitatem Apostolus, *f vinculum perfectionis,* meritò compellârit, ea quæ per nervum opticum alteri cum altero oculo sibi proximo connexio intercedit, perfectam inter proximum dilectionem, non obscuro symbolo adumbrasse videtur: quid enim, magno teste Justiniano Patriarcha Veneto, *g dilectio* est, nisi *duorum ligatio?* hinc in cœlesti epithalamio, sponsæ venustatem sponsus collaudans, oculos ejus, perfectum charitatis typum pronuntiavit, dicens: *h oculi tui columbarum*, id est mutuæ

a Anselm. lib. simil. cap. 63.
b Tibul. lib. 2. eleg 15.

c 1. Cor. 12. d Aug. l. 50. hom. ho. 15. e Deut. 32. f Coloss. 3.
g B. Laur. Iustin. in Nativ. B. Virg.
h Cant. 1.

mutuæ dilectionis, quam columbæ denotant: *Exemplum juncta tibi sunt in amore columba.* ubi Velasquez noster, a *vir politissimi ingenii* advertit, quemadmodum vel festuca, gravissimè oculo officit, eamque omni nisu quivis eximere conatur: ita qui verè amat proximum ut *pupillam oculi sui*, studet vel minimum quod offendere posset, solicitè evitare, & vel levissimam ab altero illatam injuriam amoliri. Hoc nos b *Deus pacis & dilectionis* manifeste edocuit, dum per prophetam, tenerrimum suum erga nos amorem his verbis testatur: c *qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*: quæ uberiùs exponens S. Salvianus ait: d *ad exprimendam teneritudinem pietatis sua Deus tenerrimam partem humani corporis nominavit, ut apertissimè intelligeremus eum tam parva sanctorum suorum contumelia lædi, quàm parvi verberis tactu, humani visus acies læderetur.* nihil enim tenerius, charius, præstantius pupillâ; ac proinde nil majus cordi ac curæ esset solet. hinc S. Thomas, e *per oculum intelligimus dilectissimum amicum: solet enim ab eis, qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici: diligo eum ut oculum meum.* quam eandem curam ac dilectionem charitatis Magister à nobis jure suo deposcit Joan. 13. *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*

Peracutè hic Doctor Aquinas expendit, f *mandatum* hoc *novum* nuncupari. *nonne*, inquit, *jam hoc erat mandatum in antiqua lege Dei, ubi scriptum est: diliges proximum tuum, sicut teipsum? cur ergo novum mandatum appellatur à Domino?* causam subdit novam, ex novo diligendi modo: *sicut ego dilexi vos, non sicut se diligunt homines, quia homines sunt; sed sicut se diligunt, qui Dei sunt, & filii altissimi omnes: ut sint filio ejus unico fratres.* Ecquid est hoc? quis exponere valeat illud: *sicut ego dilexi vos?* sicut ego cùm in forma Dei essem, vestri amore formam servi assumpsi, sic & vos ad infima & aspera quæque demittatis, ut vobis invicem succuratis. Ego me in cibum dedi in Eucharistia, & vos proximos pascite. ego jam animam meam ponam, g & *vos pro fratribus debetis animas ponere*, ut eas lucrifaciatis. ego prior amavi vos, nullis vestris meritis, cum inimici essetis; amavi vos, non meam utilitatem, sed vestram salutem quærens; amavi usque ad sanguinis effusionem. h *Si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere.* Hæc commendat & mandat, ut & nos invicem præstemus. ita Chrysostom. & Cyrillus. quod impletum iri asserit Cardinalis Toletus: i *si invicem dilexerimus, quasi unius corporis Christi membra, propter Christum.*

a Biblioth. script. Soc. b 2. Cor. 13. c Zach. 2. d S. Salvian. lib. 6. de gubern. Dei. e S. Tho. in Matth. c. 5. f S. Thom. in Ioan. c. 13.

g 1. Ioan. 3. h 1. Ioan. 4. i Tolet. hic.

§. I.

Diliges proximum, sicut pupillam oculi tui, quoniam SUMUS INVICEM MEMBRA. ad Ephes. 4.

NE quis stolidam illam quæstionem hic moveat, k *quis* est

k Luc. 10.

est meus proximus? & quomodo proximum diligere debeamus? Hipponensis Præsul occurrit, dum nos eo dilectionis vinculo, quo ejusdem corporis membra, colligatos desiderat: *a qualiter*, inquit, *nos invicem diligere debeamus, etiam de sanitate, vel infirmitate membrorum corporalium possumus evidenter agnoscere; si enim sic nos amare voluerimus, quomodo se invicem amant membra corporis nostri, profectò in nobis charitas poterit custodiri.* quæ velut anima electum Neophytorum gregem, primævam Christianorum Ecclesiam animavit; unde divinus historicus, *b* ad posterorum memoriam, illustre de illis protulit encomium: nihil præcellentioris virtutis ad æmulandum, nihil prodigiosi fervoris ad demirandum, non intempestivas vigilias, non prolixas preces, non profusas eleemosynas, non vitæ austeritatem; sed mutuam inter eos dilectionem, eamque tantam, quanta inter unius corporis membra esse consuevit, in cœlum laudibus extollit, dicens: *multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una.* Quam gratam membrorum inter se connexionem, scitè expressit, qui organo in tabulâ depicto, supernè inscripsit: *c in uno spiritu omnes nos*, infernè verò illud Poëtæ: *d conspirat amicè.* Quis non in organo, fistularum inter se formam, crassitiem, longitudinem maximè variam, sonos maximè dissonos, summos, imos, obtusos, acutos, & plurimos, & maximè varios animadvertit? una tamen anima, unus spiritus, & concordiam, & concentum inducit suavissimum.

Hoc enim verò stupendum magis, tot diversarum nationum, *e Parthos, & Medos, & Elamitas: Iudæos quoque, & Proselytes, Cretes, & Arabes; denique ex omni natione, quæ sub cœlo est*, ætate, sexu, conditione, religione, naturâ maximè dispares, multitudine innumerabiles, velut unius corporis membra, unâ animâ, aut velut cœleste organum, uno spiritu animari ac informari. Qui mutuæ charitatis concentus, ipsos gentiles adeò in sui amorem & admirationem traxit, ut in has voces, Tertulliano referente, proruperint: *f* videte, quomodo Christiani se mutuò diligant, & ut alter pro altero mori paratus sit, quasi ex uno patre, & eadem matre nati; imò quasi ejusdem corporis membra esse videantur: quos nec lingua, nec natio, nec patria, nec nativa loci diversitas dividit. additque Eusebius, plurimos baptismo lustratos se iis adjunxisse. eo quippe insigni amoris vinculo, Christiani ab aliis secernebantur, juxta divinum illud Christi pronuntiatum: *g in hoc agnoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* non ex dono linguarum, non ex gratia sanitatum, quòd ægros curetis, mortuos in vitam revocetis, aut quavis alia virtute, sed ex sola dilectione, à gentilibus, secerni, & viva membra Christi censeri poteritis Usuvenit hîc quod Philosophorum

a Aug. l. 50. hom. hom. 15. *b* S. Lucas Act. 4. *c* 1. Cor. 12. *d* Horat.

e Act. 2. *f* V. Salian. de amore Dei lib. 8. c. 44. *g* Ioan. 13.

princeps Aristoteles tradidit, qui concinnam illam humani corporis fabricam, velut organum, in eoque quot ossa, quot venas, quot membra tot fistulas contemplatus, pronuntiare non dubitavit, *a animam esse actum corporis organici.* quod Doctor Angelicus confirmat in illud Pauli 1. Cor. 12. IN UNO SPIRITU OMNES NOS, *b corpus hominis,* inquit, *unum est, quia ejus perfectio integratur ex diversis membris, sicut ex diversis animæ instrumentis, id est ex diversis organis* (fistulas intelligit) *constitutis.* Quod de corpore physico, id ipsum de politico & mystico Annæus Seneca censuit; quem S. Paulus doctissimum *magistrum,* in epistola ad illum, appellavit, sic eam concludens: *valde doctissime magister.* epistolas porrò Senecæ ad Paulum, & Pauli ad Senecam ultro citroque missitatas fuisse, & S. Hieronymi *c* (qui, eum scriptoribus Ecclesiasticis non inseruissem, inquit, *nisi me provocarent illæ epistolæ, quæ leguntur à plurimis*) & S. Augustini evincit auctoritas, de Seneca asserentis: *d cujus etiam quædam ad Paulum Apostolum epistolæ leguntur.* Hunc itaque Magistrum audiamus: *e omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni. natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit.* tum aptam prorsus similitudinem subjungit: SOCIETAS NOSTRA *lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.* quod pace vestra, longè verius de Societate nostrâ Jesu pronuntiâro, *f* quæ in charitate fundata, & *ex mutua animorum conjunctione ita coagmentata est,* ut quisque totam Societatis molem ac existimationem gestare: tantaque Deo famulantium existit consensio, *g* ut *uno* quasi *humero,* quidquid est onerum, portare videantur. Corpus humanum, respectu membrorum, Plinius *collegium naturæ*; S. Maximus, *collegium gratiæ* vocitavit, quod collegiis Jesu, aptè convenire quis ambigat? ut si olim in exercitu Thebano, cohors sacra, seu *compagnia amantium* exstiterit, qui velut membra unius corporis, invicem omni modo opitulari, sed & mori parati erant; eadem etiamnum revixisse perhibeatur. Scio & florentissimum Minimorum ordinem, charitate flagrantem, nec ullum Religiosum cœtum sine hac diu posse consistere; sed insuper pervelim in omni familia, in omni republica, in omni Christianorum congregatione, hanc animorum conjunctionem ita vigere, ut sint *h supportantes invicem in charitate,* frater sororem, servus ancillam, uxor maritum, civis concivem, nutrix alumnum, vicinus vicinum, figulus figulum; nam ut præclarè Augustinus: *i nihil æque amicum probat, quemadmodum oneris portatio.* Sermocinationes blandæ amorem probant, mutua convivia, munera amorem te-

a Arist. *b* S Thom. in epist. 1. Cor. 12. *c* Hieron. de script. Eccl. *d* Aug. ep. 54 V Massutium in vita Pauli lib. 7 cap. 8. *e* Seneca ep. 95.

f Claud Aquaviva ep. de perf. & charit fratr. *g* Sophon. *h* Ad Ephes. 4. *i* Aug. de verbis Apost. serm. 21.

stan-

ſtantur ; *ſed nihil æquè, quemadmodum oneris amici portatio.* defectus, imperfectiones tolerandæ ſunt, mutuæ calamitates ac miſeriæ mutuo conſilio & auxilio ſublevandæ, hæc menſura amoris eſt, *a tantum quiſque portat, quantum amat* ipſa bruta animantia hîc nobis documento ſunt : *b ſicut enim de cervis, nonnulli talium cognitionum ſtudioſi ſcripſerunt; cùm fretum ad Inſulam tranſeunt, ſic ſe ordinant, ut onera capitum ſuorum, quæ geſtant, in cornibus, ſuper invicem portent, ita ut poſterior ſuper anteriorem, cervice projecta, caput collocet. & quia neceſſe eſt, unum eſſe, qui cæteros præcedens, non ante ſe habeat, cui caput inclinet, vicibus dicuntur id agere, ut laſſatus ſui capitis onere, ille qui præcedit, poſt omnes redeat, & ei ſuccedat, cujus ferebat caput, cum ipſe præiret. ita invicem onera ſua portantes fretum tranſeunt, donec veniant ad terræ ſtabilitatem. ita & nos cum in hac vita, id eſt in hac via ſumus, onera noſtra invicem portemus, ut ad eam vitam, quæ caret omni onere pervenire poſſimus.* Hæc Auguſtinus : quæ ut à brutis ad humanos mores traducamus : proximi jactura onus eſt, proximi calamitas onus eſt, proximi paupertas onus eſt, mulier rixoſa onus eſt, vir temulentus non leve onus eſt.

Filius bardus onus eſt, filia luſca onus eſt. quomodo ſublevabis ? *c converte te jam ad illud præceptum : alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. pauper eſt, dives es, onus illius paupertas eſt, tu tale onus non habes, ſed habes onus divitias : ſi bene intendas, onus eſt ; ille alterum onus habet, tu alterum. quid eſt onus paupertatis ? non habere. quid eſt divitiarum onus ? plus quàm opus eſt habere. portâ cum illo non habere, portet tecum plus habere, ut fiant æquales ſarcinæ veſtræ.* Hoc dilectionis officium præſtitit Jonathas Davidi, dum non eſt paſſus ſe principe & opulento, amicum paſtoris perſonam gerere. quare *d expoliavit ſe Ionathas tunicâ, quâ erat indutus & dedit eam Davidi, & reliqua veſtimenta ſua.* regiis ſe veſtimentis, quibus ille abundabat, Princeps Iſraëlis expoliat, ut paſtorem regio ornatu induat. quot tunicæ, quot chlamydes, quot togæ divitum onus ſunt, quæ pauperis nudi onus ſublevare poſſent ? quot horrea, ſolaria frumento redundantia, onus veſtrum ſunt, quæ famelici ventris onus allevare poſſent ? quot auro & argento crumenæ, veſtrum onus ſunt, quæ hominis inopis ac mendici onus tollere, & te ſublevare poſſent. In hac vita, in via es, *e comitem habes, noli ſpernere, noli relinquere. non vides quantum portes ? nihil portanti & non habenti da aliquid, & comitem adjuvabis, & te relevabis.* Hinc alterum dilectionis officium, ex mente Apoſtoli conſequitur : *f ſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* ; feſtuca oculum invaſit, ſcintilla in manum inſiliit, ſpina pedem læſit, dicto citius alia pro aliis ſunt membra ſolicita, currunt, ſuccurrunt, damnum aut dolorem ut verè ſuum ac proprium ducunt. Au-

a Greg. hom. 153. in Ezech. *b* Aug. de verb. Apoſt. ſerm. 21. *c* Aug. de verbis Apoſt. ſer. 22.

d 1. Reg. 18. *e* Aug. cit. *f* 1. Cor. 12.

gustinum hîc disertissimum auscultate: *a modicum pungit spina, & perparvum locum tenet in pede, vide quomodo illuc convertuntur omnia membra, primò ipsa spina dorsi incurvat se, & deponunt se omnia membra. Numquid oculi cessant quærere? numquid aures cessant audire? fortè alii, qui vident, ubi sit dicunt: ecce ibi est; statim hoc audiunt aures, & sequuntur consilium: ibi & oculi quærunt, & manus operantur, & ut dixi, totum corpus incurvatur: non est communis calamitas omnibus, sed per compassionem charitatis, omnia veniunt ad subveniendum.* Spina hæc, seu tribulus, quævis tribulatio est, spina quælibet adversitas est, quælibet ærumna est, quodlibet malum est, quod proximum miserè exagitat & excruciat. Divitias quis crederet spinas, inquit Ambrosius, nisi sapientia æterna sic vocitasset? sed nostis quando acutiùs pungant, quando graviorem dolorem, & vivaciorem sensum ingerant? Nervosè Hugo Carensis in Psalm. 31. qui sic de illis philosophatur: *divitiæ pungunt, dum acquiruntur cum labore. cum habentur, pungunt per timorem. cum perduntur pungunt (idque acutissimè) per dolorem.* dum iis sublatis hominem in extrema penuria ac inopia, velut in sterili senticeto destituunt. de fide, de famâ, de bonis istius mercatoris, florentis illius familiæ, quacumque demum ratione; seu hominum injuria, seu etiam amabili Dei providentiâ, actum est, nisi quis succurrat, & spinam illam animò evellat. Tu abundas, & claudis viscera tua, quomodo charitas Dei est in te? familiam afflictam nosti, ubi uxor pia, sedula, numerosâ prole, maritus potator omnia abligurit, heu spinam in pede, seu in manu habet, *b quomodo si spina nascatur in manu temulenti.* Hunc ad frugem redigere stude: illam solare, spinam evelle, manum argento unge. Omnis denique ærumna, spina est, quæ etiam Regem pupugit: *c conversus sum in ærumna:* Hieronymus legit: *versatus sum in miseria, dum configitur spina.* Psaltes regius continuum inter timorem & dolorem, veluti vepribus cinctus, fatalem illam Saulis hastam, quasi spinam inhærentem & animum cruentantem metuebat, quam amabilis Jonathas, non suo modo dolore, sed & præsentissimo periculo, exulcerato Davidis animo eximere, & à corpore amoliri conatus est. Adjungo hîc barbari hominis, opus Romanum, plus dicam, Christianum, qui non spinam alteri, sed vepreto totum inhærentem, generosè subduxit. Antonius Ruiz vir nostræ Societatis, *d* doctrina, virtute, & ne quid desit, labore imitatus magnos & Apostolicos viros, novam Provinciam in Paraguai expugnaturus Christo, comitantibus nonnullis Indis, amicitiæ & Religionis fœdere conjunctis ingressus, nationem barbaram, hostilem expertus, vitæ discrimina subiit. liberatur charitate barbari cujusdam, qui ut vidit cæsos ab hoste septem Antonii comites, ipsumque brevi cædendum, rapto ejus galero, tunica & pallio se

a Aug. lib. 50. hom. hom. 15.

b Prov. 26. *c* Psal. 31.
d Nirenberg. Stromat. lib. 7. c. 11.

ſe Antonium ſimulavit, quem latere coegit, quo pio dolo deluſi hoſtes, prætermiſere Antonium verum, inſectati ſimulatum, qui omnem impetum efferæ gentis in ſe concitavit. ſed qui vicit charitate Romanos, vicit velocitate barbaros, *amor addidit alas.* dignus vivere, mori paratus pro amico. cujus periculum ſuum ſentiebat, & ut ſuum amoliebatur. quis veſtrum proximi periculum, ſuum ducit: quis in morbo, in morte ſuccurrere ſatagit, qui vel apud ægrum pernoctando indormiſcit? & hic alter alterius ſe membra clamitabit? *a Attendite in populo quando ſtatur, & eſt aliqua coarctatio, ſi alter alterum calcet, lingua dicit, calcas me, num ipſa calcata eſt? quid eſt ergo quod ſinat, calcas me? ſi & ille reſpondeat, libera es ô lingua, in ore tuo vocem habes: ego ſi calcavi, pedem calcavi: ſed calcas me, charitas dicit, calcas me compaſſio unitatis, & vinculum ſocietatis dicit.* Vides vicinum tuum, concivem tuum, proximum tuum conculcari, pupillum injuſtè opprimi, virum ſimplicem & rectum à potentioribus, ab invidis, de fortunis dejici, calce impeti, cur non clamas in eos, *calcas me?* cur cauſam eorum non defendis, non patrocinaris? cur injuriam non propulſas? audis ſuper menſam, famam viri Eccleſiaſtici aut ſecularis peſſumdari, cur non clamas, *calcas me?* amabo vos, ſi filium veſtrum à protervo ſcurra, in foro ad terram proſterni, eumque pedibus inſultantem cerneres, nonne ilico accurreres, injuriam propulſares, filium eri-

a Aug. lib. 50. hom. hom. 15.

peres? unicuique Deus mandavit de proximo ſuo. amorem exigit non qualem parentes filiis exhibere conſueverunt, ſed longè ſuperiorem. Etenim *b amor filiorum adhuc carnalis eſt: non enim eſt laudandus qui amat filios, ſed deteſtandus qui non amat: pro magno enim laudaturus ſum in homine, quod video in tigride? ſerpentes amant filios ſuos, leones & lupi amant filios ſuos.* Cave ne tibi objiciatur:

Mitius inveni quàm te, genus omne ferarum.

Anno 1580. Francofurti cùm incendium exortum eſſet, *c* flamma nidum ciconiæ afflavit. pro pullis parens ſolicita, properè ad flumen vicinum convolat, pleno aquam roſtro hauſtam, evomit. ſed cùm nil proficeret, circumvolitare, unguibus ac roſtro ligna decerpere: tandem alis ſuper expanſis, flammam ſuffocare ſatagens, ſe flammis illis, & amoris igne, unà cum pullis tumulavit. Is animus brutis animantibus eſt, eo affectu, proprio vitæ diſpendio, ſuis ſuccurrunt, quid homines? quid nos Chriſtianos, quid nos fratres, qui unum patrem habemus in cœlis, facere addecet, ut invicem ſuccurramus? Incendium fames eſt, incendium ſitis eſt, incendium bonorum vaſtatio eſt, incendium proximi extrema neceſſitas eſt, & nemo aquam affert, quam Sapiens pecuniam nominavit: *d ignem ardentem exſtinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.* vides proximi ædes conflagrare, & po-

b Aug l 50. hom. hom. 38 *c* Camerar hiſt. c. 66. cent. 3. Sainct Iure lib. des Eſlus cap. 13. *d* Eccl. 3.

tes sine gravi tuo detrimento exstinguere, & negligis, quid si aquam, si scalas, si hydrias, quas in promptu habes, negâris, nonne immanis hæc barbaries censenda est? omni incendio gravior flamma, fames est, ut rectè Basil. *a ignis impetus breviter vitam exstinguit, aut ferarum dentibus membra statim decerpta intereunt; at fames diuturnius malum, lentius tabescit, sensim occidit.* Ignis supellectilem & ædes depopulatur, sed fames ossa & vitam consumit: ad has flammas, quæ viscera, quæ membra tua adurunt, necesse est omnes humores corporis confluere. S. Thomas 1. Cor. 12. *uno membro languente, totum corpus quasi languescit, & ad locum languoris confluunt spiritus & humores, quasi ad subveniendum. similiter debet esse infidelibus.* humores corporis tui, vasa caveæ tuæ sunt, vino & optimâ cerevisiâ redundantia.

a Basil. hom. 8. in divit. avar.

§. II.

Ionathas & David perfectum mutuæ dilectionis exemplar: proximum diligendum, sicut te ipsum demonstrant.

Lilius Giraldus iconem antiquam inveteratæ amicitiæ exhibet: *b* pingebatur, ait, juvenis detecto capite, rudi tunicâ indutus, in cujus fimbria, scriptum erat, *mors* & *vita.* in fronte, *æstas* & *hyems*, habebatque latus apertum, digitum verò cordi intentum, cum hac epigraphe: *longè & propè.* suberat picturæ hæc brevis expositio. Juvenilis forma dilectionem semper florentem indicat. nudum caput, fidele ac perhumanum obsequium. rude indumentum, tolerantiam laborum. vita & mors, societatem perpetuam. æstas & hyems, prospera & adversa; latus apertum, candorem & simplicitatem; nudum cor, amoris exhibitionem. longè & propè, ejusdem in omni loco constantiam.

b Syntagma 1. hist. Deorum.

Hujus imaginis verum & vivum ectypon habemus 1. Reg. 18. in Jonatha & Davide, quorum dilectio semper virens ac vegeta, amor officiosus ad omnia, tolerantia laborum, societas perpetua, nec vitâ nec morte separanda. ut meritò disertissimus Aëlredus hîc exclamet: *c O pulcherrimum veræ dilectionis speculum;* ubi amans fit alter, & alter fit ipse, & ipse per alterum, in se ipsum redit, altero per alterum & in altero relucente: *d anima* quippè *Ionathæ conglutinata est anima David, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam.* ex quo conficitur, ut quis verè diligat proximum sicut seipsum, seu ut alterum se, debere per dilectionem fieri quasi unum cum illo. nam *charitas* sic dicta, quasi *chara unitas*; *e* inquit D. Iustin. Amoris hoc artificium conflantis animos, non ut falsus Plato commentus est, duos à Vulcano exorasse corpora in unum conflari; non enim corporum unionem hic amor affectat, sed animorum, ut idem probet, idem

c Aëlredus de amicit. spir. cap. 3.
d 1. Reg. 18. *e* B. Laur. Iustinia. in nat. B. Virg.

optet,

optet, idem velit, idem nolit, quod alter: ut quantum possumus, sicut in divinis personis diversis, hæc eadem sunt, ita Christo adhortante, omnes Christiani *sint unum, sicut & nos* (inquit) *unum sumus.* a

Appositè Hieronymus, Commentario in Mich. c. 7. *interrogatus quidam quid esset amicus, respondit, alter ego. unde Pythagorai duo, vades se invicem tyranno dederunt. de quibus Cicero: est is amicus quidem, qui est tamquam alter; idem: alterum enim acquirit, cujus animum ita cum suo commisceat, ut efficiat penè unum ex duobus.* Hoc amantum privilegium, ut alter ego dicatur. Post illam tribus præliis partam de Dario victoriam, Sysigambis devicti Darii uxor, cum filiis ad gratulandum Alexandro fortunam suam, in castra venerat; b dum verò obvium haberet Hephestionem, qui & formâ, & habitu præstabat, eum pro Alexandro salutavit: admonita deinde erroris, cum rubore se excusanti, dixit Alexander: nullus hic error est, nam & *Hephestion Alexander est.* Quæ si chara unitas, ethnicos inter reperta sit, quid ni inter Christianos, inter fratres, inter sanctos? quod Gregorius patriâ Nazianzenus, de dilectione sua, cum Basilio Magno testatus est: c *Aberat*, inquit, *invidia, sola æmulatione flagrabamus. Hoc utique certamen non uter primas ferret, sed uter alteri primas cederet* (ut Jonathas dixit Davidi: d *tu regnabis super Israel: & ego ero tibi secundus*) *uterque enim alterius gloriam suam ducebat; una utrique anima, videbatur duo corpora ferens. Quod si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse ducunt, quod dicebant Empedocles & Anaxagoras; At nobis certè credendum est, quod uterque in altero, & apud alterum positi eramus.* ut de illis celebrari possit illud Poëtæ:

e *Qui duo corporibus, mentibus unus erant.*

Exstat quidem illud Bernardi: *omnes consanguinei sumus in Sanguine Christi*; f Sed fortius vinculum fortè censebitur, dum Christianos omnes, fratres suos affirmare non dedignatur: g *omnes vos fratres estis*; in quo si etymon spectemus, quid alter alteri charitatis debeat, facilè assequemur: *Frater* enim, ut Festus & Agellius ait, sic dictus quasi *ferè alter*, imò *verè* alter, ut quodcumque uni accidit, aut laudis aut ignominiæ, damni vel lucri, doloris aut gaudii; periculum aut salus, imò mors vel vita, ea alteri obtingere, in altero lætari, tristari, periclitari, vivere & mori videantur. Annus superioris seculi quintus, supra octogesimum primus, opinor, vidit eò se fraternam pietatem attollere, ut altiori eam stetisse fastigio, nulla retrò ætas memoret, nulla fortè visura sit. h Navigantes in Indiam Ximenios fratres, Gasparem & Ferdinandum, immanibus quassata fluctibus, & lacera navis, medio in oceano destituit, cum reliquis vectoribus. Desiliere plerique in lembum, qui

a Ioan. cap. 17. b Plutarch. in Alex. c Greg. Naz. orat. de laud. Basil. d 1. Reg. 23.

e Ovid. l. 4. Trist. eleg. 4. f V. Corn. in canon. pag. 311. g Matth. 23. h P. Rho. var. virtut. hist. l. 4. c. 4. §. 15.

onerariis semper adest; sed tanta vis mortalium jam erat, ut lembus haud dubiè, vel placido mari esset absorbendus, nisi jactu corporum exoneraretur. in hac tanta desperatione, sortes jaci placuit. attonitis omnibus, capitique suo timentibus, feralis designatio Gasparem Ximenium morti destinat, nec ille abnuebat: sed objecit Ferdinandus natu minor; vociferans: enimverò non passurum se, ut Gaspar spargeretur in fluctus; si exonerato navigio sit opus, vicarium se caput suum offerre. Contra Gaspar, cui satis si in altero superstes foret, sibi perire sorte datum, viveret ipse diutiùs, qui tardiùs incepisset. Sed frustra, felicior eloquentiâ Ferdinandus fuit, persuasitque reliquis ut se victimam publicæ salutis dederent. Itaque omnium comploratione in undas abjicitur, trecentis supra sexaginta à terra passuum millibus. Haud passus est Deus tantam charitatem flumine obrui: *a nec aqua multa potuerunt exstinguere.* vires & animos amor dabat, ut diem pene totum natando, lembum sequeretur. Tunc verò pudor navigantibus obortus, & unius corpusculi pondus, minoris momenti visum. adnantem læti excipiunt, ac mari malacies reddita est.

b Nobilis hæc esset pietatis rixa duobus,
Quod pro fratre mori, vellet uterque prior.

Anima Gasparis, *conglutinata* erat animæ Ferdinandi, hic in illo vivere, alter in altero mori videbatur. gluten hoc, (quod utinam cujusvis familiæ, urbis, & orbis universi animos conjungat) non aliud quàm charitatis censetur; ad hanc porrò virtutem B. Petrum Card. Damian. sic paucis hortatur: *c sinceræ dilectionis glutino coalescat.* quo fiet, inquit Bernardus, ut *nihil à foris vos conturbare aut contristare possit, si intus bene uniti estis, & fraterna pace gaudetis.* quemadmodum in vasta illa totius orbis illuvie, inter ventorum turbines, oceani minas, cœli iras, arca glutine suo, seu bitumine munita, intrepidè ferebatur, & intus mutua pace gaudebant; ubi è contra si Noë in uxorem, frater in sororem, nurus in socrum, leo in vitulum, lupus in ovem, vulpes in gallum, aquila in columbam insurrexissent, spelunca latronum, & cavea acerbissimæ lanienæ extemplò exstitisset. Quisquis hæc audis Noë paterfamilias, domi arcam habes, rimas agit, ubi gluten amoris deficit. spelunca latronum fit, si parens velut *d leo in domo sua, evertens domesticos suos*; si mulier iracunda: *non enim est ira super iram mulieris; commorari leoni & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Causam nostis cur *e Ionathas expoliavit se tunica, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua?* celebris interpres hanc unam adducit, *f* quòd cùm anima Iona- " thæ conglutinata esset animæ " David, illum ut alterum se " dilexerit, atque adeò in eodem "

a Cant. 8.
b Mart. lib. 1. Epigr.

c Damian. exhort. ad charit. tr. de perfect. Bern. serm. 29. in Can.
d Eccl. 25. e 1. Reg. 18. f Nierenber. Stromat. lib. 7. cap. 8.

" habi-

„ habitu videre desiderârit: po-„ tuit, inquit, Jonathas Prin-„ ceps Israel, auri & argenti „ vim, gemmas & monilia, pri-„ mitias amoris tradere amico, „ sed maluit vestes. quæ libera-„ litas, mysterium amicitiæ fuit: „ per hanc ceremoniam conse-„ cravit Davidem, *a* alterum „ se. Ubi rectè subjungit, ab a-„ miciendo amicos, aut ab ami-„ cis amicire derivatum esse. Erravit itaque Plato, dum descripturus amorem, *b* Socratis habitu & vultu eum expressit; Jonathæ vestitu, & lineamentis effingere debuisset.

Soror junior ornatior est, gratiosior est; filius natu major splendidiùs induitur, liberaliùs habetur: si animi conglutinati sint, si diligis eum sicut te ipsum, sicut animam tuam, tunicam polymitam ei non invidebis; sed & hanc, & omne bonum illi, velut tibi ipsi congaudebis, juxta divinum illud Pauli monitum: *c si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Hoc D. Chrysostomus declarat usu quotidiano, quo videmus, si caput coronetur, omnes partes honorari, totum hominem exaltari. *d coronatur caput, & totus homo glorificatur.* lingua generoso vino reficitur, & cœtera membra vigent; ac lætitiâ gestiunt. *vigor,* inquit, *unius membri, in juvamentum cedit aliis membris.* stomacho refecto, omnia membra instaurantur; ut præclaro apologo Menetius docuit, quo Romanam plebem in partes dissectam univit.

Utilissimam hîc praxim adfert Augustinus: *e Sic ergo & tu congaude illi, cui Deus aliquam gratiam dedit, & potes in illo, quod in te non potes. ille habet fortè virginitatem, ama illum & tua est; Iterum, tu habes majorem patientiam, diligat te, & sua est. Ille potest satis vigilare, si non invides, tuum est studium ejus. tu fortè potes ampliùs jejunare, si amat te, suum est jejunium tuum. hoc ideo, quia in illo tu es: per proprietatem enim non es tu, per charitatem tu es.* Ita & tu, vicini tui lucro gaude, & tuum est. honorem, dignitatem adeptam gratulare, & tua est. studia proximi ac conatus lauda, & tui sunt. I. Reg. 19. *locutus est ergo Ionathas de David bona, ad Saul patrem suum.* Hoc alterum sinceræ dilectionis officium est, ut Francus quidam disertè docuit: *f* tribus hisce amorem comprobari: 1. *honorando amicum præsentem.* 2. *laudando absentem.* 3. *juvando egentem:* incredibile enim est, quàm afficiat, si intelligat se absentem ab altero, quem subinde suspectum habet, luculenter collaudatum. hic amoris genius est, nihil in amato, nisi laudabile cernit, quia ut aureus Orator ait: *g perfecta charitas alis aureis, omnium, quos complectitur, vitia tegit.* quo fit, ut nihil umquam carpat, nihil sugillet, nihil exsibilet, nihil censuret; atque adeo lingua lingat, & neminem lædat. quod de se Hier. sincerè tulit elogium: *h ne-*

a Idem cap. 11.
b Plato in Symposio.
c 1. Cor. 12.
d S. Chrysost. hom. 3 in 1. ad Cor. 12. S. Thom. in 1. Cor. 12.

e S. Aug. lib. 50. hom. hom. 15.
f Loys Garon chasse ennuy cent. 1. §. 95. *g* Chrysost. cap. ult. in 1. Cor. 13, 5.
h Cit. Suar. l. 9. de Relig. c. 1.

minem speciatim sermo meus pulsavit. quod utinam quisque nostrum usurpare possit! in convivio, in foro, in navigiis, in rhedis, in quovis hominum congressu: *neminem sermo meus læsit:* splendidum enimverò præ jejunio, eleemosyna, cæterisque bonis operibus post fata elogium; si quidem qui *in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, Jacob. 3. qui nemini umquam nec verbo, nec facto, dolendi, nec ingemiscendi ansam præbuit. Quod de Ethnico commemoratur: Pericles Dux & orator nobilissimus, *a* cum remp. Atheniensem 40 annis feliciter & prudenter gubernasset, lenta tabe consumptus, ad extremam vitæ lineam pervenit. Eique jam propè animam agenti, præstantissimi cives & amici qui convenerant, virtutes bellicas, res gestas ac victoriarum palmas commemorabant: quos interrumpens Pericles, emortuâ voce, miror, inquit, hæc à vobis commemorari, quorum partem fortuna, partem aliena industria & militum robur sibi vindicat, & quæ pluribus ducibus obtigerunt; quod verò præstantissimum judico, prætergressi estis; *nemo ex omnibus civibus, mei causâ pullam vestem induit*; voluit dicere, neminem umquam prudens aut volens læsi, nemini causam doloris, exacerbationis, aut afflictionis animi præbui. O si mercator, causidicus, senator, ô si hoc quisque nostrum moriturus liberè pronuntiare posset! *b (nulli dantes ullam offensionem)* quicumque ille est, hanc brevem sed laudatissimam, in qua omnia continentur, panegyrim merebitur, quam Ambrosius in funere Theodosii Imper. attulit: *dilexit.* Quod sibi jure optimo Elogium meruit homo Societatis, Joannes Baptista Romanus: *c* naufragium hic passus, fluctuabat tabulæ innixus & vicino cum fluctu natans luctabatur homo Judæus, cujus in periculosissimo illo rerum articulo, salutem sibi minimè negligendam ratus, de Christi fide amplectenda compellat. Sed fremente mari, audiri quî poterat? ergo ne auxiliantem sperneret, qui monentem non audiebat, tabulam Judæo concedit, pactus, si enataret, baptismum; ipse interim sine tabula, charitate vectus, littus occupat, & paulò pòst Judæum appulsum ex aquis eripit, ut melioribus mergat & salvet. Per ipsos rubri maris gurgites feliciùs patres transnatasse non dixerim: nam quod illi adumbrârunt, hic recepta salute coloravit. Denique ut eò, unde exortus est, sermo noster revertatur, verus amans vivit in amante, juxta celebre illud axioma: *anima magis est ubi amat, quàm ubi animat*, de quo sic Albertus Magnus: *d* trahit amor amantem se, & collocat "eum in amato, faciens ei inti- "missimè adhærere: *plus enim* "*est anima ubi amat, quàm ubi ani-* "*mat:* quia sic est in amato, se- "cundum propriam naturam, "rationem & voluntatem; sed "in eo quòd animat, tantum "est secundum quod est forma, "

a Plut. in Pericle. *b* 1. Cor. 6.

c P. Rho. variæ virt. lib. 1. cap. 3.
d B. Albert. M. lib. de adhærendo Deo cap. 12.

„ quod

„quod etiam brutis convenit. „Ex quo quis rectè concluserit, „arctiorem inter amantes, quàm corpus inter & animam unionem reperiri. a *Ecce igitur quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum.* Quæ divinus Doctor Aug. de viris Religiosis exponens ait : *qui sic vivunt in unum, ut unum hominem faciant: ut sit illis verè, quod scriptum est, una anima, & unum cor. multa quidem corpora, sed non multæ animæ, multa corpora, sed non multa corda.* Ut nescio quo nominis omine illud Anagramma, *Ionathas & David*, HODIE UNITAS DATA EST, verissimum hîc comprobetur.

a Psal. 132.



EMBLEMA XLVI.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Matth. 9.



ANIMVM PICTVRA PASCIT INANI.[a]

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

De Malitia cogitationum, quæ in animo, velut ſpecies in cubiculo obſcuro per anguſtum foramen, quaſi per oculum, relucent.

§. I. ABOMINATIO DOMINI COGITATIONES MALÆ.[b]

§. II. *Quæ cogitatio peccaminoſa, & quinam ob ſolam cogitationem damnati.*

§. III. *Cogitationes pravæ continuò repellendæ, Deo per Prophetam commonente:* AUFERTE MALUM COGITATIONUM VESTRARUM AB OCULIS MEIS.[c]

Virg. 1 Æneid. b Prov, 15. c Iſa, 1.

DOMI-

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTSEN.

Vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris. Matth. 9.



Compertum eſt, quemadmodum ſtupendo naturæ artificio, elegantem formâ juvenem, teipſum ſi velis, horto inambulantem, cum ipſo viridario, ac omni florum varietate, nullo adhibito colorum ſucco, nullo penicilli adminiculo, nullo pretii, ne operæ leviſſimæ impendio, tam ſcitè exprimere valeas, ut ne pilus capiti, nec frons nemori, in hac tabulâ deſiderari queat, quo à prototypo ſuo diſcrepare videatur; idq; facilitate ac felicitate tanta, ut puncto temporis imaginem hanc, omnibus lineamentis abſolutiſſimam, oculis etiam amici abſentis proponas: cui, quod ipſe conteſtaberis, longè Protogenis ſatyrum, Zeuxidis uvas, Apellis equum, Thimantis Iphigeniam concedere neceſſe eſt.

Hujus perquam elegantis picturæ experimentum, Franciſcus Aguillonius, *a Mathematicarum artium in paucis eruditiſſimus*, tradidit: ex quo, inquit, ſpectator non mediocrem hauriet voluptatem. „Conclave ita occluſum ſit, „ut nullum omninò lumen admittat, præter orbiculare foramen, quo feneſtra pertuſa ſit. „Hinc aptetur vitrum circulare „ex tubo optico, ſeu conſpicillis „quæ augent. His ita comparatis, charta candida intus vitro „objiciatur, ea diſtantiâ, quâ radii ſolares nati ſunt in unum „coire. Hic quæcumque foris „ſunt, propriis velut coloribus „depicta, in chartâ conſpicientur, „non ſine magna aſpectus illecebrâ atq; animi oblectatione, nihilque à re ipſa imago diſcrepabit, niſi ſola magnitudine & „ſitu: omnia enim inverſa ſpectantur; ita, inquit, plebem imperitam circumvenire ſolent „vani quidam præſtigiatores, qui „jactant ſe poſſe Dæmonum ſpectra ab inferis evocare, & ſpectantium oculis ſiſtere: quod „ut præſtent; introducunt curioſos illos in obſcurum conclave, „quo per exilis vitri orbem, radius dumtaxat aditum rimatur; „ibi ſilentio ſeverè indicto, ſimulatiſque myſteriis rerum ac „verborum, atque adeò exſpectatione ipſa, dæmonem mox „adfuturum denuntiant. Interea „clanculum de eorum ſodalibus „unus dæmonis perſonam induit, quâ is vulgo pingi ſolet: „tum is foris eo obambulat loco, ex quo ſuus & color & figura per vitreum orbem, in „conclave transfundi poteſt. Rebus ita callidè comparatis ſilentium ſeverius imperatur, „quaſi proditurus ex inferis genius; hic pallere alii, alii ſudare „metu rei eventuræ. Profertur „candida tabula, opponiturque „radio, & ecce prodit in ea dæmonis ſimulachrum obambulantis ſpecie; cernunt timidi, intuentur,

a Biblioth. Societ. P. Aguil. opt. l. 1. prop. 42.

tuentur, contemplantur. Ita si collibitum, alia spectra ac feras ad terriculamentum objicere consueverunt. Non absimiles profectò in arcano mentis conclavi, ab omni hominum, imò & dæmonum, ac Angelorum conspectu, per oculum veluti per orbiculare vitrum immissæ species, seu imagines rerum (quas cogitationes appellant) exhibentur; quas in quibusdam amœnas, castas, sanctas, divinas; in aliis tetras, obscœnas, vanas, sacrilegas mens ipsa, seu imaginatio effingit atque depingit. Quod stilo suo Seleuciensis Antistes Basilicè pertractavit, dicens: *a mens nostra velut pictor est; in anima, velut in tabula, cogitationes prout vult format. Et sicut pictor quod in obscuro pinxit, postea in medium profert, & deducto velo spectandum proponit; ita post vitæ exitum, corpore velut velo amoto, ea quæ à se in anima ceu tabulâ, picta sunt in occulto, in lucem prodibunt; tunc videre erit animæ tabulam variâ historiâ refertam, & omnibus in spectaculum propositam: si igitur ex divinis literis historia, & virtutes conspectæ fuerint, laude dignus judicabitur.* Si animus puellæ, in se Agnetes, Cæcilias, Theresias expresserit; si mens Adolescentis, Alexios, Casimiros, Aloysios efformârit, *laude dignus* erit. *Si verò turpes & indecoræ, turpibus historiis, monstrosâ specie apparuerint, quanto, Deus bone! pudore ac confusione pictor dignus judicabitur?*

a S. Basil. lib. de vera Virgin.

§. I.

Abominatio Domini, cogitationes malæ. Proverb. 15. v. 26.

TEterrima orbis spectra cacodæmones, sic olim Tertullianus depinxit: *b quorum tot sunt venena, quot ingenia; tot pernicies quot species; tot dolores quot colores.* Quâ velut unâ fideliâ, perversæ cogitationis turpitudinem adumbravit. Hæc enim verò, naturâ præcellentes illas, supra omne quod humanum est, intelligentias, gratiæ insuper splendore condecoratas, momento temporis, in tartareas atque adeo terrificas belluas commutavit. Isa. 14. Antesignanus eorum, *dicebat in corde suo, in cœlum conscendam.* Vbi Doctor Angelicus: *cogitabat usurpare locum divinum*; & fœdam illam intolerandæ superbiæ imaginem vixdum in se expresserat, cum è vestigio, ut idem docet: *improperans* Deus *superbam cogitationem*, Luciferum cum sequacibus, qui cœperant quoq; *cogitare sublimia gloriantes*, ad inferos deturbavit. Hanc qui gravissimam catastrophen expenderit, nonne verissimum illud Sapientis oraculum agnoscet; *c ante ruinam mala cogitatio.* Quâ solâ quotidie, tot Angelicæ mentes ac integerrimæ animæ, in execranda monstra conversæ: atque omnes virtutum ac sanctissimarum cogitationum imagines, quas per annos 30. 40. 50. in se animus expressit, una quandoque superbiæ, iracundiæ, gulæ, luxuriæ admissa spe-

b Tertull. de Scorpiaco. c. 1.
c Prov. 16.

cies,

cies, spurcissimo veluti cœno prorsus inficit, ac omnino deturbat. Dabitis, spero, vos, hic mihi veniam Auditores, ut in re gravissimâ, facinus addam paulò quidem festivius, maximè tamen ad rem præsentem accommodatum.

Fuit superioribus seculis Bonamicus, cognomento Buffalmaccus, pictor inter primos nobilis, a atque ex iis unus, qui picturam ex Italia pulsam immanitate bellorum, exstinctamque penitus revocârunt. Hunc Aretinus Antistes, non prece minus, quàm pretio conduxit, ut sacram ædiculam seu sacellum in templo ejus urbis maximo, coloribus exornaret. Ergo, ut erat ingenio non tam ad quæstum, quàm ad gloriam præsenti, factoque: magnis animis rem aggressus, totam excussit artem, ut opus ea in urbe perfectissimum, velut obsidem immortalitatis absolveret. Verùm ut magnis inceptis, magnæ plerumque interpellationes obveniunt, accidit aliquando, cum ex more venisset ad tabulam, ut animadverteret quantum in ea pictum hesterna die, expressumq; fuerat, alterius manu deletum, lituras & maculas, quædam quasi vulnera inflicta corporibus: verbo, totum opus infectum ex facto. Exarsit ilicò ad tam fœdum spectaculum Bonamicus, & multa secum de non ferendâ injuriâ, deque ipso auctore meditatus; demum quod æmulis in urbe non careret, ne turbas malo suo excitare cogeretur, statuit ex ingratâ, ut ajebat, urbe discedere; sed ab humanissimo Præsule, verbis amicissimis delinitus, persuaderi passus est sibi, ut rem iterum non sine spe melioris exitus aggrederetur. Sed ante fidos aliquot stipatores, veluti succenturiatores in latebras insidiasque conjecit, ut si quem ejusmodi fraudis artificem in scelere deprehenderent, ilicò erumperent, & arreptum penicillis paulùm longioribus, hanc artem dedocerent. Ergo restituta in pristinam venustatem pictura, non multum abiit temporis, cum obtulit se facinus ipsum, pro quo tam strenuè excubabant. Nam dum absente artifice excubitores operam navant, ecce tibi pedum strepitus audiri, illi arma pariter expedire, occupatisque hinc atque hinc locis, fugam præcludere: cum adest in tempore maleficus injuriæ molitor ac doli artifex, suique pariter ac hostium securus prorepit in medium, tabulatum ascendit, opus aggreditur. Quid exspectatis auditores? Simiolus, simiolus, quem in deliciis habebat Antistes, inventus est auctor injuriæ. Is cum sæpe Bonamicum dum pingeret, observasset, ut est ad imitandum solertissimus, voluit absentis Magistri sustinere partes; vascula itaque, conchulasque colorum confundebat, & nulla lege illinebat: quo viso, excubiæ in risum solutæ sunt. Sed non risu solvenda est venustissimarum gratiarum & pulcherrimarum in animo imaginum jactura, quæ à stygio illo simio, divinam manum indignante, turpissimè commaculatæ ac pollutæ sunt. Quàm primum enim homo lympha baptismatis ablutus est, ilico animi tabula, candore gratiæ collustrata,

a Guinisius allocut. prcgymnast. 4.

ta, primam in se, eamque elegantissimam effigiem efformat; instanti illo, quo primum perfectæ rationis usum adeptus est: siquidem hæc D. Thomæ ac Thomistarum, aliorumque doctorum sententia est: a præceptum diligendi Deum, quemlibet obstringit, ut hoc primo tempore sese ad Deum suum, per actum amoris convertat; & hanc primam cogitationem, picturam sanè omni pretio superiorem, in se exprimendo, divinis oculis proponat, ipsum audite: b *primum enim, quod occurrit homini discretionem habenti, est, quod de se ipso cogitet, ad quem alia ordinet, sicut ad finem. Hoc est tempus, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quod Dominus dicit; convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Scio alios aliter sentire, atque hoc præceptum, ut paucis exploratum, ita in tenera hac ætate, ut plurimum non observari; istud tamen parentibus potissimùm inculcandum est, nihil utilius, nihil Deo gratius liberis instillari, eosque edoceri & assuescere posse, quàm Deum ex toto corde, actu elicito diligere: sciscitando ubi Jesulum ament? An Jesulum diligant plusquam se, & omnia? quem amoris actum, in longum vitæ tempus, citra grave peccatum differri non posse, Theologi testantur. Quare si quis fortè per omnem vitam, nullum ejusmodi actum elicuerit, ignorantia hactenus excusare potuerit; sed quam primum Deum ex toto corde, & tota mente: hoc est, c ex *toto intellectu* diligat, & ut Aug. monet: d *omnes cogitationes suas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferat, à quo habet ea ipsa, quæ confert.* verùm enim verò ne hæc supra vulgi captum, Theologicè magis, quàm populariter disceptemus: nemini dubium esse potest, plures candidissimas mentes reperiri, quæ cœlestis illius pictoris ductu, ab ineunte adolescentia quasi in rasâ tabulâ, sanctissimas cogitationum imagines in se effinxerunt: unde videre in quibusdam puellarum mentibus, species Agnetis, Cæciliæ, Virginis Matris, ac dilectissimi sponsi. In adolescentibus formam, Aloysii, Ædmudi, Alexii; in his & illis, variarum virtutum colores, ac divina quædam lineamenta expressa. Testem habeo Ambrosium l. 6. hexam. c. 8. ubi suavi melleoque, ut aliàs solet, eloquentiæ fonte, hæc pauca in aurem & animum immittit, ut picturam ab arte & artifice commendet: *pictus es ô homo, & pictus à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cerâ expressam, sed gratia Dei. Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere. Grave est enim crimen, ut putes, quod melius te homo* (ut melius te dæmon) *quàm Deus pingat. Grave est ut dicat de te Deus: non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam.* Omnem splendorem, omnem elegantiam, omnem venustatem præstantis illius tabulæ, stygius ille simius unicâ venereâ cogitatione, quâ homo delectatur, adeò fœdè conspurcat,

a Navarus. Sotus. Tolet. Rodrig. apud Fagund. in præcept. decal.
b S. Thom. 1. 2. q. 89. a. 6. ad 3.
c Magister sent.

d Aug. l. 1. de doct. Christ. c. 22.

ſpurcat, ut veriſſimè Auguſtinus pronuntiârit: a *Nihil hac picturâ dicunt eſſe ignominioſius & deformius, & quod minus bonorum ferre poßit aſpectus, & verum dicunt.* Quid, quod ab ipſo naſcentis mundi exordio, parentes noſtri in altiſſimam omnium miſeriarum ruinam univerſum genus humanum induxerint, ubi immiſſam per Angelos malos cogitationem, Eva mente excipiens, ſe & virum ſeduxit, ubi Auguſt. b *liberum eſſe* aſſerit *ingeſtam cogitationem ac ſenſum reſpuere, aut cogitationi conſenſum præbere. Debuit Eva non conſentire, etſi non potuerit non ſentire*; Quem aſtum diabolicus ſerpens, toties etiamnum uſurpat, quoties cogitationem lubricam Evæ, id eſt carni, movendo imaginationem ingerit, quæ ſenſuali delectatione pellecta, ad affectum trahit ſpiritum, utpote conjugem chariſſimum: atque adeò ubi tres illi conſpirant; dæmon, caro & ſpiritus, nihil non mali cogitant & factitant. Ita fit, quod homini illi agreſti accidit, qui colubrum frigore rigentem imprudens ſuſtulit, & domum delatum fornaci admovit: hic ubi incaluit, virus cum viribus reſumpſit, totamque deinde domum infecit. Noſtis quàm latè cogitationes ſerpentes, venena ſua diffuderint? non domum unam, non urbem, ſed orbem univerſum infecerunt, nec virus expiari, niſi omnium exitio, ac generali cataclyſmo potuit. Gen. 6. *videns Deus quòd multa malitia creviſſet in terra, & cuncta* COGITATIO *cordis, intenta eſſet ad malum omni tempore: debebo,* inquit, &c. Hîc Chryſoſtomus: *magna,* ait, *horum verborum emphaſis, non dicit aliqua cogitatio, ut diverterent quandoque ad bonum, ſed cuncta cogitatio. Et cordis inquit cogitatio, quaſi diceret: non ex ſubreptione, ſed ex corde cogitabant. Idque omni tempore, per ſingulas horas, in hoc ſtudium ſuum collocabant. Nec ſemel & iterum vel fortuitò, ſed omni tempore. Quid verò poſt has cogitationes: omnis caro corrupit viam ſuam.* &c. Ita unum malum, crevit in omne malum. Porrò iſtud velut novo diluvio, ubertimis digniſſimum eſt lachrymis: hac noſtra noſtra ætate, in hac urbe, in hoc cœtu non paucos reperiri, quorũ *cuncta cogitatio cordis, intenta eſt ad malum omni tempore*; ſive ruri, ſive domi, ſive in foro, ſive in templo, ubicumque degunt, has ſordes animo volutant, hæc ova aſpidum fovent, quæ non in unum regulum erumpunt. Novi virum Lovanii, naturalium rerum ſtudio impenſius deditum, cætera inter experimenta, ova ſeu ſemen lumbrici, pixidi incluſum per dies aliquod admoto pectori foviſſe, ac tandem ex hoc ſemine, maximè varia inſectorum genera prorupiſſe, vermes, culices, cyniphes, muſcas, omnes inter ſe formâ & colore diſcrepantes, quod ut ad animum referas, c *pravas cogitationes,* inquit S. Nilus, *ſemen diaboli exiſtima*, ex quo ſemine, quot & quanta genimina viperarum pullulent, Matthæus & Marcus teſtantur: d *de corde enim exeunt cogitationes malæ*; ex his verò: *homicidia, adulteria, fornicationes,* furta,

a S. Aug. l. 5. de civit. c. 20.
b Aug. l. 3. de lib. arb. c. 25.

c S. Nilus in parænet.
d Matth. 15. Marc. 7.

furta, falsa testimonia, blasphemia, avaritia; nequitia, dolus, impudicitia, oculus malus, superbia, stultitia; & addit Marcus: *omnia hac mala ab intus procedunt.* Vbi August. *a nihil est certè istorum malorum, quod cogitatio non antecedat mala.* Quæ cum ita sint, nemo quisquam mirabitur, omne studium tartareos illos spiritus collocare, ut pravas hominum animis cogitationes, pro cujusque genio & ingenio ingerant: hinc solerter nonnulli juventuti invigilant, ut vel obscœnis tabellis, seu libris impuris, verbis lascivis, speciem quandam nigerrimam candidæ menti indant, quæ non modò animum sæpe sæpius per omnem vitam conturbat, sed nisi calidis & multis lachrymis eluatur, suos secum ad æterna abripit incendia. Quod olim Deus gravissimè questus est: *b sensus & COGITATIO humani cordis, in malum prona sunt, ab adolescentia.* Alii conjugatis Susannas, Bethsabæas, Potipharis uxores objiciunt, in quo nefando adulterii scelere, ut plures facti enormitatem aversentur, animo tamen hanc imaginem admittere, ac scelus mente concipere non erubescunt: ubi dæmon eo propè astu utitur, quo olim Cajus Pompejus, qui, ut Sextus Julius commemorat, cum infestos haberet Tuccenses, nec eos superare posset, perhumaniter postulavit, ut saucios aliquot è suis ac morbidos apud illos refici paterentur, nec ægrè impetravit: robustissimis ac maximè validis languentium colore, situ & incessu, in urbem missis & admissis urbem occupavit. Haud aliter viri, cæterùm probi & timorati, qui suggestiones gravioris flagitii perpetrandi, veluti fortissimos hostes strenuè repellunt, nudas dumtaxat cogitationes quasi debiles & languentes inimicos, haud formidandos admittunt, qui totam magni Regis civitatem, animæ cœlestis Jerusalem diripiunt, & furialibus libidinis flammis incendunt. Cum summus ille Legislator Christus, hoc præceptum omninò sacrosanctum esse voluerit: *c Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo;* ubi sola cogitatione hominem mœchari, magnus Gregorius observat: *d Per Moysem,* inquit, *luxuria perpetrata; per auctorem verò munditia, luxuria COGITATA damnatur.* Quare memor Sapientis moniti: *e cogitatum tuum habe in præceptis Dei.*

Alii denique primariam sibi provinciam sumpserunt, ut Religiosos, Moniales, Anachoretas, ac homines sanctissimos pravis cogitationibus infestent; in ipsas solitudines, per claustra, per crates, per seras, cogitationes in intimum cordis sinum penetrant, ut facilius sit cœlum claudere, quàm animum. Hoc B. Petri Damiani S. E. R. Cardinalis Judicium est: *f non puto quod ille, qui clausit cœlum oratione, clauserit animum cogitationi; ut facilius sit cœlum obserare, quàm animum.* Sine cogitatione mens esse non potest, semper aliquid volvat necesse est: *g sicut molendinum,* inquit Bernardus,

a Aug. l. de continent. c. 2.
b Genes. 8.

c Matth. 5. *d* Greg. l. 21. mor. c. 2.
e Eccl. 6. *f* B. Damian. serm. in Nativit. B. Virg.
g S. Bern. l. medit. c. 9.

dus,

dus, *velociter volvitur, & nihil respuit; sed quidquid imponitur, molit. Sic cor meum semper est in motu: & sicut molendinum, arena, si imponitur; exterminat, pix inquinat, palea occupat; sic cor meum cogitatio amara turbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat.* qua eadem similitudine usus est S. Anselmus lib. similitudinum c. 41. *a* eoque illud Ecclesiastici spectare videtur: *b Quasi axis versatilis cogitatus illius.* O si orbi innotesceret, quàm vanæ etiam quorundam Religiosorum hominum cogitationes sint! quid sacris intenti, quandoque animo volvant, & molant, & moliantur! cerneremus quod olim Sancto Macario ostensum est, cacodæmonem lateres colligentem, & calcem apparantem viro religioso, in matutinis de cellæ fabrica cogitanti. Atque aliud non minus infame spectaculum objiceretur, quo hostis tartareus mystæ ad aram facienti, & multum animo in ollam intento, quam igni apposuerat, turpiter illusit; dum ollam ei ad aram detulit. Subpuderet & nos, si quæ quisque animo velut molendino volvit, mortalium oculis exhiberentur. Quis credat Monachos sub humili tunica altiores cathedras, sub vili caputio auratas mitras: moniales sub levi velo, graves pedos volvere: alias ex iis, quæ quondam visu vel auditu perceperunt, sibi imagines moliri. ut ille in vitis Patrum de se fatetur: *c* & *veteres, & novi pictores, sunt cogitationes meæ,* omnia nova & vetera, mentis oculis proponunt; quo fit ut legens, & orans, & psallens, animo subinde minùs sereno sit. Mira quibusdam ea Redemptoris nostri, apud Lucam, interrogatio visa fuit: *d quid turbati estis,* ET COGITATIONES ASCENDUNT *in corda vestra?* Quid? improbantur etiam cogitationes, quæ sursum tendunt, quæ in cœlum ascendunt? Responsum in simili clarius illucescet: aquam turbari dicimus, dum limus commotus ex fundo ascendit: cœlum turbari, dum vapor ascendit: qui diem & Solem oculis eripit, ita in anima justi, quæ cœlum nuncupatur, ubi limus concupiscentiæ exagitatur, ut fumus vanitatis, aut vapor ex carne nostra, quasi ex bullienti olla ascendit, cœlum & Deum quandoque menti eripit. Hoc in persona nostra de se querentem Bernardum audiamus: *e quid enim,* inquit, *si cessant manus, & non cessat pectus? quid si os jam silet, necdum cor quiescit. Si singuli illiciti motus animi mei, singula quædam in te Deus sunt convitia: utputa iracundiæ motus in mansuetudinem, invidiæ in charitatem, in frugalitatem luxuriæ, turpitudinis in castitatem, & innumera his similia, quæ de cœnoso lacu prurientis pectoris mei, etjam nunc incessanter ebulliunt inundantes, & impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui.* Ac tandem concludit: *quid magnum feci cohibere actus,* ubi vapores illos fœdissimarum cogitationum pectus exhalat? eadem sanctissimi Hieronymi querela est, qui

a S. Ansel. l. Similit. c. 41.
b Ecc. 38.
c Rosvveid. vit. Patrum. l. 5. pag. 574.

d Luc. 24. *e* S. Bern. ep. 42. ad illa verba Isa. 1. auferte malum cogitationum.

per-

perdius & pernox, in vasta illa solitudine orationi vacabat, hic sibi indignabatur, quoties evagari contingeret: *a creberrimè*, inquit, *in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione, etiam quæ dictu erubescenda sunt, gero.* Tum se incitabat: *ubi est fides? siccine putas orasse Ionam? sic tres pueros? sic Danielem inter leones? sic certè latronem in cruce?* Quorum oratio ascendebat, non ut pestilens vapor, sed ut *b virgula fumi*. Vos autem quoties in oratione cogitatione turpi, profanâ, vanâ abducti, quæ erubescenda sunt, mente tractatis? ut si omnes cogitationes, quas horæ spatio in templo, in cella, in oratorio, orationi intentis obversantur, hominum oculis, ut quondam Benedicto, Francisco, Anselmo divinitus concessum est, paterent, qualia, Deus bone, spectra, quales chimeras cernere liceret. Vide hæc fusiùs dicta p. 1. Dominica 12. post Pentecosten. §. 4. Ea propter Regius Psaltes ad Deum clamabat: *c dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Ex oratione verò tua, non fragrans ille odor incensi, hoc est ardentissima ac purissima in Deum cogitatio dirigitur, sed densissimæ ac fœtidissimæ pravarum cogitationum nubes glomerantur, quæ tibi ex oculis diem, seu Deum potiùs eripiant, tuamque mentem caligine involvant, ac sua illa amarissimi fumi acerbitate, non consolationis lachrymas suaviter eliciant, sed desolationis, tædii, & non rarò desperationis exprimant. Quod quàm indignum, Chrysostomus expendit: *d si autem non incensum, sed mordacissimus abs te, ac graviter olens fumus ascendat, quibus suppliciis dignus eris:* non expressit supplicia, quasi adeò atrocia, ut nullis verbis explicare possit: etenim si quis eò audaciæ ac impudentiæ prorumperet, ut sacras aras odoribus incensurus, pro fragrantissimo suffitu, massam quandam sulphuream, aut alias sordes in thuribulum conjiceret, eaque mephiti sacra altaria incensaret, nonne homo suspectæ fidei, aut omninò sacrilegus haberetur, & ut talis gravissimè plecteretur? Quid levius ille homo committit, qui preces suas gravioribus sordibus conspurcatas, ad cœlum mittit? nam ut rectè Cæsarius Arelat? *e Si bene & justè judicas, incomparabiliter graviorem putorem reddunt cogitationes luxuriosæ, quàm cloacæ: quia isti fœtores animarum sunt, illi corporum.* Rem adeò execrandam exaggerat Augustinus: *f si eligeres in Ecclesia facere adulterium intra ipsos parietes, quid te esset sceleratius? modò autem tu ipse es templum Dei, templum intras, templum exis, templum in domo tua manes, templum surgis: vide quid agas, vide ne offendas templi habitatorem, ne deserat te, & in ruinam vertaris.*

Apud Ægyptios, Alexandrinos, & non ita pridem apud Japonas, si cui templa adire libuisset, sub ipso sacrario infamem simium, vel atrum canem, aut felim conspexisset; idolum illis longè deformius, in templo animæ colit,

a S. Hieron. Dialog. adv. Lucif.
b Cant. 3. c Psal. 140.

d Chrysost. hom. 74. in Matth.
e Cæsarius hom. 6.
f S. Aug. serm. 16. de verb. Dom.

colit, qui prava se cogitatione oblectat: *a omnis homo in tempore orationis, quidquid attentus cogitat, hoc pro Deo adorat: si forum cogitat, forum adorat: si domum fabricare, vel vineam vel agrum colere, ante oculos cordis proposuerit, hoc in illa oratione pro Deo habebit. Taceo de malis & fortè turpibus cogitationibus.* Evertat hoc, & mentem feriat, vibratum è vaticano oraculum: *b reprobis mentibus magnum non est immunda cogitare; sed coram Deo peccatum parvum non est, in templo Dei, hoc est in regenerato spiritu, immunda reponere.* Vide in hanc rem plura apud Mendozam l. 1. Reg. c. 1. ann. 11. sect. 2.

Denique ut omni loco, omni tempore, tartarei illi spiritus, mortales omnes infestare non cessent, potissimum tamen primitias diei, hoc est primam ubi quis expergiscitur cogitationem, sibi vendicare, & victimam immolari contendunt; cujus rei testem habeo Nazianzenum Theologum: *c est e spiritibus*, inquit, *unus, qui præcursor dicitur, qui nos ex somno surgentes protinus excipit, hic primum nostrum cogitatum inquinare nititur.* Quo fit, ut hic primò nummos & lucrum cogitet. Ille quid in prandio edulii & obsonii palato parandum sit, cogitet. Tertius carnem & venerem cogitet. Alter inimici sanguinem, injuriam illatam cogitet. Alius honores, dignitates, munia cogitet. Nonnulli prædia, villas, venationes, profectiones in Gallias; in Hispanias cogitent. *d iterum alius navigare cogitans.* Heu

a S. Aug. in commun. serm. 31.
b S. Greg. l. 6. in l. 1 Reg. c. 15.
c Greg. Naz. orat. in Cyprian.
d Sap. 14.

nemo ex his *e cogitat, quæ Domini sunt!* sed ut Propheta queritur: *f omnes cogitationes eorum in malum*, in vanum. Possent hîc induci, non modò quos Plinius, sed & ipsa quotidiana experientia, varios in varia pingendi arte magistros suppeditat; è quibus nonnullos reperire est; qui in assimilanda effigie humana excellunt, alii in ædificiis, quidam in venationibus & feris: valet aliorum ars in metallis ac vasis pretiosis, quorundam in esculentis & dapsili convivio depingendo elucet. Alii in hortis & viridariis insignes existunt. Haud aliter cacodæmon, ab ipso diei crepusculo, varias cogitationum, luxuriæ, avaritiæ, gulæ imagines, pro cujusque beneplacito effingere consuevit. Et his fœdis coloribus, tam tetris imaginibus quis vestrûm *g dabit cor suum in similitudinem* picturæ?

e 1 Cor. 7. *f* Psal. 55.
g Eccl. 38.

§. II.

Quæ cogitatio peccaminosa, & quinam ob solam cogitationem damnati.

AUgustinus lib. 12. de Trinit. cap. 12. *nec sanè cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda; tenens tamen, & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum.* Quod Lessius de peccato mortali intelligit, *h* & probat ex iis, quæ subdit Aug. *totus damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cùm voluntate*

h Less. de jure l. 4. c. 3. dub. 15.

animum

animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur. Quæ ubi D. Thomas adduxit, subsumit: *a sed nullus damnatur, nisi pro peccato mortali; ergo consensus in delectationem est peccatum mortale.* Quanti & quales viri ac fœminæ, ad hanc sententiam certam & infallibilem toti cohorruerunt! an fortasse mortale aliquod per lubricam cogitationem in animum admisissent? quot angoribus, scrupulis acerrimè divexati sunt, & etiamnum divexantur? qui ne frustra conturbentur, cum communi Theologorum Schola, virum Religiosissimum ac Doctissimum hac super re disserentem audiant: *b debet esse consensus ille* (ad peccatum mortale) *ex plena deliberatione, seu animadversione intellectus. Si enim nullo modo advertas illam cogitationem aut delectationem esse illicitam, nullum erit peccatum, etiamsi per diem in ea verseris, ut passim D. D. tradunt. Si imperfectè advertas, erit solùm veniale, ut cum res confusè se offert, instar mali certi vel dubii; sed mens aliis intenta, & vix sui compos, tenuiter id apprehendit*, ita ut *ad pleniorem considerationem remissè & languidè excitetur. Si planè advertas quid agas, & opus esse illicitum, tamen si voluntas consentiat, & positivè illa delectatio placeat, erit peccatum mortiferum, & tunc propriè dicetur delectatio morosa, eò quòd homo illi post plenam considerationem immoretur, quamvis brevissimo tempore id fiat.* Disputant verò, si voluntas nec positivè consentiat, nec etiam positivè dissentiat, sed permissivè se habeat, an peccet mortaliter? D. Thomas, Bonaventura, & alii cum Lessio, docent hominem teneri positivè dissentire, & conari repellere. contrariam, ut probabilem tuentur Cajetanus, Reginald. Locra, Navarrus Sanchez, Bonacina apud Dianam part. 2. tract. 17. resol. 33. & scrupulosis quandoque proponenda. Quibus positis, quisque sibi attendat, quas in animo cogitationes admittat, cum non solùm operum ac verborum, sed cogitationum omnium supremo Judici ratio reddenda sit; quod Barlaamus Regis filium Josaphatum edocuit, dicens: *c non enim actiones dumtaxat, verùm etiam cogitationes nostræ apud Deum in numerato sunt, coronasque aut supplicia conciliant*, eaque sempiterna. Quæ quò altiùs inhæreant, libet unum alterumve ad terrorem inducere, qui ob solam cogitationem pravam, æternis suppliciis addicti sunt.

Joannes Raulinus Ordinis Cluniacensis S. Theologiæ Professor: *d* scribit viduam miræ pietatis, & in pauperes profusam, apud urbis antistitem, qui ei à confessionibus erat, non levi sanctitatis famâ valuisse; quæ ubi semel oculos in herilem famulum conjecit, lubrica mentem subiit cogitatio, in eaque flagitium quidem externum exosa, sese delectando consensit; sic tamen ut sceleris admissi fœditatem, quam mox excusserit & aversata sit: quia tamen opere non complêrat, peccatum hoc solo animo admissum

a S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 8.
b Less. cit. n. 116.

c Damasc. in hist. Barlaam. c. 19.
d Raulin. in itinerario paradisi serm. 11. de pœnis infer.

confiteri

confiteri neglexit, nec multò pòst, lethali morbo correpta, rursus fœda hæc illi cogitatio objicitur; quâ vix dum oblectari cœpit, è vivis excedit, magnâ singularis sanctimoniæ relictâ apud omnes,& potissimùm apud Reverendissimum Præsulem, opinione; qui eam celebri pompa, in sacello suo, thesauri instar, tumulo condi curavit. Sed ô judicia Dei & hominum! nocte insequenti, cum eò se reciperet, ut matutinas horas recitaret,ecce tibi ædicula tota luculento incendio absumi videbatur: Deo confisus subintrat, atque hujus mulieris cadaver craticulæ candenti impositum cernit, affusâ undique cacodæmonum turba, coquentium in morem: pars tædis ardentibus rogum succendens, pars ferratis contis, sus deque miseram versabat. Quam ut agnovit, adjuravit ediceret quid commeruisset, quod adeò horrendè torqueretur? Respondit se damnatam, ob solam delectationem animo conceptam ex unica cogitatione. De ejusmodi verè olim Propheta: *a non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia Spiritus fornicationum in medio eorum.* Ob unicam cogitationem torqueri igne inextinguibili, in æternum! *b quis illam sortem damnatorum non fleat?* Ob momentaneam delectationem gaudiis excludi sempiternis!

—— quis talia fando
Temperet à lachrymis?

Ob vanam, & umbratilem sola mente delibatam voluptatem, in omnium miseriarum abyssum præcipitari! ô verè *c miserabiliores omnibus hominibus!* Sed erit fortassis qui miretur, summum quasi justitiæ rigorem: ut momentum voluptatis vel sola cogitatione delibatæ, æternis tamque atrocibus inferorum tormentis vindicetur: is audiat gravissimum Doctorem hæc pertractantem; *d quisquis,* inquit Augustinus, *hujusmodi damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.* Et infra: *e quisnam satis explicet, quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?* Pluribus quidem hic primi parentis lapsum, & morsum pomi ex gravitate pœnæ exaggerat, sed eadem ratio in omni peccato est, adeoque id maximè mirandum ac detestandum, eò temeritatis ac insaniæ quempiam devenire, ut momēto umbratilis ac imaginarii gaudii, cruciatus sibi acerbissimos, numquam finiendos, mercari prudens & volens non vereatur. Alia flagitia, lucrum, dignitates, sensibiles delicias pro scopo habent; hic verò umbra imaginaria hominem cœlo, Deo, bonis omnibus privat, & malis involvit numquam finiendis. Primi parentis nostri stultitiam posteri incusamus, qui pomo paradisum vendidit, de quo Bernardus: *f diabolus porrigit pomum, & surripit paradisum*; nec secius illum explodimus, qui lentis scutellâ primogenita vendidit. Illo autem longè stolidiorem mercatorem ducimus, qui 30. ar-

a Oseæ. c. 5. *b* Basil. *c* 1 Cor. 15.

d Aug. l. 14. de civit. c. 15.
e V. Bellarm. de Ascens. in Deum Grad. 15. *f* Bern. 1. gradu superb.

genteis

genteis omne bonũ, Deum suum vendit. Aliquid tamen est bonum, & lentis scutella, & 30. argentei; at verò: *quis sortem illam damnatorum non fleat*, qui ob solam voluptatem, momento cogitatam, in æternum torquebuntur.

Habes de fœmina, virum addo, *a* qui omnibus Ecclesiæ Sacramentis ritè munitus, unica cogitatione in portu naufragium fecit: Comi in Italia is meretrici assueverat; ad extrema deductus, animum sacra exomologesi integrè expiavit, ac sacro viatico munitus excedit. Bene mane cum pro eo sacerdos exequiale sacrum apparat, sub ingressum ad aram, vestis illi vellitur: dum facere pergit, idem monitor ad poplitem & femur obturbat, trudit. Tandem circumspectat, & ecce tibi ab aræ angulo fumantem nebulam, atque ex ea vocem: cessaret facere, se esse, quem pridie ritè expiasset; sed inter ipsum luctantis animæ egressum, unicâ venereâ cogitatione subrepente, eaque delectatum, è corpore excessisse, simul ad infernos cruciatus, irrevocabili Judicis sententiâ condemnatum. Juvat hic aureâ tubâ intonare: *b quod momentaneum est, & leve delectationis nostra, aternum ignis, ac tormentorum pondus operabitur in nobis.* Quod momentaneum est lubricæ cogitationis, lividæ cogitationis, elatæ cogitationis, æternum tormentorum pondus operabitur in nobis! *c ô sortem lugendam! post jejunia multa, post durum vita genus, post longas ad Deum preces, post uberes effusas lachrymas, denique post annorum 20. vel 30 abstinentiam*, (ob brevem & imaginariam delectationem) *nudum omnibus, ac tot laborum mercede privatum reperiri, & similem omninò fieri mercatori cuidam diviti qui in portu naufragium facit omnium, qua tanto labore & sudore parta.* O sortem lugendam! virgines Deo dicatas, viros Religiosos, post vitam per innumera Religionis ac virtutum omnium exercitia traductam, unicâ cogitatione omnium jacturam facere; tormenta inferni recole, *d* quæ rudi carbone supra adumbravimus, & expende, num hæc tam brevi & levi voluptate, mercari velis. Perversam istiusmodi hominis inconsiderantiam, deplorat Hipponensis Præsul: *e quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus suo sanguine redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem, diabolo vendat! verè nimium plangenda & miseranda conditio, ubi citò praterit quod delectat, & manet sine fine quod cruciat.* Jurisconsulti veteris Ulpiani placitum est: *cogitationis pœnam nemo patitur.* Ita in foro, in curia humana fieri videmus, ubi non cogitata, sed facta plectuntur. At Judex ille supremus; *f* qui *discretor cogitationum & intentionum cordis est*, longè atrocius minima perversè cogitata, quam mortales Iudices gravissima reorum facinora, punire consuevit; atque inter exquisita tormenta, quam immani pœnâ talionis, ipsæ cogitationes, inferos excrucient,

a Valadier. feria 5. hebd. pass.
b Chrysost. lib. de reparat. lapsi.
c S. Basil. hom. 21. in Prov.
d Part. 1. Dom. 5. post Epiph.
e S. Aug. serm. 150. de tem.
f Hebr. 4.

a non

a non est qui recogitet. Vnum hic Cardinalem Bellarminum audite: *b* cogitatio cruciabitur vehementissimâ quadam comprehensione eorum tormentorum, in quibus tunc & corpus, & animus versabuntur. Et cogitatio dolores acuet, & dolores cogitationes excitabunt. Istæ erunt perpetuæ contemplationes eorum, qui dum hîc fructuosè possent hæc meditari, non voluerunt, & qui his utilissimis cogitationibus, tamquam fræno libidinis uti dedignantur, eas tunc ut crudelissimos carnifices patientur.

a Isa. 57.
b Bellarm. de pœnis infer. serm. 3.

§. III.

Cogitationes pravæ continuò repellendæ, Deo per Prophetam commonente: AUFERTE MALUM COGITATIONUM VESTRARUM AB OCULIS MEIS. Isa. 1.

DE pavone scribit Bartholomæus Anglicus, *c* quod cum fœmella posuit ova, mas ea perquirat, & reperta confringat. Quod mirum videri posset, cum pavo tam speciosa & innoxia sit avis. Solet quidem scorpio devorare suos fœtus, natura eò compellente, ne animalia noxia invalescant; sed quid fœtus pavonis vitii celat, aut mali portendit, *d* ut à patre ad necem quæratur? ubi quidam illud causæ adstruunt: volucrem hanc *pennas quidem habere angeli, sed gressum furis, caput serpentis, & vocem diaboli.* Atque adeò sine injuria ovum conteri, & fœtum quasi in semine elidi. Pulchrioribus in speciem plumis, aliisque coloribus, dæmon cogitationẽ pravam vestit & adornat; sed quæ furis seu latrunculi in morem, per angustam quandoque rimam subintrat, & arcem animæ latronibus pandit, quæ tartarei serpentis virus diffundit, & diabolica suggestione seducit. Quare dum parvus est hostis, conterendus est, & ubi serpens caput ingesserit, ilicò conterendum; *e caput autem serpentis conterimus,* teste Gregorio, *cum initia tentationum extirpamus.* & S. August. in Psalm 48. & 103. *si diabolus tuum calcaneum observat, tu caput illius observa. caput illius est initium malæ suggestionis, quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio, & sequatur consensus.*

Calliditate hic Pharaonis opus est, qui omnes masculos Hebræorum vixdum in lucem editos, aquis præsocabat: prævidebat nimirum, bellum sibi non ab infantibus, sed ubi adoleverant cum tot bellicosissimis viris futurum. Ad consimilem sed spiritalem parvulorum lanienam Hieronymus fœminam hortatur: *f dum parvus est hostis, interfice. Nequitiâ ne zizania crescant, elidatur in semine.* Audi Psalmistam dicentem: *beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram; ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui ut cœperit cogitare sordida, statim inter-*

c L. 12. de propriet. rerum. c. 31.
d 1. praxis. principiis obsta.

e Greg. l. 1. mor. c. 38. *f* S. Hieron. ep. 22. ad Eust. de custod. Virg.

[illegible] it cogitata, & allidit ad petram, petra autem Christus est; vel statim ut libido titillaverit sensum, aut blandum voluptatum incendium dulci nos calore perfuderit, erumpamus in vocem: Dominus adjutor meus, non timebo quid faciat mihi caro. Domine Jesu, malo mori quàm fœdari. quas voces, quàm sincera mente expresserit. B. Mechtildis, ex eo colligere est, quod Angelus ex corde Mechtildis schedam extraxerit, cui sanguine cordis inscriptum: *a mallem mori, quàm culpâ meâ à te bone Iesu separari*, quod tum exaratum cœlestis sponsus indicavit, dum molestis cogitationibus illa restitit, easque quasi in semine obtrivit. Vides homines sanctimoniâ vitæ pereximios has vulpeculas timuisse, & etiamnũ parvulas elisisse. Idipsum suasit sorori suæ, virgini integerrimæ, Bernardus: *b charissima soror, audi ea, quæ Dominus ait per Isaiam Prophetam: auferte malum cogitationum vestrarum. Quamvis homo cesset ab opere malo, tamen si malam cogitationem habet in corde suo, non est sine culpa.*

Vnde B. Isidorus: non solùm in factis peccamus, sed & in cogitationibus, si eis illicitè occurrentibus delectemur; sicut enim vipera à filiis suis adhuc in utero positis occiditur, ita cogitationes intra nos enutritæ, nos crudelissimè trucidant. Aliam à scintilla, nisi excutiatur, similitudinem Sapiens accersit: *c numquid poterit homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant?* Et tu ardentis cogitationis flammas animo non excutis, ne comburaris? hoc præsentissimum discrimen Augustinus exaggerat: *d quomodo si aliquis carbones apprehenderit, si citò eos projecerit, nihil ei nocebit: ita & qui ad concupiscendum, oculorum defixerit intuitum, & libidinis malum in corde suo suscipiens, morari in corde suo permiserit, excutere à se sine maxima plaga non poterit.* Vestigium flammæ, fomitis fuligo inhærebit.

Alterum motivum esse poterit, *e* ut oculos hominum, imò & Angelorum, ac dæmonum cogitationes nostræ lateant; eas tamẽ nudas, & manifestas oculis divinis, qui scrutantur corda & renes.

Bernardus ep 42 ad illa verba Isa. c. 1. *auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Disquirit quomodo cogitationes in oculos incurrant? *Quid dicit ab oculis meis? quales oculi, qui contemplantur cogitationes? non sunt coloratæ ut videantur, neque sonant ut audiantur; meritò tamen Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt: cur enim nesciret, quas & audit, & videt?* Hæc tamen non cogitamus, Deum nos cogitationum nostrarum inspectorem ac Judicem habere: quod vel ipsi ethnici viderunt, è quibus mirificè Thales: nam interrogatus, an facta hominum deos fallerent? Nec cogitata, inquit. Vt non solùm manus, sed & mentes puras habere niteremur, cum secretis nostris cogitationibus cœleste numen adesse crederemus.

Ex quo argumentum solidissimum ab absurdo, sic efformat Cæsarius Arelatensis: *f* si in con-

a Lib. 3. gratiæ c. 7.
b Bern. l. ad Sororem de modo bene vivendi c. 29. *c* Prov 6.

d Aug. de honest. mil. c. 5. *e* 2 Praxis.
f Chrysost. hom. 3. de fuga cogit.

concursu populi, aliqua famosa
„ meretrix, expansis ulnis am-
„ plecti aut osculari conetur,
„ nonne manibus repellis, & in
„ faciem conspuis, ne fortè qui-
„ cumque viderit, ex consuetudi-
„ ne eam hoc fecisse dijudicet?
„ Si ergo propter judicia homi-
„ nis hoc non permitteres, quare
in secreto conscientiæ oculos Dei, ejusque districtum judicium non reformidas? repugnandum est; qui in vicino cubili audiat uxorem cum adultero luctantem, fortiter ac constanter repugnantem, plus amoris & affectus in eam concipit. D. Cæsario consentit Aug. *a nullus vult in publico à meretrice osculari; ita in secreto conscientiæ, sordidas cogitationes, velut immundissimas meretrices, nullus debet suscipere, vel inhabitare permittere.* Sed hoc de motivo præsentiæ Dei, uberiùs suprà disseruimus *b*: altera praxis est: cogitationes pravas, aliis sanctis ac divinis, ut clavum clavo pellere. Vnde: *si fortè aliquis dicat, quod ita immundæ cogitationes invaluere consuetudine, ut non possit eas expellere.* Ad hoc respondet S. Præsul *c sed sicut amor amore vincitur, sic cogitatio cogitatione tollitur. Locum ergo, quem in corde libidinosa cogitatio tenebat, castitas occupet*, quem cogitationes vanæ leviter efferebant, cognitio sui modestè deprimat. Quod sanctissimum Patriarcham nostrum Ignatium usurpasse legimus, *d* qui à militia seculari ad sacram traductus, ne minimam vanitatis aut obscœni amoris cogitationem admisit, sed totus demissionis ac castitatis desideriis æstuabat. Idipsum B. Richardus & nobis inculcatum voluit: *e Vt tanta sit copia cogitationum bonarum, quanta fuit prius multitudo inutilium & vanarum, cum adhuc cor tuum juxta mare magnum hujus mundi per desiderium requiesceret, & amore nimio inhæreret.*

Quid porrò post hominis conditorem, dignissimum sit ab homine cogitari, variè disceptari potest. Vtile quidem homini peccatori illud: *f cogitabo pro peccato meo*; nam ut rectè Aug. *g sic debes recedere à peccatis prima cogitatione confessus Deo, ut non tibi recedat de memoria, quia peccator fuisti.* De qua salubri peccatorum recordatione, vide Mendozam fusè tom. 2. cap. 6. lib. 1. Reg. num. 8. Multas etiam futiles, fœdas à se cogitationes repellit, qui seipsum occupat, illudque Sapientis usurpare potest: *h eruditis interſum cogitationibus.* Sed omnium utilissimè Solymeus Rex David: *i cogitavi*, inquit, *dies antiquos, & annos æternos in mente habui*; cogitatio prorsus divina, digna homine, digna Deo. Amplissimum hîc cogitandi stadium, quod nemo umquam emensus est cogitando.

Theologorum sententia est, dæmonem non posse ad malum cogere voluntatem, nec ad malam cogitationem intellectum, imò nec immediatè movere; sed esse in potestate hominis, dum sancta aliqua cogitatione

a August. in commun. Sermonibus serm. 17. *b* Dom. Pent. & p 1. Dom. quinq. & Dom. 5. post Epiph. § 4.
c 3. Praxis. Aug. super Gen. q. 14.
d Ribadin. in vita.

e In 3. Reg. 3.
f Psal. 37. *g* Aug. in Psal. 75.
h Prov. 8. *i* Psal. 76.

detinetur, *pro illo tunc*, aliam non recipere. Sicque non posse dæmonem intellectum aliquid cogitantem, cogere eodem tempore ad aliud cogitandum, cum simul diversa cogitare non possit, ut probat D. Thomas, & magnus Gregorius confirmat, dicens: *a vitare turpes cogitationes non prævalet, qui honestas in se non habet.* Quare animus sanctis cogitationibus occupandus, propterea quod scriptum est: *b cogitatio sancta servabit te.* Ad quod conducet, manè ubi experrectus, mentem ad Deum, oculos in crucifixum, primam cogitationem seu salutationem ad dilectum suum Jesum dirigere? ex hac enim facilè aliæ atque aliæ, velut annuli aurei catenam contexent. Denique conducet vesperi, pia cogitatione indormiscere, quod Bernardus fratres in monte, nosque monitos voluit: *iturus ad somnum, aliquid tecum defer. In memoriâ, in cogitatione, in quo placidè obdormias, quod etiam somniare juvet. Sic tibi nox ut dies illuminabitur, & nox illuminatio in deliciis tuis. Placidè obdormies, in pace quiesces, & facilè evigilabis*; quid quod ut alter Xaverius, in somnis cacodæmonem triumphabis. Eruditè dixit Philo Judæus: *c Domus Dei cogitatio sapientis.* Hanc domum æterna sapientia subit, hanc habitat, in hac suaviter requiescit. Videre, loqui, audire, scribere humanæ quidem actiones sunt, non tamen animantibus brutis penitus denegatæ. Audiunt & feræ videntque, & eo quædam hominem vincunt. Jumenta quoque memorantur locuta, *d* & aves non paucæ humanas voces articulatè efformant. Ælianus oculatus testis, se vidisse asserit elephantem, in tabula literas Romanas promuscide scribentem. Et Plinius è Muciano asseverat, elephantem græcas literas pingere didicisse, eaque linguâ scripsisse: *ipse ego hac scripsi, & spolia Celtica dicavi.* Cogitari ac ratiocinari solius hominis est, puris ac sanctis cogitationibus interest Deus, & velut sua se domo in ea mente se continet; & quod olim dilectæ sponsæ, virgini Senensi, hoc & tibi dicit: *cogita tu de me, & ego de te.* Hic quasi in throno suo residens, cogitationes nuntios ad opera æterna ablegat, ut scitè Præsulum doctor observavit: *e non potest*, inquit, *fieri, ut habeat mala facta, qui habet cogitationes bonas: facta enim de cogitatione procedunt. Nec quisquam aliquid facere, aut ad aliquid faciendum membra movere, nisi primò processerit jussio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quidquid jusserit Imperator; per Imperium Romanorũ emanat: quidquid videtis agi per Provincias, quantus motus fit ad unam jussionem Imperatoris intus sedentis, sic & in unoquoque nostrum; intus est Imperator, in corde sedet: si bonus, bona jubet, & bona fiunt: si malus, mala jubet, mala fiunt. Cùm ibi sedet Christus, quid potest jubere nisi bona? cùm possidet diabolus, quid potest jubere, nisi mala? in tuo autem arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo an diabolo.* Beata prorsus illa anima,

a S. Thom. part. 1. q. 111. art. 2. Greg l. 5. in l. 1. Reg. c. 14 Gab. 2 sent. d. 8 q. 2. Aug. in Psal. 118 serm 24.
b Sap. c. 1. *c* Philo. l. de migratione Abrahami.

d Nierenb. hist. nat. pag. 39.
e Aug. hom. 16. ex 50.

ma, quæ cœlestem illum Imperatorem in se habet regnantem. Talis exstitit S. Theresia *a* eximiæ & raræ puritatis Virgo, fœcunda simul religiosissimæ utriusque sexus spiritualis mater, & magistra sanctissima: quæ totâ vitâ nullum peccatum veniale contra castitatem commisit, quod esset materia confessionis, quemadmodum testatus est noster P. Franciscus Ribera, in defensione ejus vitæ immaculatæ. Et alter Societatis nostræ P. Rodericus Alvarez, ejus confessarius, qui ostensis suis perspicillis vitreis, aliquibus dixit: *b sicut est impossibile, ut huc intret mala cogitatio, ita erat anima Theresiæ, beneficio speciali divinæ gratiæ,* & Imperatoris illius cœlestis, intus in candidissima illa mente residentis. Sed cùm non simus sufficientes, aliquid boni cogitare quasi ex nobis, ad auxilium gratiæ recurrendum est, atque ideò ut monet Aug. *c nemo sibi cogitationum suarum victoriam attribuat*; unde ille orabat & quisque vestrûm oret cum eo:

„Libera me Domine, Deus „meus, *d* à multiloquio quod „patior intus in anima mea misera, in conspectu tuo, & confugiente ad misericordiam „tuam: non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et si quidem non cogitarem, nisi quod placet tibi, non utique rogarem, ut me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ sunt cogitationes meæ tales, quales nosti cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Da mihi non eis consentire, eas improbare, nec in eis velut dormitando immorari; sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente. Vel ut alibi paucis: *e O amor, qui semper ardes & non exstingueris, charitas Deus meus, accende me; continentiam jubes, da quod jubes; & jube quod vis.* Dum turba phantasmatum domum animæ inquietat, quid agendum illi, qui hæc patitur? Suadet Gregorius cum cæco levare vocem & exclamare: *Iesu præceptor, miserere mei,* & hoc magis clamare, quo magis turba præpedire conatur. Clama cum Doctore Angelico: *f*

Ne sinas quæso Domine Iesu, & tu Sanctissima mater, & Virgo Maria, ut tam immani me scelere adstringam. Vel dic cum Ecclesia: *Virgo singularis inter omnes mitis, nos culpis solutos, mites fac & castos.*

a Didacus Iezpez in vita l. 3. c. 4. Lancic. de profectu in virt. c. 1. n. 42.
b Lancic. cit.
c Aug. super Gen. q. 14.
d Aug. l. 15. de Trinit. c. ultimo.
e Aug. l. 10. Confess. c. 29.
f Oratio S. Thomæ. In vita apud Surium.

EMBLEMA XLVII.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22.



E MULTIS FORSITAN UNUS ERIT. a

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Pauci per fructus bonorum operum, ad vitam æternam prædeſtinati ſunt.

§. I. *Præſcientia Dei, ac prædeſtinatio non officit libertati.*

§. II. Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. b

a Ovid. lib. 3. de arte amandi. b 2. Petri 1.

DOMI-

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Multi sunt vocati, pauci verò electi. Matth. 22.

Controversia Doctores inter maximè controversa; labyrinthus mille meandris & erroribus implexus: profundissimum divinorum consiliorum pelagus, nulla rationum bolide investigandum, in quo complures velificantis ingenii temeritate abrepti, ad scopulos allisêre, & infelici naufragio, velis remisq; styga trajecêre, dū, ut rectè Zeno Archiepiscopus Veronensis monet: *a Non intelligunt miseri, quoniam curiositas reum efficit, non peritum.* juxta illud: *b Scrutator Majestatis, opprimetur à gloria.* Et alibi *c altiora te ne quæsieris.* Mysterium denique omnium arcanorum Dei, maximè abstrusum *Prædestinationis*, & esse, & nuncupari perhibetur. Hæc enim verò disceptatio, non modò primaria orbis ingenia exagitavit, ut Democriti, Heracliti, Empedoclis, Aristotelis, omniumque Stoicorum, quos ad fatum & inevitabilem necessitatem compulit; sed & integerrimas mentes adeò perturbavit, ut in apertum egerit præcipitium. Augustinus vir ille *ineffabiliter mirabilis, & incomparabiliter honorandus* (ut S. Prosper loquitur) *d* idipsum de uno aliquo suæ sanctissimæ familiæ Religioso testatur: *Fuit* (inquit) *quidam in nostro Monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quadam non facienda faceret, & facienda non faceret? Respondebat, qualiscumque sim, talis ero, qualem me Deus futurum esse præscivit. Qui profectò & verum dicebat; & hôc verô non proficiebat in bonum, sed usque adeò profecit in malum, ut desertâ Monasterii Societate, fieret canis ad suum vomitum.* Huic consimiles hodiernâ die quamplurimos reperire est, qui hoc sese diabolico discursu assiduo exagitant: *e Sive nunc rectè vivamus, sive non rectè; tales nos erimus postea, quales nos Deus futuros esse præscivit; vel boni si bonos: vel mali si malos.*

a Serm. 2. de æterna filii generat.
b Prov. 25. c Eccl 3. d S Prosper. epist. ad Aug. ante lib. de prædest. Sanct. S. Aug. lib. de bono perseverant. c. 15.

Ex quo infert, nonnullos in torporem segnitiemque versos, & à labore proclives ad libidinem, post concupiscentias suas ivisse. Et ut Libertini nostri temporis, jugo excusso, in libertate spiritus (ut ajunt) in omni flagitiorum cœno sese volutasse. *f Quorum cor, si non esset fatuum, non crederet fatum.* Tum alios commemorat; qui ubi se pietati, Deo ac Religioni devoverunt, multos annos in vitæ austeritate, disciplinâ monasticâ, perpetuâ carnis & dæmonis luctâ traduxerunt, hoc sese argumento miserrimè divexarunt: Si Deus ab æterno præviderit ac prædestinârit me inter oves, in exiguo electorum numero fore salvandum, quamcumque vitæ rationem se-

e Aug. ibid. f Aug. tract. 37. in Ioan.

cutus fuero, salvabor. Ergo frustra me macero, frustra me hîc vivum sepelio. Si Deus ab æterno viderit me damnandum, quicquid egero, damnabor: atque adeò (ut Apostolus ait) Religiosi mundo mortui, angustis cellis conclusi, in ciliciis, in jejuniis multis, in frigore & nuditate, mortificationem Christi in corpore circumferentes, miserabiliores erunt omnibus hominibus, quia hîc & in æternum cruciandi. quæ *profectò animi afflictio* (ut in hac palæstra exercitatissimus pugil loquitur *a gravißima est, & interdum tanta, ut homines ad desperationem & mortem spontaneam adigat.* Cujusmodi ipse suo tempore non unum certè novit, seque non leviter implicitum palam fatetur: *Scio* (inquit) *quosdam inde in gravißimos melancholiæ affectus incidisse, alios studium pietatis & statum religiosum abjecisse; alios penè per totam vitam in anxietate versari, prædestinationem Dei semper suspectam habentes.* Tum subdit: *Tenuit etiam ea res me aliquot annis perplexum: sed examinatis diligenter Scripturis, & Patrum sententiis, quæ in utramque partem adduci possent: tandem hac molestiâ cum magno animi mei solatio sum expeditus.* Atque ut & vos expediat, *hisce rationibus Scripturæ, & Sanctorum Patrum conabor* (inquit) *scrupulum vestris mentibus eximere.* Sic tamen ut aridam, sublimem ac subtilem Prædestinationis speculationem Scholasticis relinquamus; nec ita in *b profundum disputationum* ascendamus, ut terram deseramus, sed *c*

Alter remus aquas, alter mihi radet arenas,

ea dumtaxat cum aliis celeberrimis Ecclesiastis sectando, quæ mores & praxim concernunt, ut animos fluctuantes stabilire, *d* ac diu multumque perturbatis, salutari doctrina componere, & ad dignè operandum, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis, valeam incitare. Quod quàm necessarium sit, ex eo colligere est, quod doctissimus mortalium Tostatus assseverat: *e Satius esse in cæteris fidei nostræ articulis errare, & in hoc solo benedicere, quàm in hoc solo errare, & in cæteris benedicere.* Quare cum magno teste Augustino: *f Prædestinatio multis sit causa standi, nemini causa labendi, frustra timemus ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non potest capere; & non timemus, ne tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur.* Ac tandem concludit: *g Inclinate igitur aliquantulum patienter aurem cordis vestri, & qualiter mysterium prædestinationis credamus, qualiterve prædicemus, audite:*

a Lessius in præfat. ad lectorem, in tract. de prædest.
b Amb. in illud. Lucæ: duc in altum. lib. 4. cap. 5.

c Tibull. l. 3. el. 3. *d* Lanuza. hom. 37. Barradius. Caussin. court. S. tom. 3. *e* Tostat. in l. 3. Reg. c. 11.
f S. Aug. in lib. respon. ad articulos illi falsò impositos. art. 12. & lib. de bono persev. cap. 16. *g* Aug. lib. 6. hypognost.

§. I.

Præscientia Dei ac Prædestinatio non officit libertati.

Tullius adversus Stoicos fatum astruentes, non tam argumentatur.

tatur, quàm argutatur: *a Si præscita sunt omnia futura, hoc ordine evenient, quo ventura esse præscita sunt, & si hoc ordine venient, certus est ordo rerum præscienti Deo*: atque adeò cùm Deus falli non possit, *fato* (inquit) *fiunt omnia, quæ fiunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium voluntatis, quod si concedimus,* inquit, *omnis humana vita subvertitur; frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur: neque ulla justitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt. Hæc absurda ne sequantur, tollit præscientiam futurorum: utrumque enim putat non posse subsistere, libertatem cum præscientia.* Vel enim certò futurum est, quod Deus præscivit, vel non: si certò futurum, ergo tollitur libertas; si non certò futurum, ergo præscientia ejus & providentia falli potest. Quare cùm *b facere concordiam in sublimibus* non posset, & utraque componere, *ex his duabus elegit liberum voluntatis arbitrium, negando præscientiam futurorum.* Quod Deum est facere ignorantem, & rerum nostrarum inscium, imò ex mundo tollere est. *Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus.* Atque ita, ut rectè infert Augustinus: *dum vult facere liberos, facit sacrilegos.* Adversus hos impii hominis paralogismos, sanam divinissimi Doctoris audiamus doctrinam: *c Religiosus animus utrumque elegit, utrumque confitetur, & fide pietatis utrumque confirmat*; & hominem libero voluntatis uti arbitrio, & hoc ipsum ab æterno Deum prævidisse ac statuisse consilio. Quod quò manifestius omnibus fiat, *d ne cogitatus præscientia avertat sensum*, sciendum est: prius esse objectum (ut Philosophi loquuntur) quàm esse visum aut cognitum. Ita inquit Origenes super Genesim: *e Quod futurum est, causam esse cur id eventurum prævideri Deus, & non contra*; sicut non ideò est cras dies Lunæ, quia infallibiliter scio, & prævideo cras fore diem Lunæ. quod & in actionibus liberis locum habet: nam si quis è specula duos spectet urbe egredientes, unum ad dexteram, alterum liberè ad sinistram, quâ itur per sylvam latronibus infestam, deflectentem: num hic præsens illud periculum prospiciens, in causa fuisse latrocinii censendus est? Ita inquit Augustinus: *f Non propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit, neque ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit; qui si nolit, omnino non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.*

Ælianus refert pictorem inter & civem Atheniensem, litem exortam, *g* quòd hic in tabula equum *volitantem*, seu pernici cursu depingi curasset; pictor verò equum *volutantem*, & inversum expressisset; quod dissidium facili negotio composuit, quia suasit tabulam inverti, & alia ex parte conspici debere: quod ubi factum, equus in pedes erectus, pernici cursu volitare visus est, &

a Aug. lib. 5. de civit. c 9. *b* Iob 25. Aug. cit. *c* Aug. cit.

d Eccl. 31. *e* V. Vives comment. in Aug. lib. 5. de civit. cap. 9.
f Aug. l. 5. de civit. *g* Garassus Doct. curieuse l. 4. sect. 10.

adeoque homini satisfactum. Haud aliter, ut Garassus noster observat, nonnulli præscientiam Dei à parte anteriori contemplantur, quasi illa cùm infallibilis sit, rei futuræ causa sit, cùm è contra fiat; *a* *Dei quippe præscientia non cogit hominem, ut talis sit, qualem præscivit Deus, sed præscivit talem futurum qualis futurus est, quamvis eum non sic fecerit.* Obviâ & familiari hîc utar similitudine: Tribus quatuorve sociis assides, qui inter se pictis chartis ludendo tempus transigunt: omnium tu curiosus explorator chartas intueris, advertis quid hic primò, quid secundò luserit, facilè & certò prospicis, uter horum victor futurus sit. Ubi amabo vos, num hujus scientia quidquam aliorum libertati obfuerit? num uni quid emolumenti, aut alteri quid detrimenti contulerit? Juvat rem authentico ipsius patris mendacii firmare testimonio: partes hic suas adeò callidè in energumeno agebat, ut spiritu prophetico homo hîc possessus pollere crederetur; quia prædixerat post triduum ædes quasdam in foro, subitò ruinâ involvendas: quod Dæmon præviderat, ex eo quod trabes putridæ ac cariosæ erant, quibus novum pondus recenter incumbebat. Sicut autem hæc domus non ideò corruit, quia Diabolus prædixit & prævidit; sed quia trabes vitium contraxerant, & impositum onus aggravabat: ita peccator suo pondere in præcipitium fertur, & ruinam incurrit, non quia Deus prævidit, sed quia vitium liberè contraxit, & gravi peccatorum pondere se ultrò implicuit. Quod Hipponensis Præsul dilucidè exponit, *b* dicens: *Etsi Deus ex æterna scientia præcognitum habet, quid unusquisque meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Si ergo à justitiâ & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio, suâ concupiscentiâ trahitur, suâ persuasione decipitur: nihil in tali negotio divinæ voluntatis intervenit, cujus ope scimus multos, ne laberentur detentos, nullos autem ut laberentur impulsos.* Quod si Deus certa revelatione manifestaret, te liberè peccaturum, finali impœnitentiâ moriturum, & consequenter damnandum, scientia illius minimè foret tuæ causa damnationis; sed flagitia tua, in quæ te liberè conjecisses, & perditio tua ex te orta fuisset. Sic licet prædestinatio Dei certa sit, & decretum Dei infallibile, tamen non sic accipiendum est, ac si Deus nullo intuitu bonorum operum ac meritorum, hoc absolutè ab omni æternitate decreverit; cùm disertè ac dilucidè Augustinus dicat: *c* *Qui fecit te sine te, non justificabit* (nec salvabit) *te sine te; fecit nescientem, justificat volentem.* Quem arietem ut Prædestinantes nostri elidant signum interrogationis, seu admirationis apponunt? *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te?* Ecquis agricola domi desideat, non aret, non serat, hoc solo tutus: Si Deus ab æterno prævideri, ut sponte suâ ager fruge

a Aug. lib. de prædest & gratia c. 15.

b S. Aug. l. ad articulos sibi falsò impositos art. 13.
c Aug. ferm. 15, de verbis Apostoli.

ferat, uberem messem colliget. Ecquis mercator, dum secum reputat: si Deus ab æterno statuerit, ut ditesceret, aureum imbrem per tegulas in sinum dimittendum, non magnopere desudandum existimet? Ecquis concionator cathedram conscendat, hac ratione solâ præfisus: si Deus me præviderit fore disertum, ille dabit os & sapientiam, fluent ut ros eloquia mea; quod si præviderit obmutescendum, frustra etiam studuero. Frustra quis solicitus, ut arcas ut ædes claudat; si Deus præviderit, nil perdendum, nil diripiendum &c. Quod de præscientia hactenus dictum est, id ipsum in prædestinatione vim obtinet, nihil quidquam nostræ illam officere libertati. Nam quemadmodum si Deus ab æterno prædestinârit imaginem sanctissimæ Matris suæ in tali arâ exponendam, necessariò antecedenter, quo artifice seu pictore, quibus coloribus depingenda sit, præviderit. Ita nos imagines suas in templo gloriæ collocandas, non priùs destinârit, quàm præviderit, quibus virtutum coloribus nos liberè animas nostras efformaturi sumus. Fundamenti loco, divinum Doctoris Angelici nobis serviet ingenium: *a Prædestinatur à Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine Prædestinationis cadat, quidquid hominem promovet in salutem, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. Vnde prædestinatis conandum est ad bene operandum & orandum: quia per hujusmodi prædestinationis effectus, certitudinaliter impletur. Propter quod dicitur 2. Petri 1. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Sic Isaac rogavit Deum pro Rebecca uxore sua; *b* & dedit conceptum Rebeccæ, & peperit Jacob, qui tamen prædestinatus. Sic & prædestinatis dicitur: *c Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Item: *Contendite intrare per angustam portam.* Item *vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis, &c.* Quam doctrinam hæretici illudunt, dum ut stulti in circuitu currunt: si prædestinatus sim, quidquid egero certò salvabor, si reprobatus quidquid egero certò damnabor: proinde fræno omni timoris & anxietatis rejecto, libertate quadam spiritus, sine ulla solicitudine salutis hîc vivendum, nullas scelerum occasiones fugiendas dictitant, illud suis occinentes: *d Coronemus nos rosis antequam marcescant. e Fruamur cupitis amplexibus*, in omne vitiorum cœnum profuamus, si Deus ab æterno nos inter paucos elegerit, finaliter nobis gratiam infundet, quâ salvemur. Sin secus, quid profuerit, si nunc & in æternum miseri futuri simus? Quod quid est aliud dicere, quàm ut quisque se in mare præcipitet? Si Delphinus à Deo prædestinatus, qui te ut alterum Ariona per mare devehat, aut Balena, quæ eodem momento præsto sit, quæ te ut alterum Jonam incolumem in littus evomat, nil erit timendum. Quod si ab æterno statutum ut fluctibus mergar, omnes Delphini & Ba-

a S.Thom. part. 1, q.23. a 8, in corp.

b Gen. 25. *c* Aug. l. 6. hypognost. *d* Sap. 2. *e* Prov. 7.

lenæ, omnes naves & nautæ, non salvabunt. Per medios hostium cuneos, & ferreos glandium nimbos, quis se inermis penetret, si Deus in strato, lentâ tabe exstinguendum præviderit, salvus & & incolumis revertetur. Quæ quàm à ratione aliena sint, quis non videat? ut non modò temerarius, sed omninò fatuus ac furibundus omnium suffragante judicio censendus sit, qui ultrò in apertum sese discrimen ingerat. Quod ad animum referendo, in æternam hominem præcipitat perniciem: ex eodem quippe ducunt principio, quemadmodum Magister noster dixit Matthæi capite octavo: *a necesse esse, ut veniant scandala.* (necessitate scilicet consequente) ita omnia se flagitia necessitate quadam antecedente compulsos perpetrare, nec in sua esse potestate ea omittere; unde appositè (ut refert Becanus) *b* fatalem mortis sententiam, ob varia quæ commiserat furta homo flagitiosus, in se audiens declarari, Calvinisticæ sectæ judicibus respondit: se injuriâ & innocenter damnari, quandoquidem à Deo prædestinatus esset ad ejusmodi actus perpetrandos, nec liberum sibi fuisse ab alienis bonis manus abstinere. *c Quod si concedimus, omnis humana vita subvertitur: frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur: neque ulla justitia bonis præmia, & malis supplicia constituta sunt.* Quæ absurdissima dogmata, rationi & naturæ humanæ repugnantia, ut subtilis Scotus eliminet, docet ejusmodi sectarios, tamdiu fustibus contundendos esse, dum fateantur in potestate tua esse, à verberando cessare. Quid, quod ipsæ Dæmonum infestationes, quæ nos dies noctesque exagitant, satis testantur, nullam nobis ex decreto Dei, bene aut malè operandi necessitatem impositam: hâc enim positâ, facilè astutus ille serpens desisteret, de quo Chrysostomus sic differit: *d Diabolus circumcursat, obsistere cupiens nostræ saluti. Audierat Diabolus loquentem Deum, homo justus, verus, timens Deum, abstinens ab omni opere malo, quodque nullus esset illi similis ex iis qui sunt super terram; nec tamen abstinuit, etiam post Dei testimonium, sperabat futurum ut illius ætatis præstantissimo viro superior evaderet.* Quod si Jobum à Deo per gratias determinantes prædestinatum nosset, non frustrà laborasset. *e Et tamen post tanta taliaque Dei judicia, perseverat dicere: quid si aliquando perpetuitate, magnitudineque malorum irruentium, valeamus illum superare, & hanc excelsam dejicere turrim?* Tum subdit: quis igitur nobis erit veniæ locus, qui Deum habemus adjutorem, monitorem? Ut recedamus à via mala, ut revertamur ad Dominum, intonante tubâ illâ Euangelicâ: *f In quantum possumus, omnes homines ad bonum opus exhortemur; nulli desperationem demus, pro invicem oremus, ipsius erit potestatis judicium in nobis debitum mutare dam-*

a Matth. 8. *b* Becanus lib. 3. controv. de prædest. c. 3. *c* Aug. l. 5. de civit. cap. 9.

d Chrysost. in Luc. cap. 16. de Lazaro.
e Chrysost. ibid.
f Aug. lib. 6. hypognost.

natio-

nationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare. Cui aptam adfert similitudinem à speculo: *a quid times, quia dixi, si mutaberis mutatur, speculum est* sine macula. *Verum speculum mutat imaginem pro persona, quæ mutatur.* Habet hoc speculum, quod in se immutatum, varias repræsentet effigies, pro varietate objecti. Ita immutabilis Deus ab æterno, pro eo tempore, quo Petrus negavit, eum ut peccatorem refert, execratur & odit; at verò eundem amarè flentem, etiam repræsentat, quem amat & laudat. Ita Deus mutat decretum de Ninivitis, ut exponit Chrysostomus hom. 5. de pœnitentiâ, Hieronymus epist. 46. ad Rustic. Ex quibus conficitur; qui hodie Saulus, cras Paulus esse potest, & lupus in ovem, & truncus aridus igni destinatus, in elegantem statuam commutari. Finge tibi (ait Augustinus) sculptorem & statuarium, sylvam ingressum, ibique truncum præcisum attentiùs contemplari, eoque multum delectari, non quà tali, sed quia aptam ex eo statuam cælari posse prævidet, sic & supremus mundi opifex: *b quasi lignum de sylva vidit nos faber, cogitavit ædificium quoddam, quod inde facturus est, non sylvam, quod erat.* In horrida mundi sylva, sylvestres ac aridi trunci eramus, & ecce in statuas Sanctorum effingimur, *c quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Docet Apostolus, merita prævisa esse causam prædestinationis: *d Non enim* (inquit Ambrosius) *antè prædestinavit, quàm præsciret; sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Unde Sanctus Prosper: *e Frustra dicitur quòd ratio operandi non sit in electis, cùm ad hoc operentur ut electi fiat.* Damnat itaque Deus & salvat, ob mala vel bona opera; ut patet ex illo Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, paratum vobis ab origine mundi, id est* (inquit Augustinus) *f prædestinatum?* Reprobis verò ignem æternum præparatum edicit. Et quare? *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare* &c. Nemo itaque in has blasphemas voces erumpat: non possum salvare animam meam, frustra arctam virtutis semitam trivero, frustra bonis operibus insudâro, si ab æterno infallibilis illa Dei providentia damnandum præviderit. Cujusmodi stolidis hominibus, à medico pharmacum petamus. *g* Ludovicus Landgravius propter deploratam vivendi licentiam, à viris Religiosis non semel correptus ac graviter monitus, ut ad bonam frugem rediret, antequam inopinatâ morte præveniretur, pro excusatione dilemma illud retorquebat: *Si prædestinatus sum, nulla peccata poterunt mihi regnum cœlorum auferre; si reprobus, nulla bona opera conferre.* Quid factum? lethalem in morbum incidit, medicum accersit; is ut erat vir prudens, & verborum Landgravii memor: Domine, mi, inquit, frustra huc me advocasti:

a Aug. serm. 109. de temp.
b S. Aug. tract. 6. super Ioan.
c Rom. 8.

d Amb. l. 2. de fide c. 3. e S. Prosper. l. 2. de Vocat gent. c. 35. f Aug. l. 6. hypogn. g Cæsarius. l. 1. hist. c. 27. Becanus. l. 3. controv. de prædest. c. 4.

casti: *Si venit dies mortis tuæ, non te poterit cura mea morti subtrahere; si verò moriturus non es, superflua erit medicina mea, & frustra te crucias.* Ad hæc æger: quomodo sic respondes? *Si mihi non fuerit adhibita cura, potero ante tempus mori.* Tum medicus: *Domine* (inquit) *si credis vitam tuam posse conservari virtute medicinæ, cur similiter non credis vitam animæ juvari posse pœnitentiâ, & aliis virtutū operibus, quæ sunt antidota animæ? sine his anima moritur, sine his ad veram salutem, quam in cœlo consequimur, nemo pervenit.* Quibus Landgravius convictus, *de cætero ait, medicus esto animæ meæ, quia per linguam tuam medicinalem, Deus me liberavit à maximo errore.* Sicut ergo non frustra ægris medicina debetur, quia Deus sic diem mortis statuit, ut vitam etiam per illa media præviderit prorogandam; ita & de morbo & morte animæ prævidit, talem qui pœnitentiæ remedia adhibuerit, & gratiæ, & Deo restituendum. *a Proinde non frustra sunt leges, objurgationes, exhortationes, laudes & vituperationes: quia & ipsas futuras esse præscivit, & valent plurimum, quantum eas valituras præscivit, & preces valent ad ea impetranda; quæ se precantibus concessurum esse præscivit, & justa præmia bonis factis, & peccatis supplicia constituta sunt.* Quapropter sic rectè ratiocinaberis: *b* Si „ prædestinatus sum, id est, si à „ Deo ordinatus sum ad vitam „ æternam per certa media, quæ „ in mea sunt potestate, conse„ quendam: certò consequar vitam æternam, modò illa me" dia adhibere voluero. Si sum" reprobatus, id est, si à Deo or" dinatus sum ad æternam dam" nationem propter mea pecca" ta, quæ liberè commissurus" sum, certò damnabor, si illa" peccata committam: nam ut" suprà diximus: *c Non ante prædestinavit, quàm præsciret: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit.* Quò simul patet responsio ad illud Pauli: *d Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Quod alii de electione ad benedictionem temporalem referunt. S. Thomas: *Deus propter bona opera dilexit Iacob, sicut & omnes Sanctos diligit; Esau autem odio habuit, propter peccata,* &c. Perpende hîc ex mente Chrysostomi fratres illos geminos, *f* unum prædestinati, alterum reprobati exemplar: indubitatum quippe est, Deum liberè ante mundi constitutionem unum elegisse, qui per paternam benedictionem obtineret hæreditatem & jura primogeniti; alterum verò reprobasse ac rejecisse, ne eam assequeretur. Porrò quemadmodum hanc Jacob obtinuerit, non abs re erit pluribus enarrare: Obtinuit Jacob benedictionem, quia matri obtemperavit, ejus consiliis obsecutus est, manus collumque pellibus contexit, patri sapidum omninò ferculum obtulerit, nihil non studii, laboris, industriæ, solicitudinis ac solertiæ adhibuerit: & cùm divino fretus esset promisso, totus tamen percellitur, ne pro bene-

a Aug. lib. 5. de civit. cap. 10.
b Becanus cit.

c Amb. l. 2. de fide cap. 3. *d* Rom. c. 9.
e S. Thom. in epist. ad Rom. cap. 9.
f V. Lanuza hom. 37. de prædest.

dictio-

diction maledictionem referat. Perdidit Esau primogenituram, *a* quia ipse voluntariè per ingluviem suam, lentis eam vendidit edulio. Ita profectò & quisque nostrûm prædestinatus aut reprobatus est; sed non nisi dependenter ab operibus liberè exercendis. Quæ ut vobis oraculi loco sint, ex altissimo terræ solio Pontificem Maximum obaudite: *b Ipsa perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante secula disposuit dare.* Quam admirabilem prorsus Divinæ Sapientiæ dispositionem, fortiter ac suaviter alia ex aliis ordinantis, Leonardus Lessius contemplandam proponit. *c*

Est ergo hic ordo prædestinationis; in primo signo dependenter à præviso lapsu Adami, decrevit incarnationem. In secundo est voluntas dandi auxilia sufficientia omnibus ad salutem, ob merita Christi. In 3. est visio operum & meritorum ac demeritorum: quinam auxiliis, quæ ipsæ singulis toto temporis decursu daturus erat, rectè uterentur, & per ea in justitia perseverarent (quæ perseverantia finalis, ut August. docet, *d* & fide certum est, à nobis pendet) vel in peccatis morerentur. Itaque illos elegi ad gloriam, hos reprobavit & destinavit ad pœnam. Et ante hanc prævisionem nulla fuit absoluta electio aut reprobatio: quæ ubi perspicaci mentis oculo contemplabatur Bernardus, exclamat: *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter; fortiter pro se, suaviter pro me.* Præscivit & præordinavit, omnes gratias, illuminationes, adhortationes, instinctus, quibus ad finem meum uterer vel abuterer. Quæ fortiter stabilita, & certissimè evenient; suaviter verò illa meæ libertati commisit. *Attingit* (inquit) *à fine usque ad finem, hoc est ab ortu creaturæ, usque ad finem destinatum* à Creatore, ab æterno.

a Esau salvum esse docet Cornel. à Lapid. Iac. Tirinus & alii. *b* Greg. l. 1. dial. cap. 8. *c* Lessius de perfect. divin. lib. 14. cap. 2. *d* Aug. lib. de bono perseverant. c. 6. Idem epist. 106. Trident. Sess. 6. cap. 13.

§. II.

Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. 2 Pet. 1.

Optatissimum ab hominum memoria, exaudivit nuntium virgo Mechtildis, de qua refert Lætiensis Abbas Blosius: *e* cùm feria 4. solemnitatem paschæ proximè insequenti, sub missæ introitum de more legeretur: *venite benedicti patris mei.* Mechtildim ingenti ac inusitato desiderio exæstuasse, & in has voces prorupisse: ô si certò scirem me fore ex istis benedictis, qui hanc dulcissimam vocem tuam audituri sunt! cui Dominus Jesus: *certè scias te unam ex illis esse, & ut nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris.* Quo nuntio audito, liquidissima animi lætitia assiduò perfruebatur, donec morte imminente vox cœlitus inso-

e Blosius in appendice de 4. Sanctis fœminis.

nuit:

nuit: *veni benedicta patris mei, possid e paratum tibi regnum à constitutione mundi.* O nuntium longè jucundissimum! Quod quisque nostrûm mille votis exoptaret, nemo non omnibus fortunæ bonis sibi emere studeret. Etenim ut nuntius Consulatus adepti, litis adjudicatæ, hostis cæsi, obsidionis solutæ, victoriæ relatæ, gratissimus ac jucundissimus accidere soleat, longè tamen gratior auribus animisque, à regalibus sedibus nuntius, certam ac indubitatam cœlestis regni possessionem declararet. Quâ solâ fiduciâ fretus, meritò exclamare posset cum Cardinale Bellarmino, de novissimâ ad beatam patriam horâ admonito: *a fausta nova! fausta nova! fausta nova!* Verè niveo signanda lapillo dies illa, quâ Philippus Macedo tria, quæ in mundo universo sperare poterat, faustissima nuntia accepit: 1. equos illius in pulvere olympico palmam retulisse. 2. suos victoriâ potitos, atque urbem Potideam occupasse. 3. Alexandrum Regni hæredem, felici partu in lucem prodiisse. Quæ ut læta, ut fausta sint; quis tamen ponat istiusmodi *rumores ante salutem?* cùm inter omnia hæc mundi bona, & candidissimos fortunæ dies, ac prosperos successus, hæc anxia, dies noctesque cura solicitet: si inter pusillum gregem prædestinatorum censendus sit? an vas in honorem, an in contumeliam? an inter titiones inferni, an inter seraphinos paradisi? an inter oves aut inter hœdos? *b ovem te putas, hircum te fortè*

a In vita. b Aug. lib. de ovibus. cap. 19.

Deus novit. Unde solicitudine plenus, sic suos sub integerrimâ religionis disciplinâ degentes, compellat Bernardus: *c quis potest dicere, ego de electis sum? ego de prædestinatis ad vitam? ego de numero filiorum? quis hæc, inquam, dicere potest? reclamante nimirum Scriptura: nescit homo utrum amore, an odio dignus sit. d* Quæ severissima divini Ecclesiastes sententia, beatum quoque Ludovicum Bertrandum, horrore sacro, simul & dolore percussit: *e* in confessu porrò suorum, præsentes intuitus, à lachrymis temperare nequivit; causam rogatus, hoc paucis respondit: timeo & fleo, quia nescio quid de me futurum sit. Columnas Ecclesiæ nutare, sanctissimos viros concuti videmus, dum illud secum tacito animo volvunt, quod olim Davidi somnum excussit: *f Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* De ancipiti bivio incertus & trepidus exclamat: *numquid in æternum projiciet Deus?* numquid in æternum projiciet in tenebras exteriores? numquid in æternum cum reprobis deputandus? consimilem, horroris plenam quæstionem, monachis suis movit Doctor mellifluus: *g quis scit,* inquit, *si omnium vestrum, quos hic video scripta nomina sunt in cœlis, & in libro prædestinationis annotata? quanto putas gaudio replerentur omnia ossa mea, si id scire contingeret!* compello te quisquis es, quanto putas gaudio replerentur ossa tua, si favorabilem illam

c Bern. in Septuag. serm. 1. d Eccl. 9. e Lanuza. hom. 37. §. 2. f Psal. 79. g Bern. serm. 2. de Ascen.

audire

audire contingeret, quam ex ore crucifixi etiamnum miraculosè hiantis, B. Thomas de Villa nova accepit sententiam: *a te inter prædestinatos certò adscriptum.* Iis te profectò cœlestium voluptatum deliciis ebrium arbitrarer, quibus olim seraphicus Franciscus, qui per revelationem de salute sua certior factus, ergastulum corporis sui disrumpere satagens, ita gestiebat, ut & cibi, & omnium rerum humanarum immemor, sese non contineret, id jugiter ingeminando: *laudetur Dominus.*

Quæ lætandi & exultandi causa, cùm justissima sit, & inter prædestinatos censeri, summa votorum sit, quis non hanc Principis Apostolorum saluberrimam doctrinam avidissimè arripuerit, quâ certam tradit nos vocationem nostram facere posse, ac fortunæ nostræ, prædestinationis, aut reprobationis, nos fabros esse demonstrat; dum ait, nos per bona opera electionem nostram certam facere posse. Ex quo cum P. Vasquez, Molina, & supra ex Augustino, D. Thoma, aliisque, præcellens Theologus Gregorius à Valentia concludit: *b* electionem ad gloriam à Deo fieri ex prævisis meritis, docetque evidenter illo dilemmate; *vel sum* „*prædestinatus, vel non sum prædestinatus*, mirificè potius acui „& excitari in nobis posse continuum pietatis studium. Quod „ut intelligatur, inquit, excutienda sunt breviter membra illius „ratiocinationis, quâ perperam „quidam uti solent. Si sum, ais, „prædestinatus, potero jam licenter frui voluptatibus, quandoquidem quidquid nunc faciam, certissimè posteà salvabor; imò verò si prædestinatus es, oportet ut benè opereris & rectè vivas, quia nullus ex adultis est prædestinatus, nisi qui prævisus est in hac vita benè operari finaliter; & quoniam incertus es, quanam hora ex hac vita decedes, omni tempore est tibi bene operandum, ne finaliter non bene operans inveniaris; & ita verum non sit illud, quod in ea tuæ ratiocinationis parte supponebas, videlicet te esse prædestinatum. Rursus si non sum, inquis, prædestinatus, quidquid nunc faciam, tandem condemnabor. Consultum igitur erit jam dare operam illicitis voluptatibus, si quidem sum postea afficiendus supplicio. At enim verò, si non prædestinatus es & ad æternum supplicium destinatus, causa hujus erit, quia finaliter eris obstrictus peccatis, quibus operam in vita dabis, neque cooperaberis divinæ gratiæ. Ne igitur verum sit, non esse te prædestinatum, omni tempore piè tibi vivendum est, ne finaliter obstrictus peccatis è vita discedas, id quod potest evenire omni hora: neque enim poteris malè vitam finire, si semper piè vixeris. Tum subdit: quod autem penitus certum tibi non sit, qualis tandem in vitæ extremo sis futurus, vererisque ne in peccato vitam finiturus sis, id te etiam incitare potius vehementer debet, ut quod incertum tibi est, & tamen ex te cum divina

a In vita. *b* Valentia. tom. I. q. 23. de prædest. disp. 1. punct. 4.

„ na gratia pendet, id tu semper „ rectè vivendo certum eventu „ ipso facias. Certissimum enim „ est, numquam te vitam malè „ finiturum, si semper rectè „ vixeris. Atque hæc vis & ratio est, illius D. Petri sententiæ: *satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quod sanctissimus Doctor Thomas à Kempis confirmat, *a* dum ait: cum quidam anxius inter metum & spem frequenter fluctuáret, & quadam vice mœrore confectus, in Ecclesia ante quoddam altare, se in oratione prostravisset, hæc intra se volvit, dicens: ô si scirem, quod adhuc perseveraturus essem? statimque audivit intus divinum responsum: quid, si hoc scires, facere velles? fac nunc, quod tunc facere velles, & benè securus eris. Moxque consolatus & confortatus, divinæ se commisit voluntati, & cessavit anxia fluctuatio, noluitque curiosè investigare, ut sciret quæ sibi essent futura; sed magis studuit inquirere, quæ esset voluntas Dei beneplacens & perfecta, ad omne opus bonum inchoandum & perficiendum. Quod si & vestrum studium fuerit, & mandata Dei servaveritis, certi estote de prædestinatione vestra. Assertorem infallibilem allego Augustinum qui super illud Pauli: *b sic currite ut comprehendatis.* In rem nostram sic disserit: *de ipso cursu vestro bono rectoque condiscite, nos ad prædestinationis gratiam pertinere,* viam mandatorum, cum Regio Vate currendo: quam qui insistit, certò scit se non errare. Quare & vos omnem anxiam fluctuationem seponite, *mœstumque timorem mittite,* Deo ac mandatis ejus obtemperantes, bonis operibus vacantes: hæc enim semina sunt beatæ æternitatis, de quibus Apostolus ait: *c quæ enim seminaverit homo, hæc & metet;* quo fiet, ut cum gaudio, omnes dæmonis infestationes, ac gravissimas hac in parte illusiones illidas aut illudas. Quemadmodum religiosum illum virum fecisse legimus, cujus socius, cùm sibi revelatum diceret, ipsum esse de numero damnatorum, respondit: *d benedictus Deus. Nec tamen sic desperabo, sed pœnitentiam, quam per ingressum religionis assumpsi, de cætero duplicabo & triplicabo; donec gratiam, & misericordiam apud Deum altissimum, qui pius est, inveniam.* Est post multos dies, iterum socio revelatum est, ipsum esse de numero salvandorum. Jure igitur meritissimo, ut loquitur Beyerlinck, *e* inculcandum illud Augustini: *f si non es prædestinatus, fac ut prædestineris, & enitere ita vivere, ut cœlesti habitationi congruas.* Affine est quod narrat Nierenbergius: *g* uni è priscis illis eremi incolis, qui alteri pacificè convivebat, invidit dæmon, & transfigurans se in Angelum lucis, seniori revelat, juvenem æternis ignibus destinatum. Cohorruit ad hanc vocem senex, & multis diebus hac recordatione gravissimè cruciabatur.

a Thom. à Kemp. lib. 1. de imit. Chri. cap. 25. *b* 1. Cor. 9. Aug. lib. de bono persev. cap. 22.

c Gal. 6. *d* Ludolph. à Saxonica de vita Chri. p. 2. cap. 50.
e Beyerlinc theat. tit. prædest. *f* Aug. de fide & operib. c. 22. *g* Nierenb. vita divina cap. 12.

tur. Quod ut juvenis advertit, importunis precibus extorsit tristem nuntium; ad quem ille hilari vultu & animo sereno: Hoc te mi pater minimè conturbet, ego hactenus Deo servivi, non ut mercenarius pro cœlo; sed ut filius ex officio debito, & quia ipse ut summum bonum, omni amore dignus est. Nec diutius Deus bonum senem affligi passus est, sed nocte insequenti manifestavit, hunc ejus sodalem plurimum per hos sinceri amoris actus, apud Deum meriti consecutum, ac inter prædestinatos ad gloriam conscriptum. Quæ cùm ita sint, *a quis dignè cogitans habitationem apud Deum, in qua omnes prædestinatione sunt deputati, qui secundùm propositum vocati sunt, non enitatur ita vivere, ut tali habitationi congruat?* Ille apud Taulerum interrogatus: *b Quid faceres, si te Deus damnare vellet?* Respondit: *Duobus brachiis, humilitate & charitate Deum complecterer, cogeremque mecum descendere in infernum, & sic mihi infernus fieret paradisus.* Hactenus, ut videtis, altum metuentes, ita littus legimus, ut feliciter portum nos obtenturos speremus. Altiora verò hujus abyssus mysteria rimetur, qui volet: cur potiùs hanc gratiam, quam scit fore inefficacem det Judæ, & alteram, qùam scit fore efficacem donet Petro: *d Cur hunc magis, quàm hunc liberet, scrutetur qui potest, tam profundum judicium; verumtamen caveat præcipitium.*

Ut tamen ex hoc maximo sapientiæ Dei arcano, non exiguam utilitatem referamus, monet S. Prosper: *d In remotissimo ab humana cognitione secreto, præfinitio hujus electionis abscondita est, & de nullo ante ipsius finem prænuntiari potest, quod in electorum gloria sit futurus: ut perseverantem humilitatem utilis metus servet, & qui stat, videat ne cadat.*

Quare cùm solus Dominus nôrit, qui sint ejus, *illique soli* (ut Ecclesia canit) *cognitus sit numerus electorum, in cœlesti civitate locandus*, quisque cum timore & tremore salutem suam operetur, idque non per mœstum timorem, sed lætum & exultatione plenissimum; scriptum est enim: *e Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* In pauco ergo, *hujus vitæ tempore* (inquit Gregorius) *mentem vestram necesse est ut tremor teneat, ut quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultes.* Optimè tremori exultationem subnectit; quia quò major fuit in periculis trepidatio, eò major his perfunctis suboritur exultatio. Idem argumentum prosequitur August. *f Quis* (inquit) *ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinationum se esse præsumat? quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per satanæ Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus.*

Virtute non minùs quàm sanguine illustris Domina, nomine Gregoria, Imperatrici à cubiculis: petiit per epistolam à S. Gre-

a Aug. de fide & operib. c. 22.
b Taulerus in Colloq. Theologi & Medici. c Aug. epist. 105.

d S. Prosper de vocat. gent. cap. ult.
e Psalm. 2. S. Greg. l. 6. ep. 22.
f Aug. l. 6. de corrept. & gratia. c. 13.

go-

gorio, ut certam se redderet de remissione peccatorum, ac Dei gratiam se consecutam, cui sanctissimus Pontifex respondit: *a Quod dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam te mihi existere, quò usque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sint; rem & difficilem, & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat; inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes; nisi cùm in die ultimo vitæ tuæ, plangere eadem peccata minimè valebis. Quæ dies quo usq; veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque ea quotidianis fletibus lavare.* Quod exemplo S. Pauli confirmat dicens: *Certè Paulus Apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ non licet homini loqui: tamen adhuc trepidans dicebat: castigo corpus meum, & servituti subjicio, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cœlum ducitur, & jam timere non vult, qui adhuc in terra versatur.* Ita S. iste Doctor non solius Gregoriæ, sed nostrûm omnium inutile de futuris studium ac desiderium compescit, ad humilitatem nostram, & constans in timore Domini obsequium magis accendendum. Et hanc primam causam tangere videtur, cur Deus tantum mysterium voluerit nobis esse occultatum: pergit porrò: *b Perpende dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas: habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: Beatus vir qui semper est pavidus.* Cui consentit divus Augustinus. *c Utile est omnibus, vel penè omnibus, ut quales futuri sint, scire non possint, ut quisque dum nescit, an sit in bono perseveraturus, & humiliter, solicitè Dei gratiam imploret; cum eaque casum cavere, & in gratia perseverare satagat:* pronum enim esset ei, qui certam de futura sua beatitudine revelationem accepisset, in arrepto proposito flaccescere, alios præ se contemnere, occasiones peccatorum minus sedulò devitare: quam causam Doctor Angelicus adlegat; *d Etiamsi* (inquit) *aliquibus ex speciali privilegio sua prædestinatio reveletur; non tamen convenit, ut reveletur omnibus, quia sic illi, qui non sunt prædestinati desperarent, & securitas in prædestinatis negligentiam pareret.* Magnæ sanctitatis & austeritatis fuit S. Paphnutius Anachoreta, *e* qui cùm vitam duxisset Angelicam, subiit animum, cui Sanctorum consimilis esset? Assistens huic cœlestis genius dixit, eum non excedere vitæ sanctimoniâ Cytharœdum, qui in proximo pago canendi arte victum quæritabat. Quo nuntio attonitus, hominem convenire statuit, atque in eo has duas maximè heroicas virtutes deprehendit, quod Virginem Deo sacratam, inter latrones fortè dilapsam, omnino intactam servasset; & pauperem familiam trecentis solidis è gravissima servitute liberasset. Quo cognito ferventiùs deinceps in virtutum studia incubuit. Dum non multò

a S. Greg. l. 6. ep. 22. *b* Greg. cit.

c Aug. de bono persev cap. 8.
d S. Thom. part. 1. q. 23. a. 1. ad 4.
e Ruffin. Aquil. Rosvveyd. vitæ Pat. l. 2.

multò pòst, desiderium exarsit, parem sibi videndi; atque ilicò vox cœlitus exaudita: parem ei meritis, virum agrestem in vico proximo. Et hunc igitur quæsivit, eoque comperto intelligit ipsum per triginta annos, cum uxore sua perpetuam castitatem, aliaque pietatis ac misericordiæ opera sedulò exercuisse. Exinde ergo persistebat in jejuniis & orationibus, semetipsum ad majora & perfectiora extendens. Tandem non acquiescens, tertiò rogavit Dominum, quis ei similis in terris existeret. Audivitque similem esse negotianti, quem ilicò sibi occurrentem cerneret, atque eccum adest illi mercator Alexandrinus, qui decem saccos leguminum, in liberalem eleemosynam ad monasterium optimi viri adferri curârat. Tandem cùm vir S. laboribus suìs finem imponens, ad extrema deductus esset, Angelus Domini sic eum compellavit: *Veni jam benedicte, & ingredere ea quæ tibi debentur æterna tabernacula. Ecce enim adsunt Prophetæ, qui te in suum suscipiant chorum. Hoc autem tibi prius idcircò non revelavi, nè fortè elatus, damnum aliquod tui laboris incurreres.* Tu quoque ô homo, *a in timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo.*

a Prov. 23.



EMBLE-

EMBLEMA XLVIII.

Infirmabatur. Joan. 4.



NEC DEXTRÆ ERRANTI DEUS ABFUIT. a

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Divinus amor morbos, ceu molossos immittit, ut venetur animas: quin & doloris jaculo configit, ut ad se fontem vivum recurrant.

§. I. *Infirmitas corporis, facit ut animus ad Christum & ad cœlestia suspiret:* sicut cervus ad fontes aquarum. *Psal.* 41.

§. II. *Homo cum morbi cruciatibus conflictatus, Martyribus collatus, jure usurpat illud Psaltis:* perfecit pedes meos tamquam cervorum: & super excelsa statuens me. *Psal.* 17.

a 7 Æneid.

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Infirmabatur. Joan. 4.

SI quis veſtrûm Auditores, peramœno venandi ſtudio, animum oblectare, luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare prærupta montium juga, cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu certare geſtit, amat & ardet: novum hodiernâ die, & hactenus fortè inauditum venandi artificium condiſcat; quod citra ſtrepitum & clamorem, non tamen citra defatigationem & ſudorem, non citra vulnera ſed innoxia, non citra morſus ſed non ad mortem, denique quod mireris, non in luco ſed in lecto ſolet exerceri. Venationem dabimus, non qualem D. Hieronymus execratur, quæ animi ferociam & belluinam quandam barbariem inducat, ut dicere non ſit veritus: *a Eſau venator erat quia peccator erat, & penitus non invenimus in Scripturis ſanctis, ſanctum aliquem venatorem.* Sed tale vobis venandi genus proponam, quod hominum animos, ex efferatis manſuetos, ex elatis modeſtos, ex temulentis ſobrios, ex laſcivis caſtos ac integros ſibi reſtituat. Cujus venationis inventor & artifex, cœleſtis Cupido eſt, qui, ut ne dubitetis, venatoris habitu, pharetrâ ex humeris pendulâ, arcu inſtructus P. Antonio Martinez ſeſe ſpectandum præbuit, *b* ut animas & corda mortalium venaretur: *Præbe & te jaculo formoſo* (ait Origenes) *c ſiquidem Deus ſagittarius eſt.* Etenim ut Principibus viris feras ſectari volupe, iiſque paſci, præ domeſticis altibus delicioſum eſt: *Ita* (inquit Hugo Cardinalis) *potius ſunt ei delitiæ in filiis hominum, quàm in Angelis, vel in aliis creaturis à ſe conditis: quia de his, quæ aucupio ſeu venatione capiuntur, fiunt delitiæ, non autē de domeſticis; Angeli verò ad domeſticas res pertinent, homines autem venatione cepit.* Canes venatici, quos immittit, morbi ſunt, prædam verò, cervos, *herten*, id eſt corda noſtra agitant, ut ſaucii ad fontem recurramus. Quemadmodum hodie Regulum, ejuſque filium ad ſe compulit & convertit. De quo Sanctus Thomas: *Regulus eſt omnis homo, cujus filius, id eſt mens febricitat voluptatibus pravis & deſideriis; accedit autem ad Ieſum, jam* morbis moloſſis agitatus; *ut ſanetur à languoribus ſuis.*

a S. Hieron. in Pſal. 90.
b Nierenb. de vita divin. c. 21.
c Orig. hom. 2. ex duab. in Cant.

§. I.

Facit itaque infirmitas corporis, ut animus ad Chriſtum, & ad cœleſtia ſuſpiret, ſicut cervus ad fontes aquarum.

MEdicum Patavinum in atrio domus ſuæ tabulam appendiſſe commemorant, quæ canum ſpecie, omne morborum genus, hominem miſerè diſcerpentium referebat. Podagra quippe pedes inva-

invaserat, pleuritis latera exagitabat, renes calculus vellicabat. Pectus phtisis corrodebat, ventrem & intestina, colica torquebat, canina fames stomachum vorabat, guttur angina præfocabat, ora cancer laniabat, cerebro phrenesis dentem infixerat. His supereminens ingens Molossus toto corpore incumbens (qui febrim malignam designabat) horribilem tremorem concitabat. Qui omnes miserum in modum, hominem non secus ac Actæonem in Cervum conversum, insectabantur hoc dumtaxat

a Dum cervum ardentes agerent eum urgebant:

b Dominum cognoscite vestrum.

Eruditè ex animantum natura Plinius: *c Cervi urgente vi canum, ultrò ad hominem confugiunt.* Dicam ego mancipia vaga, & mundi hujus servi, urgente vi morborum, ultro confugiunt ad Deum. Juvat audire Doctorem nectare & ambrosiâ enutritum, qui has non cerâ sed melle oblitas, ad bellicum ægrum consolatorias missitavit: *d Iactatum te gravi ægritudine, significasti mihi credidisse in Dominum Iesum, & jam cœpisse revalescere. Ad salutem igitur ea infirmitas fuit, plus aculei quàm periculi ferens, quia diu promissum remordebat. Hoc est quod ait: e* PERCUTIAM, ET SANABO. *Percussit infirmitate, & sanavit fide.* Nimirum dum Bellico jaceret ægrum corpus, sese erexit animus, & ad altiora fidei mysteria, solemnemque professionem evexit. Quæ in filium Reguli, quem Dominus *f percussit infirmitate, & sanavit fide.* quàm aptè cadant, manifestum est; & porrò experientia magistra nos edocet, complures corporis infirmitate percussos ad Deum conversos, & ab animi ægritudine sanatos fuisse. Exemplum ingens Ezechias erit, qui in flore ætatis, novem & triginta annorum, Deo ac superis minus gratus, æger gratior esse cœpit, ubi illud ab Isaia oraculum excepit: *g Dispone domui tuæ, quià morieris tu, & non vives.* Quæ vox (ut erat) velut *h vox Domini præparantis cervos*, eum exagitavit, atque unà immissâ altiùs per viscera morbi lue, quasi lethali jaculo saucius, ad Deum fontem vivum, celerrimè mentem, & ut potuit, corpus convertit. Siquidem ut sacræ paginæ testantur: *Convertit faciem ad parietem,* (templi, quò æger ire non poterat, inquit Cornelius) *i & oravit ad Dominum, & flevit Ezechias fletu magno.* Æger risum reputavit errorem, & flere didicit, cui firmo ac valenti, pumice sicciores erant oculi: prius obduratus ad monita precesque animus, jam cereus & flecti facilis ante in terram pronus atque abjectus, modò in cœlum ac superos erectus; quo fructu? qui ad fontem confugit, quindecim annorum sanitatem, imò & sanctitatem perpetuam adeptus est. Habet hoc cervus, ubi virus intra viscera sumpsit, aut jaculo confixus est, ut medicinam ex dictamno quærat, aut ad fontem festinet, ut ardori ac plagæ medeatur.

a 7 Æneid. *b* Ovid. 3. Metam.
c Plin. l. 8. *c.* 31. *d* Amb. l. 2. ep. 39.
e Deut. 32.

f Amb. cit. *g* Isa. 38.
h Psal. 28. *i* Corn. hîc.

d Cùm

a Cùm tergo volucres hæsere sagittæ.

Vides tu, quisquis divino jaculo quandoque sauciaris, quò recurrendum sit. Itane feræ sagittis transfixæ, sua nôrint pharmaca sponte nascentia, & nostræ desit ægrimoniæ medela? eam vos doceat, quæ salubriter adinvenit Princeps urbis Romanæ fœmina, de qua Hieronymus: *b Ezechias vicina morte terretur, & fusus in lachrymas, 15 annorum spatio protelatur. Ita & nunc, mea Marcella, Blesillam nostram vidimus, ardore febrium per triginta ferme dies jugiter æstuasse, ut sciret rejiciendas delitias corporis. Vidua nostra ante morosiùs ornabatur, & die totâ quid sibi deesset, quærebat ad speculum; nunc ad orandum festina consurgit, & tinnulâ voce cæteris alleluja præcipiens, prior incipit laudare Dominum suum. Flectuntur genua supra nudam humum: pulla tunica minùs cùm humi jacuerit, sordidatur, &c.*

Attendite ô filiæ, quid cœlestis spectet medicus, dum vobis morbos immiserit. Blesilla valens ac vegeta delitiis vacat, mundo muliebri irretitur, tota vanitati similis facta, oblita Dei creatoris sui; morbo dejecta, ilicò mundana omnia fastidire, animum à fluxis & caducis rebus avocare, ad cœlestia & æterna convertere, Deum Redemptorem suum meditari.

Dum Dux Albanus in Germania luculentâ victoriâ, quâ de Duce Saxoniæ triumphavit, potitus esset, per Gallias iter instituens, Franciscum Regem salutavit, qui perfamiliariter ab eo sciscitatus, num vera forent, quæ fama sparserat, in eo prœlio quo Saxonem vicit, duos in cœlo Soles conspicuos fuisse; respondit Albanus: *se in hoc conflictu adeò occupatum fuisse in terris, ut non viderit quid ageretur in cœlis.* Ita complures mortalium, terrenis toti intenti, nihil cœleste, nihil æternum mente agitant. *O curvæ in terris animæ!* quibus non vacat, imò *tædet cœli convexa tueri.* tempus non suppetit, dum lecto assurgunt, aut decumbunt, ut parvas preces fundant, discussioni conscientiæ quadrans tribuatur; interim in multam noctem rationes temporalium expendunt: semihora per hebdomadam vix sacris interesse datur, dum horas & dies in conviviis, symposiis, choreis, lascivis confabulationibus traducunt: qui ita occupati in terris, ut non vacet oculos attollere in cœlum. Quos ut Deus erigat, ferias quasdam, & velut justitium ab omnibus causis civilibus, & negotiis secularibus per morbos, eosque sæpe diuturnos ultrò elargitur: eo quippe tempore nec causidicis litis tractare, nec Senatoribus curiam adire, nec mercatoribus nundinas aut forum frequentare, nec patrifamil. domesticis negotiis implicari, nec Principi aut orbis Monarchæ Regnum administrare vacat, aut ulli pedem è domo efferre licet aut lubet. Quid, quod nec honores ambitiosum, nec divitiæ opulentum, nec carnis illecebræ lascivum, nec cupediæ aut exquisita pocula, temulentum valent oblectare? Et quisquam sibi tempus deesse queratur, ut cœlum, ut Deum cogitet?

a L. 12. Æn.
b Hieron. ep. 19. ad Marcell.

Dixerit olim ſcitè Wenceſlaus Bohemiæ Rex, *a* dum exercitu fuſo fugatoque, victus ac vinctus in carcere rogaretur, quid differentiæ eſſet inter Regem & captivum? *nulla* (inquit) *niſi quod Rex de terrenis cogitet, captivus de cœleſtibus.* Antea vivebam mihi & regno, nunc Deo & cœlo. Talem ſententiam & ſenſum morbus multis expreſſit. Quo veriſſimum illud Pauli comprobatur: *b Virtus in infirmitate perficitur.* vultis hujus rei luculentum, vel ab Ethnico teſtimonium? Nuper „ (ait Plinius) *c* me amici cujuſ„ dam languor admonuit, opti„ mos eſſe nos, dum infirmi ſu„ mus: quem enim infirmum aut „ avaritia aut libido ſolicitat? non „ amoribus ſervit, nō appetit ho„ nores, opes negligit, & quantu„ lumcumq; ut relicturus, ſatis ha„ bet. Tunc Deos eſſe, tunc homi„ minem ſe eſſe meminit. Invi„ det nemini, neminem miratur, „ neminem deſpicit. Impoſte„ rum ſi contingat evadere, inno„ xiam beatamque deſtinat vi„ tam. Poſſem ego, quod pluri„ bus verbis, pluribus etiam vo„ luminibus Philoſophi docere „ conantur, ipſis breviter, tibi, „ mihique præcipere, ut tales eſ„ ſe ſani perſeveremus, quales „ nos futuros profitemur in„ firmi.

Ubi duos potiſſimùm ex ægroti lectulo, quaſi ex viridarii areola, fructus pullulantes colligemus, quorum prior erit, omnium vitiorum ramos per morbum reſecari, imò vel ipſum unà peccati reatum extirpari; alter, omnium virtutum ac meritorum, quibus SS. Martyres ac Confeſſores valet adæquare, uberrimam meſſem exurgere. Quod primum ſpectat, appoſitam ſimilitudinem adfert Præſul Africanus, dum peccatorem velut ſilveſtrem arborem, pabulum ignis, reciſis luxuriantibus ramis, & fœcundo ſurculo per afflictionem & morbum inſerto, facit uberrimos ac ſaluberrimos pœnitentiæ fructus proferre. *d Inſerit*, inquit, *Deus quaſi ſurculum tribulationem injuſto, ut fructus afferat dulces.* Quod de excelſa Seraphici ordinis ſtirpe, Bonaventura teſtatur, aſſerens Magnum Franciſcum ad annum ætatis vigeſimum, quaſi inutilem truncum, in mundi nemore adoleviſſe, ac tandem per corporis afflictiones, ex oleaſtro in olivam converſum, per orbem univerſum ramos, omnium virtutum fructibus onuſtos extendiſſe: *e nam facta ſuper eum manus Domini, & mutatio dexteræ excelſi, diutinis languoribus ipſius corpus affligens, ut coaptaret animam ad Sancti Spiritus unctionem.* Indubitatum porrò eſt, ſexcentos velut inutilia luxuriantis vitis ſarmenta, æternis ignibus tradi ac comburendum, qui fœcundos palmites progerminaſſent, ſi calorem febrium, & manum Medici reſecantis experti fuiſſent. Ita olim legimus in vita S. Thomæ Cantuarienſis: ad ejus ſepulchrum pioſque cineres, ſeſe contulerat æger unus aliquis, & quæ Magni Præſulis miſeratio, etiam excuſſo morbo priſtinam valetudinem impetrârat: cum

a Binet amour div. c. 21.
b 2 Cor. 12. *c* Plin. l. 7. ep. ad Max.

d Aug. in Pſal. 127.
e Bonav. in vita c. 1.

ecce

ecce sibi suisque jam reddito, suboriri cœpit scrupulus, num sanitas æque ac morbus, ad salutem animæ ac beatitatem esset profutura? dum ergo pungit, & conscientiam exstimulat ea cogitatio, ad sancti Martyris ac Præsulis sepulchrum revertitur, ac potentem hunc Medicum orat atque obsecrat, si fortè sanitas corporis obesset animæ ac beatæ æternitati, rursus morbum immitteret. Cum eccum evestigiò, velut in diversorium præpropera festinatione desertum, morbus rediit, ne eo digresso anima fido custode se destitutam serò lugeret. Qui custos ex Dei monito, atque illius servabat.

Hæc S. Gregorii doctrina est, *a quis*, inquit, *enumerare sufficit, quanti in sua luxuria dimissi, in blasphemiis quoque & superbia proruentes, in rapinis & iniquitatibus permanentes, usque ad diem obitus, ita in hoc seculo vixerant, ut numquam dolorem vel capitis paterentur, & subitò percussi, ignibus inferni sunt traditi.* Et his tu æger sanitatem invideas? Ex quibus complures, si aliquot menses dolore calculi, podagræ, febrium, conflictati, quantam scelerum massam evitassent, quàm salubriter multi resipuissent? quod Hipponensis Præsul confirmat dicens: *b multi accepta sanitate lasciviunt, qui ægroti casti erant; sanati adulteri fiunt; qui dum ægrotarent, neminem lædebant: receptis viribus invadunt & opprimunt innocentes.* Vt quis fortè salubriter, lascivis omnibus, veneream luem & tabem, gravissimo cruciatu per viscera virulenter se diffundentem, imprecari posse videatur: quo vel sic salutem animæ consequantur. Spectavit hoc S. Ægidius, qui dum sylvam solus, carnis stimulis agitatus pererrat, à venatoribus velut cervus sagittâ in incertum emissâ, vulneratus est: cui plagæ non modò medelam adhiberi noluit, sed & impensè Deum rogavit, ut læsa caro numquam ad sanitatem rediret, ut hoc dolore ac telo quasi à cœlesti manu immisso, Cypridis tela melius arceret. Si quidem *c divina dispensatione agitur, ut prolixiora vitia, ægritudo prolixior exurat.* Quod ipsum S. Isidorus inculcat: *d adversa corporis, remedia sunt animæ; ægritudo carnem vulnerat, mentem curat, languor vires libidinis frangit.* Vos ipsos hîc testes compello, qui sani & valentes lascivitis in stratis eburneis, quis vobis animus, quæ mens, quæ cogitatio? dum nephritidis dolores, dum calculi, colicæ, podagræ aliique excruciant? nonne meritò tum illud prisci Anachoretæ quisque usurpabit: vivere non licet, respirare vix datur, quomodo fornicari liberet? *Infirmitas carnis, vigorem mentis exacuit*, inquit Salvianus, *e ut affectis artubus vires corporum, in vires transeant animorum, Non turpibus flammis medullæ æstuent, non malè sanam mentem latentia incentiva succendant, non vagi sensus per varia oblectamenta lasciviant; sed sola exultet anima, læta corpore affecto, quasi adversario subjugato.* Etsi enim anima sit hospes comesque corporis, ab hoc tamen

a S. Greg. l. 9. ep. 25.
b Aug. in Psal. 97.

c S. Greg. hom. 19. in Euang.
d S. Isid. l. 3. de summo bono.
e Salv. l. 1. de Provid.

quasi ab hoste sibi malè metuit; maximè verò si valens & vegetus, atque adeò indomitus sit. Quæstionem movet Dyphilus de tribus fortissimis, scilicet *ferro, fabro & febre*; hos inter olim sua lis, & de fortitudine contentio; pro ferro faciebat illud, quod & durum sit, & prope indomitum, & quod ipsum cætera frangat atque edomet. Pro fabro militabat illud, quod ipse ferrum cudat, versetque formas in omnes, ideoque ferro fortior audire videatur. Pro febri verò hæc objecta ratio, quod fabrum ferri domitorem domet, debilitet, lectulo insternat, penitusque frangat. Ex quo deducitur, morbum validissimum luctatorem esse, lectum locum pugnæ, tempus hoc (ut Chrysostomus loquitur) prælii ac singularis certaminis designari; in quo qui hostem duello prostravit, statim mucrone jugulo intento minatur, ut devictus manus det, vitam ac veniam precetur; dejectus verò fatale sibi telum imminere doloris signa ostendit, altos animos dimittit, ardenti prece vitam rogat, veniam precatur. Ita Deus in se injurios prosternit, & in lectum dejectis, lethale mortis spiculum intentat, ut culpam agnoscentes, *a terroris sui jaculo transfixos, ad sensum rectitudinis revocet.*

1 Regum 26. sublatus fuit Saulis scyphus & lancea, & ilicò pœnitentia ductus exclamat; *Peccavi, revertere fili mi David: nequaquam enim ultra tibi malè faciam, eò quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie, apparet enim quod stultè egerim, & ignoraverim multa nimis.* Aufert benignissimus noster Jesus, filius David, per corporis infirmitatem & nauseantem stomachum, scyphum crapulæ & temulentiæ juxta illud Eccl. 31. *Infirmitas gravis, sobriam facit animam.* Surripit arma & instrumenta nequitiæ, quibus eum impetimus, enervat corporis vires, morbos ac alios dolores immittens, exarmat nos, ut exclamare compellat: *Peccavi*; quam vocem ut Deus exprimat, non multis opus est, vel lapillus in renibus, vel contractio nervi, vel punctura vespæ extorquet.

Fuit in Hispaniis, qui dum omnia taxillis dilapidasset, *b* & Deum nequicquam ad secundos jactus invocasset, totus in rabiem actus, ædes repetit, loricam ac galeam adaptat, hastam manu arripit, atque ita cataphractus, admisso equo in forum provolat, hominum turbam percunctatur, num quis ex iis numinis assertor aut cultor, è vestigio arma capesseret, concurreret, se multiplici clade comprobaturum, nullum in cœlis numen degere. Quin ultra progressus, ipsum Deum in certamen lacessit, si quis scelerum vindex existat. Ad has blasphemi voces, non ignes cœlo delapsi, non ursi aut leones in reum caput immissi, sed vespa defensionem numinis suscepit, quæ per galeam sese penetrans, adeò hominem infestavit, ut impatientiâ doloris victus, galeam abjecerit: jamque magis aculeis expositus, exclamare coactus sit Deum esse, eique supplex ac scelerum memor, ad se ac vindicem prorsus clemen-

a S.Greg. l.6. Mor. c. 14.

b Zehetner vermis conscient. l.3.c.1.§.1.

clementem redierit; haud aliter hîc vitam instituimus, divinum numen indies ad vindictam provocamus, nos immortales & extra teli jactum credimus: dum ecce minimus dolor in nervo, lapillus in renibus, festuca in oculo, febricula velut apicula minima nos dejicit ac prorsus prosternit. Rogavit olim Joannem Anachoretam Ruffino teste, quidam è monastico cœtu, ut se à febri tertiana liberaret, cui ille: rem tibi necessariam vis abjicere, ut enim sapone panni lavantur, sic mentem morbi eluunt & candidam reddunt, adeò ut nihil supersit piacularibus ignibus expiandum; nam ut Salvianus loquitur: *a Quantò imbecillior corpore, tantò purior mente.* Norat hoc S. Aldegundis, è Regia Gallorum stirpe, virgo oriunda: quæ de obitus sui die certior facta, quo pulchrior detersa omni maculâ sponso appareret, rogavit morbo immisso hîc ita posset expiari, ut rectâ in cœlum evolaret. Mox voti compos, fœdum carcinoma pectus invasit, totumque corpus ad mortem usque depastum est. Adeò ut si quem febribus æstuantem, acutis doloribus divexatum, lethali sudore toto corpore perfusum videris, ardores hos meritò refrigerium, dolores lenimentum, sudorem benignissimi medici suave balneum, ad eluendas animi noxas existimâris. Summi Regis indulgentia est, quemadmodum nobilibus viris quandoque domus pro custodia assignatur, ita animum corpori quasi domestico carceri tradere, non in publicam purgatorii custodiam detrudere; ea propter Cardinalis Bellarminus l. 2. de purgat. c. 6. *vitam hanc mitissimum purgatorium, & quasi carcerem quemdam senatorium & honoratum* compellare non dubitavit. Hoc etenim in ægris operatur commodi divina providentia, ut per hos breves & leves corporis cruciatus, purgantium in altera vita flammarum supplicia vel effugiant, vel multum diminuant. Testem adduco è Societate nostrâ juvenem; *b* qui morbo jam ingravescente, dixit in aurem familiari socio: Tu mi frater ora, obsecro, Dominum: grandis enim mihi imminet tempestas. Et ecce subitò ingruit multiplex dolorum cruciatuumque procella; æstuare pectus, ardere, premi, frangique scapulæ, humeri, terga, corpus totum tremere, contundi, pungi, lancinari. Quid plura? omnibus ossibus, nervis, visceribus, medullisque intimis corporis desævire malorum nec audita, nec visa colluvies. Stupere interim omnes, condolere decertanti, precibus ad Deum recurrere, blandisque vocibus solari. Ipse patienter agere, Dei clementiam, Virginis opem implorare. Perduravit hoc malum integras quatuor & viginti horas: quo tempore exacto, disserenavit undique tempestas: æger ad se reversus, omnibus admiratione & exspectatione circumfusis, luctæ suæ causam exposuit: petiisse nimirum obnixè se à Deo, ut purgatorii pœnas sibi ante mortem infligeret, quibus tandem perfunctus liberè in cœlum evolaret: postulatisque Deum annuisse;

a S. Salv. l. 1. de prov. & epist. 5.

b P. Fernandez. in Gen. c. 35. sect. 10. p. 452. tom. 3.

atque his tandem doloribus expiatus, placidè sanctèque obdormivit in Collegio nostro Eborensi.

Non absimile quid Cæsarius refert, *a* Monacho Cisterciensi contigisse, qui nocte insequenti quâ extremum diem obiit, Prælato suo se miro lumine circumfusus declaravit; à quo rogatus quid accidisset, ut citra ullam in purgatorii pœnis moram, rectà cœlum conscendisset? hanc caussam subjecit: *Peracerbi dolores, immanes cruciatus, gravesque terrores, quibus in morte vehementer admodum sum afflictatus, expiantis mihi flammæ in purgatorio vicem subiere*. Quam ob rem si quem fidelem, aut etiam virum Religiosum inter summos dolores & cruciatus, cum morte luctantem deprehenderis, ne hominem à Deo desertum, inferis destinatum suspiceris; quin potiùs misericordem hîc Dei manum agnosce, ne vindex manus Domini in altera vita severissimè eum tangat. Quo exiguo quasi malo hîc satisfaciat, ut citiùs in cœlum evolet: tormenta enim & cruciatus ignis purgantis, etsi acerbissimi sint, vel lachrymâ tamen (teste Augustino) *b* compendiosè restingui possunt: etenim quæ modò fideles tormenta patiuntur, *omnia hic ab anima separare, per eleemosynas & lachrymas, compendiosa transactione potuissent*, Quod si lachryma, quid ni sanguis, quid ni dolores, angustiæ, cruciatus morborum acutissimi, *compendiosa satisfactione* hos ignes sopire prævalebunt. Duo individui sodales unà tabernam subintrant, confabulantur, jocantur, strenuè potitant, epulantur; at ubi caupo rationes inire, solutionem urgere incipit, alter clanculum elapsus, socium destituit, ac omne debitum contractum ei expungendum relinquit. Ita nobiscum comparatum est, corpus & anima optimi commilitones, sodales arctissimi, simul hujus mundi diversorium ingressi, rident, pariter jocantur, epulantur, debitum commune contrahunt: dum enim corpus superbè induitur, animus, quoque insolescit: dum corpus helluatur, animus unà sceleris reus arguitur. Quare dum vitæ hujus vesper ingruit, corpus se subducit, & infra terram latebras quærit; animus verò à socio desertus, ad rationes expungendas detinetur, in carcerem purgatorii conjicitur, ut totum debitum persolvat ad novissimum quadrantem. Huic malo ut divina providentia occurrat, suaviter & fortiter disponit, ne socius debitor elabatur, sed hîc suam corpus quotam pendat, ne illic anima totum persolvere cogatur.

Optimè itaque censuit & dixit Theodorus Archiepiscopus Coloniensis, dum Sigismundo Imp. quærenti: *quæ recta esset in cœlum via?* respondit: *si vitam ita institueris, ut facturum te promisisti, dum calculus, aut podagra, aut alius morbus gravior oppressit.* Nec verò quisquam mirabitur, ejusmodi rectà in cœlum evolare, qui attenderit hominem ægrotum, sanctis Confessoribus ac Martyribus non injuriâ conferri.

a Cæsar. l. 12. c. 151.
b Aug. hom. 16. Exod. 56.

Perfe-

§. II.

Perfecit pedes meos tamquam cervorum, & super excelsa statuens me. Psalm. 17.

VIrtute & eruditione Magnus Gregorius, hoc olim è suprema orbis cathedra pronuntiavit: *a Electorum mentes cervi dicuntur, dum more cervorum despectu terrenarum rerum sensibus, in superna, id est æterna se evehunt.* Quod quemadmodum per corporis ægritudines fieri queat, Doctor gentium tradit, dicens: *b virtus in infirmitate perficitur.* Et Psaltes Regius: *c multiplicatæ sunt infirmitates, postea acceleraverunt*; quibus ita pedes, id est affectus animi perficiuntur, ut concitatissimos cervos, sanctissimos, inquam, confessores, fortissimos Martyres, virtutum ac meritorum cursu etiam præverterint; quem alterum ex morbis fructum colligendum statuimus.

Vir senatorius, Nobilis Adolescens, elegans puella, sanctum illum in viris ac fœminis religiosis rigorem suspiciunt & venerantur: quem si consecuti essent (quod diffidunt) se vitæ sanctimoniam adeptos jure arbitrarentur; & verò consequi posse comprobabimus. Celeberrimus in Regia Academia Madritensi sacrarum literarum Professor, *d* & virtutum Doctor egregius: inediam, vigilias, corporis afflictationes, rigorem vitæ, quem ægroti ex variis morborum cruciatibus tolerare coguntur, cum austerimâ quorumvis Religiosorum, aut etiam Anachoretarum vivendi disciplinâ comparari posse, affirmare non dubitavit. Ecquis porrò Chartusianus ita claustro continetur, ut æger, cui non modò per cubile inambulare, sed ne pedem lecto efferre concessum est? morbus illi cippus est, quo velut compede tenetur, juxta illud Iobi: *e posuisti in nervo pedem meum*, per podagram. Quis eremi incola ita frugi victitavit? quis palatum adeò insulsis aut insipidis exacerbavit? quis observantiæ summæ Religiosus, eam inediam toleravit, quam ægrum per menses & annos quandoque perferre cognovimus? quibus exquisita etiam fercula, non modo insipida & nauseam moventia, sed & insuper amarissimæ potiones exhauriendæ sunt. Quis Monachorum vigilias (quos quietus somnus per intervalla excipit) diuturnis ægrorum lucubrationibus, multum concedere non fateatur? Quis vel in storea, vel in dura humo cubando, ciliciis, flagellis aliisque afflictationibus ita corpus divexavit, ad eam maciem & debilitatem redegit, quemadmodum morbus omnia membra ac interiora viscera excruciando, ad ossa usque hominem miserè depascitur & consumit? Adde hæc in ægro reperiri citra indiscretionem, aut vanitatem. Etenim ut senator in toga, puella in damascena cyclade, Princeps in purpura, jejunando, vigilando, psallendo, in dura cubando, aliisque ultrò assumptis corporis afflictionibus Religiosos adæquet aut exsuperet, non parum

a S. Greg. l. 26. Moral. c. 10.
b 2 Cor. 12. *c* Psal. 15. *d* Euseb. Nierenb. in Theopol. p. 1. l. 1. c. 11.
e Iob. 13.

ſibi de vitæ ſanctimonia adblandiretur & damnabiliter gloriaretur; at verò ſibi adblandiri, *gloriari* cum Paulo *a in infirmitatibus ſuis, ut inhabitet in ſe virtus Chriſti*, hoc ſecurum, hoc ſanctum eſt. Dixerit S. Baſilius cœnobium eſſe *virtutum ſcholam*; morbum Ambroſius non inferiori elogio nuncupavit, *b virtutum omnium officinam*; hîc ad incudem revocatur abſtinentia, caſtimonia, ſui demiſſio, rerum omnium contemptus, obedientia ad quævis maximè ardua, omnium denique virtutum, morbi quaſi in fornace tribulationis, fabri ſunt; unde S. Bernardus: *c optanda infirmitas, quæ Chriſti virtute compenſatur. Quis dabit mihi non ſolùm infirmari, ſed deficere penitus à me, ut Domini virtutum virtute ſtabiliar!* noverat enim quantum meritorum cumulum ab aſſidua, qua per omnem vitam divexatus fuit, corporis infirmitate meteret, ut proinde in ægros cadat illud, quod in Petri Piſcatoris filiam dictum olim ab optimo parente: *ſic expedit ei.* Jacebat illa gravi morbo oppreſſa, cùm pater qui in alios omnes beneficus, in eam durior atque inclementior, roganti cuipiam, cur filiam à febri non expediret, vel attactu leni, vel ſi vellet etiam umbrâ ſanaret? Reſpondit; *ſic expedit ei.* Quod brevis, ſed gravis viri ſententia confirmat; *d ſi ſani erunt, ſancti non erunt.* Ita omnino & plurimis expedit, ut vel calculo intrinſecus torqueantur, vel febribus torreantur, ut per hos dolores co-

a 2 Cor. 12.
b S. Amb. in Pſal. 36.
c S. Bern. Serm. 25. in Cant.
d Salvian. l. 1. de Provid.

rollam palmamque Martyribus parem conſequi mereantur. Quod nemo quiſquam mirabitur, qui ſanctorum Patrum Doctorumque ſuffragiis, ægrotantium cruciatus martyrio adæquari animadverterit: idque ne temere adſtruere videamur, Oratorem aureum teſtem induco, qui ſpiritu ferventes ac queritantes, nunc martyrii tempus non eſſe, ſed deeſſe paſſionum materiam, ſic animat, omnibuſque patentem ad prœlium arenam, in qua Job decertavit, deſignat: *e Quid ais, non adeſt martyrii tempus? nunquam profectò hoc abeſt, ſed ante noſtros ſemper eſt oculos, ſi vigelemus. Non enim in ligno ſuſpendi, ſolùm hoc Martyrem facit: nam ſi ſic eſſet, extrà tales coronatos Iob poneretur; nec enim ante tribunal fuit conſtitutus, nec judicis vocem audit, non vidit carnificem, neque ſuſpenſus in ligno, vel ſublimis poſitus circa latera laniatus eſt. Attamen multis Martyribus graviora paſſus eſt.*

Tum ubi acerbiſſima, quæ eum excruciârunt tormenta, enumeravit, infert: *cui non itaque dignus hic ſit Martyri comparari?* num Stephano, Laurentio, Vincentio, Sebaſtiano? quibus ut caput tot radiis fulgeat, quot dolorum aculeis confixi fuere, certè & Jobi radiatus vertex exſtitit. Facit huc, quod de Domitiano Romanorum Imperatore hiſtorici tradidere: *f* eum adeò ſagittandi peritum fuiſſe, ut infixis ſagittis caput cervi coronaret. Ita Deus ſagittis morborum ac dolorum non cervum, ſed ſervum ſuum

e Chryſoſt. hom. 25. ad Pop. & hom. 1. in epiſt. 2. ad Cor.
f Lauredanus Tit. tribulatio.

coronat.

coronat. Subtiliter more suo Augustinus: *a Quo pungeris, inde nascitur rosa ut coroneris*; quod verissimum experta, exemplar sanctitatis & patientiæ prodigium Lyduina: *b* in eam tamquam in scopum incurrêre morbi propè omnes, facto velut cuneo; sed ex acutis horum jaculis, sibi radiatum diadema necti divinitus edocta est: quod imperfectum prius conspexerat, per prolixiores morbi dolores perficiendum cognovit: evenit siquidem ut non multò post, cœlestis genius ad eam viserit dicens: *salve charissima soror, ecce nunc absoluta est corona, quam nuper imperfectam vidisti.* Quod argumentum hîc valde opportunum, pluribus deductum invenies suprà, Domin. 2. Adv. Spectaculum heroicæ fortitudinis non minus præbuit Lyduina in lecto, quàm alii in circo aut amphitheatro. in eandem arenam descendit Clara, nomine & re etiam fortiter gestâ clarissima: eam totos viginti octo annos alii ex aliis, iique gravissimi excepere morbi; maximè verò septemdecim postremis vitæ diebus, quos sine cibo & potu exegit, agitata est: quam lanienam, Reginaldo consolationem quampiam adferre volenti, suavem ducebat, quia legitimæ certanti justitiæ coronam destinatam sciebat. Alteram eodem in certamine laureatam, S. Coletam reperio, quæ à Deo Jesu suo summis votis expetiit, ut dolorum ejus aliquando particeps esse mereretur. Votis annuit Salvator optimus, & exinde famulam suam quinquaginta annnos morbis gravioribus, qui celebriorum sanctorum pervigiliis invalescebant, exercuit. Poterat certè hæc virgo de tali serto gloriari, quemadmodum de cervo legimus: *c* qui dum Carolus Gallorum Rex feras insectaretur, canum latratibus concitatus, in Regem incurrit; à quo captus, torquem collo gestare deprehensus est, cui inscriptum: *hoc me Cæsar donavit.* Ad eum modum refert Plinius, *d Alexandrum torques aureos cervis innexuisse, ac liberos dimisisse.* Aureolâ & ægri ac saucii dignissimi, nisi quis forte levius hoc supplicii genus duxerit quàm Martyrii, quam palmam ictu gladii aut laqueo, intercluso spiritu, in momento consequi. Non ineptè olim Diogenes, homines conspicatus confertâ multitudine ad amphiteatrum concursantes, exclamavit: O mortalium insaniam! concurrunt hi, ut homines cum feris videant decertantes, & me prætereunt cum naturali dolore depugnantem. Etenim non modo in campo, in circo, sed & in lecto fortitudini locus est. Ecclesiæ Doctorem audite: *e multi coronati sunt in amphiteatro pugnantes ad bestias, multi in lecto vincentes diabolum, coronati sunt; ac videntur non se movere posse, & intus in corde tantas vires habent, tantam pugnam exercent; sed ubi est occulta pugna, ibi occulta victoria.* Quare ut concludam, dum morbi vis corpus dejecit, tunc animus fortis perennem illum beatæ æternitatis fontem sitiens, ardentissi-

a August. in Psal. 52.
b In vita.

c Guanguinus l. 9. majol.
d Plin. l. 8. c. 3.
e S. Aug. tract. 7. in Ioan.

mo pectore illud Augustini usurpabit: *a ægrotus sum, ad Medicum clamo: miserere mei fons misericordiæ, audi quid ad te clamet infirmus:* QUEMADMODUM DESIDERAT CERVUS AD FONTES AQUARUM, ITA DESIDERAT ANIMA MEA AD TE DEUS. Et infra: *ô fons vitæ, vena aquarum viventium! quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ, de terrâ desertâ, invia & inaquosâ: ut videam virtutem tuam & gloriam tuam, ut satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam?* Quid adhuc moror in hac miseriarum valle, quid pedes meos spinosa hujus seculi implicant blandimenta?

b Perfice pedes meos quasi cervorum. Hoc est (Interprete Hieronymo) *perfice amorem meum, ad transcendenda spinosa & umbrosa implicamenta hujus seculi.* Et infinitæ misericordiæ tuæ dextera, post anxium hujus vitæ cursum, *c super excelsa statuat me, super cœlestem habitationem, ut inter cæteros cervos tuos, id est inter Angelos, canam gloriam.*

a Aug. Soliloq. c. 2.

b Psal. 17. c Hieron. in Psal. 17.



EMBLE

EMBLEMA XLIX.

Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis. Matth. 18.



REPETIT AVCTOREM SCELVS. a

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Vindex Deus pœnâ talionis peccatorem punit. Et in servum nequam severè animadvertit, qui conservo suo crudelis exstitit.

§. I. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* b

§. II. *Ipse sibi parat peccator quisque quod patitur; nos calamitatum nostrarum auctores sumus.* c

a Seneca. Herc. Fur. b Sap. 11. c S. Salv. lib. 8. de provid.

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis. Matth. 18.

SACRI Estheris annales referunt, *a* Amanum Principem, Regis Assueri Dynastam, Mardochæo viro integerrimo, quia debitum (ut putabat) sibi honorem non deferebat, patibulum quinquaginta cubitos altum erexisse.

Jam pœna in miserum constituta erat, malum præ foribus, effugio via omnis præclusa, & velut *tenens suffocabat eum:* nec deerat quidquam, nisi ut Mardochęus collum laqueo indueret. Cùm repentè talionis pœna in Amanum decreta est: *suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo.* In hanc turrim evehenda fuerat hæc campana. meditata in alios flagitia suum auctorem repetunt. Ita vero verius, illud Ecclesiastici: *b qui laqueum alii ponit, peribit in illo*; etiam ex vaticinio votoque regii vatis, huic meritò precatur: *c veniat illi laqueus, quem ignorat.* Quod quàm præsenti materiæ, cui insistimus conveniat, videamus. Conservum suum, homo irâ incensus, nulla miseratione ductus aggreditur, invadit, & *tenens suffocabat eum.* Supplicis & preces, & promissa contemnens:

d —— nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit;

Sed continuò per satellites duci jubet, & arcto carceri mancipari, *donec reddat debitum.* Ita partes suas hic, & ut sperabat, rectè egerat: Ast aliter Doctor gentium sentiit: *e nequis circumveniat in negotio fratrem suum, quia vindex est Dominus de his omnibus*; qui par pari referet, & pari mensura remetietur: Etenim & hujus servi nequam Dominus minimè misertus est: *f quia judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam*; Iratusque tradidit tortoribus (id est dæmonibus, ut ait S. Thomas) horrendo in carcere cruciandum, quoad usque redderet universum debitum. *g quod, cùm numquam persolvet, semper pœnam luet*; & laqueo ac funibus, quos alteri parârat, in æternum constringetur: siquidem, ut justè Sapiens dispositum testatur: *h iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* alii legunt: ligatur, tenetur, suspenditur. Ut scitè Albertus M. doctrinâ, sanctitate & prodigiis ter maximus, in sermone de S. Clemente Mart. ait: *Nota quòd malitia est funis, per quem diabolus peccatores suspendit in inferni patibulo; & nesciret per quid suspenderet eos, nisi ipsi apportarent ei funem, per quem suspenderentur.*

Stupet Theologorum Princeps factum illud, quo mitissimus Redemptor noster tot millia homi-

a Esther cap. 7. *b* Eccl. 17. *c* Psal. 34. *d* Æneid.

e 1 Thess. 4. *f* Iacobi 2. *g* S. Tho. in epist. Iacobi c. 2. *h* Prov. 5.

num

num in templo ementium & vendentium, nemine renitente aut resistente expulerit: nec levius hoc miraculum ducit eo, quo aquam in vinum commutavit. Sic enim ait: *a majorem demonstrat potentiam miraculo, quo aqua conversa est in vinum, eò quòd illuc inanimata subsistit materia; hic verò tot millia hominum domantur ingenia.* Nostis autem quo usus fuerit ad hoc prodigium instrumento? fecit *b flagellum de funiculis*, & eorum funes, in acerbissima ipsorum vertit flagella. rem tetigit Augustinus: *c quia unusquisque peccatis suis caditur, Dominus malè versantes in templo, flagello de resticulis facto, exclusit.* Miraris & tu flagella Dei: bonorum jacturam, præmaturam uxoris mortem, filios contumaces & perfidos. Vide ne & tu alteri vi vel fraude damnum intuleris; ne & tu ut hæreditatem adeas, alterius mortem optâris; ne & tu parentibus immorigerus ac rebellis extiteris. Talis filius exstitit, *d* qui patrem suum capillis, extra domus limen in viam traxerat; hic pater in se reversus: siste fili, huc usque & ego parentem meum, avum tuum traxi. *e* Alter etiamnum tenellulus, in nundinis quid expeteret blandè rogatus: scutellulam ligneam emi postulavit. causam addidit, ut &, inde parentem decrepitum alat, ut ille modò avum suum: plerumque *enim*, *f* ut Rupertus loquitur, *ea in quibus peccamus, fiunt flagella peccatoris*. his, & non aliis, olim Deus flagellavit Ægyptum, ut verissimum sit illud Sapientis effatum:

a S. Thom. in Ioan. c. 2. *b* Ioan. 2.
c Aug. in Ps. 57. *d* Arist. 5. eth.
e Serrarius lib. 4. de rebus Moguntiacis cap. 1. *f* Fabri Dom. 1. Epiph. con. 3.

§. I.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11.

OMnes Ægypti plagas, Salianus noster sic paucis complexus est: *g*

Prima rubens unda: ranarum plaga secunda.
Inde culex tristis; post musca nocentior istu.
Quinta pecus stravit, vesicas sexta creavit.
Postque subit grando, post bruchus dente nefando.
Nona tegit solem. primam necat ultima prolem.

Quibus recensitis investigandum occurrit, cur vindex Deus non pestem, non aliquem cœlestis militiæ centurionem, flammeo gladio omnia vastantem immiserit; cur non ignem de cœlo, aut terram sub pedibus dehiscentem, omnes absorbere præceperit; sed hoc potissimùm tam varii & inusitati supplicii genus excogitârit? nec aliam fuisse causam demonstrabimus, quàm ut populum pervicacem, funibus peccatorum suorum flagellaret. Fuit illud invisum, crudele, barbarum Ægypti facinus, quo Hebræos parvulos, velut catellos recens natos, flumine mergi præcepit; At ille ipse, qui vos animulas molles haurit mergitque Nilus, aliquando tandem innoxii cruoris impatiens, suas sanguine tinget, & mutabit undas: ut eas qui biberit, tam infandæ cædis,

g Salian. an. mundi 2543.

pœnam

Pœnam ebibat. Nimirum ut disertè S. Augustinus: *a justo Dei judicio factum est, ut de illo fluvio sanguinem biberent, in quo infantum Hebræorum sanguinem fuderant.* Quamquam solius Nili cruor: *in pœnas, non satis unus erit.*

Affluent ingentia maria, & rubentis oceani fluctus: ut qui alios infando scelere mersit aquis, iisdem ultrice Dei manu mergatur. Ut enim Theodoretus: *b tradidit justissimus Iudex exitio aquarum, Pharaonem cum toto exercitu: quia per aquam interemerat infantes Hebræorum.* Quas aquas, ut ad mores & tempora nostra derivemus, cautum sit oportet, ne & ab hoc elemento commodum aut emolumentum nequiter eliciendo, per id ipsum, & pecuniæ, & animæ detrimentum incurramus. Quod Lugdunensi Oenopolæ, Gregorius Turonensis Antistes evenisse narrat: *c* hic lucrum ut augeret, vinum augere solitus, non immodicâ aquâ prout generosum erat, liberalius diluebat. Nec levem ex aqua quæstum fecerat: jamque ingentem auri vim crumenæ abditam, secum ad nundinas profecturus asportabat; cum Ararim fluvium trajiciens, è marsupio turgido fortè nummum educere parat: milvus supernè volitans & imminens, ubi è rubro corio marsupium vidit, ratus frustum carnis esse, in prædam præceps involat, & nihilo minus suspicanti, adunco tenacique rostro bursam extorquet & avolat: nec quidquam illo inclamante, perque devia & avia insectante; donec denuo jam medio flumini vultur imminens iniquum & inutile auri pondus, ex aquis malo dolo collectum, homine inspectante in fluvium demersit. Ita aquis redditur, quod ab aquis improbè acquiritur. Ut nemini non exploratum sit illud: *malè parta, male dilabuntur.* Miraris non semel, quisquis es œnopola, propola, mercator omnis, qui paulò ante opibus, divitiis, fortunis, bonis omnibus affluebas, repentè velut turbine verso, omnia diffluere: diffluunt merces, diffluunt emptores, diffluunt per digitos nummi, diffluit fides, diffluit fama. In te ipse regredere & expende, an nemini pro mero frigidam vendideris, an merces adulterinas sinceris non admiscueris, an non per dolum & fraudes hæ opes ad te confluxerint. Et certus esto quia diffluent, & ut Ambrosius ad illa verba: *divitiæ si affluant,* monet, quomodo parta, sic recedunt: *d Non vides*, inquit, *quia præterfluunt? quomodo veniunt, sic transeunt & recedunt.*

Est & alterum quod hîc monitos velim. Nemo quisquam vestrûm sibi ab aqua metuendum arbitratur? nemo pœnas ab aquis in se sumendas reformidat? nullos vos parvulos aquâ strangulastis? nulli vos pauperi febricienti, extremâ siti & inopiâ laboranti, haustum frigidæ denegastis? consimilis supplicii & vos rei agemini, & vobis vel gutta in summis ardoribus denegabitur: *e quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.*

a S. Aug. qu. 9. in Exod. *b* Theodor. q. 25. in Exod. *c* Greg. Turon. l. 1. de gloria Confess. cap. 109. Sanchez Royaume de Dieu l. 5. c. 9. §. 4.

d Ambr. in Psal. 61. *e* Psal. 139.

Pur-

Purpuratus ille dives, cùm totus flammis immersus esset, de lingua dumtaxat queritur, in qua dirissimè cruciabatur. Ipsum causam sciscitatur Chrysologus: *a si te gehennæ flamma complectitur, quare solius linguæ æstibus desideras subveniri? quid sitis extremi digiti guttam; quam si vel solam dedisses pauperi, non sitires?* & alibi: *b sitit itaque guttam, qui vini lacus, cùm pauper sitiret, effudit.*

Alteram Deus plagam, quasi ex undis profluam, toti Ægypto ranas induxit. Ut qui puerorum vagitus, ac matrum ejulatus surdâ aure respuerant, importuno ranarum coaxantium strepitu obtunderentur, quod egregiè Liranus observat: *ista*, inquit, *plaga correspondet culpæ: quia pueri mergebantur, ut cum minori strepitu exstinguerentur: propter quod, justo Dei judicio, inde exiverunt ranæ in maximâ multitudine, infestantes sua importunitate.* Quasi diceret, ait Mendoza: *c* quia Ægyptii suum peccatum occultare voluerunt, demergendo pueros ne vagirent; propterea divino judicio factum est, ut ex eodem fluvio ranæ prosilirent, quæ importuna coaxatione eorum peccatum proclamarent. Quàm multi hodierna die in occulto scelus peragunt, quod ranæ, ut dicitur, in lucem proferunt. Quàm multi in abscondito fornicantur, adulterantur, quos intra novem menses infantum vagitus, velut ranarum strepitus, palam sceleris arguunt & infamant, dum spurii & nothi notissimi fiunt. Denique luculentus hic sacro Ecclesiastæ campus est *d* diem illum aliquando adfore a quo omnia occulta manifestabuntur, & peccata auctorem suum palam arguent. Hebræos oppresserat Ægyptus, operibus luti & lateris; à luto & cinere pœnam exegit Deus: *e omnis enim pulvis terræ versus est in sciniphes.* Et meritò à terrâ, à luto, à pulvere patitur: ut qui ab illo peccati materiam hausit, ab eodem supplicii sui genus sortiatur. quod si crispi juvenes comptæque puellæ attenderent, fucum in fumum: & cineres, quos nunc crinibus aspergunt, in tot sciniphes ac vermes apud inferos convertendos esse, salubrius alium cinerem, in quem convertendi sunt, mente tractarent.

Infinitus sim si singula commemorem, cætera quia obvia sunt, videri poterunt apud Mendozam in libro 1. Reg. c. 4. num. 11. Salianum anno mundi 2543. Lobbetium de peccato lib. 4. part. 1. Thesauri polit. aphorismi. Choquier c. 15. lectu & delectu digna. Nos ne aliò dilabamur, in propositum nobis scopum intendamus, ubi quasi in speculo manifestum redditur:

f Sæpe in Magistrum scelera redierunt sua.

Fuit vir nobilis, qui in metalli concavum speculum, gladium strinxit, & ilico acinacem ex adverso speculo, quasi in se retorqueri conspicatus, cohorruit. Non vanum aut inane hoc terriculamenti genus est, sed aptissimum vindicis Dei symbolum, cujus hoc inviolabile effatum est:

a Chrysol. serm. 122. *b* Ser. 124.
c Mendoza lib. 1. Reg. c. 4. n. 11.

d V. dicta 1. part. Dom. 1. Advent.
e Exodi 8. *f* Seneca Thyest.

a omnes,

a omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. In eam rem Benedictus Fernandius, *b* Lusitanus Theologus, quid memoratu dignum commemorans: Ulyssipone, inquit, unus aliquis ducebatur ob patratum homicidium, extremo supplicio afficiendus. Affluxus hominum ingens, dum per urbem ducitur, divi Sebastiani templum transit, ubi marmoream columnam humi temerè projectam conspicit & consistit; cumque illo feralis comitatus omnis. Hic reus, oculis fixissimis locum intuens: audite ait quotquot adestis: numen supremum testor, me ab ea cæde ob quam à magistratu duci jubeor, penitus immunem esse; sed ô justissime Deus! qui dixisti: *c mea est ultio, & ego retribuam eis in tempore.* Ad hoc ipsum saxum, hominem ignotum hic in tenebris sedentem, furiosè jugulavi. Facinoris nemo mortalium, nisi solus Deus conscius: hanc innocentis cædem modò vindicat, & legem olim latam exequitur: *d quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Hinc cum inopinato, quod sæpe fit, malo involvimur, pro se quisque cogitet; an non tu simile quid alteri fecisti? cogita. Nunc igitur talionis pœna te tangit, & non agnoscis unde ad te veniat. Sed anni sunt, inquis, jam multi, cùm hoc à me factum. & heu nescis, *e* quia *patiens redditor est altissimus*: qui vadimonii diem producit, sed non omittit, expetendam talionis pœnam in menses, in annos differt, sed non aufert. Scelus illud animo repete, quod in natali Herodis epulo, in ipsas mensas importatum est. *f Crudele spectaculum,* inquit Augustinus, *ante oculos constitutum, caput S. Ioannis in disco, feralis missus crudelitatis; propter odium veritatis.* Sed parem sceleri pœnam attende. Saltitârat olim in regia, & in polito marmore puella, suoque saltu caput Joannis extulerat in disco. Saltâvit deinde in rigente glacie, quæ ut saltatricem collo tenus hausit, glaciei testâ caput à cervicibus revulsum, in rigido aquæ æquore subsiliit, fatalique saltu crudelem quondam & impium saltum damnavit. Ecquis in animum inducat, immaturam sibi aut suis mortem imminere, quod alterius officio, dignitati inhians aut invidens, mortem exoptârit, aut malè imprecatus fuerit? quis sibi persuadeat morbos velut agmine facto, in ædes suas immitti, gangrenam pectus invadere, anginam fauces præfocare, podagram pedes captivare, chiragram manus, luem veneream aliudve malum, totum hominem invadere?

Audiant hi magnum illum Seleuciensem Antistitem, quem Gregorius Nazianz. *g Divinam animam, in vita & à morte venerandam, appellavit.* Hic omnium morborum causam & originem, ex nobis ipsis deducit. Nostris malis ipsos nos affligere docet. *h Morbi* quippe *peccatorum flagella sunt,* inquit; atque adeò in iis potissimùm membris corripi-

a Matth. 26. *b* Fernandius in Gen. tom.3.pag.732. *c* Deut.32. *d* Gen.9. *e* Eccl. 5.

f Aug. ferm. 116. in nov. ferm. Nicephorus l. 1. cap. 20. *g* Greg. Naz. orat. 30. *h* S. Basil. or. 55.

mur, quibus graviùs deliquimus. Hoc de se verissimè sensit S. Ediltrudis, *a* Anglorum Regis filia: hæc postea Deo desponsata, virginum sacrarum antistita, è colli tumore acutos dolores, summâ tamen animi moderatione tolerabat, dicens: rectè omninò à benignissimo Judice secum agi, ut quibus membris hic deliquerat, & in deliciis fuerat; iis plecteretur, & cruciatus perferret; probè se meminisse, cùm juvencula esset, è collo suo pretiosa nimiùm monilia gestando, fortè evanuisse. Quo in genere cùm plura cuique suppetant, suffecerit unum adhuc inauditum adduxisse, quod à viro non minus religioso, quàm literato, oculato teste accepi: In Anglia, Matrona nobilis eburneas suas manus, vanè nimiùm ostentans, quo nitidiores apparerent, super mensam illata opportunè cerasa, inter quemque digitum inseruit, dicens: quàm bene conveniat candor & ille rubor. Non multò post, variis morbis afflicta, ad extremam penuriam redacta, niveas illas manus, nunc marcidas & luridas, ad stipem corrogandam extendere coacta est. Marius, qui olim faber ferrarius in officina cultros & gladios cuderat, à follibus & malleo ad militiam provolavit. Hic eos fecit progressus, ut Imperator demum evaserit. Sed omnis imperatoria ejus potestas, unico triduo finita, expiravit. Nam miles è Marii officina, Marium confodiens, acerbissimum hoc illi ingessit: *hic est gladius, quem ipse fecisti.*

a Beda.

Ita Goliathus dux Philisthæus, suomet gladio interemptus est. *b*

Nec aliter nobiscum agitur, quisque suo gladio cadit. Et ubi peccator æternùm configendus erit, à Deo vindice audiet: *hic est gladius quem fecisti.* Iste est gladius, quem ira tua, quem avaritia tua, quem temulentia tua, quem libido tua conflavit. Iste est gladius, quem ipse eduxisti: quia *c gladium evaginaverunt peccatores.* Iste est gladius quem lingua tua mendaciis, perjuriis, calumniis, turpiloquiis, blasphemiis exacuit. Juxta illud *d lingua eorum gladius acutus.* Quia *e exacuerunt ut gladium linguas suas*, qui proprium artificis ac domini sui petit jugulum.

In Gallia leviusculus Adolescens, in jurgia facilis, in vulnera cædesque præceps, pugioni, qui fortè pendebat è cingulo, hoc inscripserat lemma: *f le frappe sans respect:* Nullo discrimine pulso. Diceres exanime rudeque ferrum sensisse impressas sibi crudelis & impotentis animi notas: nocte enim quadam ad seras lucernas, ebriosque numeros cum saltitat, ludit, insanit, choreas ducit, seseque volvit in gyrum, è vaginâ elapsus pugio, graviter hominem pulsavit, feriit & lethali vulnere affecit: ita nimirum, ut in educto ferro legere erat, à Domino, nullo discrimine ferire doctus, Brevissimè & verissimè præfatis subjunxit propheta: *g gladius eorum intret in corda ipsorum.* Quemadmodum D. Am-

b 1. Paral. 11. *c* Ps. 36. *d* Ps. 56. *e* Psal. 63. *f* Lobbet. de peccato lib. 4. part. 1. §. 8. *g* Psal. 36.

bro-

brosius factitatum scribit, cum Theodosius Imper. acie jam structâ Eugenium Tyrannum peteret, ita faventem habuisse ventum, ut missilia ab hostibus jacta, in hostes revolarent. Quod Claudianus hoc metro celebravit:

a O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, revolutaque tela
Vertit in authores, & turbine reppulit hastas.

Affine est illud Ecclesiastici pronuntiatum: *b qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet.* Quod futurum edixit, verissimum eventus comprobavit. Anno millesimo octogesimo quarto, cùm Romæ degeret Henricus III. Imper. in Aventinum montem se receperat, utque sibi, Deoque vacaret impensius, ad beatæ Virginis ædem, sæpius itare solitus.

Invitatus loci opportunitate, ex infima plebe homo nefarius Imperatori necem moliebatur, ingensque saxum in transeuntis caput provolvere cogitabat. Sed dum occasionem avidè captat, dum saxum parat, adducit, movetque, impar immenso ponderi, ipse cum saxo præceps devolvitur & occumbit, in quem verissimè Siracides: *c qui volvit lapidem; revertetur ad eum.* Et Psaltes regius: *d convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.*

Abimelech ut regnum, quod ambierat, sibi uni securiùs stabiliret, *e occidit fratres suos, septuaginta viros super lapidem unum;*

a Claudian. in paneg. Theod.
b Eccl. 27. c Prov. 26. d Psal. 7. vide Lorinum hic. e Iudicum 9.

sed & saxum in caput, & gladium in cor suum retorsit: nam Thebes oppidum oppugnans, dum turrim inscensurus subit: *Ecce una mulier, fragmen molæ desuper jacens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus; qui vocavit citò armigerum suum, & ait ad eum: evagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quod à fœmina interfectus sim. Qui jussa perficiens, interfecit eum.* En talionem ad perpendiculum. En saxum & gladium, uti ille suos fratres peremit; sed hoc, inquies, est antiquæ memoriæ, quod prisca luxere secula: aliud accipe, quod nostra vidit, & stupuit ætas. Perrinus è Calvini schola, *f* homo factiosus, ex ara sacrum lapidem, in quo Christi corpus offerri consueverat, in infamem supplicii locum, ubi rei plectebantur, transferri curavit, ut deinceps maleficorum sanguine respergeretur. Non putabat miser se primam fore victimam, ad hoc altare immolandam. Sed neque hîc aliter evenit: *g qui transfert lapides, affligetur in eis.* Perrinus non multò pòst, proditionis insimulatus, super hunc ipsum lapidem, capite plexus occubuit. Jure meritissimo, ut hæc inculcet, intonat Salvianus:

f Florimund Remundus l. 7. de origin. hæres. c. 17. g Eccl. 10.

§. II.

Ipse sibi parat peccator quisque quod patitur; nos calamitatum nostrarum auctores sumus. h

DIcti veritas sententiis, & consensu omnium gentium, jam

h Salvian. l. 8. de Prov.

pridem

pridem confirmata est. Tam apud Græcos, quam Romanos usurpatissima sunt isthæc talia: hanc technam in teipsum struxisti. Hoc commentum in tuum ipsius exitium reperisti. Turdus ipse sibi malum creat, nam è fimeto turdi viscus & viscatæ virgæ parantur, quibus & turdus & aliæ aves capiuntur. Eloquii Tulliani est: in tuum ipse mucronem incurres. Hinc illa passim decantata: sua arte, suo gladio, sua lege, suo telo jugulari. Hinc ingemiscentis questus illi:

a Heu patior telis, vulnera facta meis.

Quod apto symbolo expressum vidi: perdicem, ut in venatu fieri assolet, pennâ suâ in cerebro confixam referebat, hoc lemmate subjecto:

Heu patior plumis, vulnera facta meis.

Ita Livius bellum Punicum secundum executus: sentiebat Hannibal, inquit, se artibus peti. Et ut alia sexcenta omittam, Attalus apud Senecam, quàm verum dixerit: *b Malitia ipsa, maximam partem veneni sui bibit*, eventus tragici satis superque declarârunt. Ne multis, unum delibasse sufficiat. Rosimunda Alboini Longobardorum Regis conjux, *c* marito cædem ita est machinata: venenum miscuit, obtulitque è balneis egresso. Sensit ille confestim, poculo necdum epoto pestem membris receptam, placideque in conjugem conversus: tu verò, inquit, quod reliquum est, ebibe. Detrectat illa, negatque se potu egere, quod balnei æstum passa non esset. At quò recusat magis, eò juvenis ferventiùs instat, urgetque, imò ad verba minas addens, lævâ pugionem stringit, alterâ poculum porrigit: qua parte cadat, decernat. Quid hic ageret infelix Rosimunda? duræ necessitatis fatique leges: aut ferro, aut veneno pereundum. Stricti ensis fulgor, metusque perculit magis, quàm occulta vis toxici: illo igitur evicta timore, etsi conscia veneni, hausit tamen poculum à se dilutum, atque unà cum eo exstincta est. De Alexandro IV. qui volet Platinam, Guicciardinum aliosque consulat. Nemo in alium impunè malevolus est: lege talionis Deus peritissimè utitur, nec ullius in alterum fraudes, & nequitias vel levissimas multas, impunitasque dimittit, sed præsenti sæpius monetâ persolvit. Quid æquius excogitari, ait Quintilianus, *d* quid justius potest? grassatus aliquis est ferro? præbeat & ipse cervices. Miscuit noxium virus? refundatur in suum facinus auctorem: oculos rapuit, effodit? reddet de sua cæcitate solatium: brevissima justitia & vindicta, cum facinus, pœnæ mensura. Atque si naturam ultionis inspicias, optimè vindicatur, quo modo miser est.

Carolus IV. Imperator, *e* talionis pœnam in lege veteri usurpatam, severus scelerum vindex, suâ etiam ætate, imperioque usurpavit. Cùm ergo Carolus sederet pro tribunali, oblatus ei vir nobilis (cui Zachora no-

a Ovid. *b* Seneca epist. 82.
c Putean. hist. Ital.

d Quint. declam. 11. §. 4.
e Ioan. Dubravius hist. Bohem. l. 22.

men)

men) qui presbyterum utroque oculo privârat. Admissum crimen partim excusare reus, partim auro tegere conabatur. At Imperator talionis pœnam exigens: hæc nulla, inquit, satisfactio est; nec enim cæco restitui possunt oculi; ut igitur jus æquum sit, utroque oculo privandus es; jus istud, facinorose, ne ut rigidum incuses, quo justissimus vindex Deus & in te animadvertet: quique exhibuistis hic *a membra vestra, arma iniquitatis peccato*, fient aptissima divinæ justitiæ instrumenta, & per quæ quis peccavit, per hæc & torquebitur. Oculi, qui hic tot horas ad speculum contemplantur, apud inferos iis specula ustoria objicientur, quæ faciant oculos flammas ejaculari: oculis, qui tot lascivos jactus, in speciosas formas, in fœdas tabulas, in lascivos codices jactatis, quæ spectra, quàm horribiles visu formæ occurrent: oculus qui hîc lucem fugit, *b usque in æternum non videbit lumen.* Auribus, quæ hîc detractionibus, fescenninis spurcitiis patuere, horrendum illud væ, stridor ille dentium, infandæ blaspemiæ, ejulatus immanissimi insonabunt. Lingua, quæ universitas iniquitatum exstitit, non uno supplicii genere excruciabitur: omnia membra nostra, in nos armamus, ipsumque corpus nostrum in exitium nostrum enutrimus. Penes mulierem Ægyptiacam crocodili catulus educabatur; *c* hanc Ægyptii beatam putabant, quod scilicet Deum nutriret, ideoque & mulierem, & alumnum demulcebant. Mulieri huic erat filius, cum crocodilo educatus & ludens: Deus verò ille cicur erat, dum infirmis adhuc viribus; at aucto corpore, ingenium detexit, puerumque illum occidit, atque is finis fuit amicitiæ illius infidæ; has scilicet gratias altrici suæ retulit perfida bestia. Quid nos aliud curamus & educamus, nisi crocodilum? si corpus tantùm curamus, suppetias ferimus hosti, ut postea omnibus membris, nos miserandum invadat & excruciet. Hoc Massiliensis Ecclesiæ Presbyter, quem Gennadius *d Magistrum Episcoporum nominat*, nos monitos voluit dicens: *e nos adversum nos omnia facimus. nihil est in nobis, crudelius nobis. nos, inquam, nos etiam Deo nolente cruciamus.* Peccatis nostris divinæ vindictæ ignem accendimus, & indies pabulum suppeditamus. Sic enim subdit: *nos cœlestis ira ignem accendimus, & excitamus incendia, quibus ardeamus; ut ad nos dici illud propheticum possit: f ecce vos omnes accendistis ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, in flammis quas succendistis.* Flammis, quas Babylonii luculenter exstruxerant, ipsi incensores miserè tosti & torti sunt. Novum crudelitatis inventum, taurum æneum Perillus fabrefecit, *g* mugitus humanos pollicitus; at hunc ipsum, cui suis manibus vehementes flammas subdiderat, primus ipse subiit, & ex illo lento igne malè tostus immugiit:

a ad Rom. 6. *b* Psal. 48. *c* Drexel. Trismegist. de cultu corp. l. 3. c. 3.

d Gennadius in catal. virorum illust.
e S. Salvian. l. 8. de provid. *f* Isa. 50.
g Plin. l. 34. nat. hist. cap. 8.

a Et Phalaris tauro, violenti membra Perilli
Torruit; infelix imbuit auctor opus.

Ita flammas expertus est, *quas succendit.* Exhorruistis? Deus non tyrannum, sed æquissimum agit vindicem; consimile sceleratis, quin multò atrocius tormenti genus decernit. Ut quemadmodum S. Thomas, S. Augustinus, & fides docet, animæ in suis quæque corporibus, longè acerbiùs, quàm in tauro æneo torreantur: ubi libidinosorum hominum, ut Carthaginiensis Antistes loquitur: *b in proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter sartagines flammeas, miserabilia corpora cremabuntur*: ubi Avari, ut olim Crassus, ardentes liquati auri latices potare; & quod amplius, stagna liquati auri & argenti, toti innatare cogentur, quod vel ethnicis persuasum est. Etenim de Thespesio Plutarchus commemorat: *c* eum cum à corpore exulasset, inter inferorum supplicia tres lacus vidisse: unum liquati auri, alterum plumbi, tertium ferri. Hisce horrificos adstantes fabros, homines avaros, ex auro candenti, modò in plumbi liquefacti stagnum præcipites dare, modò inde eductos, in glaciatum instar grandinis, ferri lacum trajicere ac dirè cruciare. Quod ipsum in omni peccatorum genere accidere, sapiens ille Magni Augustini discipulus testatur, dicens: *d quid aliud ille ignis devorabit, nisi peccata tua? quantò amplius tibi ipsi nunc parcis, & carnem sequeris, tantò durius postea lues, & majorem materiam comburendi reservas; in quibus homo peccavit, in illis gravius punietur. Ibi acediosi ardentibus stimulis pungentur: & gulosi ingenti fame ac siti cruciabuntur. Ibi luxuriosi & voluptatum amatores ardente pice & fœtido sulphure perfundentur, & sicut furiosi canes, præ dolore invidiosi ululabunt, nullum vitium erit, quod suum proprium cruciatum non habebit.* Idem olim stabilivit Origines dicens: *e Invenimus in Esaia propheta designari uniuscujusque proprium esse ignem, quo punitur: ambulate in lumine ignis vestri, & flamma quam accendistis. Per quos sermones hoc videtur indicari, peccator ut flammam sibi ipse proprii ignis accendat. Cujus ignis materia atque esca, nostra sunt peccata, quæ ab Apostolo Paulo, ligna, & fœnum, & stipula nominantur.* Tum aptam subnectit similitudinem: *Arbitror*, inquit, *quod sicut in corpore, escæ abundantia, & qualitas, & quantitas cibi febres generant, & febres diversi modi ac temporis, secundum eam mensuram, quâ intemperies collectam materiam suggesserit, ac fomitem febrium: quæ materiæ qualitas ex diversa intemperie congregata, causa vel acerbioris morbi, vel prolixioris existit; ita anima cùm multitudinem malorum operum, & abundantiam in se congregaverit peccatorum, competenti tempore, omnis illa malorum congregatio effervescit, atq; supplicium inflammatur ad pœnas.* Quæ ne & vos serò lugeatis, sectamini Apostoli monitum: *f Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibite membra vestra servire justitiæ in sanctificationem.*

a Ovid. de arte. *b* Cyprian. serm de ascens. *c* Plut. mor. tit. tarda Dei vindicta in fine. *d* Thom. à Kemp. de imit. Chri. l. 1. c. 24.

e Origen. l. 2. Periarch. c. 11. *f* Ad Rom. 9.

EMBLE-

EMBLEMA L.

Cujus est hæc imago? Matth. 22.



O QVAM SVNT SIMILES. a

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Quâ ratione imago Christi in nobis vivacissimè exprimatur:

§. I. *Imago imitando aptè exprimitur, ad quod Apostolus hortatur:* IMITATORES MEI ESTOTE.

§. II. QUOS PRÆSCIVIT ET PRÆDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SUI.

a Ovid. l.2. Fast. *b* 1 Cor. 4.

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Cujus est hæc imago? Matth. 22.

IMitatio si elegans, si apta, si omnibus numeris absoluta, adeò mirificè spectatorum oculos animosq; gratissimo quodam ludibrio ad se rapit, ut si ars naturam ad unguem expresserit, hanc præ illa plerique mortalium & admirari, & æstimare jure censeantur? Ecquis enim uvas eo artificio à Zeuxide expressas, ut aves advolarent, non è tabulâ potiùs, quàm è pampinis pendentes admiretur? *a* Ecquis Parrhasii siparium satis collaudet, quod peritissimum artificem (ipse Zeuxis erat) admota manu dimovere nitentem, delusit? Quis Apellis Bucephalum, ad quem equa adhinniebat, non obstupescat? Quis denique fictilem Archytæ columbam, per apertum aëra volantem, condigno pretio æstimârit? Quæ profectò, & ab arte, & ab imitatione tantum excellentiæ, æstimationis, admirationis hauserunt, ut picta veris, ficta vivis longè antecellere, & exsuperare videantur. Quid? quod vel ex ipsa, quæ passim contemptui & despectui habentur, ab imitatione solâ & pretium & gratiam non vulgarem consequantur: miramurque ut Plutarchus scitè observat, *b non pulchritudinis sed similitudinis causâ* Sic canis, equive spumam nauci pendimus, quam Protogenis & Nealcis peniculo expressam, in cœlum extollimus. Sic optimus morum Magister, *c porci grunnitum*, inquit, *& trochleæ stridorem, & venti fremitum, & maris strepitum non sine molestia audimus; si quis verò commodè ea imitetur, ut suem Parmeno, & trochleas Theodorus, delectamur.* Quod si ut idem Auctor astruit, vel rei futilis vel etiam turpis, imitatio laudetur, quanto ampliori laudis encomio, rei pulchræ, præstantis & prorsus excellentis imitatio celebranda est? eò porrò ectypon in se perfectius, quo prototypon aut exemplar, quod imitandum proponitur, in se rarius & præstantius, atque ipse illud elegantius & vivacius expresserit. Quam laudem ut consequi valeamus, maximè præclarum, imò divinum exemplar, se ipsum inquam, Christus æmulandum proposuit dicens: *d inspice, & fac secundum exemplar*; ut quemadmodum ait Doctor Seraphicus, *in omnibus factis & verbis semper in filium Dei, quasi exemplar respicias: incedens, stans, sedens, & comedens, tacens, & loquens, solus & cum aliis.* Ad quem *Religiosissimum imitandi cultum* (ut Lactantius loquitur) nos per Apostolum adhortatur.

a Plin. 35. c. 10. *b* Plut. Mor. part. 1. de audiendis Poëtis.

c Plin. cit. *d* Exod. 25. Bonav. de inst. vitiorum part. 1. c. 13.

§. I.

Imitatores mei estote.

1 Cor. 4.

DOctor Angelicus, cui ipso summi Pontificis testimonio

nio *a doctrina cœlitus infusa est,* sic ait: *b imago ab imitando dicitur* (quasi imitago) *ex eo, quod agitur ad imitationem alterius.* Quod qua ratione optimè fiat, an imago Christi peniculo depingenda, an cælo sculpenda, an scalpro formanda; an prælo exprimenda, an nummo excudenda, an matrici fundenda, an denique vivacissimè animo velut ceræ sigillanda, videamus. Ac primum quidem Basilius magnus ad Gregorium Theologum: *c quemadmodum pictores cùm imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta ejus transferre conantur magno studio ad suum opificium: ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, veluti simulachra quadam spirantia & actuosa, Sanctorum vitas respicere oportet, probaque opera illorum imitando, sua facere:* quo fit ut ex variis Sanctissimorum hominum virtutibus, singulares quasdam velut gratias cum delectu delibando, & in unam animæ suæ tabulam congerendo, cœlestis ac prorsus divina imago existat. *d* Consimili quippè artificio Zeuxis in Helenâ depingendâ usus perhibetur; omnes enim specie venustas, ac formâ maximè præcellentes de Crotoniatis virgines selegit, ex quarum unâ, corallina labia; ex alterâ gemmeos oculos; è tertia eburneam frontem; è singulis singularem venerem in mutum simulachrum transferendo, atque in unam Helenam colligendo, divinam quandam speciem, imò Deam ipsam felicissimè expressisse visus est. Quæ ad mores traducendo ita juverit æmulari, ut à Petro oculis nostris lachrymas; à Brunone modesti oris silentium; à Casimiro totius corporis illibatum candorem; à seraphico Francisco, rerum humanarum contemptum; atque ut altius repetamus, à Moyse mansuetudinem, à Davide inimicorum dilectionem, à Daniele sanctam inviolatamque à vetitis abstinentiam mutuemus, & singulas quæ in singulis eluxere virtutes, in nobis vivis coloribus depingamus: vos verò virgines, sanctâ æmulatione Theclas, Agnetes, Claras, Coletas, Theresas, in exemplar proponite. Felix profectò quicunque est ille, qui Ecclesiastici consilio: *e Cor suum dabit in similitudinem picturæ.* Consimile de S. Petro Chrysologo elogium Tilmannus adducit: *f Innocentia radiat, castitate fulget, pingitur moribus.* Honesti siquidem mores, & casti amores pigmenta sunt, quibus animæ tabula decoratur. Quod Philo de Moyse commemorat, dicens: *se ipsum quoque, suamque tabulam elegantissimè pictam proposuit spectandam: divinum opus, imitandumque posteris.*

Vnde hæc brevis, sed efficax melliflui doctoris adhortatio est: *Cœleste decus, quod sibi orginaliter inest, dignis quibusdam studeat morum affectuumq; venustare coloribus.*

Pancasten egregia imprimis corporis venustate fœminam, *g* Alexander ille magnus habebat in delitiis, quam dum Apellis operâ pingi curat, ut erat pictor

a Ioannes Papa 22. Lanuza in proëm. cens. auct. §. 5. *b* S. Thom. 1. p. q. 23. a. 1. & p. 1. q. 93. art. 1.
c Basil. ep. 1. *d* Cic. 2. invent.

e Eccl. 38. *f* V. Peleg. paradoxa in c. 5. Matth. parad. 4.
g Ælianus var. histor. l. 12. c. 34.

mollio-

mollioris ingenii, ex puellæ oculis, quos propius intuetur, ignem derivat in pectus, & sui operis amat exemplar: *a cujus aspectus insensato dat concupiscentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem.* Neque ego, auditores, ullum ita ferum aut ferreum reor, qui dum egregiam virginem, castitatem dico, aliamve virtutem, in se vivis coloribus efformare studuerit, ejusdem amoris facibus non accendatur. Quod si ea vel unius virtutis venustas ac formæ excellentia est, ut si oculis cerni posset, omnium in se animos oculosque converteret, quos non amoris igniculos in sancti æmulatoris pectore excitari existimatis, qui sibi longè perfectissimum omnium virtutum exemplar, Christum ipsum assiduè præ oculis habet imitandum? De cujusmodi Paulus ait: *b aspicientes in autorem fidei, & consummatorem Iesum;* quæ verba D. Basilius expendens: *c servator noster in omnibus, inquit, quicumque pietatem colere vellent, virtutis exemplar ac pictura veluti proba, expressam effigiem quandam in se proposuit; unde cunctis lineamentis illius inspectis, simile pro se quisque in vitam suam exemplum transferret.* Quod ut in praxim redigamus, & manum tabulæ admoveamus, mores nostri, actiones omnes, nutus, gestus, ad illos quos piissimus Redemptor noster exercuit, conformandi sunt, ut rectè S. Bonaventura quemque admonet: *d describe tibi in corde tuo mores & actus suos, quàm humiliter se habuit inter homines, quàm benignus inter discipulos: quàm modestus in edendo & bibendo, quàm misericors super pauperes, quibus se similem fecerat per omnia, & qui de ejus specialiter familia videbantur. Quomodo nullum sprevit vel horruit, etiamsi erat leprosus. Quomodo divitibus non adulabatur. Quàm liber fuit, à curis mundi, nec anxius pro corporis necessitatibus. Quàm verecundus in visu, quàm patiens ad contumelias, & quàm mitis in responsis. Item quàm compositus in omnibus gestis suis: quomodo seipsum præbuit exemplum omnis boni,* ac tandem concludit: *ut in omnibus factis & verbis tuis semper ad hunc, quasi exemplar respicias, incedens, stans, sedens & comedens, tacens & loquens, solus & cum aliis. Hæc sit sapientia tua, & meditatio, & studium, semper aliquid de ipso cogitare, unde vel provoceris ad imitandum eum, vel efficiaris ad eum amandum,* DONEC FORMETUR CHRISTUS IN VOBIS: *e* Quâ formâ, uti nihil in rerum natura excellentius, ita hac imitatione & viva similitudine nihil præstantius, de qua illud Adimanti apud Socratem, de anima jure usurpâto: *O speciosissimam nobilissimamque picturam!* Solent mortales vera & apta sui imagine mirificè delectari, *& pictis gaudere tabellis,* quas posteris suis consignant, ut facta majorum æmulentur, quod Crispus Scipionem dicere solitum refert: majorum imagines mirum in modum intuentem ad virtutem excitare. Et quam, quæso nisi virtutem bellicam, politicam, dignitatis avitæ gloriam, & inanem nominis umbram suos volunt æmulari? *f* Cujusmodi fumosis

a Sap. 15. *b* Heb. 12. *c* Basil. de Const. monast. c. 5.
d Bonav. in formâ novi t. p. 1. c. 32.

e Gal. 4. *f* Boteri polit. l. 2. c. 4.

magis, quàm famosis majorum imaginibus, rectè subscribi posset illud Sapientis: *a in errorem induxit nos, hominum malæ artis excogitatio, & umbra picturæ, labor sine fructu.*

Quantò sapientius Romanus Philosophus Seneca, quem Tacitus narrat, jam carcere detentum, & rebus omnibus exutum, & extremum vitæ spiritum trahentem, propinquos & amicos advocasse, quibus cum non haberet, quod testamenti loco transcriberet, pretiosum tamen illis legatum reliquit dicens: *consigno vobis imaginem vitæ meæ.* O Domini, qualem vos servis! ô superiores, qualem vos subditis! ô Patresfamilias, qualem vos liberis vestris *imaginem vitæ vestræ* delegatis! Hic avari, ille iracundi, alter ebriosi, quartus adulteri, quintus blasphemi. De quibus tabulis, teste D. Ambrosio, gravi censura sincerus Judex pronuntiabit: non *b agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam.* Quod perspicaci mentis oculo, viri sanctimoniâ conspicui, attendentes, non mortuam sui posteris imaginem, sed vivam semperque spirantem Christi in anima effigiem consignare studuerunt. Hoc antistes Nolanus spectasse legitur, *c* qui induci non potuit, ut vultum suum in tabulam referrent. Et Eminen. Cardin. Bellarminus rogantibus amicis, ut se depingi, suique imaginem operibus præfigi sineret, ingeniosè & religiosè respondit: *vel cupitis depingere meum veterem hominem, vel novum? si veterem? ille deformis est, nec picturâ aut luce, sed litura & latebris dignus. Si novum? ille nondum perfectus est.* Sed quoniam de cœlesti pictura & virtutum coloribus in festivitatibus sanctorum, prolixiùs acturi sumus, divino Pictori Lucæ cætera relinquemus. Nunc aliam Christum imitandi rationem investigabimus. *d*

Sanctissimus parens noster Ignatius, quo filios Jesu suo conformes, & per omnia similes redderet, voluit omnes *assimilari ac imitari Dominum suum Iesum, ejusque vestibus & insignibus indui.* Imò secundum Paulum, ipsum Christum induere: juxta illud: *e induimini Dominum Iesum Christum.* Quæ in rem nostram divinè S. Thomas sic exponit: *f dicitur autem induere Christum, qui Christum imitatur; quia sicut homo continetur vestimento, & sub ejus colore videtur, ita in eo qui Christum imitatur, opera Christi apparent.* Hæc vestis Christi longè præstantiorem odorem spirat, quàm vestis Esau. Hac indutus, bonorum operum virtutumque fragrantiam exhalans, *g & Christi bonus odor existens*, multò ampliorem quàm Jacob à cœlesti patre benedictionem consequitur: cui nihil gratius, nihil acceptius, quàm hoc pretioso habitu convestitos intueri, in quibus sibi complacet, quasi in filio suo. Quò spectat illud Æliani, *h* qui refert, Theridate vita functo, Artaxerxem, cui is præ reliquis aulæ suæ Principibus charus erat, vehementem animo dolorem concepisse; quem ut leniret, à

a Sapient. 15. *b* Amb. l. 6. hexam. c. 8.
c Corn. in epist. Iacobi c. 1. v. 23.

d Regula 11. summar. *e* Ad Rom. 13.
f S. Thom. hic. *g* 2 Cor. 2.
h Ælian. var. hist. lib. 12. c. 1.

conjuge

conjuge Regina impensè petiisse, ut quando accepta sibi, & quidvis obtentura venire cuperet, Theridatis vestibus accederet induta: ut cum aliter non posset, sic saltem sub imagine, quem morte ereptum lugebat, videretur intueri, quod Aspasia (ita uxor vocabatur) fecit non illibenter, perindè ac si revixisset Theridates, in togis ejus purpureis aureisque triaris, coram Artaxerxe idemtidem comparens. Profectò si nos divini Regis oculis spectabiles & acceptabiles, si in conspectu ejus gratiosos exhibere voluerimus, tunica nobis filii ejus induenda est; quod fiet, si crebrâ sacratissimæ passionis ejus recordatione, habitum animo induerimus: ut ad Prototypum nostrum crucifixum, hujusmodi purpureo vestimento adornati, gratum acceptumque simus spectaculum Deo, Angelis & hominibus. Quod adeò homine dignum D. Bonaventura existimavit, ut pronuntiare ausus sit: *a non se reputet quis hominem, sed bestiam, & plusquam bestiam, nisi sit vestitus Domini passione.* Hac Paulus Romanos vestitos cupit: observârat enim à Romanis indui Neronem Cæsarem, uti ait Ambrosius, togis suis ac Paludamentis intertextum. Volebat itaque illos in animis, patiente Jesu vestiri, qui in corporibus Nerone triumphante vestiebantur. Quamquam & illi tunica filii Dei induti sunt, qui non in animo dumtaxat, sed & in corpore, aut per voluntarias afflictiones, aut per immissas à Deo infirmitates graviter cruciantur: hujusmodi enim insignibus decoratos, cœlestis ille pater suos agnoscit & complectitur dicens: *b quia tunica filii mei est.* Hac videre mihi videor ornatam ac fulgentem Agnetem, *c* sanctam illam, atque ætate sua majorem tredecim annorum virgunculam & Martyrem, quæ dum à sponso suo Jesu gloriatur, *se inæstimabilibus margaritis & cyclade auro texta, ac vestimento salutis* donatam & indutam esse, non aliud videtur dicere, quàm & se hac passione sua sanguineam Christi togam induisse, juxta illud Isaiæ: *d Induit me vestimentis salutis.* Vbi alii legunt; *induit me vestimentum Iesum.*

Qua velut armatura Regia Agnes insignis, leoninos animos induta, intrepida medias inter secures & gladios stetit.

Audierat Henricus IV. Alexandrum Farnesium, universæ Galliæ cum toto exercitu imminere, *e* cui omnibus viribus occurrendum quidem decrevit; at ne ipso in conflictu præfulgidis ac liliatis armis suis omne robur hostilis exercitus in se concitaret, palam in campo omnibus inspectantibus arma exuit; jamque oculis aciem lustrabat, quem sibi Heroem deligeret, ut secum arma & clypeum mutaret. Tandem prævalidum virum ac militem perstrenuum evocat, cui *Mesplez* nomen, atque hunc Regio suo induit apparatu, dicens: hujus se, ex omnibus, virtutem bellicam, & animos suis pares exploratos *habere.* neque alium quempiam validius regia in medios hostium

a Bonav. p. 1. Stim. c. 7.

b Gen 37. *c* Breviar. Rom. 21. Ian. *d* Isa. 61. *e* Pise tom. 1. in circumc. pag. 51.

cuneos insignia illaturum esse: quod de facto comprobavit; etenim ubi sanguineo utrimque prælio commisso, receptui canitur, redit ille ex hostium turmis regiâ panopliâ conspicuus, atque ita quidem, ut hostili sanguine lilia longè respersa, tota rubuerint. Quod ut Rex conspexit, hominē amicè complexus, variis honorum titulis ac muneribus locupletavit. Si tantum animorum, tantum gloriæ ac splendoris huic generoso pugili, ex militari Regis habitu accesserit, quis nostrûm in arduo illo cum carne, mundo, dæmonis conflictu animos non sumpserit? dum se vel cilicio succinctum, aut alia corporis afflictatione crucifixo totum confixum, ejusque purpurâ, veluti Regis sui armis indutum circumspexerit? Quod in aurea illa quinque pretiosissimis SS. vulnerum gemmis distinctâ corollâ, S. Francisco accidisse legimus: *a* ipso mundi exordio Michaëlem Archangelum cum Luciferi superbia, pro divinæ gloriæ zelo decertantem, exclamasse: *quis ut Deus?* Neque Dei Majestati similis quispiam inventus est, aut potest inveniri. Decertat & Dei amor cum homine, & exclamat, *quis ut Iesus?* Respondet humilitas, *Franciscus* vulneratus ut Jesus, signatus ut Jesus, purpuratus ut Jesus, pauper ut Jesus, mitis ac humilis ut Jesus, qui Salvatoris sui vivum exemplar in se expressum gerit, & totum Christum induit, ut piè & ingeniosè Tursellinus noster:

a P. de Wael. corona SS. Christi vuln. vulnus Lateris consid. 2.

Exue Franciscum tunicâ, lacerove cucullo,
Qui Franciscus erat, jam tibi Christus erit.
Francisci exuviis (si qua licet) indue Christum,
Iam Franciscus erit, qui modo Christus erat.
Quid cœlestis amor non audes? fingis amantes
Arte nova, effigies, ut sit amantis amans.

Magno quidem in pretio & veneratione quisque vestrum, fimbriam aut exiguam laciniam vestis Christi habuerit, qualem Leo Isauricus, Imperator Constantinopoleos olim summo dono ad Angelum Patriarcham Venetum transmisit. At certè longè quid præstantius, Deo acceptius, sibi ac animæ utilius munus consecutus fuerit, qui Christum moribus vel ex parte, vel quod maximè exoptandum, omnibus membris totum induerit. *Hunc* etenim *indutus*, ut Chrysostomus asserit, *b omnem simul virtutem habet: nam dum dicit:* INDUIMINI, *undique nos illo circumdari vult,* quod ipsum Gregorius magnus confirmat, ad illa verba Iob: *c justitia indutus sum & vestivi me sicut vestimento.* Vbi sic ait: *d vestimento utique, cum vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo justitiâ sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ, peccato nudam relinquit.* Invenire porrò est, qui oculis Christum induunt, quos non nisi in cœlum sustollunt. Alii auribus Christum induunt, qui cum Augustino detra-

b Chrys. hom. 24. ad Rom.
c Iob 29. *d* Greg. l. 19. Mor. c. 12.

ctores

ctores odibiles habent & aversantur. Alii linguâ Christum induunt, qui nulla umquam verba lasciva, calumniosa, aut iracunda proferunt; alii manibus, pedibus Christum induunt; sed perpauci, qui toto velut vestimento sese undique contexerunt. Ridiculum imò & ignominiosum haberetur, si filius opilionis, qualis David, ex caulâ in aulam, ex mapali ad palatium adscitus, pedum sceptro, sagum purpurâ, peram torque aureo commutâsset, sed in capite rusticanum tegimen, vilem gallerum asservâsset. Ita inquit B. Petrus Damianus S.E.R. Cardinalis: *a exhibe te undique virtutum nitore conspicuum, & uniformi, ut ita loquar, veste sanctitatis ornatum; cui videlicet nullus cujuslibet vitii pannus videatur assutus; inhonestum quippè videtur atque ridiculum, si indutum te veste purpureâ, sericis ocreis, calceis deauratis, solum te villosi arietis pileus, inter multas ornamentorum infulas, exhibeat rusticanum.*

Erubesceret sanè Religiosus, qui capite galerum plumâ insignem gestaret, aut pedibus ocreatus, aut gladio accinctus incederet reliquo corpore habitum monasticum indutus. Tales, qui veste & moribus pietatem ac religionem spirant, sed pedibus leves sunt, aut capite vani, & inanis gloriæ studiosi: tales sunt, qui in pauperes cum Christo misericordes sunt, sed superbiæ aut luxuriæ spiritum à se amoliri non satagunt. Tales sunt, qui cum Christo pernoctant in oratione, sed à dæmonio meridiano sibi satis cavere non student. Tales sunt, qui cum Christo jejunant; sed convitia ferre non sustinent. Quos Antiochenus præsul commonet & hortatur, ut non ex parte, sed totum Christum induant: *b vult*, ait, *nos Paulus undique velut vestimento circumdari; & ipsum in nobis per sanctimoniam conspicuum esse; indutus enim id esse videtur, quod indutus est.* Fecit hæc & sanctè æmulatus est magnus Augustinus, qui ubi mundum & carnem exuit, non ex parte, sed totum Christum indutus est: audierat ille in suo ab omni hominum consuetudine recessu, vocem cœlitus sibi allapsam: Tolle, lege; codicem accipit, aperit, & in illud ad Romanos incidit: *c abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sic ut in die honestè ambulemus. Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, sed* INDUIMINI DOMINUM JESUM CHRISTUM. Ad hæc stetit attonitus, *d* & mente perculsus, *nec ultra volui legere*, inquit, *nec opus erat:* sed subitò cœlestis gratiæ radius, omnes tenebras discussit, atque hæc pauca sed nervosa Apostoli verba: *induimini Dominum Iesum Christum*, ita Augustinum ad imitandum & induendum Iesum inflammarunt, ut nemo quisquam mendicus, aut abjectissimum mancipium adeò gestiat & exultet, viles suos pannos & centones exuens, cum Principis aut Regis purpurâ, auro & gemmis distinctâ commutare, quantum Augustinus veterem hominem cum actibus suis exuens, novum, id est,

a Damian. opusc. 15. c. 27.

b Chrysost. in c. 13. ad Rom. s. 14.
c Ad Rom. 13. *d* L. 8. conf. c. ult.

Christum induere, ardentissimè exoptârit. Nôrat quippè in hac veste, accessum sibi ad thronum gratiæ, nôrat in hac veste cœlestem sibi benedictionem non negandam. O mi suavissime Iesu, tuis nos vestibus tege, tu verus Aaron, qui in monte vestibus suis nudatus obiit, Eleazaro ejus filio in paternæ vestis hæreditatem subeunte. Tu opulentus Booz, cujus pallio Ruth paupercula sese operit. Tu verus Ioseph, utinam tunicam polymitam virtutum omnium, nuditati nostræ injicias! utinam sanguinis tui coccino pretiosè convestiti, tuis oculis gratiosi apparere valeamus.

Ajunt *a* Pilatum ob Christi necem, à Tiberio Imperatore Romam evocatum. Pilatus ne à furibundo Cæsare duci juberetur, inconsutam Christi tunicam subinduit, & ita se Cæsari stitit. Tiberius assurrexit, & omni furore posito, humaniter eum excepit, remisitque non sine honore. Mox ubi abierat, ira recrudescit, & sceleris atrocitatem attendens, Pontium revocavit; sed rursus ad conspectum ejus, omnis ira animo excidit, nec minus benevolè præsentem habuit; cumque id per plures vices non sine astantium stupore accidisset, ex furibundo, ad Pilati præsentiam, Cæsarem derepentè mitem ac placatum reddi, innotuit illum sub veste, tunicam Christi, quæ eam vim habebat, iram Cæsaris exarmandi, gestare; quâ exutus, Cæsar in indignationem versus, sententiam capitalem in eum fulminavit. O peccatores! ô Deicidæ. Si materialis Christi tunica eam vim habuerit, ut furibundum Imperatorem placârit; quid virtutis ad Deum vindicem placandum, illi inesse existimatis, qui moribus & vitâ ipsum Christum totus induerit? Quâ illi per omnia similis & conformis; cum electis revelatâ facie: *b gloriam Domini speculando, in eandem imaginem transformabitur.* Eodem Apostolo attestante.

a Didacus Vega in Psalm. 3. pœnit. conc. 1. Pelbart. de SS. in Festo S. Andr.

b 2 Cor. 3.

§. II.

Quia quos PRÆSCIVIT ET PRÆDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SUI. Rom. 8.

HÆc verò conformitas, optimè per *signaculum similitudinis*, seu sigilli in cerâ expressionem, acquiri posse videtur. Etenim Rupertus in illud Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Animam velut mollem ceram, & facilem ad quamvis formam recipiendam contemplatur, dicens: *c tamquam cera sigilli, testatoris imagine signata, sic imagine Dei signatus est homo.* Sed ô malum! ô nefas! cui ingemit & illacrymatur Propheta regius, *d sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.* id est, ut explicat Novarinus, in electis, à facie ignis, à sole, ab æstu concupiscentiæ, sic perit in eis, & effluit imago Dei, & induis ô peccator! formas ea-

c Rupert. l. 2. in Gen. c. 21.
d Psal. 67.

runt

rum rerum, in quas amando diffluis. amarè hoc olim questus suavissimus Bernardus : *a licet initio hominis cum Deo conjunctio, divino fuerit munita sigillo, ad imaginem quippe & similitudinem suam creavit Deus: sed heu diruptum est sigillum, supervenit Falsarius, fregit, quod erat manu divinitatis impressum.* O sacrilegium! Avarus imaginem Pluti, libidinosus Veneris; temulentus Bacchi superinduxit. Sacra haberi solent sigilla Regum, Cæsarum, Pontificum, ut ea ausu temerario violare, crimen læsæ majestatis sit, non nisi ferro flammaque expiandum. Quòd si Tiberius unus aliquis sigillum suum, nummosque sua imagine signatos, in lupanaria, in sordida, in lutea tecta importari vetat, etiam decreto mortis supplicio; quod tibi imminere arbitraris, qui Dei gratiam, & in ea velut in sigillo expressam imaginem, in lupanaria, & in ipsas Veneris ædes, in Bacchi cellaria insolenti pede manuque inducis?

Scitè Clemens Alexandrinus, humanos affectus, *b impressiones mollis & cadentis animæ nuncupavit:* cui cœlestis sponsus effigiem suam imprimi præexoptat, dicens: *pone me ut signaculum super cor tuum*; nulla etenim major, quàm sigillum inter & signatum conformitas, ubi formaliter *idem & alter est.* Hoc se insignitam modestè gloriatur B. Gertrudis, *c* quæ dum festo quodam, inquit, recepissem sanctam Synaxim, mente intenta in Deum & in meipsam, percepi & sensi animam meam instar ceræ, igne divino liquefactam, sigillatione pectoris ac lateris Christi fuisse signatam, atque ex plenitudine divinitatis, immensos accepisse thesauros. Sigillaturam hanc quoque, uti loquitur D. Bonaventura, S. Franciscus in carne sua, *quasi ad ignis liquefactivam virtutem* præparata, à Seraphico crucifixo accepit. Vos sponsæ Christi nondum colliquescitis? nondum cum Ambrosio exclamatis? *d Luceat imago ejus in confessione nostrâ, luceat in lectione, luceat in operibus & factis. & si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis: ipse enim signaculum nostrum.* Humana industria singulare artificium excogitavit, quo ex cerâ, aut metallo quovis colliquato, elegantes statuas & imagines fundunt, quæ formæ seu matrici suæ, ad unguem conformes existunt; si nempè materia infusa apta sit, ut ad omnes partes liquidò diffundatur; aliàs aut pede, aut digito, imago trunca ac mutila foret. Conjuges, qui ad mutuas voluntates; pueri, qui ad nutus parentum ductiles & conformes; Religiosi, qui superiorum jussis promptissimè influunt; Christiani, qui cum Davide, habent *cor tanquam cera liquescens*, ad omnes Dei voluntates inclinatum, ii profectò imagines prorsus divinæ, & in supremo illo divorum Pantheo reponendæ sunt: quos inter Richardus à S. Laurentio, unam omnium longè excellentissimam commendat virginem: quam sic eloquentem inducit: *e anima mea liquefacta*

a Bern. serm. 2. in Nativit. Dom.
b Clem. Alex. l. 1. Strom. c. 9. Cant. 8.
c L. 1. instit. Spirit. c. 6.
d Amb. in Cant. c. 8.
e Rich. à S. Laur. l. 4.

est per incendium charitatis : parata videlicet instar metalli liquefacti, decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis; & dilectus locutus est ad me per Gabrielem, postulans me in matrem, cui me obtuli in ancillam.

Et quoniam imago ex auro vel argento, aliove metallo fusa, non modò ceream soliditate excedit, sed & formam post ævum indelebilem servat, ut videre est in antiquis statuis, quibus *a nec dum sua forma recessit*; ita etiam fit, ut Regum ac Imperatorum effigies, æreis, argenteis, aureisque nummis impressæ, diutissimè perseverent. exstant etiamnum in Bibliotheca nostra Bruxellensi effigies Diocleciani, Vespasiani, Neronis, Augusti, in nummis distinctè expressæ, quibus

——*Nec dum sua forma recessit.*

Dum interim ex animis nostris, quos ut nummos pretiosissimos cœlestis Imperator signavit, vultus ejus jam pridem erasus est. Quod olim S. Ignatius in Magnesianis reprehendit: *homo pius*, inquit, *numisma est à Deo cusum, impius numisma ementitum; incertum, adulterinum, carens signo debito, non à Deo effictum, sed à diabolo.* Ecce ad cujus typum & imaginem recusus sit infelix homo: qui cum esset in gratia cœlique delitiis, erat *b signaculum similitudinis*, plenus sapientiâ, perfectus decore, in delitiis paradisi.

Politiam ac Reip. incolumitatem spectat illud Cassiodori: *c omninò monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur, & generalis utilitas invenitur; quid enim erit tutum, si in nostra peccetur effigie?* Aristoteles verò lib. 1. polit. cap. 6. docet olim imaginem pecudis insculpi nummis solere, unde pecunia dicta est; postea verò, quo major nummis esset auctoritas, effigie Regis signati fuere. Et etiamnum apud Christianos, signum crucis pistolis, coronatis, pattaconibus; effigies virginis matris, S. Michaëlis, S. Ioannis, S. Ladislai, aliorumque Sanctorum expressæ cernuntur. Idque ut observat Nicolaus Oresmius, Lexoviensis Episcopus, Caroli V. Galliarum Regis Præceptor, *ut sit testimonium veritatis monetæ.* Quare, qui hoc testimonium falsificare, hanc monetam adulterare ausus fuerit, ut reus læsæ Majestatis, lege ult. de vet. nummis. Capitali supplicio afficiendus, *qui æternales vultus Imperatorum duxerit violari.* Illudque adeò enorme crimen perhibetur, ut si Princeps in aliquo triumpho, aut in publica solemnitate remittat omnia crimina, hic falsarius minimè comprehendi censeatur. Ita Barthol. in lege Lucius. ff. ad Senatusc. Marsil. &c. Nec damnatus ad mortem liberabitur, etiamsi ei fiat obvius Cardinalis, cujus occursus alios morti eripit. Tiraquel. de pœnis temp. casu 31. Quæ cum ita sint, condignè exaggerat Ambrosius, quo supplicio dignus sit, qui cœlestis Imperatoris effigie deletâ, mali dæmonis, ferique tyranni imaginem assumpserit. *d Si tyranni*, inquit, *aliquis imaginem habeat, nonne obnoxius est damnationi? Tu deponis imaginem æterni Imperatoris, & erigis in te imaginem mortis. ejice de numismate animæ tuæ imaginem*

a Virg. l. 11. Æneid.
b Ezech. 28. c Cassiod. l. 7. var. c. 32.
d Ambrof. l. 1. offic. c. 49.

ginem diaboli, & attolle imaginem Christi: Ejice imaginem pecudis, & signaculum crucis ac stigmatum imprime, iisque omnia cogitata, verba & opera nostra signentur: vult, inquit Theodoretus, Salvator noster, *a ut eum pro signaculo, in contemplationibus, & actionibus nostris habeamus, notam ipsius, crucis scilicet ac vulnerum, in omnibus tum dictis, tum factis imprimamus. Sic enim erunt, ut numismata Regia, non adulterina, sed imaginem Regiam praeferentia.* Cogitationes nostrae imagines sunt, ab imaginatione & mente impressae, sed attende & intende: *cujus est hac imago?* Leonis per iracundiam, Lupi per voracitatem, canis per invidiam, serpentis per calliditatem, porci per immunditiam, cameli per gibbositatem, id est, divitiarum & avaritiae sarcinam, qui à pecude diabolicae pecuniae, sibi nomen jure servant; quam pauci aureis pistolis, coronatis, pattaconibus similes, cruce Christi, ejusque plagis insigniti sunt. In promptu causa est, quod non absque tolerantia, & veluti adversae fortunae malleo, haec pretiosa moneta imprimi queat. Invenies inter ea, quae imagini primi seculi Societatis patientis inserui, Emblema illud, ubi nummi excuduntur hac epigraphe: *dant pretium plagae*, quam quisquis subire reformidat, imaginem in se Dei recipere detrectat. Etenim si olim vel ridendo verum dixerit Philosophus, quamvis uxor sua aurea foret, nullâ tamen monetâ umquam signandam, quod ne ictum ferre posset. Hoc potiori jure in illos cadit, qui sine scalpro statuam effingi, sine pressurâ iconem excudi, sine ictu nummum signari, sine ulla denique doloris, morbi, calamitatis tolerantiâ, Christi in se imaginem recipi posse arbitrantur.

Unde Paulinus sic Christianos optat Dei nummularios esse, *b ut secundum suam formam probabiles Deo cuderent nummos, & abolitâ de nolis figura Caesaris, vivum Regis aeterni numisma signarent.* Doctor verò Angelicus: *c Numisma Caesaris in auro est, in quo est ejus imago depicta. Dei autem numisma homo est, in quo est Dei imago figurata.* Si enim numisma, quia Caesaris aurum est, ejusque imagine insignitum, Caesari redditur, quid ni Deo reddatur anima, quae tota Dei est, & ad imaginem & similitudinem ejus efformata? *reddite*, inquit Augustinus, *d Caesari nummos, Deo vos ipsos. Nummos Regibus reddimus: Dei etiam nummos reddimus, cum nos ipsos reddimus: est enim homo nummus Dei. Quaerit Deus nummum suum, sicut Caesar suum. Nummus Caesaris est argentum, habens imaginem Caesaris, nummus Dei homo est, imaginem habens Dei.*

a Theodor. in Cant. c. 8.

b S. Paulin. epist. 4.
c S. Thom. in Matth. c. 22.
d Aug. tract. 40. in Ioan.

EMBLEMA LI.

Non est mortua puella sed dormit. Matth. 9.



SOPITOS SUSCITAT IGNES. a

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Mors rectè somnus à sacris & profanis auctoribus nuncupatur.

§. I. *Mortis & somni proprietates inter se comparantur.*

§. II. *Salubris homini dormituro illa Lipsii commonitio :* Ad lectum, ad lethum.

a Virg. 5. Æneid.

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA TERTIA
POST PENTECOSTEN.

Non est mortua puella, sed dormit. Matth. 9.



Refert Pausanias, Olympiæ visam à se statuam noctis, figurâ habituque muliebri: hæc puerum candidum dormientem dexterâ tenebat, lævâ nigrum dormienti similem; horum primum appellari *somnum*, alterum *lethum*, utrumque autem noctis esse filium. Quod hîc in imagine, vivo in se exemplo expressit Gorgias ille Leontinus, qui cùm jam senio confectus, & adversa valetudine correptus in somnum incidisset, ad eum fortè amicus visit, qui evigilantem interrogavit, quî haberet? cui Gorgias: *jam somnus incipit me fratri suo tradere.* quo certè nihil aliud innuere volebat, quàm germanam somnum inter & mortem similitudinem, suffragante Tullio: *a morti nihil est tam simile, quàm somnus.* ut si quis mortem ad vivum effingere vellet, non concinnius quam dormientis specie referret. Rectè Philo Hebræus apud S. Maximum Philosophum, *b* & Martyrem: *mortis meditationem, & futuræ vitæ umbram & delineationem quandam, somnum esse, meritò definierunt studiosi veritatis indagatores; utriusque enim evidentes habet imagines: totum quippè hominem & sibi aufert, & sibi restituit.* hinc nihil frequentiùs, quàm mortem somnum vocitare:

Stulte quid est somnus, gelida nisi mortis imago?
Soles occidere & redire possunt;
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetuò una dormienda.

Virg. ferreum somnum appellat:

c Olli dura quies, & ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Sed profanorum Poëtarum ac Oratorum testimoniis omissis, luculentissimum est illud primæ veritatis in hodierno Euangelio: *d non est mortua puella, sed dormit.* quod idem & de Lazaro mortuo ac sepulto affirmavit: *e Lazarus frater noster dormit, vado ut à somno excitem eum.* accedit Doctor gentium, qui omnes mortuos ut dormientes compellat: *f nolo vos ignorare de dormientibus.* in quæ verba Hieronymus: *brevi visuri sumus eos, quos dolemus absentes: neque enim mors, sed dormitio & somnus appellatur*; undè & Apostolus: *vetat de dormientibus contristari.* & ne longior sim, unum pro multis, suffecerit Augustini pronuntiatum, in Psalmum 3. *somnum* (inquit) *pro morte positum, innumerabiliter scripturæ continent*, adeò ut communi parœmia, de defuncto passim dicatur: *obdormivit in Domino.* porrò optimum quod auctor naturæ animantibus

a Cic. lib. 1. Tusc.
b S. Maxim. serm. 29.
c L. 12. Æne.
d Matt. 9.
e Ioan. 11.
f 1. Thess. 4.

concessit, est requies, quam numquam aliàs melius, quàm dormiendo captamus; si somnus desit, ut omnes lautitiæ & divitiæ adfuerint, omnia desipiunt. Consimili modo Romanus Philosophus de morte disserit: *a O ignaros malorum suorum, quibus non mors ut optimum naturæ inventum laudatur*, hæc enim meta, *b & requies ea certa laborum*; quam ipse locus, in quo mortui tumulari solent, vel etymo suo indicare videtur: cœmiterium quippè, quasi dormitorium, non aliundè quàm à κοιμάομαι derivatur, quod jacere, seu dormire significat, quoniam mortui non secus ac dormientes jaceant & conquiescant. & uti in dormitorio multos lectos videre est, ita in cœmiterio quot tumuli, tot thalami; sunt enim & thalami terrei, seu lecti pulveris, & areolæ in hortis, quæ *beddekens* vocantur; quo Propheta allusisse censetur, dum dixit: *c ecce ego nunc in pulvere dormiam.* ubi illud observatione dignum occurrit:

d Angli Bed lectum vocitant, Cambrique sepulchrum:
Lectus enim tumuli, mortis imago sopor.

Denique quemadmodum dormientes excitantur à somno, & experrecti resurgunt, ita propriè mortui suscitari dicuntur. 1. Reg. 28. Saul Pithonissam consulit, & ecce non vi necromantica, non arte divinatoria, sed verè divina Samuel à morte suscitatur, & dicit: *quare inquietasti me, ut suscitares?* quasi indignabundus, se à somno excitari & interrumpi quietem expostulat. ex quibus omnibus liquidò constat, inter lectum & lethum, inter thalamum & tumulum, inter mortem & morpheum, parum interesse discriminis. Quare id unum hodierna die agam, ut somnum veram ac vivam mortis imaginem, & ipsam mortem somnum esse, ex effectis demonstrem.

a Seneca. b Virg. 8. Æneid.
c Iob. 7. d Novarini Schediasm. pag. 328.

§. I.

Mortis & somni proprietates, inter se comparantur.

MUltis fortasse paradoxon videbitur, mortem naturæ adeò contrariam ac violentam, terribilium omnium (ut Princeps Philosophorum loquitur) terribilissimam, quæ vel solâ sui memoriâ acerbissimam in animum amaritudinem ac horrorem inducit: cum placido, quieto ac naturæ adeò conveniente ac optando somno comparârit; nisi cùm essentias rerum penitiùs investigare concessum non sit, proprietates mortis, somno propriissimas, & contra, de se mutuo prædicari posse deprehenderint: quod disertè docet Clemens Alexandrinus: *quæcumque de somno dicuntur, eadem etiam de morte intelligi debent: utrumque enim animi defectionem declarat, hac magis, ille minus.* Quod de facto Epaminondas comprobavit, qui dum fortè militem in excubiis dormientem comperisset, gladio transfodit; homicidii reus accersitus, respondit eum se reliquisse ut invenerat: ratus inter dormientem & mortuum, nihil

nihil esse discriminis, & hunc & illum, animi defectionem in currisse. omnes nos in excubiis stamus, & *vita mortalium*, ut divinè Plato tradidit, *vigilia est*; ex quo rectè consequitur, ergò mors somnus est. huic doctrinæ insistens Aristoteles lib. de somnis & vigilia: *somnus*, inquit, *est ligatio omnium sensuum externorum*; ubi amabo vos attendite; mortem vulgari schemate, non inscitè per exanime sceleton, seu ossium quandam compagem adumbrari: cui nec aures sint ad audiendum, nec oculi ad videndum, nec nares ad odorandum, nec palatum ad gustandum, nec caro aut nervi ad sentiendum, quæ omnia in mortuo, eademque in dormiente, donec expergiscitur, prorsus exstincta sunt. quid enim voluptatis dormiens ex suavissimo per noctem musicorum concentu, quem non audit, haurire valet? quid clausis oculis oblectamenti, ex variis & artificiosis tabulis, peristromatis quibus parietes instructi, percipere? quid saporis aut nutrimenti conferre, si penuaria vino, horrea frumento abundent? quid fragrantiæ decernere? quid inter eum qui dura humo, & alterum, qui molli culcitra somnum capit, interest, nisi quod subindè ille præ alio, altiori somno sepultus sit?

Accedit quod in morte, non sensuum dumtaxat, sed & omni operatione mentis, corpus defunctum sit; quod ipsum de somno quoque Argentarius affirmare non dubitavit: *somnus*, inquit, *est cessatio functionum animæ, orta ex instinctione spirituum vitalium*. voluntas dum vigilat, varia desiderat, appetit, amat: amator florum totus in horto est, quem amat. mercatoris voluntas lucro inhiat. procus de amasia cogitat. venator feras & sylvas amat. horum nihil dum dormit, agitat. *a perinde nimirum dormientem si velis compilas, ac si mortuus esset: evacuas, & exhauris ædes, vincula injicis, ac nullus eorum quæ fiunt, sensus intercedit.* intellectus vigilantis, quàm variis distinetur? Philosophus mille argutationes Scotisticas, Sophisticas animo volvit & revolvit. dum dormit, argumenta & species cessant, & nihilo plus quàm stolidus rusticus sapit. Causidicus, Consiliarius lites in animo disponit, caput Bartholo & Baldo oppletum habet. Avarus nummos & census computat. Gubernator, dux exercitus, machinationes, stratagemata, incursus hostium, vigili mente pertractat; at ubi somnus occupârit, nec rei bellicæ gerendæ solertia, nec vires ac virtus militaris, magis quàm sopitum Sampsonem defendet. unde quid inter divitem & pauperem, inter nobilem & plebeium, inter doctorem & agrestem, dum dormiunt interest? nisi hi præ illis, turbulenta magis habeant somnia, & altiùs mechanicus, aut villicus dormiat in palea, quàm Rex in rosâ. Quare quod Seneca ad Marciam: *mors est, in qua nemo humilitatem suam sentit; ubi res omnes malè fortuna divisit, æquat omnia.* idem dormienti rectè attribueris. Similiter & memoria, & species rememora-

a Greg. Nyss. orat. 3. de Resurr.

tivæ

tivæ in celebrioribus Adventus & Quadragesimæ oratoribus, per somnum conquiescunt. quæ omnia Hipponensis Præsul confirmat, dum ait: *somnus non tantùm ligat sensus, sed & potentias animæ: nam qui dormit nihil vult, nihil intelligit, & nullius recordatur.* nonne eadem de mortuo verissimè prædicâris? non me, sed Gregorium audite: *a nonnulli*, inquit, *externi Sapientes, germanum mortis, somnum vocitarunt, propter similitudinem eorum, qui in utroque accidunt affectus & perturbationes: oblivio namque pariter & ignorantia præteritorum & futurorum in utroque contingit. corpus sine sensu jacet, amicum non novit, inimicum ignorat, circumstantes & spectantes non videt: tabidum, fractum, languidum, solutum, remissum, modò non mortuum, omnis expers efficaciæ, nihil differens ab iis, quæ in loculis & sepulchris reposita sunt.*

Nunc exteriores dormientis & mortui lineamenta, quæ magis oculis subjecta, ducamus. ac primum quidem non sine numine inter lectum & lethum, inter tumulum & thalamum, ita ominis ut nominis affinitas est: nam quemadmodum morituris, sic dormituris, omnis vestium ornatus exuitur, & nudo linteo involvuntur: quodque Nierenbergius noster accidisse memorat, *b* cùm in urbe Galliarum adeo vehemens virus ac tabes aërem infecisset, ut homines in plateis mortui conciderent, reperta fuisse ad decem hominum millia, qui se ipsos fatali linteo vivos insuerant; ejusmodi spectaculum quot noctibus, à dormituris objicitur & apto ex sacris literis conceptu petito, illustratur. Matth. c. 18. ait: *nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* quæ disertè in rem nostram exposuisse videtur Artemidorus, dum infantes fasciis involutos, hieroglyphicum morituri asserit: *ægrotanti*, inquit, *mortem pernuntiat hoc somnium; quandoquidem & mortui laceris involvuntur pannis & linteolis, uti infantes, & humi deponuntur.* id probè norat Reginaldus Polus, Cardinalis, cujus caput dum quinquaginta millibus aureorum proscriptum esset, dixit: *c jam satur sum vitæ*; qui eam mihi ademerit, hoc præstabit officii, quod ille, qui dormitum ire cupienti, vestes detraxerit. qua loquendi phrasi Chrysostomus usus est, ubi de Paulo cupiente dissolvi, ait: *d ea facilitate carnem exuit, quâ vestimentum.* Omni itaque mundo muliebri ac vestium luxu deposito, dormiturientes identidem recogitent, nihil se ex hisce tot sericis, damascenis, attalicis togis & palliis, nisi funebre linteum ad sepulchrum delaturos; quod quò altius inhæreat, audiat quisque Saladini Ducis potentissimi præconem (qui pro vexillo vilem lodicem per castra manu ventilabat) proclamantem: ex omnibus divitiis potentissimus Dux Saladinus, nihil aliud secum ad tumulum defert. ita & quantumvis *dives cùm in-*

a Greg. Nyss. orat. 3. de Resurr.
b Nierenber. different æterni & temporal. lib. 3. cap. 7. §. 1.

c Sanderus de schism. Anglican.
d Chrysost. hom. 5. in cap. 2. ad Heb.

terierit,

terierit, *nihil secum auferet*; sed dominus & famulus, pauper & dives, stultus & sapiens, eâdem formâ induuntur, & missis novis modis, *moribus antiquis*, eodem lineo habitu teguntur. facit hic quod narrat Radzivilius: *a* Cayri in Ægypto templum Turcicum, Moscheam vocant, hac ratione exædificatum est: Assanus Bassa, vir tam vafri, quàm avari ingenii, nomen suum in orbem vulgaturus, rarum aliquod & magnificum opus excogitavit, nullis tamen suis sumptibus; ad quod consilium cepit plenum sceleris & amentiæ: ubivis locorum proclamari jussit, constituisse se ingens Deo templum erigere: quod quò felicius exurgeret, omnibus undecumque adventantibus, liberalem stipem erogatum iri edixit; dictusque est certus dies & locus partiendæ eleemosynæ. Evocavit hæc res innumerabilem populum ex Ægypto universa, vicinisque regnis ac regionibus: in quorum adventum Assanus maximam copiam indusiorum, & tunicarum ejusdem generis ac coloris parari jussit. eos autem, qui stipem accepturi venerant, ex amplissimo atrio, in aliud æque amplum per varia ostiola, & non nisi singulos transire voluit. in hoc transitu, singulis suæ vestes ademptæ, & indusium tunicaque nova vi obtrusa. hoc eo astu factum est, ut quidquid à tot millibus hominum, in viaticum fuisset assumptum, id omne dicto loco relinqueretur: solent enim illic locorum, pecuniam quam itineri destinârunt, indusiis aut pileis insuere; & quamvis nemo non maluisset vestes suas pretiosiores, imò & longè viliores asservare, cogebantur tamen eodem modo omnes indui: atque ita per posticum dimissi, stabant velut in valle Josaphat. Ploratus tandem populi ac ululatus coortus est, veteres ab Assano vestes postulantis; quas ille exstructo rogo, omnes in ignem conjecit. sed nórat, qualis Phœnix nasceretur ex istis cineribus: tanta enim vis pecuniæ ex isto busto sublata, ut ea ædificio tam nobili sufficeret. Simillimè nobiscum mors agit, vestem vilem aut pretiosam vel invitis eripit, & novam sepulchralem ejusdem formæ ac coloris obtrudit; nos quidem, ut Paulus loquitur: *b ingemiscimus gravati, eò quòd nolimus expoliari, sed supervestiri.* verum frustrà renitimur, velimus nolimus omnibus exuendi, uniformiter omnes induendi. Quâ recordatione illustris illa Marcella Romana, omnem vestium luxum despexit, *c cùm sic induta est vestibus, ut meminisset sepulchri.* quod utinam indies dum exuimur & induimur, recogitemus. Tandem uti mortuus, omnibus exutus super stramen, linteo coopertus locatur, ita dormientis locus, loculi hujus vicem subit, ac plerique super stramen, in linteo obdormiscunt. quid quod idem lectus, qui dormientē, etiam mortuum pari schemate repræsentat: hinc celeberrimus ille Justùs Lipsius morbo ingravescente, cùm adduci difficulter posset, ut decumberet, Medico-

a Radzivil. ep. 3. itin. in Palestin.

b 2 Cor. 5. *c* Hieron. ad Principium Marcellæ epitaph.

rum

rum placitis tandem parere jussus, & vi mali victus, decubiturus dixit: *ad lectum, ad lethum.* hoc aureum Justi dictum, decubiturus sibi quisque occinat, & lectum suum, quem dormiturus conscendit, ut stratum funebre, in quo aliquando exanguis decumbet, consideret: profectò nec lascivire, nec fornicari in eo auderet. porrò si, ut Poëta canit:

a Quandoque est olitor verba opportuna locutus,

Maximè opportunum, & verbum in tempore nauta locutus est. hunc cùm quidam in littore consistentem interrogasset, ubinam pater ejus obiisset? in mari inquit: cumque ille eandem de avo, & proavo, atque atavo nominatim quæstionem movisset ex ordine, responsumque idem de singulis accepisset, subjecit: & *tu mare non times?* responsum dissimulans, argutè ad hæc nauta subsumpsit: & ubinam, inquit, tuus pater obiit? suo ait ille in lecto. sed ubi avus, ubi proavus, ubi cæteri majores, affines & cognati tui? omnes inquit ille in suo lecto extremum diem obierunt. tunc nauta: *& tu*, inquit, *lectum non times*, omnibus majoribus fatalem? nonne frequentius accidit, ut qui ad lectum, ad lethum, quàm qui ad mare, ad mortem pergant? Franciscus Caëtanus è nobili familia, morte domestici consternatus, *b* ne sensus pietatis intepesceret, calvariam dormiturus pulvino semper supposuit, & illi indormivit. non tali pluteo opus est, ipsum cervical nos admonet, certò vicem ultimo ponendam. quare ne & in nobis pietatis ardor intepescat:

a Drex. prodrom. cap. 1. §. 26.
b P. Rho var. virt. hist. pag. 563.

§. II.

Salubris homini dormituro illa Lipsii commonitio: AD LECTUM, AD LETHUM.

PRimum hujus considerationis fructum tradit B. Climacus, *c* quod mortales, qui maximam vitæ partem stertendo, dormiendo malè perdunt, ilicò somnum oculis, & socordiam omnem animo excutient. *cum*, inquit, *in lectulo decubas, sit tibi ipse jacentis habitus, figura in sepulchro clausi, minusque dormies*, plus vigilabis, plus orabis, plus denique vives testante Chrysologo: *d reverà plus vigilare, plus vivere est*, quod somno dederis, hoc tempori, hoc vitæ tuæ suffuraris. unde à Clemente Alex. 2. pæd. c. 9. appellatur publicanus, & dirus exactor, sic enim ait: *somnus non secus ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum dividit.* quam gravem temporis jacturam, ne diutiùs incurramus, motivum perquam efficax subjungit S. Eusebius, qui somnum omnium miseriarum maximam, mortem animæ appellat, atque adeò longè graviùs quàm mortem corporis fugiendam ac execrandam esse: *e inter omnia*, inquit, *gravia humanæ vitæ, & innumeras ærumnas, nulla major quàm somnus miseria, & dignè deploranda, præter peccatum videtur. cætera calamitates affligunt vitam,*

c Climac. gradu 7. *d* Chrysol. serm. 24. *e* S. Euseb. l. 3. c. 3.

somnus

somnus interim penitus vitam aufert. cætera calamitates ita molestæ sunt vitæ corporali, ut juvent ad æternam, meritorum materiam suppeditantes. somnus in se & corporali vitæ, & æternæ interim adversatur, quatenus tempus merendi, & memoriam cœlestium intermittit. & paulò infrà: *tantò pejor videtur ex hac parte somnus quàm mors, quantò melior anima & corpus, quam solum corpus: nam mors te privat solùm corpore, somnus animâ æque ac corpore. mors corrumpit hominem, somnus tantidem est ac si annihilet per spatium, liberam scilicet animam, qua homo est, qua amat Deum, ejusque misericordias & bonitatem intelligit, somnus hanc partem nobilissimam hominis obruit & sepelit, exanimem ipsam animam faciens.* hæc verò brevis ac temporaria mors animæ, diuturnâ ac æternâ corporis morte, viris sanctis semper longè atrocior visa est. hinc *si daretur optio*, ait idem Eusebius: *utrum malles mori, an per dimidiam horam dormire? anima æstuans vero charitatis incendio, ex se mortem eligeret, ne cessaret amare Deum*; quod certè in beatis mentibus nimis quàm manifestum est. & subdit: *si tibi annuntiaretur, annihilandum te fore, contremisceres id audiens: cur gaudebis somno, cum perinde sis, ac si interea annihilatus esses? cognosce incommoda soporis, qui pessima & multiplex mors est.* vita quippe dormientis est, ac si non esset, & nihilo ducenda, ut rectè Plato lib. 7. de legibus, ubi de somno moderando disputat: *nemo*, inquit, *dum dormit, ullius est pretii, nihilo magis quàm qui non vivit*; nemo qui plus somno indulget quàm natura exigit, nemo qui in multam lucem stertit, qui optimam vitæ partem transigit, *ullius est pretii:* & ejusmodi dromones, jure inter mortuos numerandi sunt. *a quid faciunt, qui se non in cubili, sed in ipso collocant sepulchro? qui se non somno, sed morti tradunt, quos gallus non commovet, lucifer non suscitat, sol ipse non revocat, & producit ad lucem.* nonne vivi (quæ mors atrocissima) sepulti sunt? *cave ergo* (monet Bernardus) *b in quantum potes serve Dei, ne totus aliquando dormias: ne sit somnus tuus, non requies lassi, sed sepultura corporis fatigati, non reparatio sed exstinctio spiritus.* atque utinam dum exporrecti jacent mortales, nudo linteo tecti, se vivam mortui speciem, ac mortis imaginem recordarentur! utinam dum oculos in somnum sero vespere occludunt, in ferreum somnum, in æternam clausura lumina noctem, animo præsagirent! nemo, quisquam cum rancore ac inveterato odio decumberet, Sol non occumberet super iracundiam vestram, nemo injusto lucro, graviori noxâ oppressus, somnum caperet; sed cum Angelico Thoma, portenti instar execraretur hominem, in peccato mortali ausum indormiscere. Quid causæ fuisse existimatis, quod David hosti suo Sauli, quem ad mortem quærebat, pepercerit, & omnis furor ac rabies subsederit? nil aliud ferocem ejus animum, quàm species dormientis Saulis objecta, ex qua de morte philosophari cœpit, mitigavit. Chrysostomum audite: *c cùm videret il-*

a Chrysol. serm. 39. *b* S. Bern. de vita solit. *c* Chrysost. hom. 2. de David.

lum

lum manere immobilem, nec quidquam posse facere, ita cum animo locutus est David: ubi nunc ille furor? ubi illa malitia? ubi tot techna, tot insidia? abierunt omnia illa, perierunt exigui somni incursu. jacet Rex ille alligatus, cùm nihil nos neque cogitaverimus, neque perfecerimus. conspiciebat illum dormientem, ac de morte omnibus communi philosophabatur: somnus enim nihil aliud est, quàm mors temporaria, & unus diei interitus. volunt quidam à rabido cane morsos, lecto suffocari, ne noxium halitum aliis afflent: haud aliter qui ab alio læsus, facilè curabitur, si meditatione lectuli lethalis rabies suffocetur. quod si ab iis omnibus fieret, qui inveterata odia animo fovent, quàm placidè, quàm pacatè indormiscerent, quàm non turbulenta & inquieta eos insomnia, sed tranquilla ac jucunda somnia exciperent? Alterum & præsens, ad restinguendum ac sopiendum incendium, à lectis remedium est, quos homines molles & libidinis flammis incensi, immaculatos servarent, si in iisdem corpus suum, aut scorti quod depereunt, aliquando exangue ac deforme cadaver jacere debere expenderent. experto credite: nobilis adolescens, ut est apud Baldesianum lib. 2. stim. c. 19. cum voluptatibus corporis eò usque esset immersus, ut nullum peccandi finem, nullam resipiscendi spem faceret; hoc tandem à viro Ecclesiastico accepit suave & prorsus salutare monitum, ut apposito ad caput ardente cereo, ad pedes crucifixi imagine, ubi in lectulum decubuisset, brachiis in crucis formam compositis, quartam dumtaxat horæ partem poneret in hac cogitatione: aliquando diem adfore, quo tali situ, dum animus ad domum æternitatis se receperit, in eodem strato mortuus jacebit: admisit facile consilium adolescens, & paruit; cùm ecce tanta illum hominis moribundi, & feralis thalami consternatio ac pavor invasit, ut postridie bene manè ad confessarium viserit, ac multis lachrymis, quam ante rejecerat, pœnitentiæ medicinam ultrò depoposcerit, atque ex hoc vitam impuram castigârit, castissimèque deinceps vivere instituerit. Ut stratum quis meritò virtutum omnium Gymnasium pronuntiârit. Persæ, contestante Hormutio, somnum capiebant in utribus, qui symbolum superbiæ sunt, quia inani implentur, atque intumescunt vento: & quia eodem inflantur ambitiosi, honorumque cupidi, meritò in utribus mihi dormire videntur, quorum tumor ut resideat, somni & mortis comparationem instituant. Explicatis retibus sese insternunt Scythæ, & altum in iis obdormiscunt, quibus similes illi, quos malesana opum cupido sopit, & divitiis ceu retibus implicat: & hi quoque recogitent, postquam extremum somnum dormierint, nil reperturos in manibus suis. Sunt alii, qui dormiunt in molli ansere: ii scilicet, qui carnis evicti atque evirati blanditiis, sese totos libidini dedunt; & hi profectò dum molli huic lectulo exangue cadaver brevi insternendum meditantur, & lodices quæ in templo Veneris

ris pro funeribus vendebantur, aliquandò mortuos operturas recogitant, lascivire desinent. Studiosum novi, cui à teneris matertera, insignis pietatis fœmina in sarcophago lectulum straverat, in quo ad annos plurimos securus somnum cepit. Compello vos hìc Veneris procos, ardenti libidinis febri æstuantes, unam in ejusmodi strato noctem recumbite, & ilicò ardor desæviet, febris remittet, toti sani mane assurgetis.

Alium fortè non libidinis flamma, sed intolerabilis fastus ac arrogantiæ fumus obfuscat, atque adeo tetra caligine involvit, ut seipsum prorsus hominem ignoret. quod huic nisi à somno, & quidem à cœlesti Medico præscriptum pharmacum? Genes. 2. Adam cunctis animantibus, & volatilibus nomina imponit, & continuò illum somnus excipit. nihildum degustârat, nullo opere se defatigârat, unde ei hic somnus obrepit? Tertullianus: *inde deducimur mortis imaginem etiam jam tunc eum recensere.* erat ille Rex universorum, ne superbiret, & humano quid altius saperet, immisit Deus soporem in Adam: ut hac mortis imagine muniretur, quod fusiùs probat Serlogus. *a* Te ipsum de die circumspicis, in oculis omnium versaris, ad dignitatem evectus es, divitiis, pretiosis vestibus, honorum titulis, insuper linguâ & ingenio instructus: vis non inaniter extolli? ubi te ad somnum reclinâris, illud Lipsii revolvas: *ad lectum, ad lethum*, & facilè cùm vestibus, omnem fastum exues: denique ut omnibus vitiis toti moriamur, illud magni Pachomii æmulemur, qui dum se cubitum reciperet, singulis membris suis imperitabat, ut per omnem vitam ita sensum omnem reprimerent, ac si jam mortua essent. Qui sic indies in hac pia meditatione se ad somnum componunt, illis prorsus tranquillus ac suavis extremus vitæ somnus obrepet, & ut Propheta ait: *in pace in idipsum dormient & requiescent.* illis jure meritissimo occini poterit, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modò, dixit spiritus, requiescent à laboribus suis.* quibus in verbis, more suo suavissimè ludit Bernardus: *veniet*, inquit, *quidem mors, sed somnus erit dilecto Domini, & ecce hereditas ejus erit janua vitæ*; hinc fleri vetat Malachiam, qui suavissimè in Domino obdormierat: *Malachias*, inquit, *amicus noster dormit, & ego lugeam? si Dominus dedit dilecto suo somnum, & talem somnum, in quo hæreditas Domini, egone fleam qui fletum evasit?*

a Serlogus tom. pag. 295.

EMBLE-

EMBLEMA LII.

Qui legit intelligat. Matth. 24.



QVIS LEGET HÆC? Persius Sat. 1.

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Manus ſcribentis, quæ Baltaſſarem terruit, non obſcuras ſupremi judicii notas, nobis etiam exaravit.

§. I. *Decretoriam ſententiam* MANE, THECEL PHARES, *in judicio ferendam, qui legit intelligat.*

§. II. *Aliam ſcripturam, libris in judicio aperiendis contentam, qui legit intelligat.*

DOMI-

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Qui legit intelligat? Matth. 24.

ANNUA celebritate dies Belo sacer *a* & festus recurrebat, qui publicus ludis, spectaculis, conviviis, tripudiis, luxu omnino barbaro à Babyloniis agebatur; hac porrò festâ luce, anno mundi 3516. potentissimus Assyriorum Rex Baltassar, *b fecit grande convivium optimatibus suis mille. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferentur vasa aurea & argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus, de templo*; quæque annis triginta honestè latuerant, non sine veneratione asservata, nunc demum protrahuntur, & mensis inferuntur: non ut Rex jam madidus, & pellices illius, cæterique convivæ, ea venerarentur, aut cælaturas & artificium mirarentur, sed ut sitim ex eis accenderēt potiùs, quàm extinguerent jam ebrii. *Bibebant in eis Rex, & optimates ejus, uxores & concubinæ illius.* Biberunt in eis: nam grandia & admodum capacia fuerunt, ita ut complures simul os, labiaque meretrices immergere, & velut boves aut vaccæ aliquot, simul ex uno alveo haurire possent. *Bibebant vinum*, ait sacer historicus. Sed quid hoc inusitati aut novi? quis enim eos bibisse aquam credat frænandæ temulentiæ? vinum ergo bibebant, sed regium, & quod in cella latuit optimum, opimianum, centum annorum; hoc ad vasa illa temeranda infusum. Tandem sacrilegi hi ac blasphemi, in immanissimum scelus proruperunt: *laudabant Deos suos aureos, & æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos*, hymnosque diis patriis decantabant. Quam convivarum insolentiam, modimperatoris Regis provocavit temulentia. Hactenus securè perpotatum, helluatum, pergræcatum, lascivitum; & eccum tibi, dum hilaritas convivalis maximè ferveret, *in eâdem horâ apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis.* Manum hanc scribentem, ex Angelorum numero, ut quidam volunt, Michaël rexit; chartam seu membranam, delegit sibi parietem Regii cœnaculi, & quidem loco maximè illustri, & conspicuo *contra candelabrum in superficie parietis aulæ Regiæ.* Nabuchodonosor Baltassaris parens, in somnis, & voce fuit monitus. Cur non eodem modo & filius? nimirum voluit Deus, ut impio Regi sententia Judicis quàm apertissimè panderetur, perinde si dixisset: en ego tibi literas fatales, & quidem signatas, & manu meâ conscriptas mitto, inspice & lege. *Rex aspiciebat articulos manus scribentis*, omnesque convivæ, tot servi famulæque spectatores & testes, scripturam in pariete manifestò spectabant. Breve prorsus, sed terribile fuit epistolium: nam *facies Regis commutata est*, ex

a Pererius in Danielem l. 6. c. 5. Salian. an. mundi 3516. *b* Daniel. c. 5.

c Daniel. c. 5.

roseâ,

roseâ, in pallidam & exanguem. *Et cogitationes ejus conturbabant eum.* Cor pavefactum & attonitum; variæ atque ancipites cogitationes perturbabant, insidias sibi parari vidit, nec tamen auctorem nosse potuit. *Compages renum ejus solvebantur:*

„ Interno timore, inquit Pe„ rerius, *a* tremorem membris „ omnibus communicante. Si„ gna sunt hæc gravissimi timo„ ris, naturæ quodammodo præ„ sagientis imminentem sibi „ mortem. Vehementiam pavoris auget, quod subditur, *& genua ejus ad se invicem collidebantur.* Quid hoc? unde illa tanta, tamque inopina trepidatio? unde illa potentissimi Regis, omniumque convivantium & pavor, & pallor *& plurima mortis imago?* Quid manum scribentis expavescunt? si leonis ungues, aut draconis pedes, aut ursi ungulas ad parietem oberrantes vidissent, triste ac terribile omen censeri potuisset. Quid autem manus terret, & quidem scribentis? si nudo acinace, aut trisulco fulmine armatam, si trigeminam Joabi lanceam, si romphæam Cherubim ignitam, in se unum vibrari conspexisset, ne hæc quidem terrori esse deberet illi, qui supra centum millia armatorum ad manum habebat. At verò stimulante intus scelerum conscientia, divinum hoc portentum se petere, facilè augurabatur; *exclamavit itaque Rex fortiter*, protinus & actutum omnes Ariolos, Chaldæos, Magos, augures, aruspices, incantatores, veneficos, sapientes & suæ gentis Theologos omnes convocari jubet. qui nephriticis doloribus, aut repentino opprimitur morbo, plerumque clamat confestim, citò, citò medicum adducite; ita Rex Baltassar omnibus ossibus tremens, ac gelido sudore perfusus, totus velut febriens, non uno alterove contentus, medicorum turbam, Chaldæos omnes, & quotquot urbs Babylon eruditos aluerat, acciri præcepit, si quis eorum fortè scripturam hanc *legat & intelligat.* Sed nemo eorum hanc novit literaturam, *non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare Regi.* Tres voculæ, sed sensu fœcundæ mysteriis plenæ, ita exaratæ, ut nemo vel conjectando assequi valeret. Joannis 8. *Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram.* Arcana prorsus hæc & mirabilis scriptura: pavimentum pro charta, pulvis pro atramento, digitus pro calamo fuit. *Qui legit, intelligat.* Varii tamen variè hanc exponere & interpretari ausi sunt: Hieronymus comprimis, *b* ait Jesum in terra scripsisse, *eorum qui accusabant* (scribarum) *& omnium peccata mortalium*, juxta illud Jerem. 17. *recedentes à te in terra scribentur.* Ambros. verò censet scripsisse: *c festucam, quæ in oculo fratris tui est, vides, trabem verò quæ in oculo tuo est, non vides.* Dionysius Carthusianus, cum aliis, satis probabiliter astruit, digito Christum exarasse illud Ioan. 8. *qui vestrûm sine peccato est, primus in eam lapidem mittat*; sunt denique, ait Cornelius, *d* qui affirmant tria

a V. Pererium in Danielem l. 6. c. 5.

b S. Hieron. l. 2. cont. Pelag. *c* S. Amb. epist. 79. *d* Corn. in c. 8. Ioan.

hæc

hæc fatalia verba expressa fuisse: *Mane. Thecel. Phares.* Vnus Daniel repertus est, qui posset ignotum hunc characterem legere & intelligere, *obscura interpretari, & ligata dissolvere.* Hic itaque consilio Reginæ accersitus ad turbatissimum convivium, altissimum movit omnibus silentium, qui ab ore ejus penduli, fatidicum responsum summâ aviditate præstolabantur; Daniel verò ad superbum Regem conversus, invectivam omni Verrinâ, aut Philippicâ acriorem, coram omnibus exorsus, ubi horribili dictione, & prolixâ satis, ad mensam perorasset, oculos in decretoriam sententiam, parieti inscriptam conjecit, legit, intellexit, atque ita exposuit: *Mane. Thecel. Phares. Manè, numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. Thecel. appensus es in statera, & inventus es minus habens. Phares. divisum est Regnum tuum, &c.* quibus prolatis, quanta fuerit omnium consternatio, quàm perturbata, ut imminenti exitio, occurrerint consilia, ubi rumor increbuit jam hostes in vallo esse, jam Cyrum muros occupasse, quis satis assequatur?

a Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lachrymis æquare dolores?

Ea quippe *nocte interfectus est Balthasar*, tota Babylon tradita in ruinam & desolationem. Ducentis ante annis totam noctis hujus faciem, convivarum tumultus, cædes, in spiritu sibi objecta, intuitus Isaias, exclamat: *b emarcuit cor meum, tenebræ obstupefecerunt me, Babylon dilecta mea, posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in speculâ comedentes & bibentes.* Hæc ad Balthasarem pertinent. Ad Persas autem, & Medos: *Surgite*, inquit, *Principes, arripite clypeum &c.*

Hactenus acerbissimæ hujus tragœdiæ seriem, florentissimi Regni eversionem, inopinatam denique è luxu in luctum catastrophen, præter morem prolixius instituimus, quòd nihil non ad extremum orbis universi excidium, decretoriam illam supremi Judicis sententiam, *c & abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta*, magnòpere facere videatur.

Notandum, inquit Rupertus, " *d* quòd in medio convivii, ma- " nus illa in nocte, apparuit, & " tam temulentorum, Regis & " optimatum ejus securitatem, " visione horribili fortiter con- " terruit. Sic, ait, repentina & " improvisa dies illa, securis & " contemptoribus Dei superve- " niet, ipso attestante, cum dicit: " sicut factum est in diebus Noë, " *e* ita erit in diebus filii homi- " nis. Edebant & bibebant, " uxores ducebant, & dabantur " ad nuptias, & venit diluvium, " & perdidit omnes. Audite " hæc ebrii, audite temulenti, qui assidetis mensis, gaudetis, ridetis, canitis, lascivitis, omnia vobis læta sunt, omnia secura, & non videtis extensam Dei manum super vos.

a Virg. 2. Æneid.

b Isa. c. 21.
c Matth. 24.
d Rupert. in Daniel. c. 9.
e Math. 24.

Pergit porrò per eversionem Babylonis, destructionem totius civitatis diaboli, confusio-„nis, sanguine sanctorum e-„briæ, in die judicii futuram „demonstrare. Hujus autem „Babylonis Regnum, per sce-„lera singula dinumeratum, „atque in staterâ justâ appen-„sum, ac terribili sententia „divisum, dabitur non ho-„minibus, sed dæmonibus: „non Medis, aut Persis, sed „malignis spiritibus: non Da-„rio, sed Diabolo & Angelis „ejus. Ac tandem concludit: „in Apocalypsi quoque, ipse „qui hîc per manum scriben-„tem figuratus est, ipse, in-„quam, Angelus (Michaël) ipse „qui descendit de cœlo, ha-„bens potestatem magnam, „exclamat in forti voce: *a cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ; quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati sunt.*

Infinitus sim si singula, quæ in Regni hujus eversione contigerunt, cum extremo mundi excidio è SS. Patrum ac interpretum sensu conferre voluero; suffecerit ut propositum nostrum prosequamur, fatales notas, quas Dei digitus parieti inscripsit, in rem nostram plenius enodare.

a Apoc. 18.

§. I.

Decretoriam sententiam Mane, Thecel, Phares, in judicio ferendam, QUI LEGIT INTELLIGAT.

BEnedictus Pererius, *b* cujus eruditionem nullus pene scriptor, qui ejus meminit, illaudatam præterit, hæc tria verba expendens, utilissimam hanc struxit dissertationem: tria illius scripturæ verba, significant " tres res novissimas, quarum " rerum memoria flagitiosè vi- " ventibus, solet esse acerbissi- " ma, & maximè horrida. Hæc " autem sunt: *Mors, Iudicium,* " *infernus.* Quibus rebus; illa " tria vocabula mirificè con- " gruunt. *Mane*, id est, *numeravit*, " designat numeratos esse à " Deo omnes dies vitæ hominis, " tempusque mortis suæ cuique ", præfinitum. *Thecel*, id est, *appensus* " in statera, denotat ex- " tremum Dei Iudicium, quo " tamquam justissimâ trutinâ & " staterâ, omnia hominum facta, " dicta, opera, cogitata, subtilissi- " mè ponderabuntur; de hac sta- " tera Iob 31. *Si ambulavi in vanitate, appendam me in staterâ.* " *Phares*, id est, *divisum.* Bene " adumbrat statum inferni, in " quo qui sunt, omninò & in o- " mnem æternitatem divisi, & " separati sunt à Deo, & societa- " te beatorum. Idem paucis complexus Hieronymus: tria tantùm verba in pariete manus signaverat, quorum primum, *numerum*,

b In Biblioth. script. Soc. Iesu.

rum, secundum *appensionem*: tertium *divisionem* sonat. Quod primum spectat, *numeravit*: Hebræi habent numerando numeravit, hoc est exactissimè, ad scrupum usque minutissimum, ad usq; pulvisculum numeravit. Talis tam peritus Arithmeticus est Deus, non errat numerando, nec errare potest; in suarum rationum libro perscriptum habet; quot capillos quivis hominum feret, ii *a omnes numerati sunt*. Hic Arithmeticus omnes pluviarum stillas, omnes Oceani guttas, omnia arenæ granula, omnia arborum folia, omnia terræ gramina, omnia temporis momenta & puncta dinumeravit, nec in unico hallucinatur. Hic ipse Arithmetices magister, menses & dies vitæ tuæ numeravit, quos ne momento excedes: *b Breves*, inquit Iob, *sunt dies hominis, & numerus mensium ejus apud te est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*.

Passus quoque singulos ad calculum redegit, unde, quà, quò porrexerunt, vigilanter observavit. Iobus severitatem hujus judicii veritus, exclamat: *c tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti*. Deus omnes & singulos nutus, nictus oculorum, motus membrorum, actiones omnes numerato, velut in ephemerides & diaria sua transcribit; sunt anni unius dies trecenti, sexaginta quinque: sunt octo mille, septingentæ, sexaginta horæ per annum. Si quis redeuntibus Ianuariis Calendis interrogetur: dic sodes, quonam abiêre octo millia horarum supra septingentas sexaginta? quis in iis labor susceptus, quis perceptus ab iis fructus? quot horas cibo, quot somno, quot confabulationibus, quot otio, quot lusibus & choreis, quot demum pravis actionibus contrivisti? responde mihi, num in Deum tam liberalis fuisti, ut è novenis pene millibus horarum, novem horulas elegeris, quibus te Christo tuo stiteris in sacro convivio, ad id toties invitatus? dic, quæso, è tot millibus horarum, quot horas precibus, quot lectione pia, quot sacra meditatione insumpsisti? quòd si vel anni unius horas difficile nobis est ad morales calculos revocare, quomodo de quadraginta, quinquaginta, sexaginta annorum horis, rationem reddemus? Etenim si quis sexaginta vixisset annis, ubi de *d* quingentis millibus horarum respondisset, insuper de viginti quinque millibus & sexcentis horis respondendum foret; quod si quis annos vitæ septuaginta numeraret, *e* sexcenta horarum millia, & quod excurrit, tredecim millia, & ducentæ horæ, rationibus divinis addendæ forent. Incuriam hic suam serò, licet seriò incusavit Secretarius quidam moribundus, in has voces prorumpens: *f* ô infelix ego homo! qui viginti quatuor scapos chartæ

a Matth. 10.
b Iob 14.
c Iob c. 14 c. 13.

d 525600.
e 613200.
f Barii philagiæ pag. 237.

in literis conscribendis absumpsi, & ne chartæ philyram exhomologesi vitæ generali conscribendæ impendi. Hæc folia apud Deum numerata, sed nullus fructus. Quod ne & nos supremo spiritu conqueramur, quotannis in seipsum seriò quisque descendat, & secum reputet: quot per annum beneficia à Deo accepta, si possit, numeret, quot delicta reddiderit? ad calculos sedeat, dum licet, rationes componat, conscientiæ tabulas inspiciat, ne ut servus ille nequam, qui decem millia talentorum debita contraxerat, vinctis manibus & pedibus, ad æternas tenebras detrudatur. Et quoniam hic mihi etiam ad viros Ecclesiasticos & Religiosos sermo est, dispiciant, ne illud integerrimi Doctoris, in se verissimum deprehendant: *a nulli computant annos conversionis*. 40. 50. 60. tot millia horarum divini officii, meditationis, lectionis sacræ, tot millia discussionum conscientiæ, & *sæpe* ex his omnibus, *parvus* imò nullus *fructus*, sed manipuli zizaniorum ad comburendum. Notam hanc *mane*, *numeravit*, parieti inscriptam, hodie tibi ab æternâ Dei providentiâ objectam arbitrare, ut eam animo tuo impressam geras, ac omnes consequentes vitæ tuæ annos, menses, hebdomadas, dies diligenter numera, ad calculos revoca, annosque ut supremos tibi concessos, religiosè transigere stude: quo fiet ut post sex septemve dies, menses, aut annos, hæc vocula *mane* tibi non fatalis, sed fausta ac festiva accidat, Regnum non eripiat, sed conferat. Henricus Bavariæ Dux, nondum Imperator, *b* dum ad B. Præsulis Wolfangi tumulum precaretur, sensit repentè Præsulem coram adstare, jubereque ut vicinum tumulo parietem contemplaretur, legeretque notas illic exaratas, legibiles sed minus intelligibiles. Scriptum erat *post sex*. Henricus oraculo territus, existimavit sextum inde diem fore fatalem, & vitæ ultimum. Ad mortem igitur & sepulchrum, dies singulos & horas computando, se præparare, curas cæteras ut superfluas abdicare, magnam pecuniæ vim in egenos partiri, in id unum ferri, ut quàm sanctissimè vitâ decederet. At ubi sextum diem salvus transiisset, comperendinationem scilicet eam esse credidit in totidem hebdomadas, deputandumque in lucro illud benigni numinis, ad majus meritum, auctarium. Sed & has, inter piam spem & metum emensus, sextum sibi mensem designatum conjecit. Rursumque & horas, & dies, & hebdomades, & menses numerando, semestre in curâ mortis obeundæ posuit. Cumque jam sextum etiam mensem sospes exegisset, sextum deniq; annum in exspectatione mortis, ut suo ipse fato occurreret, sanctissimè consumpsit. *Ita post sex* annos religiosissimè traductos, ut sua vaticinio staret veritas, Henricus tandem Rex, atque Imperator Romanus ab Imperii proceribus salutatus, prædictionem sui Magistri in solidum intellexit. Scriptura felicior

a Thomas à Kemp. de Imitat. Christ.

b Bavaria Sancta Raderi. Bellarm. de SS. Princip.

Henrico,

Henrico, quàm Balthasari fuit: illa Imperium dedit, hæc abstulit: numeravit Deus dies vitæ tuæ, si & tu hoc breve *post sex*, animo impresseris, & cum Henrico semper dies, hebdomadas, menses, annos ut novissimos computâris, cum eo vicissim post sex (quandocumque) non terreno, sed cœlesti regno potieris.

Illud autem quod subditur *a Thecel, appensus es*, declarat, inquit Pererius, Deum exactissimâ æquitate, & rectissimo examine judicii sui, ponderasse omnia illius Regis opera, quasi in staterâ quadam justitiæ suæ. Et in alterâ quidem lance, quæ depressior erat, apparuisse pondus enorme scelerum & maleficiorum ipsius Regis; in alterâ verò lance, quæ levissima erat, apparuisse minus habere illum pietatis erga Deum, & justitiæ erga homines, quàm par foret Regi, eique potissimùm, quem Deus tot regnis populisque præfecerat, & quem exemplo Nabuchodonosoris, ut superbiam fugeret, & pietatem coleret, tam evidenter ac salutariter præmonuerat & prædocuerat. Atque hac ex re, inquit Theodoretus, discimus nihil esse apud Deum, quod non ponderetur, *b* quippe qui *omnia in pondere, numero, & mensurâ constituit.*

Quod vel ethnici testati sunt.

c Iupiter ipse duas, aquato ex ordine lances
Sustinet, & fata imponit diversa duorum:
Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.

Hac in re Deus ut mercator sedulus agit, qui coronatos, scutatos, philippeos, ducatos aureos ad aurariam libellam gnaviter examinat, quemcumque deprehenderit minus habere ponderis, rejicit. Ita Deus ad trutinam omnes cogitationes, verba, opera bona & mala, æquâ lance appendit. Nullus artifex ramenta, & scobem auream, nullus pharmacopola medicam potiunculam Regi præbendam, examinat ad libellam tam gracilem & certam, quàm Deus cogitationes intimas, affectus latentes, suspiciones abstrusas, animum & intentiones universas, amores, amicitias, cupiditates, ad trutinam explorat. Hæc divinæ justitiæ libra Petrum Telonarium, *d* ad sanctiorem vitam produxit, cum vidisset nocte secundum quietem, suas omnes noxas in lance unâ, in alterâ verò panem reponi unicum, quem ex indignatione mendiculo projecisset. Ita Carolus Magnus. Ita Henricus Imperator, ita & alii sub vitæ finem in staterâ memorantur appensi: *e Pondus & statera, judicia Domini sunt.* Quisquis es, hoc jam unicè age, tuisque actionibus quantum potes, adde ponderis, ne cogaris illud audire: *inventus es minus habens.* In hac porrò statera virtus nostra pondus habet: neque enim Deus ponderat, aut æstimat aurum, argentum, principatus, prælaturas, &c. quæ apud homines maximi pretii & ponderis habentur; sed ponderat, quid Dei gratia adjutus homo, virtutis vel minimæ, aut momentaneæ exercuerit; hæc enim æternum gloriæ

a Pererius cit.
b Sap. 15. *c* 12 Æneid.
d In vita Ioan. eleemosyn.
e Prov. 16.

pondus operantur in nobis. Unde Proverb. 16. dicitur *spirituum ponderator est Dominus*. Ubi venerandus Beda: *spiritus singulorum, quid in occulto cogitent, certâ lance discernit*. Innuens cogitationes & voluntatem, non verò actiones externas à Deo ponderari, juxta illud: *a omnis via viri sibi recta videtur, appendit autem corda Dominus*.

2. Ponderat intentiones in eleemosynis, jejuniis, laboribus, studiis, concionibus &c. harum librator, ponderator, examinator, scrutator est Dominus.

3. Pondesat intentionem, & durationem: quanto tempore, quamdiu illud exercitum, quamdiu ira, odium, scortatio, temulentia, injustitia tenuerit. Quamdiu corpus afflixerit, orârit, jejunârit, pauperes aluerit, pia proposita servârit. Rupertus: *b justè sicut judicem justum decebit, dicet: quamdiu fecistis? appendendo videlicet non solùm quid factum, sed & quamdiu factum sit.* v. g. inquit, *dives aliquis, epulans splendidè, cuipiam Lazaro micas aut certè primitias mensæ suæ quotidie tribuit, idque dum vivit. Alius possessor auri & argenti, cœnobia sive Xenodochia construit, constitutis redditibus annuis, unde non solùm in vitâ, sed & per mille generationes bene habeant, & in commune vivant aliquot ex istis minimis (ecce quamdiu) nonne igitur pertinebit in illo judicio istud quoque meminisse, pro ratione præmii, ut habeat plus retributionis, qui diutius ministravit?*

4. Ponderat affectum, amorem, desiderium, zelum, *non quantum, sed ex quanto*. Unde idem opus, ab uno maximi, ab altero, minimi ponderis esse deprehenditur. Maximi fuerit in eo necesse est, qui dicebat: *c amor meus, pondus meum, illo feror, quocumque feror*.

5. Ponderat gratiam, quæ dignitatem operanti, & operibus pondus confert. *Ponderator* enim, inquit Cornel. dicitur quasi *ponderis dator*.

6. Ponderat media & remedia, beneficia omnia, quibus nos ad salutem disposuit. Quibus annumerandæ calamitates, miseriæ, morbi, *adversa* omnia, *quæ dum premunt, ad Deum nos ire compellunt*. Ingeniosè ad hæc alludit Gregorius, exponens sublimem illam Iobi doctrinam: *d qui fecit ventis pondus*, ubi ait: velocitate ac subtilitate ventorum, in scripturâ sacrâ solent animæ designari, quæ ne efferantur, naturæ suæ excellentiâ, Deus terrenum corpus pro pondere addit: *corpus* enim *quod corrumpitur, aggravat animam*. Insuper, inquit, dedit ventorum instar, virtutum levitate præditis, & in cœlum volantibus, pondus tribulationum: *pondus enim ventis facere, est concessam electis de virtutibus gloriam, permixtâ infirmitate temperare.*

Ventis denique pondus addiderit, qui operibus vanitatis quamplurimis, quæ appensa, ventis leviora erunt, ex infinito thesauro meritorum Christi, & cruciatibus adjunxerit. *e Non te dimitto sine exemplo.*

f Parisiis in cœnobio S. Fran-

a Prov. 21. *b* Rupert. de operibus Spiritus sancti l. 9. c. 17. tom. 2.

c S. Aug. *d* Iob 28. S. Greg. lib. 19. mor. c. 4. *e* Aug. serm. 83. de temp. *f* Chronica S. Franc. part. 3. l. 4. c. 53.

cisci Assisiatis, Religiosus tyro in lethali morbo ad extrema perductus est, cumque jam lucta mortis instaret, æger horrendum inclamans: me miserum, inquit, quanto satius fuisset numquam nasci, quam ita mori! paulò pòst; libram obsecro, inquit, fideliter tracta. Mox & illud adjunxit: appone aliquid de Domini Iesu tormentis & cruciatibus. Somnia hæc videbantur, aut ægrotantis deliria. non multò post vociferatus est: nunc bene habet: mirabantur qui aderant, innocentis juvenis tantam in morte trepidationem. Atque ubi ad se nonnihil rediit, quærebant quæ hæ voces sibi vellent? quibus ille: vidi ait, quàm exactas Deus rationes posceret, de occultis etiam cogitationibus, de otiosis verbis, deque minutissimis quibusque noxis. Ad libellam omnia examinantur accuratissimè, ideo me infelicem ac miserum proclamavi, & libripendis fidem appellavi; cumque cernerem promerita mea peccatis longè pauciora esse, & libram mihi minus favere, institi rogare, ut de Christi patientis meritis aliquid apponeretur, quo pondus in causam meam vergeret. Hoc impetrato, animum resumpsi, & bono loco rem esse ponuntiavi. His dictis, vitâ decessit. ex quibus omnibus indubitatum illud Chrysostomi concluditur: *a qui cuncta videt Deus, & scrutatur, omnium vitam quasi lance quadam librat, judicium peccatorum statuens.*

Tertium atque omnium maximè terrificum portentum fuit *Phares, divisum est regnum tuum.* Cùm quis moritur, acerbissima fit divisio animæ à corpore, ut expertus fatetur Agag Rex ille pinguissimus, qui mox interficiendus dixit: *b quomodo separat amara mors*, à divitiis, ab amicis, à liberis, ab uxore, quibus tenacissimè adhæserat: opes, quas parasti, divident perversi hæredes, corpus vermes miserè discerpent; at sanè metuenda divisio, & separatio longa nimis, dum *c segregabit oves ab hœdis*, dum Regnum illud beatorum dividetur ab anima, & ab auctore omnis boni in æternum, & heu! quanto intervallo, ut spes nulla sit remeandi, separabitur; chaos enim magnum inter beatos cœli cives, & proscriptos hinc miseros exules, firmatum est: igneum hoc ergastulum, pessulis adamantinis, & portis ferreis obstructum. Causam, ne requiras, Isaias exposuit: *d Iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum.* Tormenti genus est, ubi lateritius paries filiam in claustro, Deo dicatam à parentibus separat, aut amicum ab amico; cujus hæ voces sunt:

e Invide dicebam paries, quid amantibus obstas?

nec minor divisio, ubi trajecto Oceano in exteras terras, seu ad extremos *divisos orbe Britannos*, filii à patrio solo avelluntur. Sed crassior heu paries, aliud mare igneum, chaos magnum damnatos separabit. In prima universi molitione auctor naturæ Deus, divisit aquas ab aquis, superas ab inferis, & ne qua earum esset communio, firmamentum quod

a Chrysost. hom. 8. pœnit.

b 1 Reg. 15. *c* Matth. 25.
d Isa. 59. *e* Ovid. Metam.

secundum Clavium octoginta milliones milliarium in crassitudine habet, interjecit, quo eas à se invicem discerneret: dixit enim: *a fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Quod aquis illis, hoc tibi, cum à virtute, à gratia Dei proximus esses, solutis & patentibus cœli cataractis in te illabi, & impluere poterant cœlestes aquæ, & gratiarum fluenta; at ubi intercessit peccatum, ab aquis divisæ sunt aquæ, & interpositum est velut firmamentum aliquod ære fusum, & murus aheneus, ut à superis aquis, ne stilla dulcedinis, ad amarissimas illas stygias aquas derivari possit, ut dives ille expertus est. Nunc postquam fatales illas literas, parieti arcanâ manu inscriptas legimus, superest ut &

a Gen. c. 1.

§. II.

Aliam scripturam libris in judicio aperiendis contentam, qui legit, intelligat.

CUriam cœlestem idem Propheta Daniel suis coloribus depingens, oculis subjecit thronum Dei igneum, cum igneis rotis, grandævum judicem, assessores plurimos, stipatorum supra mille milliones. Post hæc ait Daniel: *b judicium sedit & libri aperti sunt*; obsignatos tot seculis codices, arcanas in his notas exaratas, *qui legit, intelligat*. Prius tamen qui, quales, & quot libri adducendi sint, videamus. Suarez ex illo Apocal. *c Libri aperti sunt, & alius liber apertus est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.* Sic docet: *d* cùm ad judicium operum, " necessaria sit cognitio legis, seu " juris, facti seu operis, plures " etiam libri videntur esse neces- " sarii: alii, in quibus præcepta scripta sunt, alii, in quibus ipsorum operum historia sit conscripta. Quemadmodum S. Hieronym. Beda, cum aliis censet, juxta illud Deut. 33. *in dextera ejus ignea lex*; scripta *intus* quoad novum Testamentum, *foris* quoad vetus. Priscæ itaque novæque ac Christianæ legis instituta, liber grandis adducetur, ut *qui legit intelligat*, quàm perversè hic sacras paginas ad sensum suum traduxerit: dic tu legis perite: *e in lege quid scriptum est, quomodo legis?* dic tu Causidice, *f quomodo legis? opprimamus pauperem justum, & non parcamus viduæ.* Et Proverb. 1. *insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem, deglutiamus eum.* Dic tu Adulter. *g quomodo legis? Fruamur cupitis amplexibus, non est enim vir in domo sua, abiit viâ longissima.* Dic homo temulente, *quomodo legis?* præceptum Domini est: *h comedite, bibite, & inebriamini charissimi.* Et Proverb. 2. *vino pretioso & unguentis nos impleamus.* Ita modo Dei legem, flagitiis suis patrocinari volunt, qui ex eâdem severissimè damnandi, ut Hipponensis Præsul observat, in illa verba: *i pluet super peccatores laqueos*, sic ait: *cum scriptura malè* (ac perversè) *intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos.* Quod studium omnibus hete-

b Danielis 7. *c* Apoc. 20.

d Suarez de vita Christi q. 59. a. 6. sect. 9.
e Luc. 10. *f* Sap. 2.
g Prov. 7. *h* Cant. 5.
i Aug. in Psal. 10.

heterodoxis proprium esse, alibi ostendit dicens: *a omnes hæretici qui scripturas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potiùs sectentur errores.*

Vt veteres mittam Arrianos, Eutychianos, Manichæos, ad recentiores me converto. *b* Te primum compello Luthere, *quomodo legis?* virginem Deo sacram licetne nuptui tradere, quis ambigat? scriptum est enim: *non est bonum hominem esse solum.* Præcepitque Dominus: *c crescite & multiplicamini.* In consimili causâ, quid vos Parlamentarii Angliæ censetis? licetne Henrico VIII. repudiatâ legitimâ sua conjuge Catharina, Annam inducere? respondent: 1 Reg. 1. scriptum est: *quia Annam diligebat.* Ita fornicarii & adulteri se purgant, exemplo Abrahami & Iacobi, qui ancillæ assueverant. Et illo Lucæ 11. *date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Furem percunctare, qui se tueatur scripturâ? quomodo legat? respondet, ipsos Judices arguendo: *d omnes qui venerunt, fures sunt &c. quid habes, quod non accepisti?* Et Matth. 21. *e Dominus his opus habet.* Quære, inquit quidã Dolabella, in Apologo apud Garassum: *f quare ex motu spiritus, ut dicebat quidam minister Altissimi, chlamydem alterius sit furatus? respondetur, quia scriptum est: alter alterius onera portate.* Ex mendace frustra quæsieris, *quomodo legis?* nam & Abraham mentiri jussit, Gen. 12. *dic ergo obsecro te, quod soror mea sis;* & Iacob Gen. 27. *ego sum primogenitus tuus Esau.* Quod si Atheum sciscitaveris, *quomodo legis?* reponet hic sine sollicitudine vivendum, cum Ecclesiastes disertè doceat, *g* quia *unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio, & nihil habet homo jumento amplius.* Quis non verissimum hic videat illud Augustini: *h omnes hæretici ex scripturis falsas & fallaces opiniones suas, conantur defendere.* Quod cùm vir in hac controversiarum palæstrâ exercitatus; exemplis manifestè demonstret; quædam juverit delibasse. Medicinæ Doctor nil ægris præscribebat præter olus, Doctorem gentium, inquit, secutus, qui ad Rom. 14. docet: *qui autem infirmus est, olus manducet.* Alius damnabat eos mercatores, qui syngraphas (obligationes vocant) exigerent, jactans illud Psalm. 124. *declinantes autem in* OBLIGATIONES, *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.*

Rogatus Calvini sectator, quid toties illud ingeminaret: *Deus in* ADIUTORIUM *meum intende*, rogo, inquit, Deum ut uxorem meam auferat, hoc enim fecit mihi *adjutorium*. Gerardus Entens ejusdem Magistri progenies, uxorem sterilem securi mactârat, illo Matthæi incitatus: *i omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.*

Mitius Lutheranus quidam Harlemi, bene potus, domum reversus, dum conjugem suam pugnis acriter contunderet, vicinis id arguentibus, illud Pauli obje-

a Aug. ep. 222. ad Consensium.
b V. Amstelii extract. Cathol. interrog. 24. *c* Gen. 2. *d* Ioan. 10.
e 1 Cor. 4. *f* Garassus doct. Curieuse l. 5. sect. 21.

g Eccl. 3. *h* Aug. l. 1. de Trinit. c. 3. interrog. 24. Amstelii extract. Cathol.
i Matth. 7.

cit: *a castigo corpus meum*, vir etenim & mulier, *b duo sunt in carne una.*

Quid quod perversi hujus dogmatis prædicans repertus sit, qui Euangelium canibus suis prædibat, *quia* scriptum est Marci 16. *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Addebat & canes quoque salvos fore, Propheta regio vaticinante: *c homines & jumenta salvabis Domine.* Hi omnes à carne & sanguine, ab angelo Satanæ edocti, *d qui utuntur testimoniis scripturarum, non ut doceant sed ut fallant*, & à spiritu privato ducti *e in lege peccaverunt*, & ideo *per legem judicabuntur*. Vnde August. *f Domine tremenda sunt judicia tua, quoniam veritas tua nec mea est, nec illius, aut illius, sed omnium nostrum, terribiliter admonens nos, ut nolimus eam habere privatam, ne privemur eâ.* Tunc nempe aliter legendum & intelligendum conscientia dictabit, dum *g ostendens opus legis scriptum in cordibus testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

Tunc omnes illos, qui diabolicum illud: *scriptum est, scriptum est* assiduò usurpant, Christus redarguet, quemadmodum olim Satanam; quia scriptum est: *h non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum.* Rursus scriptum est: *i omnis fornicator, aut immundus &c. non habet hæreditatem in regno Dei.* Ita veridicus ille Iudex, ut S. Thom. loquitur, *k falsas de scripturis diaboli sagittas, veris scripturarum franget clypeis.* Tunc denique qui nunc *l depravant scripturas ad suam ipsorum perditionem*, audituri sunt terrificum illud, quod olim Salvator noster in infernalem spiritum pronuntiavit: *Vade Satana.* Quò? non retrò, ut Petro dictum est, sed *(quod subauditur*, inquit S. Thomas) *m in ignem æternum.* Hæc prolixius quàm statueram. Nunc propositum prosequamur.

Idem Theologiæ Antistes alios quoque libros exponit: *n conscientiæ*, inquit, *singulorum erunt, quasi quidam libri, continentes res gestas, ex quibus judicium procedet.* Qui conscientiarum libri, *o non atramento, sed flagitiorum inquinamento* conscripti sunt, ut ait Ambrosius. Nemo quisquam hic syngraphen suam diffiteri, nemo manum suam, qua pectoris sui tabulis tot scelera insculpsit, negare præsumet; sed convictus, in has confusionis plenas voces erumpet: *p væ mihi quia latere cupio, & latere non possum; quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorum judicia peccatorum.*

Sed & *q alius liber apertus est*, vitæ & mortis, inquit Hieronymus, *r* quorum unus omnes omnium virtutes, ac bona opera quantumvis exigua; alter verò omnia etiam minutissima peccata, exarata ostendet. Mentionem horum injiciens Ephremus: *s formidabiles libri*, ait, *in quibus scripta*

a 1 Cor. 9. *b* Eph. 5. *c* Psal. 35.
d S. Thom. in Matth. c 4. *e* Rom. 2.
f Aug. l. 12. conf. c. 25. *g* Rom. 2.
h Rom. 13. *i* Eph. 5. *k* S. Thom. in Matth. c. 4.

l 2 Petr. 3. *m* S. Thom. hic.
n S. Thom. addit. q. 87. a. 1.
o Ambr. in Psal. 1. *p* Ambr. in apolog. David. *q* Apoc. 20.
r Hieron. in Daniel. c. 7.
s S. Ephrem. l. de pœnit. c. 4.

ſcripta ſunt opera noſtra, & actus, & verba, & quæcunque egimus in hac vita; nec ſolùm actus, ſed & cogitationes, & intentiones cordis. Quæ omnia, ut venerabilis Beda refert, *a* Humfredo exhibita fuere, eo quidem ſchemate, ut tartarei illi ſatellites, bene magnum volumen ei exhibuerint, in quo tetris notis omnia anteactæ vitæ flagitia exarata legit. Tutelaris verò genius, in puſillo Enchiridio, paucula quæ in primo ætatis flore, pietatis obierat exercitia, annotata oſtendit: qui codices immane quantum diſcrepantes Humfredum in extremam ſalutis ſuæ deſperationem miſerè præcipitârunt. Conſimili in codice quiſque veſtrum, non modò malum commiſſum, ſed & bonum omiſſum, occaſiones virtutum, gratiæ illuſtrationes neglectas, leget ſicut in diverſorio non ſolùm pro ferculis abſumptis, ſed & pro appoſitis, licet intactis, pro igne & lumine perſolvendum. Quam bonorum operum omiſſionem, priuſquam ad Judicem pergeret, vel lachrymis ſuis è libro mortis eluere conatus eſt Eccleſiæ Antiſtes, de quo Card. Bellarminus de arte bene moriendi lib. 2. cap. 6. ægrotabat ad mortem Epiſcopus valde doctus & pius; acceſſit ad eum ſacerdos utrique noſtrum amicus, à quo hoc accepi quod narro. Quæſivit ab Epiſcopo an conſcientia ejus ſatis pacata eſſet? reſpondit, per gratiam Dei nihil grave ſibi occurrere, quod in Deum ſe commiſiſſe ab ultimâ confeſſione meminiſſet. Addidit ſacerdos amicus, an conſcientia omiſſionum non eum reprehenderet, cum Apoſtolus tam ſolicitè Epiſcopum Timotheum admonuerit, dicens: *b teſtificor coram Deo & Ieſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus: prædica verbum; inſta opportunè importunè; argue, obſecra, increpa in omni patientiâ & doctrinâ.* His auditis ingemuit bonus Epiſcopus, & ait: verè omiſſiones me non parum exterrent. Et his dictis, cœperunt oculi ejus profundere flumina lachrymarum. Et hæc tu Paſtor, tu Eccleſiaſtice, tu Præſes, tu Prætor, tu paterfamilias ſiccis oculis audis, nec contremiſcis, nec omiſſiones animo obverſantur, quibus ex officio, proximo ſuccurrere, peccata impedire, ad præcepta Domini obſervanda impellere teneberis? horum omnium ponderator eſt Dominus.

Accuratus ſcriba, fidus amanuenſis, quem nil præterit, ille eſt, de quo Ezechiel, & *c atramentarium ſcriptoris ad renes ejus.* Hunc ſua à primo rationis uſu delicta (jam memoriâ diu oblitterata) obſervantem & annotantem, Iob veritus exclamat: *d ſcribis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Septuaginta legunt: *ſcripſiſti contra me mala, & circumdediſti me peccatis juventutis.* Olympiodorus ait, Iobum, qui matura ætate multis virtutibus præcellebat, tamen à nævis pueritiæ timuiſſe. Quid quod Chryſoſtomus doceat, tranſlationem hîc ductam eſſe à Regibus, ſententiam ſcripto mandantibus. Veriſſimum hoc ex ſenſu Eccleſiæ quemque noſtrûm ex hoc libro judicandum:

a Beda in hiſt. Angl. l. 5. c. 14.

b 2 Tim. 4. *c* Ezech. 9. *d* Iob 13.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Vnde mundus judicetur.

Vnde suam quisque audiet proclamari vitæ, vel mortis sententiam formidandam. In Imperii civitatibus moris est, cum reus ad supplicium vinctus producitur, prius sistatur in foro, ut ipsemet inter densam plebem audiat acta sua recitari. Hic Præco editum locum occupans, & silentium indicens, sic incipit: qui præsens hic adstat Leonardus Mercurius, captus & ligatus, sexagesies majoris momenti furta commisit, quapropter sententia curiæ, sicca manu in patibulum attollatur, finiatque vitam laqueo. Hic reus plerumque vel sola sententiæ hujus pronuntiatione, tanto horrore percutitur, ut ipsa morte, pejor sit mortis metus. Aliter profectò reus in supremi illius Judicis conspectu consistens, cum tremore extremam suam audiet sententiam, quam ubi damnationis intellexerit, quanto ejulatu ac vociferatione, ubi intonuerit illud *ite*, abripietur! contra verò electi, ubi rerum in occulto gestarum, ac vitæ suæ in umbrâ actæ panegyrim recitari, & beatissimum illud *venite*, pronuntiari audierint, quanto gaudio exultabunt, & *a ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.*

a Matth. 25.

F I N I S.



INDEX

INDEX
HUJUS II. PARTIS
IN
SACRAM SCRIPTURAM.

GENESIS.

Cap.verſ.

1. 6. FIAT firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. pag. 401.

1. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. 570.

2. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis; præcepitque ei dicens: de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. 145.

2. 15. Poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur. 216.

2. 16. Ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. 258.

3. 9. Adam ubi es. 14.

ibid. Vocem tuam audivi, & timui. 160.

3. 16. Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. 125.

3. 19. Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ, & in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. 217.

4. 7. Nonne ſi bene egeris, recipies; ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit. 166.

Cap.verſ.

4. 9. Ait Dominus ad Cain: ubi eſt Abel frater tuus? pag. 165.

4. 12. Vagus & profugus eris ſuper terram. 161.

4. 14. Omnis qui invenerit me, occidet me. 164.

5. 22. Ambulavit Henoch cum Deo. 123.

7. 1. Dicit Dominus ad Noë: ingredere tu, & omnis domus tua. 59.

7. 4. Adhuc enim & poſt ſeptem dies, ego pluam ſuper terram quadraginta diebus. 13.

7. 19. Aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat. 401.

8. 21. Senſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt. 738.

12. 1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua. 56.

17. 1. Ambula coram me & eſto perfectus. 465.

21. 16. Non videbo morientem puerum. 94.

22. 7. Ecce ignis & ligna holocauſti, ubi eſt victima? 113.

22. 9. Cùm ablactaſſet Iſaac filium ſuum. 27.

Cap.verſ.
24. 14. *Igitur puella cui ego dixero: inclina hydriam tuam ut bibam, & illa reſponderit bibe &c. ipſa eſt quam præparavit ſervo ſuo Iſaac.* pag. 133.
27. 21. *Accede huc, ut tangam te, & probem utrum tu ſis filius meus Eſau, an non.* 217.
28. 2. *Vade proficiſcere in Meſopotamiam.* 114.
28. 17. *Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud quàm domus Dei & porta cœli.* 600.
28. 1. *Fueruntque ei obviam angeli.* 115.
32. 29. *Cur quæris nomen meum?* 141.
37. 9. *Vidi per ſomnium, quaſi Solem & lunam & ſtellas undecim adorare me.* 115.
39. 4. *Invenitque Ioſeph gratiam coram Domino ſuo.* 146.
39. 6. *Nec quidquam noverat, niſi panem quo veſcebatur.* 266.
39. 8. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo ſua: nec quidquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate &c. Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* 146.
42. 21. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum.* 170.
42. 36. *Benjamin auferetis? in me hæc omnia mala reciderunt. Si quid ei adverſi acciderit &c. deducetis canos meos cum dolore ad inferos.* pag. 71.

Cap.verſ.
45. 8. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* 202.
49. 12. *Deus in cujus conſpectu ambulaverunt patres noſtri.* 466.
49. 15. *Pulchriores ſunt oculi ejus vino.* 403.
50. 20. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* 202.

EXODUS.

2. 3. *Sumpſit fiſcellam ſcirpeam, poſuitque intus infantulum.* 200.
7. 3. *Multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti.* 2.
8. 23. *Cras erit ſignum iſtud.* 3.
20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.* 118.
33. 11. *Loquebatur facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum.* 97.

LEVITICUM.

19. 17. *Non oderis fratrem in corde tuo; ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* 645.
25. 23. *Terra quoque non vendetur in æternum, quia mea eſt.* 148.
26. 2. *Pavete ad ſanctuarium meum.* 611.
26. 36. *Dabo pavorem in cordibus eorum;*

Cap. verſ.
eorum : terrebit eos ſonitus folii. pag. 164.

NUMERORUM.

11. 12. *Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum ſuum.* 232.
12. 3. *Erat enim Moyſes vir mitiſsimus, ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* 329.
20. 6. *Domine Deus audi clamorem hujus populi &c. aperi eis theſaurum tuum, fontem aquæ vivæ.* 298.
23. 10. *Moriatur anima mea, morte juſtorum.* 48.

DEUTERONOMIUM.

7. 4. *Quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me : ut magis ſerviat diis alienis.* 130.
11. 11. *Terram ad quam ingrederis, non eſt ſicut terra Ægypti &c. ſed montuoſa eſt, & campeſtris, de cœlo expectans pluviam.* 652.
27. 16. *Maledictus qui non honorat patrem ſuum, & matrem : & dicet omnis populus, Amen.* 119.
31. 18. *Vere quia non eſt Deus mecum, invenerunt me hæc mala.* 76.
32. 10. *Cuſtodivit quaſi pupillam oculi ſui.* 719.

JOSUE.

10. 13. *Stetit itaque Sol.* 109.

JUDICUM.

Cap. verſ.
11. 31. *Quicumque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti &c. eum holocauſtum offeram Domino.* pag. 694.
13. 18. *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile.* 141.

RUTH.

3. 11. *Scit omnis populus, qui habitat intra portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis.* 138.

LIB. REGUM I.

1. 18. *Vultus ejus non ſunt amplius in diverſa mutati.* 279.
2. 3. *Recedant vetera de ore veſtro.* 349.
2. 19. *Tunicam parvam faciebat ei mater ſua.* 214.
2. 24. *Nolite filii mei : non enim eſt bona fama, quam ego audio.* 453.
3. 10. *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* 57.
4. 18. *Arca Dei capta eſt.* 73.
5. 3. *Ecce Dagon jacebat pronus in terram, ante arcam Domini.* Dom. 14. poſt Pent. §. 1.
6. 9. *Si quidem per viam finium ſuorum aſcenderit (arca) contra Berſames : ipſe fecit nobis hoc malum grande. Sin autem minime.* 198.
8. 21. *Audivit Samuel omnia verba*

Cap.verſ.

verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini. 51.

15. 32. Siccine ſeparat amara mors? pag. 95. 821.

16. 7. Ne reſpicias vultum ejus, neque altitudinem ſtaturæ ejus, quoniam abjeci eum. 149.

17. 16. Procedebat verò Philiſtæus mane & veſpere: & ſtabat quadraginta diebus. 261.

10. 1. Anima Ionathæ conglutinata erat animæ David. 726. & ſeq.

18. 4. Expoliavit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam David, & reliqua veſtimenta. 723.

18. 7. Percuſſit Saul mille, & David decem millia. 177. 337.

18. 9. Iratus eſt autem Saul nimis, & diſplicuit in oculis ejus, ſermo iſte. 177.

18. 11. Tenebatque Saul lanceam, & miſit eam, putans quòd configere poſſet David. 194.

20. 41. Oſculantes ſe alterutrum, fleverunt pariter: David autem amplius. 77.

24. 17. Levavit Saul vocem ſuam & flevit. 334.

30. 4. Planxerunt donec deficerent in eis lachrymæ. 65.

LIB. REGUM II.

1. 26. Doleo ſuper te frater mi Ionatha, decore nimis & amabilis, ſuper amorem mulierum. 95.

14. 14. Non vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans. 13.

Cap.verſ.

18. 33. Fili mi Abſolom, Abſolom fili mi! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? pag. 95.

LIB. REGUM III.

6. 7. Malleus & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cùm ædificaretur. 609.

10. 5. Non habebat ultra ſpiritum. 600.

10. 19. Veſtivit eum auro fulvo nimis, qui habebat ſex gradus. 714.

11. 2. Certiſſimè avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos alienos. 131.

18. 21. Vſque quò claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum; ſi autem Baal, ſequimini eum. Dom. 14. poſt. Pent. §. 2.

LIB. REGUM IV.

4. 27. Dimitte eam, anima enim ejus in amaritudine eſt. 94.

4. 31. Giezi præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus. Dom. Palm. §. 3.

4. 34. Poſuitque os ſuum, ſuper os ejus: & oculos ſuos ſuper oculos ejus, & manus ſuas ſuper manus ejus, & incurvavit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. ibid.

13. 18. Percute jaculo terram. Et cū percuſſiſſet tribus vicibus & ſte-

Cap. vers.

& stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait: si percussisses quinquies aut sexies sive septies, percussisses Syriam usque ad consumptionem. pag. 199.

3. 21. *Cùm tetigisset ossa Elizei, revixit homo, & stetit super pedes suos.* ibid.

PARALIPOMENON LIB. I.

13. 2. *Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor, mittamus ad fratres nostros.* Dom. Palm. §. 3.

PARALIPOMENON LIB. II.

18. 33. *Accidit autem ut unus è populo sagittam in incertum jaceret, & percuteret Regem Israel inter cervicem & scapulas.* 194.

LIB. TOBIÆ.

2. 10. *Contingit autem ut quadam die defatigatus à sepultura &c. & ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent supra oculos ejus, fieretque cæcus.* 197.

2. 12. *Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiæ.* ibid.

2. 19. *Anna verò uxor ejus, ibat ad opus textrinum quotidie.* pag. 214.

5. 23. *Cumque profecti essent, cœpit mater ejus flere & dicere: baculum senectutis nostræ tulisti.* 71.

7. 12. *Noli timere dare eam isti: quoniam huic timenti Deum debetur conjux filia tua.* 137.

9. 2. *Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ.* 203.

IVDITH.

5. 3. *Dicite mihi quis sit populus ille &c.*
Tunc Achior dux omnium filiorum Ammon respondens ait: si digneris audire Domine mi, dicam veritatem in conspectu tuo. 311.

6. 1. *Indignatus est Holofernes vehementer, & præcepit servis suis ut comprehenderent Achior.* ibid.

7. 6. *Incidi præcipit aquæductum illorum.* 396.

8. 6. *Jejunabat omnibus diebus* (Judith) *præter Sabbatha & neomenias, & festa domus Israel.* 368.

9. 10. *Dominus nomen est illi.* 142.

ESTHER.

4. 14. *Si nunc silueris, tu & domus patris tui peribitis.* 640.

5. 13. *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* 431. 569.

Cap.verf.
6. 9. *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.* pag.628.
13. 9. *Domine, Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati.* 146. 153.
13. 10. *Tu fecisti cœlum & terram, quidquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium tu es.* 144.
14. 3. *Domine mi, qui Rex noster es solus, adjuva me solitariam.* 62.
15. 16. *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum, præ timore gloriæ tuæ.* 600.

JOB.

1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* 152. 197.
3. 14. *Ædificant sibi solitudines.* 59.
5. 2. *Parvulum occidit invidia.* 189.
5. 6. *Nihil in terra sine causa fit.* 198.
5. 6. *Homo nascitur ad laborem, & avis ad volandum.* 216.
6. 16. *Ecce non est auxilium mihi in me, & necessarii quoque recesserunt à me.* 234. & seq.
6. 15. *Fratres mei præterierunt me, sicut torrens qui raptim transit in convallibus.* ibid.
12. 2. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia?* 186.

Cap.verf.
13. 19. *Quare tacens consumor.* pag. 81.
15. 21. *Sonitus terroris semper in auribus illius.* 163.
15. 25. *Tetendit adversus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.* 243.
20. 5. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti.* 656. &c.
20. 11. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ.* 59.
22. 29. *Qui enim humiliatus fuerit, erit in gloria.* 628.
24. 23. *Dedit Deus homini locum pœnitentiæ, sed ipse abutitur eo in superbiam.* 13.
28. 25. *Qui fecit ventis pondus.* 820.
29. 8. *Videbant me juvenes & abscondebantur, Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo.* 458.
34. 27. *Quasi de industria recesserunt ab eo, & sequi vias ejus noluerunt.* 672.
35. 10. *Qui dedit carmina in nocte.* 282.
36. 8. *Vinciantur funibus paupertatis.* 24.
38. 31. *Conversa est in luctum cithara mea.* 89.
38. 37. *Concentum cœli quis dormire fecit?* 80.

PSALMI.

6. 6. *Non est in morte qui memor sit tui.* 365.
6. 7. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.* 397.

Inve-

Cap. vers.
6. 8. *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* pag. 347.
9. 1. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo.* 199
9. 18. *Convertantur peccatores in infernum.* 170.
15. 2. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* 148.
15. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates, postea acceleraverunt.* 360.
15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* 25.
15. 8. *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* 466.
16. 15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* 572. 573.
17. 6. *Dolores inferni circumdederunt me.* 179.
17. 35. *Posuisti ut arcum æreum brachia mea.* 385.
21. 5. *Calix tuus inebrians quàm præclarus est?* 403.
21. 7. *Ego sum vermis & non homo.* 343.
30. 18. *Domine non confundar, quoniam invocavi te.* 437.
31. 8. *Firmabo super te oculos meos.* 467.
31. 10. *Multa flagella peccatoris.* 159.
33. 9. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* 157.
34. 12. *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* 207.
35. 10. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* 297.
36. 14. *Gladium evaginaverunt peccatores.* 243.

Cap. vers.
37. 4. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis.* pag. 159.
39. 9. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam Deus meus, volui & legem tuam in medio cordis mei.* 109.
44. 6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Dom. Palm. §. 3.
44. 11. *Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.* 700.
44. 15. *Adducentur Regi virgines post eam, afferentur in lætitia & exultatione.* 128.
48. 19. *Anima cujusque in vita ipsius benedicetur.* 48.
54. 6. *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* 164.
54. 7. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam.* 52.
54. 8. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* 50.
54. 22. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Dom. Palm. §. 3.
55. 9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* 391.
59. 6. *Dedisti timentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* 11. 14.
61. 10. *Mendaces filii hominum in stateris suis.* 82.
65. 4. *Omnis terra adoret te & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo Domine.* 144.

Cap.vers.
65. 12. *Imposuisti homines super capita nostra.* pag. 710.
72. 27. *Qui elongant se à te, peribunt.* 675.
75. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* 383.
77. 43. *Posuit in Ægypto signa sua.* 2. &c.
82. 17. *Quærent nomen tuum Domine.* 142.
83. 6. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum.* 621.
85. 5. *Quoniam tu Domine suavis & mitis.* 157.
88. 10. *Tu dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* 143.
91. 14. *Plantati in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt.* 699.
92. 4. *Mirabiles elationes maris.* 143.
92. 5. *Domum tuam decet sanctitudo.* 606.
93. 19. *Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* 403.
94. 8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* 385.
100. 5. *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar.* 642.
102. 5. *Renovabitur ut aquilæ juventus mea.* 345. &c.
102. 8. *Deus longanimis & multum misericors.* 13.
102. 12. *Quantùm distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* 675.
102. 20. *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius.* pag. 115.
103. 32. *Qui respicit terram, & facit eam tremere.* 144.
105. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus.* 157.
105. 37. *Immolaverunt filios & filias suas dæmoniis.* 448. 535.
106. 4. *Circuierunt in solitudine inaquosa.* 186.
106. 10. *Vinctos in mendicitate.* 24.
108. 24. *Genua mea infirmata sunt a jejunio, & caro mea immutata est propter oleum.* 262.
110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.* 487. &c.
111. 10. *Peccator videbit & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* 177.
111. 10. *Desiderium peccatoris peribit.* 48.
112. 5. *Quis sicut Dominus Deus noster? suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* 149.
115. 16. *O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* 149. 151.
118. 61. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* 394.
118. 36. *Funes peccatorum circumplexi sunt me.* 74.
118. 55. *Longè à peccatoribus salus.* 675.
126. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* 115.

Cap.verſ.
128. 3. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores.* pag. 250.
131. 1. *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* 330.
132. 1. *Quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* 731.
134. 5. *Ego cognovi quod magnus eſt Dominus, præ omnibus diis.* 142.
134. 6. *Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in cœlo, in terra & in omnibus abyſſis.* 143.
138. 2. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam.* 620. 621.
138. 7. *Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* 162. 462.
142. 3. *Collocaverunt me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi.* 698.
142. 8. *Notam fac mihi viam in qua ambulem.* 411.
142. 10. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* ibid.
144. 9. *Suavis Dominus univerſis.* 157.
144. 19. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* 13.
147. 17. *Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas.* 489.
148. 4. *Aquæ quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini.* 402.
148. 8. *Ignis, grando, nix, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* 203.
149. 4. *Exaltabit manſuetos in ſalutem.* 341.

LIB. PROVERBIORUM.

Cap.verſ.
1. 17. *Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.* pag. 584.
3. 10. *Implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.* 475.
6. 11. *Veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus.* 220.
6. 11. *Si vero impiger fueris, veniet ut fons meſſis tua, & egeſtas longè fugiet à te.* 224.
7. 10. *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas.* 582. & ſeq.
9. 1. *Sapientia ædificavit ſibi domum, poſuit menſam.* 495.
10. 4. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa.* 220.
11. 2. *Vbi eſt humilitas, ibi & ſapientia.* 631.
12. 21. *Non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* 277.
13. 24. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* 446.
14. 30. *Putredo oſſium invidia.* 175.
15. 1. *Reſponſio mollis frangit iram.* 333.
15. 26. *Abominatio Domini cogitationes malæ.* 734.
15. 29. *Longè eſt Dominus ab impiis.* 67.
16. 2. *Spirituum ponderator eſt Dominus.* 820.
16. 11. *Pondus & ſtatera judicia Domini ſunt.* 819.

Eſt

Cap. vers.
16. 25. *Est via quæ videtur homini recta; & novissima ejus ducunt ad mortem.* pag. 413.
17. 14. *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum.* 33.
17. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* 236.
19. 13. *Tecta jugiter perstillantia litigiosa mulier.* 127.
19. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* 199.
19. 17. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* 471. 472.
21. 19. *Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa.* 126. 127.
23. 14. *Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* 450. & seq.
24. 30. *Per agrum hominis pigri transivi; & ecce totum repleverant urticæ.* 207.
25. 11. *Mala aurea in lectu argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo* 387. & 649.
25. 15. *Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiã.* 334.
26. 9. *Quomodo si spina nascatur in manu temulenti.* 724.
26. 14. *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* 210.
28. 19. *Qui sectatur otium replebitur egestate.* 220.
30. 16. *Ignis numquam dicit sufficit.* 567.
31. 10. *Mulierem fortem quis inveniet?* 213.
31. 13. *Quæsivit lanam & linum & operata est.* ibid.
31. 30. *Fallax gratia & bona est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur.* pag. 135.

ECCLESIASTES.

3. 7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* 638.
4. 14. *De carcere catenisque interdum quis egreditur ad regnum.* 31.
7. 29. *Virum de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni.* 126.
9. 10. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare.* 592.
12. 3. *Quando commovebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosi erunt molentes in minuto numero, &c.* 344.

CANTICA.

1. 2. *Adolescentulæ dilexerunt te.* 352.
1. 10. *Murænulas aureas faciemus tibi.* 20.
1. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* 67.
2. 9. *Dilectus meus prospiciens per cancellos.* 676.
3. 6. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto?* 62.
4. 3. *Absque eo quòd intrinsecus latet.* 651.
4. 9. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, hortus conclusus soror mea sponsa.* 61.

Cap.verſ.
4. 2. *In uno crine colli tui.* pag. 84.
5. 2. *Aperi mihi ſoror mea ſponſa, quia caput meum plenum eſt rore.* 84. & 391.
7. 5. *Coma capitis tui ſicut purpura Regis.* 99.
8. 1. *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris.* 54. 55.
8. 2. *Sub arbore mali ſuſcitavi te, ibi in doloribus peperit te mater tua.* 93.
8. 6. *Dura ſicut infernus æmulatio.* 180.
8. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* 728.

LIB. SAPIENTIÆ.

1. 13. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum.* 15.
2. 24. *Invidia diaboli mors introivit in orbem.* 179.
4. 7. *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* 47.
7. 26. *Candor eſt lucis æternæ & ſpeculum ſine macula.* 487. &c.
9. 4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam.* 438.
11. 17. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* 781. 782.
14. 24. *Alius alium per invidiam occidit.* 183.
14. 7. *Benedictum ergo lignum per quod fit juſtitia.* 449.
17. 4. *Perſonæ triſtes illis apparentes, pavorem illis præſtabant.* pag. 170.
17. 17. *Unâ catena tenebrarum omnes erant colligati.* 164.
17. 18. *Inter ſpiſſos arborum ramos, avium ſonus, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo deficientes faciebant præ timore.* ibid.

LIB. ECCLESIASTICI.

2. 16. *Væ illis qui perdiderunt ſuſtinentiam.* 520.
3. 7. *Qui honorat patrem ſuum, vita vivet longiore, & qui obedit matri, refrigerabit patrem.* 118.
3. 19. *Fili in manſuetudine opera tua fac, & ſuper hominis gloriam diligeris.* 341.
3. 27. *Qui amat periculum in illo peribit.* 375.
4. 7. *Affabilem te facito.* Dom. Palm. §. 3.
4. 24. *Pro anima tua non confundaris dicere verum.* 316.
4. 35. *Noli eſſe ſicut leo in domo tua, evertens domeſticos tuos.* 126. 137.
5. 8. *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem.* 354.
5. 9. *Avarus non implebitur pecuniâ.* 564.
6. 5. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos.* Dom. Palm. §. 3.
6. 7. *Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum.* 234.
6. 8. *Eſt enim amicus ſecundum tempus, & non permanebit*

Cap. verſ.

manebit in die tribulationis. pag. 228.

6. 10. *Eſt amicus ſocius menſæ & non permanebit in die neceſſitatis.* 229. &c.

6. 25. *Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum.* 27.

6. 26. *Ne acedieris vinculis ejus.* 30.

6. 31. *Vincula illius alligatura ſalutis.* 32.

7. 25. *Filii tibi ſunt, curva illos à pueritia illorum.* 441.

7. 26. *Filiæ tibi ſunt? ne oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* 446.

10. 17. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit, & ſedere fecit mites pro eis.* 330.

11. 1. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius & in medio magnatorum conſedere illum faciet.* 639.

13. 31. *Cor hominis immutat faciem illius ſive in bona, ſive in mala.* 275.

14. 14. *Non defrauderis à die bono & particula boni diei non te prætereat.* 592.

23. 9. *Iurationi non aſſueſcat os tuum.* 292. &c.

26. 1. *Mulieris bonæ beatus vir.* 136.

26. 19. *Gratia ſuper gratiam eſt mulier ſancta & pudorata: qui illam invenit, invenit bonum, & jucunditatem à Domino hauriet.* 134. &c.

30. 8. *Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps.* 447.

31. 28. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum.* pag. 492.

31. 41. *In convivio vini non arguas proximum.* 648.

32. 1. *Rectorem te poſuerunt, noli extolli. Eſto in illis, quaſi unus ex ipſis, & ne impedias muſicam.* Dom. Palm. §. 3. & 634.

33. 29. *Multam malitiam docuit otioſitas.* 207. 215. &c.

35. 18. *Nonne lachrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt; à maxilla autem aſcendunt uſque ad cœlum.* 401.

37. 33. *In multis eſcis erit infirmitas.* 268.

37. 34. *Qui abſtinens eſt, adjiciet vitam.* 269. &c.

41. 15. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quàm mille theſauri.* 617.

45. 3. *In verbis ſuis monſtra placavit.* Dom. Palm. §. 3.

ISAIAS.

1. 6. *A planta pedis uſque ad verticem capitis, non eſt in eo ſanitas.* 85.

1. 16. *Auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* 745.

6. 5. *Væ mihi quia tacui.* 638. &c.

12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* 299.

21. 4. *Emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me: Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum. pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes & bibentes.* 815.

Cap. verf.

22. 18. *Coronans coronabit te tribulatione* pag. 21.

26. 10. *In terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* 614.

28. 3. *Pedibus conculcabitur corona superbiæ.* 712.

28. 14. *Audite verbum Domini illusores: dixistis percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.* 366.

28. 20. *Coangustatum est enim stratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non potest.* Dom. 14. post Pent. §. 3.

34. 11. *Extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem.* 15.

38. 17. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima* 172.

40. 31. *Assument pennas sicut aquilæ.* 348.

42. 8. *Ego Dominus, & hoc est nomen meum.* 142.

43. 2. *Noli timere, meus es tu; Cum transieris per aquam tecum ero, & flumina non operient te.* 237.

52. 13. *Ecce servus meus exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit.* 618.

53. 5. *Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* 247.

53. 7. *Velut agnus coram tondente se obmutescet.* 80.

55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas.* 298.

58. 11. *Implebit splendoribus animam tuam.* pag. 491.

59. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum.* 676. 821.

59. 14. *Corruit in plateis veritas.* 312.

JEREMIAS.

Cap. verf.

1. 11. *Virgam vigilantem ego video.* 455.

1. 13. *Ollam succensam ego video.* 562.

2. 5. *Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me?* 672.

2. 12. *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* 78.

2. 20. *A seculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti non serviam.* 30.

7. 18. *Filii colligunt ligna, patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginæ cœli, & libent diis alienis, & me ad iracundiam provocent.* 448.

9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* 396.

9. 3. Extenderunt linguam suam quasi arcum. 246.

10. 2. *A signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes.* 4.

11. 19. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* 327.

13. 23. *Si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas.* 288.

Surga

Cap.verf.

18. 3. *Surge & descende in domum figuli.* pag.150.

18. 6. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* ibid.

29. 11. *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* 15.

THRENI.

1. 13. *Posuit me desolatam tota die mœrore confectã.* 70.

1. 19. *Vocavi amicos meos, & ipsi deceperunt me.* 237.

2. 8. *Tetendit funiculum. cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion.* 15.

2. 13. *Magna velut mare contritio tua. cui comparabo te, cui assimilabo te filia Ierusalem.* 83. 88.

3. 20. *Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.* 100.

3. 28. *Sedebit solitarius & tacebit & levabit se supra se.* 52.

3. 52. *Venatione ceperunt me quasi avem, inimici mei gratis.* 577. &c.

BARVCH.

3. 24. *O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus? magnus est, & non habet finem.* 658. &c.

6. 50. *Cùm sint lignea, inaurata & inargentata, scietur postea, quia falsa sunt ab universis gentibus.* 557.

EZECHIEL.

1. 24. *Audiebam quasi sonum alarum &c. cum ambularent ut sonus castrorum.* pag. 14.

8. 6. *Fili hominis putasne vides tu, quid isti faciunt abominationes magnas, quas domus Israel facit hic?* 599.

8. 14. *Mulieres plangentes Adonidem.* 390.

13. 11. *Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quod casurus sit paries.* 542.

16. 49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius.* 212.

DANIEL.

1. 12. *Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum.* 266.

1. 15. *Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris.* ibid.

2. 26. *Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. THECEL appensus es in statera, & inventus es minus habens. PHARES, divisum est regnum tuum.* 816. &c.

2. 33. *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* 517.

5. 1. *Vnusquisq; secundum suam bibebat ætatem.* 299.

6. 3. *Daniel superabat omnes Principes & satrapas &c. unde quærebant occasionem.* 181.

Cap. verf.

6. 17. *Allatusque est lapis unus & positus est super os laci, ne quid fieret contra Danielem.* ibid.

12. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad justitiam erudierint multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* pag. 304.

13. 24. *Exclamavit voce magna Susanna.* 641.

13. 56. *Species decepit te.* 135.

14. 6. *Ne erres Rex, iste enim intrinsecus luteus est.* 557.

OSEAS.

10. 2. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Dom. 14. post Pent. §. 2.

11. 4. *In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis.* 22.

14. 8. *Convertentur sedentes in umbra ejus.* 91.

AMOS.

3. 6. *Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit.* 12. 154.

3. 7. *Non faciet Dominus Deus verbum, nisi revelaverit secretum ad servos suos Prophetas.* 12.

6. 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* 246.

HABACUC.

1. 8. *Leviores pardis equi ejus, & velociores lupis vespertinis.* pag. 568.

3. 11. *In luce sagittarum tuarum ibunt.* 384. &c.

ZACHARIAS.

9. 17. *Vinum germinans virgines.* 123.

11. 2. *Vlula abies quia cecidit cedrus.* 521.

13. 1. *Fons patens domui Israel & habitantibus Ierusalem, in ablutionem peccatoris.* 297.

13. 6. *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* 250.

MALACHIAS.

1. 6. *Si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* 156.

3. 8. *Si affiget homo Deum?* 246. & seq.

LIB. II. MACHABÆORUM.

3. 26. *Circumsteterunt eum, & ex utraque parte flagellabant sine intermissione.* 160.

7. 22. *Neque enim ego spiritum & animam donavi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi.* 700.

9. 12. *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.* 149.

MATTHÆVS.

5. 5. *Beati qui lugent.* 402.

Cap.verf.
5. 20. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* pag. 546. &c.
5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* 738.
6. 10. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* 118.
6. 24. *Nemo potest duobus dominis servire.* Dom. 14. post Pent. per totum.
7. 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* 547. & seq.
8. 2. *Domine si vis potes.* 142.
8. 24. *Motus magnus factus est.* 159.
8. 26. *Domine salva nos, perimus.* 143.
9. 4. *Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?* 733. &c.
9. 18. *Filia mea modò defuncta est.* 289.
10. 22. *Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* 523. &c.
10. 29. *Vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro.* 192. 194.
11. 12. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* 399.
11. 29. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* 326 &c.
12. 38. *Volumus à te signum videre.* 7.
12. 39. *Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* pag. 13.

Cap.verf.
12. 9. *Qui habet aures audiendi audiat.* 382.
13. 28. *Inimicus homo hoc fecit.* 173.
13. 32. *Fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.* 192.
15. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem sed quod procedit de ore, hoc coinquinat hominem.* 257. & seq.
17. 2. *Resplenduit facies ejus sicut Sol.* 273. &c.
18. 3. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* 399.
18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum.* 645.
18. 35. *Sic & pater meus cœlestis faciet vobis:* 780.
20. 8. *Quid hic statis tota die otiosi?* 206. &c.
20. 15. *Amice non facio tibi injuriam.* 153.
20. 22. *Nescitis quid petatis.* 432. 433. &c.
20. 28. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* 108.
21. 5. *Ecce Rex tuus venit mansuetus.* 327. &c.
22. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* 751. &c.
22. 39. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* 719. &c.
23. 27. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis.* 554. &c.
24. 15. *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est tibi à Daniele Propheta.* 815.

Cap.verſ.
24. 37. *Sicut in diebus Noë erant comedentes.* &c.pag.13.
25. 10. *Clauſa eſt janua.* 7. 354.
26. 39. *Tranſeat à me calix iſte.* 76.
26. 52. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* 784.
26. 68. *Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit.* 79.

MARCVS.

4. 39. *Dixit mari tace, & obmuteſce.* 143.
7. 35. *Solutum eſt vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* 637. &c.
8. 4. *Vnde poterit quis ſaturare?* 562. &c.
9. 12. *Fecerunt ei quæcumque voluerunt.* 75.
9. 20. *Quantum temporis eſt, ex quo ei hoc accidit? at ille ait ab infantia.* 285.
9. 23. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* 497.
9. 34. *Vermis eorum non moritur.* 166. &c.
15. 39. *Videns autem Centurio, qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: verè hic homo Dei filius erat.* 385.
16. 6. *Surrexit non eſt hic.* 343. &c.

LVCAS.

1. 48. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* 622. & ſeq.
2. 34. *Signum cui contradicetur.* 80.
2. 35. *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* pag. 64. & ſeqq.

Cap.verſ.
2. 51. *Erat ſubditus illis.* 106. 107. &c.
3. 2. *Factum eſt verbum Domini in deſerto.* 49. 57.
5. 3. *Rogavit eum à terra reducere puſillum.* Dom. Palm. §. 2.
5. 5. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* 532. 533.
6. 25. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* 404.
6. 38. *Date, & dabitur vobis.* 470. &c.
7. 13. *Dixit illi, noli flere.* 693. 694.
8. 13. *In tempore tentationis recedunt.* 233. &c.
9. 55. *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.* 327.
10. 9. *Manducate quæ apponuntur vobis.* 257.
10. 34. *Alligavit vulnera ejus infundens oleum & vinum.* 454.
11. 26. *Ingreſſi habitant ibi.* 284.
11. 41. *Date eleemoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* 536.
12. 20. *Stulte hac nocte repetent animam tuam à te, & quæ paraſti cujus erunt?* 149.
12. 33. *Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis.* 477.
13. 16. *Non oportet ſolvi à vinculo iſto.* 27.
13. 32. *Dicite vulpi iſti.* 448.
14. 10. *Amice aſcende ſuperius.* 307.

Cap.verf.
14. 20. *Uxorem duxi & ideo non possum venire.* pag. 123. & seq.
14. 30. *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* 515.
14. 32. *Legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt.* 400.
15. 13. *Profectus est in regionem longinquam.* 671.
15. 16. *Cupiebat implere ventrem de siliquis.* 343.
15. 28. *Indignatus est frater senior, & nolebat introire.* 185.
16. 3. *Quid faciam, quia Dominus meus auferet à me villicationem.* 360.
16. 9. *Filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis.* 588. &c.
16. 26. *Inter nos & vos chaos magnum est.* 677.
16. 31. *Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* 16.
17. 12. *Steterunt a longè.* 670. &c.
18. 14. *Qui se humiliat exaltabitur.* 617. &c.
19. 13. *Negotiamini dum venio.* 591. &c.
19. 43. *Venient dies in te & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique.* 358.
19. 46. *Domus mea, domus orationis vocabitur.* 599.
21. 34. *Attendite ne superveniat in vos repentina dies illa.* 357.
22. 28. *Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus.* 236.
23. 28. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete* pag. 393.
23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiso.* 366.

JOANNES.

1. 9. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem.* 372.
1. 23. *Vox clamantis in deserto.* 33.
2. 1. *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ.* 121. & seq.
4. 6. *Sedebat sic supra fontem.* 297.
4. 14. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ vivæ, salientis in vitam æternam.* 298.
4. 34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* 111.
4. 46. *Infirmabatur Capharnaum.* 767.
6. 11. *Quantum volebant.* 296. & seq.
6. 38. *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatẽ meam, sed ejus qui misit me.* 111.
6. 69. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* 38?.
8. 46. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis?* 310. &c.
10. 16. *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oporiet me adducere.* 368. 369. &c.
10. 17. *Oves meæ vocem meam audiunt.* 385.
11. 28. *Magister adest, & vocat te.* 60.
11. 39. *Iam fœtet, quatriduanus est*

Cap.verſ.
eſt enim. pag. 289.
13. 13. *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis; ſum etenim.* 142.
13. 35. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* 721.
14. 2. *In domo Patris mei, manſiones multæ ſunt.* 305.
14. 8. *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis.* 570.
15. 20. *Non eſt ſervus major Domino ſuo.* 187.
16. 2. *Arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* 441.
16. 5. *Quò vadis?* 405. 406. &c.
16. 20. *Plorabitis & flebitis vos.* 389. & ſeq.
19. 5. Ecce Homo. 84. 85. & ſeq.
19. 25. *Stabat juxta Crucem Ieſu mater ejus.* 89.
19. 26. *Mulier ecce Filius tuus.* 92. & ſeq.
19. 27. *Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſuam.* 93.
20. 19. *Cùm ſero eſſet, & fores eſſent clauſæ.* 353. &c.
20. 28. *Dominus meus & Deus meus.* 145.

ACTVS APOSTOLORVM.

2. 19. *Dabo prodigia in cœlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum.* 1. 2. & 5.
3. 14. *Vos ô Iudæi, virum ſanctum & juſtum negaſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis.* 82.
4. 32. *Multitudo autem credentium erat cor unum, & anima una.* 721

Cap.verſ.
14. 11. *Dii ſimiles facti hominibus, deſcenderunt ad nos.* pag. 629.
17. 21. *Athenienſes autem omnes, & advenæ, ad nihil aliud vacabant niſi aut dicere, aut audire aliquid novi.* 258.
20. 37. *Magnus autem fletus factus eſt omnium, & procumbentes ſuper collum Pauli, oſculabantur eum.* 71.

AD ROMANOS.

2. 4. *An divitias bonitatis ejus contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* 11.
6. 4. *In novitate vitæ ambulemus.* 350.
8. 17. *Si compatimur, ut & conglorificemur.* 31.
9. 20. *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* 150.
16. 4. *Salutate Priſcam & Aquilam & Domeſticam Eccleſiam.* 124. 125. &c. 606.

AD CORINTHIOS I.

3. 7. *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* 615.
3. 8. *Vnuſquiſq; propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem.* 305.
7. 28. *Tribulationem carnis habebunt hujuſmodi.* 128. &c.
7. 38. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benefacit, & qui non jungit, melius facit.* 122.

Cap.verſ.
7. 39. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.* pag. 29.
7. 40. *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.* 122.
9. 24. *Sic currite ut comprehendatis.* 529.
9. 25. *Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* 19. 589.
10. 16. *Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Dom. 14. poſt Pent. § 2.
10. 25. *Omne quod in macello venit, manducate.* 257.
12. 26. *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* 723.
12. 31. *Æmulamini autem chariſmata meliora.* 187.
15. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum: ſtella enim à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* 303.

AD CORINTHIOS II.

4. 6. *Qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere.* 384.
6. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate?* 131. 132. & ſeq. Dom. 14. poſt Pent.
9. 6. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet.* 305. 480.
10. 1. *Obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti.* 327.
10. 4. *Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt.* 263.
11. 4. *Deſpondi vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* pag. 127.
11. 14. *Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* 559.
12. 10. *Cum enim infirmor, tunc fortis ſum.* 264.
12. 9. *Virtus in infirmitate perficitur.* 770.

AD GALATAS.

2. 20. *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Dom. 15. poſt Pent. §. 2.
3. 1. *O inſenſati Galatæ! quis vos faſcinavit non obedire veritati? ante quorum oculos Ieſus Chriſtus proſcriptus eſt in vobis.* 248.
3. 3. *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, carne conſummemini?* 517.
3. 13. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* 76.
4. 16. *Inimicus vobis factum ſum, verum dicens.* 312.
5. 7. *Currebatis bene, quis vos impedivit?* 522.
5. 26. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.* 190.

AD EPHESIOS.

3. 1. *Ego Paulus vinctus Ieſu Chriſti.* 19.
4. 1. *Obſecro vos ego vinctus in Domino.* ibid.
4. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt niſi quia & deſcendit.* 618. &c.
4. 24. *Induite novum hominem.* 352.

Cap.verf.

4. 25. *Quoniam sumus invicem membra.* pag. 720.

5. 23. *Mulieres viris suis subdita sint, sicut Domino.* 128.

5. 32. *Sacramentum hoc magnum est.* 123.

AD PHILIPPENSES.

2. 3. *Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* 630.

2. 7. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltavit illum.* 619.

3. 8. *Omnia arbitror ut stercora.* 654.

AD COLOSSENSES.

3. 2. *Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite.* 662.

3. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 696.

3. 20. *Filii obedite parentibus per omnia.* 112.

4. 6. *Sermo vester semper in gratia, sale conditus sit.* 650.

AD THESSALONICENSES I.

4. 4. *Sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore.* 127.

AD THESSALONICENSES II.

3. 10. *Si quis non vult operari, non manducet.* pag. 220. &c.

Cap.verf.

3. 11. *Nihil operantes, sed curiosè agentes.* 218. &c.

AD TIMOTHEUM I.

4. 1. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide &c. loquentium mendacium, prohibentium nubere, abstinere à cibis.* 257.

6. 4. *Superbus est nihil sciens, sed languens circa quæstionem & pugnas verborum.* 631.

6. 15. *Rex Regum, & Dominus dominantium.* 147.

AD TIMOTHEUM II.

2. 24. *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes.* 336.

AD HEBRÆOS.

1. 14. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium.* 117.

6. 6. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* 243. 244. &c.

9. 4. *In qua urna aureâ manna & virga Aaronis.* 454.

11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* 536. 537.

12. 1. *Deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum.* 172.

12. 2. *Aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum.* 530.

Cap.verſ.
12. 6. *Quem diligit Dominus caſtigat; flagellat autem omnem filium quem recipit.* pag. 447.
12. 8. *Si extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri, non filii eſtis.* ibid.
13. 4. *Honorabile connubium in omnibus.* 127.

JACOBI.

1. 5. *Poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* 299.
1. 21. *Suſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* 382. &c.
4. 3. *Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis.* 428.

I PETRI.

5. 2. *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei: providentes non coactè ſed ſpontaneè, neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Dom. Palm. §. 3.
5. 8. *Fratres ſobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* 263.

Cap.verſ.

II PETRI.

1. 10. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.* pag. 759. &c.

I JOANNIS.

2. 18. *Filioli noviſſima hora eſt.* 6. 7.

APOCALYPSIS.

3. 19. *Æmulare ergo & pœnitentiam age: ecce ſto ad oſtium & pulſo.* 378.
7. 17. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* 402.
8. 1. *Factum eſt ſilentium in cœlo.* 80.
12. 6. *Factum eſt prælium magnum in cœlo.* 243.
14. 13. *Amodo jam dicit ſpiritus ut requieſcant à laboribus ſuis.* 225.
14. 13. *Opera enim illorum ſequuntur illos.* 217.
18. 2. *Cecidit Babylon magna & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.* 384. 816.

INDEX
CONCIONATORIUS
RERUM MEMORABILIUM.

A.

ABIGAIL Davidem iratum placat. pag.334
Acies in cœlo visæ quid portenderint. 4
Actus ardentissimi amoris Dei per modum corollæ eliciendi. 240.241
Actum Contritionis petit P. Florentia elici à Philippo III. moribundo. 438
Adversitates quinam æquo animo tulerint. 152. *& seqq.*
Per adversitates corona gloriæ contexenda. 19.20.21.22 *&c.*
Adulatores festivè perstringit Alphonsus Rex. 229
Adulatores Regibus chari. 311. 312.
Affabilitas animos subditorum rapit & omnia impetrat. *Dom. Palm.* §. 3.
Affabilitas omni superiori maximè convenit, & quinam eâ excelluêre. *ibid.*
S. Agnes ad tormenta velut ad thalamum properat. 283
Alapâ ab Angelo percussus juvenis, è prostibulo exiens. 79
Alapam Christo infligi audit Maria. 78
Alapas Christo peccatores infligunt. 78. *& seq.*
Alexander M. dum vulnus curaratur, ligari non vult. 28
Alexander M. cur facem ante urbem obsessam collocari jusserit? 356
B. Aloysius cur orbem sub pedibus habeat? 713.714.
Alphonsi Ducis Cartheiæ magnanimitas. 277
Ambitio Prælati, galero purpureo inhiantis, ingeniosè delusa. 307
Ambitionis suspicionem incurrens, Episcopatu excidit. 258
S. Ambrosius Theodosium Imp. liberè coarguit. 320
Amicus amicum juvare debet. 722. *&c.*
Amici veri & sinceri quàm rari. 227. &c.
Amicus verus solus Deus. 236
Amici qua arte explorandi. 233. *& seq.*
De tribus amicis parabola S. Damasceni. 238. *& seq.*
Amici ficti qui amant tua non te. 227
Amici qui sicut hirundines & ciconiæ in hyeme, ita tempore tentationis recedunt. 228. *&c.*
Amici mensæ. 229. *&c.*
Anabaptistæ laborem exosi in arboribus habitant, & quàm turpiter illusi. 222
Anagramma *Ionathas David:* HODIE UNITAS DATA EST. 731
Anagramma in nomen Ιησοῦς. 327
Anagramma in hæc verba: paupertas, castitas, obedientia. 27
Angelus Gabriel cum B. Virgine ad 9. horas agit. 65
Angelus promittit adolescenti se diem mortis denuntiaturum. 10
Angeli veloces nuntii. 116
Angeli varia obeunt circa hominem ministeria. 117. *& seq.*
Anseres servant Capitolium. 638
Antipodes quàm longè à nobis. 670

Antipodibus peccatores comparantur. *ibid.*
Antiphrases sacræ Scripturæ explicantur. 261
Antverpia à Francis occupata. Quot ex iis occisi. 192
Apum Rex aculeo caret. *Dom. Palm.*
Aquila docet spiritus renovationem. 347. *& seq.*
Artes per actus frequentatos acquiruntur. 285. *& seq.*
Attrebatum quo stratagemate occupatum. 639. *& seqq.*
S. Athanasii persecutiones, ejusque breve elogium. 21
Avarus non implebitur pecuniâ. 564
Avari in morte de divitiis soliciti, iis immoriuntur. 39
Avarus lethargicus tinnitu auri evigilat. 40. 41
Avarus in morte animam suam diabolo tradit. 40
Aves quæ pueros in aëra efferebant. 709
S. Augustini prava consuetudo. 288
S. Augustinus in solitudine conversus. 58
Aula Theodosii Imp. sancta monasterio similis. 125

B.

BAcchanalia celebrantes, rursum suis flagitiis Christum crucifigunt. 244. *&c.*
Bacchanalibus diebus mira accidit tragœdia. 245
P. Balthasar Alvarez Christum ut fontem uberrimum contemplatur. 298. *&c.*
Baltassaris ejusque Regni eversio. 816. 117. *&c.*
Baptismus lachrymarum. 394. *& seq.*
Sine baptismo mortuus resuscitatur, ut baptizetur. 374
Beatorum gloria ineffabilis. 667
Beatorum inæqualitas in gloria. 304. *& seq.*
Beati mites. 331
Bel idolum quomodo constructum. 557. *& seqq.*
Bellarmini Card. affabilitas. *Dom. Palm.* §. 3.
S. Bernardus peccatorem à prava consuetudine ingeniosè revocat. 293
Bestiæ variis & stupendis artibus instructæ. 286. *& seq.*
Bivium virtutis & vitii. 410. 412. *& seq.*
Brigittæ Christus totus sanguineus & saucius exhibetur. 249
Blasphemus religiosè correptus. 643
Blasphemandi consuetudo quomodo tollenda? 294. *& seq.*
Bombyx Christi resurgentis symbolum. 343
Bos recitat articulatè symbolum Apostolicum. 286
Brachmanni idololatræ qualem vitæ rigorem servent. 534
Brachmanni longævi, quia abstemii. 270
Bredana obsidio pertinax, & qualis in ea annonæ caritas. 525. 526.

C.

CAdavera ad præsentiam homicidæ sanguinem stillant. 251. *&c.*
Cœlorum magnitudo describitur. 657. *& seqq.*
Cœli planetarum quantum distent à terra, & empyreum quantum distet ab inferno. 677. *&c.*
Cœlum & cœlestia quinam contemplati. 663. *&c.*

Cæcus casu visum recipit. 200
Campanæ sonus vesperi ad portas claudendas novissimæ horæ nos admonet. 7.8.354
Campanæ quæ miraculosè sponte insonuerint, & mortem viri religiosi denuntiârint. 6
Canescit una nocte Ludovicus Princeps umbrâ uxoris occisæ territus. 171
Canes ad 20. leucas exportati, ædes revisunt. 285
Canis fidelitas in herum. 642. *& seq.*
Cantu suo monachus vanè gloriatur. 553
Captivus à latronibus liberatur, & quomodo eorum prædâ potitus? 202.203
Captivus in lytrum 70. milliones auri spondet. 566
Captivus per vulpem liberatus. 199.
Caroli V. Imp. conversio unde orta. 387. *& seq.*
Carolus V. Imp. famuli officio fungitur. 634
Carolus V. Imper. solitudinis amans. 52
Caroli V. Galliarum Regis prudens pronuntiatum. 31.32
S. Carolus Borromæus in morte suspirium Christi morientis exoptavit. 96
E carcere quinam ad regnum evecti. 31
In castris quàm noxia invidia. 183
Casus fortuiti valde præclari. 194. 195. *&c.*
Casu nihil fit. 193. *&c.*
Catena aurea oblata in lytrum, quæ urbem Boloniensem complecteretur. 20
Catena aurea dono data tanti ponderis, quanti ferrea, quâ prius vinctus fuerat. 31
Catena aurea Regis Peruani 700 pedibus longa: cujus annuli armillam æquabant. 19
Cerasa immatura dono missa pro galero purpureo impetrando. 307.
Charitas quasi chara unitas, omnia facit unum. 726
Charitas fraterna in Societate, & aliis religiosis familiis commendatur. 722. 724. *&c.*
Charitatis fraternæ perfectum exemplar Jonathas & David. 726. 727. *&c.*
Charitatis fraternæ rarum exemplum in duobus fratribus. 727. 728
Christus viti comparatur. 26
Christus per omnem vitam dum se humiliat, exaltatur. 618. 619
Christi crucifixi imago naturæ miraculo in lapide expressa. 66
Christus matri valedicit. 70
Christi captivitas matri nuntiatur. 73
Christus alapâ percutitur. 78
Christus Herodi sistitur. 79. *& seq.*
Christus à Pilato interrogatus, silet. *ibid.*
Christus Barrabæ postponitur. 81
Christus flagellatur. 82.83
Christus spinis coronatur. 84.85
Christus sibi crucem bajulat. 86
Christus crucifigitur. 88
Christus expirat. 94
Christus sepelitur. 99
Christi patientis amore quis expirârit. 100
Christus venatur animas. 383
Ciborum gustu varii vario delectati sunt. 111
Citharâ una tacta, altera æqualiter tensa consonat. 89
Classis ingens Philippi II. Regis Hispan. tempestate deleta. 154. 155

Clepſydra è cineribus amaſii. 397
Cogitationes malæ vitandæ. 734. 735
Cogitationes pravæ, ſemen diaboli. 737
Cogitationes pravæ continuò repellendæ. 745
Cogitationes ſunt picturæ mentis 734
Cogitationes ſanctæ. 748. *& ſeq.*
Cogitatione unicâ damnati. 741
Collatio die jejunii qualis ſumenda. 261
Columbæ ad plures leucas avolantes, idem columbarium repetunt. 285
Cometes varii, eorumque effectus fatales. 3. 4
Cometes mortem Regum ac Principum denuntiat. 5
Compedes Chriſti pretioſi. 28. 29
Concionator celeberrimus in flagranti delicto occiſus. 556. 557
Concionator Societatis dum liberè vitia arguit, quàm fœdè mutilatus. 318
Concionatores liberè veritatem profeſſi, in exilium miſſi & capite plexi. 312. 316. 317
Confeſſarii non invideant aliis plures pœnitentes. 187
Confiteri erubeſcens, graviter torquetur. 161
Conjugium. *Vide* Matrimonium.
Conjuges ſancti, qui virgines & anachoretas antecellunt. 124. *& ſeq.*
Conjugatorum familiæ Eccleſiis comparantur. *ibid.*
Conjugatorum tribulationes cum Religioſorum auſteritate conferuntur. 125
Conjugalis caſtitas, paupertas, obedientia quàm difficilis. 127
Conjuges non habent tyrocinium. 129
Conſortium pravum fugiendum. 576. 577.
Conſortium fœminarum declinandum. 582. *&c.*
Conſcientia mala ejuſque motus & perturbationes horologio comparantur. 159
Conſcientiæ malæ flagella & verbera. 159. *& ſeq.*
Conſcientiæ vermis. 166. 167
Conſcientiæ mala umbris & ſpectris terretur. 170 *& ſeq.*
Conſiliarii Angliæ damnati. 41. 42
Conſtantia adoleſcentis, qui, dum crus ei amputatur, citharâ ludit. 283
Contritionis actus in extremis difficulter exercetur. 364 *&c.*
Conſtantia in adverſis ſemper eundem vultum ſervat. 274
Conſtantes qui exſtiterint? 275. *& ſeq.*
Conſuetudo quid, & quomodo acquiratur. 285. *& ſeq.*
Conſuetudo altera natura quàm difficulter quis exuit. 288. 289. *&c.*
Conſuetudinis pravæ, horrendæ hiſtoriæ. 289. *&c.*
Conſuetudo non imminuit peccatum. 290. *&c.*
Conſuetudo prava quibus remediis extirpanda. 292 *&c.*
Conſuetudine peccandi, moribundus Sacramentis ritè munitus, in peccatum reincidit & damnatur. 38. 39
Conſuetudini pravæ aſſuetus, rarò reſipiſcit in morte. 39. 40
Converſi per brevem ſententiam & verbum tempore in opportuno. 385. 386. *& ſeq.*
Converſio latronis in cruce, patrocinio Deiparæ adſcribitur. 91

Conversio mirabilis prostitutæ puellæ, quæ à puero JESU scelerum suorum absolutionem impetrat. 60
Conversio gravissimi peccatoris. 375. alterius puellæ. 377
Conversio Catharinæ peccatricis per fercula sanguine respersa. 251. 252
Conversio stupenda Ministri Lutherani. 602.603
Conversio mirabilis hominis ethnici in Brasilia. 373. 374. & altera. 375
Conversio peccatoris patrocinio Matris dolorosæ. 101
Conversio usurarii qui pœnitens à bufonibus & serpentibus consumptus est. 168
Corrigendi & castigandi liberi à teneris. 441.442.444. *&c.*
Correptio in spiritu lenitatis facienda. 649. *& seq.*
Correptio religiosa Ioannis Hurtado Dominicani. 643
Correptionem omittens cum altero damnatur. 646.647
In Correptione modus servandus. 649
Correptio ut medicina apto tempore adhibenda. 641.645.648
Corda puerorum dæmoniis immolata. 535
Corolla divini amoris per actus ardentissimos. 240
Corona unde dicta. 19
Coronam spineam quinam venerati sint. 85
Corona quibus vinculis nectenda. 22
Corona imperfecta S. Ludwinæ cœlitus exhibita. *ibid.*
Coronas nectendo Glycera vitam sustentavit. 24
Crapula plures occidit quàm gladius. 270. *&c.*
Creatura magis dependet à Deo quàm radius à Sole. 151

D.

DÆmon specie sanctitatis puellæ illudit. 559
Dæmon auceps utitur pravis sociis ad decipiendum. 576. *&c.*
Dario cum exercitu cincto à Scythis missa rana, mus, & avis, cum sagittis. 462
Desiderium cœli & rerum cœlestium in nobis excitandum. 661. *& seqq.*
Desiderium fervens, proxima dispositio ad S. Eucharistiam. 507
Deus terret ut à peccato deterreat. 12
Deus tardus in puniendo. 13
Deus monet antequam puniat. 13. 14
Deus solus Dominus. 147
Deus solus hominem satiat. 570
Deus solus amandus. 688.689
Deum præsentem semper habere oportet. 457.458
Deum præsentem quinam semper habuerint. 160. *& seq.*
Dilectio proximi. 720.721
Diogenes Cynicus cur supinus voluerit sepeliri? 652
Diogenes Cynicus ne nihil agere videretur, dolium suum sus deque volvit. 219
Dispositiones ad S. Eucharistiam suscipiendam necessariæ. 502
De dispositione quid Theologi & SS. Patres senserint. 300.301
Dispositioni respondet fons gratiarum. 301. *& seq.*
Distractiones in oratione & sacrificio. 737.738 *&c.*
Divitiæ non spectandæ in uxore. 137.
Dolor ineffabilis in morte filiæ. 64. In morte filii. 98

Dolor in morte charorum. 94.95
Domicella unde dicta. 62
Domini nomen Deo proprium. 143. *& seq.*
Dominium Dei quàm potens & excellens in omnia creata. *ibid.*
Dominum Dei in mare, Rex Angliæ suos edocet. 143
Dominium Dei in ventos & pluviam, Reges Hispaniarum docentur. 144
Domini est terra, ut Augustini historia comprobat. *ibid.*
Dominus Deus etiam gravissima posset sub peccato mortali præcipere. 145
Domini terreni nullam habent proprietatem, sed tantùm usumfructum. 148
Domini terreni quàm vanos & insanos titulos assumpserunt. 147
Dominus Deus distribuit dona sua prout vult. 149.150
Dominus Deus figulo comparatur, in cujus manu nos velut lutum. 150
Dominus dedit, Dominus abstulit. 152
Dominus Deus bonus, suavis & multum misericors. 157
Domino uni serviendum *Dom.* 14 *post Pentecost.*

E.

EBriosus in morte quid cogitet. 41
ECCE HOMO. 85.86
Echo arguta & varia. 35.36. *& seq.*
Echoni vita humana comparatur. *ibid.*
Eclipsis Solem longissimè à Luna distare comprobat. 676
Educatio filiorum. 441. *&c.*
Educatio quid in S. Edburga aliisque pueris effecerit. 442. *& seq.*
Educatio quid valeat in brutis, exemplis probatur. 444. *&c.*
Eleemosynam danti, centuplum refunditur. 470. *&c.*
Eleemosyna ars quæstuosissima. 472.
Eleemosyna quotidie è mensâ submittenda. 476. *& seq.*
Eleemosynas quomodo Marchio Spinola ingeniosè militibus collegerit. 476
Eleonora de latere Christi unde nomen acquisiverit? 97
Elephas funambulus. 287
Elephas scribere edoctus. 286
Elephantes veste muliebri ac virili induti, mensæ accumbunt, & varios ludos more humano exercent. 286
S. Elisabethæ Hungariæ quantus cultus & honor habitus. 629
Elisabetha Regina Angliæ vilem hominem extollit. 302
Epitaphium vivi sepulti. *Dom.* 15. *post. Pent.* §. 1.
Epitaphium Bucchanani infamis helluonis. 37
Epistolæ quo artificio in urbem obsessam immissæ. 117
Eucharistia speculo ustorio comparatur. 487
Eucharistiæ attactu, digiti S. Conradi de nocte lucent. 491
Eucharistiæ epulum, Solis mensæ comparatur. *ibid.*
Eucharistia panis intellectus, à quo varii radios scientiæ participarunt. 494. *& seqq.*
Ad Eucharistiam viva fide accedendum. 497
In Eucharistia Christus se specie humana exhibet. 498
Eucharistiæ speculum corda fidelium inflammat. 500. *&c.*
Ad Eucharistiam suscipiendam dispositiones præviæ. 302.504

Eucharistiam an Deipara eo fervore, quo Christum in utero susceperit? 512. *& seqq.*
In Exercitiis S. Ignatii, monstra objiciuntur, videlicet passiones animi. 53

F.

Fœminis tertiò in vita, domo exire conceditur. 62
Fœminæ Chinenses cur parvis pedibus? *ibid.*
Fax ardens ante urbem obsessam collocari solita. 356
Festum Matri dolorosæ ubi & quando institutum? 103.104
Figulo Deus comparatur. 150.151
Figulus figulo invidet. 186.189
Filii à muliere Indica cur cruces appellati. 130
Filii parentibus morigeri, rectè Angeli dicuntur. 115.116. *&c.*
Filii contumaces graviter puniti. 119. *& seqq.*
Filii & filiæ quomodo educandi. 441.442. *&c.*
Flagella perturbatæ conscientiæ. 160
Fœtus mortua matre, casu in lucem editus. 194
Forma non spectanda in uxore ducenda. 135.136
Formam Dominus dat & aufert. 154.
Fortunam adversam qui æquo animo tulerint? 152. *& seqq.*
Fortuna in variis casibus prospera describitur. 192. *&c.*
Fontes diis sacri. 297
Fons Solis, qui & unde dictus. *ibid.*
Fontes gratiarum Deus in Sacramentis facit scaturire. 298. *&c.*
Fontium prodigiosi effectus. 299
S. Francisca Romana usurpat illud Jobi: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* 153
Franciscus de Sales à morte sine felle repertus. 329
B. Franciscus Borgias honores calcando sublimior. 712
B. Franciscus Borgias qua præparatione ad celebrandum accesserit? 506
S. Franciscus Xaverius passiones animi domitas habet. 279
Franciscus Suarez ab Eucharistia sibi scientiæ radios mutuat. 496
Fulmen in turrim pulvere nitrico plenam delapsum, qualem stragem ediderit. 195. *& seqq.*
Fur quomodo à Maximiliano Imp. deprehensus. 460

G.

GAlassius stupendo prodigio mortis sibi imminentis admonetur. 7. 8
Galenus vixit 120. annis. 270
Garruli & contentiosi passim stupidi & vani. 631
Georgii Bucchanani infamis vita & mors. 37
Gloria cœlestis qualis futura. 666. 667. *&c.*
Gratiarum fons pro cujusque dispositione scatet. 299.300
Gratiæ gradus unicus præstantior orbe toto. 307
Gratia sufficiens nulli negatur. 372
Gratia instar trochleæ quàm potenter trahat. 373
Gratiam majorem quidam damnati habuere quàm salvati. 379. *& seq.*
Gratiæ cooperandum. 278. *& seq.*
Gratia non potest consistere cum peccato. *Dom.* 14. *post Pent.*
Guilielmus Dux Bavariæ per somnium

somnium mortis imminentis admonetur. 8
Gulâ & crapulâ occisi. 270
Gulosi ob unum jejunium tertiò se ingurgitant. 262

H.

HÆretici bene vellent Catholicè mori. 42. 48
Hæreticorum errores circa jejunium, refutantur. 257. 258. &c.
Hæreticorum opera moraliter bona sine fructu. 538. 539. &c.
S. Hilarius humiliando se exaltatur. 631. & seqq.
Homicidam hirundines manifestant. 164. & seqq.
Homicida semper sibi voces pueri trucidati audire videtur. 163
Herodes à Christo signum fieri optabat. 79. & seqq.
Homicida una nocte incanescit visâ uxoris innocenter occisæ umbrâ. 172
Homicida occultus inter senatores adlectus, capite vituli territus se manifestat. 170. 171
Homo conditus ad cœlestia contemplanda. 652. 653. &c.
Honores calcando scalam nobis facimus. 711. 712
Horologium Matris dolorosæ. 70. &c.
Horologium cum conscientia mala & inquieta comparatur. 159
Horologii instrumenta & proprietates. ibid.
Horologium quietum, inutile & otii symbolum. 206
Horologii usus Reip. & religiosis familiis necessarius. 652. 653
Horologium furem indicat. 165
Horti nimium amans, in eo miserè expirat. 43
Hosii Card. illustre de jejunio servando pronuntiatum. 271
Humanitate latrones flectuntur. 334
Humilitas verè exaltat. 621. 622. &c.
Humilitas Christi & Mariæ. 618. 619. 623. &c.
Sine Humilitate alia talenta non prosunt. 625
Humilitas S. Thomæ Aquinatis. 631
Humilitas in Principe & omni superiore maximè commendanda. 632. &c.
Hypocrisis vitium describitur. 546
Hypocrita ope S. Patricii in vulpem conversus. 549
Hypocritæ veniunt in vestimentis ovium, intus lupi. 547. 548
Hypocritæ sub veste religiosa. 550. 551. 553. &c. tragœdia. 556. & seqq.
Hypocritæ sepulchris dealbatis comparantur. 554. 555

I.

IDololatræ Christianos confundunt. 538. & seqq.
Iejunii præceptum in paradiso latum. 257
Iejunii præceptum ab exordio Ecclesiæ in usu. 258
A Iejunii præcepto qui excusentur. 259. & seqq.
Iejunium armat hominem contra Dæmonem & vitia carnis. 260. 261. &c.
Iejunii sententiæ laxiores rejiciuntur. 261
Iejunium Turcicum, quale. 262
Iejunium non modò agiles sed

prope angelos facit. 266
Iejunium à pueris etiam lactantibus servatum. 267
Iejunium valetudinem & formam etiam corporis auget. 268. 269. &c.
Iejunio quinam vitam in annum centesimum & ultra prorogârint. 270. & seq.
Iejunium morborum omnium medicina. ibid.
Iejunium ne ad vitam servandam Hosius infringit. 271
Iephte an filiam immolârit. 694
Iesu nomen quoties in Epistolis Pauli. 46
S. Ignatii mansuetudo in vocatione vacillantem confirmat. 332
S. Ignatio cœlestia contemplanti terrena omnia sordent. 653. 654
Imago ab imitando dicta. 792
Imago Christi & sanctorum in nobis exprimenda. 792. 793. &c.
Imagines cereæ quibus Magi ad homines excarnificandos abutuntur. 252
Imperium lene omnia impetrat. *Dom. Palm.* §. 3.
Indolem in pueris & puellis quomodo Salomon dignoverit? *Dom. 6. post Pasc.* §. 1.
Indulgentia parentum liberos perdit, secundum corpus & animam. *Domin. 6. post Pascha* §. 1. 2. & 3.
Infans à nemine instructus, quâ linguâ uteretur. 286
Invidia ubique & inter omnis generis homines reperitur. 174
Invidus gaudet malo alieno. ibid.
Invidi suorum sunt carnifices. 176. 177
Invidiam pictor Italus 30. annis depingit. 176
Invidus se perdit, ut hostem perimat. 178
Invidia malum diabolicum. 179
Invidia in castris, in aulis & in religiosis familiis regnat. 181
Invidus moribundus hostem, ne superstes sit, sua manu occidit. 178
Invidiâ Danielem in lacum leonum misit. 181
Invidiâ Cyrus in exilium missus. 182
Invidia Belizarium excæcavit. 183
Invidet figulus figulo. 186. 189
Invidia non sit inter Confessarios & Concionatores. 187
Invidiosorum solatia & invidorum remedia. 187. 188. &c.
Invidia est comes virtutis. 188
Invidia nulla inter beatos. 190
Inundatio & quid in ea miri acciderit. 195
Ioannes sub cruce matri commendatur. 92
Ioannes Bapt. vox clamantis. 34
Ioannes Bapt. Echoni comparatur. ibid.
Ioci & sales in tormentis prolati. 180. 181. &c.
P. Iosephus Anchieta quàm stupenda in Brasilia patravit. 273. 374
Iubilæi porta sancta quando aperitur & clauditur. 354
Ad Iubilæum Romam profectus Minister Lutheranus, convertitur. 602. 603
Iudæi conantur auro corrumpere Reges Catholicos. 321
Iudicium extremum tria illa verba *Mane, Thecel, Phares*, designat. 816
Iudicis supremi libra quàm exacta. ibid. &c.

In judicio quorum opera appensa. 819.820

L.

LAbor homini conducit. 214. & seqq.
Ad laborem homo natus ut avis ad volandum. 216. &c.
Laboremus olim militaris tessera. 218
Qui non laborat non manducet. 220. 221. &c.
Lachrymarum pretium. 390
Lachrymis anima baptizatur. 394
Lachrymæ non fundendæ pro rebus fluxis. 393
Lachrymarum vis cœlum aperit, & infernum extinguit. 399.400
Lanceâ latus Christi & cor Mariæ perfoditur. 96
In latere Christi quinam habitârint. 97
Latrones veneno sublati prædam omnem captivo relinquunt. 202. & seqq.
Lazarus figura peccatoris inveterati. 289
Leprosus venenum bibens curatur. 200
Leopoldi Archiducis pietas in Matrem dolorosam. 105
Libidinis flammæ jejunio restinguendæ. 263.264
Libidinis ignis non satiatur. 567. 568
Libidinosi juvenis animum 40. dierum jejunio, puella urget comprobandum. 265
Ludus chartarum & tesserarum divinæ providentiæ applicatur. 197

M.

MAgdalena Ducissa Bavariæ, Matri dolorosæ peculiariter addicta. 103
S. Magdalenæ lachrymæ 395
Magia seu ars necromantica per cereas icunculas. 252
Magicâ arte brevi tempore in terras longinquas delati. 673. 674.
Magnetis virtus admiranda. 23
Maledictio in filios parentibus contumaces. 119
Mansiones in cœlo diversæ. 305
Mansuetudo Christi, Deiparæ ac sanctorum. 326.327.&c.
Mansuetus & lenis sermo frangit iram. 333
Mansuetudine subditi regendi. *Dom. Palm.* §. 3.
S. Macarius cœli desiderio totus raptus. 653
Margareta Austriaca in bivio æternitatis anxia. 413
Maria solitudinis amans. 61
Maria nunquam otiosa. 213
Maria lachrymas sanguineas fudit. 65
Mariæ dolor à primo instanti quo mater Dei effecta. *ibid.*
Maria jugi meditatione passionis Christi quasi in perpetua cruce. 66. &c.
Mariæ dolor semper crevit. 67
Mariæ dolor de Christo perdito. 69
Maria videt filium flagellari. 82. 83
Maria occurrit filio crucem bajulanti. 66
Mariæ cor speculum Christi passi. 87
Maria stat sub cruce. 88
Maria amarum mare. 88
Maria latroni veniam spondet. 91
Maria sub cruce mater peccatorum effecta. 93
Mariæ dolor in morte filii. 95

Maria filium è cruce sinu excipit. 97. 98
Maria filii corpus sepulturæ mandat. 99
Maritum iracundum quomodo uxor pacatum reddet. 334
Maritus ratione uxoris martyrio affectus. 136
Martyrii novum genus repertum in Anglia. 170
Martyrum in tormentis constantia. 276. *& seqq.*
Martyres qui in tormentis riserint & jocati sint. 279. 280. *&c*
Mater caput filii à carnifice plexi aspiciens, expiravit. 98
Mater dolorosa cum filio mortuo in sinu, depicta in velo navis. 99
Matri dolorosæ condolendum. 100. 101
Matrum animositas in morte filiorum. 90
Matrimonii dignitas. 123
Matrimonii status non repugnat perfectioni & sanctitati. *ibid.*
Matrimonii vincula ferrea, per charitatem redduntur aurea. 29. 30
Matrimonii status comparatur, cum Religioso. 125
Medicus sincerus lapidibus obrutus. 312
Mendici qui validi sunt, ad laborem compellendi. 223. 224
Mendici ad triremes damnati. 223
Mensa Solis describitur. 491
Mensa aurea, & fercula aurea. 492
Mercatoris solertia ad multum lucrandum brevi tempore. 591
Merces nummi aurei proposita, militem à prava consuetudine revocat. 294
Michaël Balbus è carcere ductus ad solium. 31
S. Michaëlina unicum filium tolli optat, ut Deum purius amet. 691
Michaël Angelus pictor quo astu sibi famam pepererit. 189
Misericordia Dei in gravissimum peccatorem. 375. 376
Misericordia Dei in puellam, turpitudinis monstrum. 377. *& seqq.*
Morbi mortis nuntii. 8. 9. *&c.*
Morbi conferunt ad coronam immortalem acquirendam. 23. 24
Morbi Magneti comparantur, quibus Deus nos ad se trahit. 23
Morbi nos velut cervos saucios, ad Deum fugere compellunt. 768. 769
In morbo qui ad Deum confugerint. 769
Morbus corporis conducit ad salutem animæ. 770. 771. *&c.*
Moribundus pellicem dimittere non vult. 290
Moribundus mercator ad hortum deferri vult. 661
Moribundus Christo amaram potionem propinat. 240
Moribundus optet sibi cum S. Carolo Borromæo suspirium Christi morientis. 96
Mors somnus. 803. 804. *&c.*
Mors Echo vitæ. 36
Mortis variæ definitiones. 35
In morte obversantur quæ in vita egimus. 42. 43
Mors Sanctorum qualis, & in quas voces expirârint. 47. 48
Mors peccatorum pessima. 41. 42, 43. *&* 48
Mors infelix adolescentis, qui è cœlo nuntium mortis expectabat. 1[illegible]
Mortuus

Mortuus repertus digito intento in hæc verba: *justus si morte praoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* 47
Mulier non sit otiosa. 212. *&c.*
Mulieres sanctæ semper operi intentæ. 214. *&c.*
Mundus non satiat. 562. 563
Mundani plus laborant pro fluxis bonis quàm nos pro æternis. 594
Mundum inversum docuit Diogenes. 652
Mundo & Deo servire quàm monstrosum. 685

N.

Nativitas Christi invitat ut mente in Bethlehem peregrinemur. 54
Nativitatem Christi contemplans, puella gravi scelere obstricta, à Jesu infantulo remissionem impetrat. 60
Naufragus filius in patris cadavere enatat. 194. *& seqq.*
Nocte passionis quàm Virgo Mater afflicta. 75
Nomen Jesu & Christi quoties in epistolis S. Pauli reperiatur. 45
Nomen Jesu & Mariæ quis cultro pectori insculpserit? 102
Nomen aliquod proprium an Deo competat? 141
Nomen Domini, Deo propriè convenire. 142
Nomen Domini è Bibliis quis lachrymis delêrit? 155. *& seqq.*
Nomen Domini suave. 157
Nuptiæ cœlesti prodigio turbatæ. 4. 5
Nuptiæ contrahendæ cum conjuge paris conditionis, indolis & pietatis. 130. 131. *&c.*
Nuptiæ cum gentili aut hæretico non contrahendæ. 131. 132. *&c.*
Nuntius optimus de salute æterna. 760

O.

Obedientia Jesu parvuli ad nutum Mariæ & Joseph. 107. *&c.*
Obedientiæ votum Jesus in utero concepit. 109
Obedientia filiorum erga parentes. 112
Obedientiâ erga parentes quinam eximii exstiterint? 113. 114.
Obedientes filii Angelis comparantur. 115. *& seqq.*
Obedientia Mahometis prompta. 116
Obsidio Bredana, Ostendana pertinax. 525. 526. *&c.*
Occupati rebus frivolis, negotiosè otiosi vocantur. 218. 219
Oculus Domini omnia contemplatur. 460
Operarius strenuus ditabitur. 224
Operarius strenuus sine purgatorio ad cœlum. 225
Operarii strenui ex callosis manibus apud Deum & homines cognoscendi. 217
Operariis in vinea Domini merces æterna promittitur. 225
Opera bona sine charitate nullius pretii. 540
Ordo Servitarum *Matri dolorosæ* addictissimus. 105
Otium docet omnem malitiam. 207
Otium viros sanctissimos in gravia scelera adduxit. 208. *& seqq.*
Otium urbes perdidit. 209

Otium mater libidinis. 209. 210
Otiosa mulier quantum mali concitet. 215
Otii symbolum veru ad ignem immotum. 212

P.

PAlatium Salomonis aliorumque Regum. 658. 659. &c.
Parentum amor raro exemplo in ciconiis comprobatur. 725
Parentum benedictionem *Thomas* Morus Cancellarius de genibus petit. 114
Parentibus contumaces filii, graviter puniti. 119
Parentibus diras imprecatus gravi surditate percutitur. 120
Parentes quando peccent mortaliter negligendo curam liberorum. 493. &c.
Parentum indulgentia liberos perdit. 448.450. & seqq.
Parentum severitas mansuetudine temperanda est. 454
Parentum dolor ineffabilis in morte filiæ. 64
Parentes non debent flere liberos Religionem ingressos. *Dom.* 15. *post Pent.*
Parentes quàm graviter peccent à Religione liberos avertendo. *Dom.* 15. *post Pent.* §. 3.
Paritas omnimoda inter conjuges spectanda. 130. 131. 139
Patrisfam. officium. 441
Pastor bonus Redemptor noster, quomodo oves perditas ad se vocarit & traxerit? 369
Patientia in adversis. 274. & seqq.
Peccatores Antipodibus comparantur. 670
Peccator longè à Deo. 671
Peccator bellum gerit cum Deo. 243
Peccator rursum crucifigit filium Dei. 244
Peccator Deicida. 245
Peccator in vita, raró resipiscit in morte. 39
Peccator gravissimus convertitur. 375
Peccator in flagranti delicto horrendum punitus. 16. 17
Peccator nusquam Deum latere potest. 463
Peccatorum opera moraliter bona an ullius meriti? 538.539
Peccator in vanum laborat. 540. &c.
Peccator suis flagitiis flagellatur. 780. &c.
Peccator per quæ peccat, iis torquetur. 781
Peccatum nullum tam grave de quo desperandum. 376 & seqq.
Peccator frustra locum mutat & fugit. 162
Peccatorem Deus ubique persequitur. *ibid.*
Peccator semper pavidus. 163. 164
Peccator ne in monasterio quietus. 163
Pejerans à dæmone vivus abripitur. 47
Pericles in morte exultat se nulli causam doloris præbuisse. *Dom. Palm.* §. 3.
Perseverantia paucorum est. 517
Perseverantiæ defectu, qui & quales viri damnati. 520. 521. 527. &c.
Perseverantia sola coronatur. 523
Quinam perseverârint in opere bono ad finem vitæ. 530. &c.
B. Petrus Martyr Italiam commovet his verbis Jonæ Prophetæ adhuc 40. dies. &c. 13
Petitiones quorumdam stultæ & noxiæ. 429. 430
Petitiones omnes Metellus impetravit.

petravit. 431
Petitiones quæ nobis ſalutares? 437
Petenda magna à Deo. 439
Quid petierit P. Florentia à Philippo tertio moribundo. 438
Philippi II. Regis Hiſp. in adverſa fortuna æquanimitas. 154. 155
Piger & pigritia deſcribitur. 209
Pigritiæ remedia. 210
Pigritia mater penuriæ & extremæ paupertatis. 220
Pictura ingenioſa Thimantis. 64
Pictura invidiæ. 176
Pingitur animus variis cogitationibus. 734
Pietas nobilis Franci, aliorumque in Matrem doloroſam. 99. 100
Pietas in Matrem doloroſam ſignum prædeſtinationis. 101. *& ſeqq.*
Piſcis mortuus ſupernatans, mortem monacho cuipiam imminentem denuntiat. 8
Plagæ Ægypti quot & quales. 2
Podagrâ homo quaſi Dei captivus & vinctus in Domino. 23
Pœna damni in charorum abſentia exprimitur. 71
Pœnitentia non differenda. 354
Pœnitentiæ dilatæ, horrendæ tragœdiæ. 359. *&c.*
Pœnitentia ſera, rarò vera. 361
Porta ſancta extra tempus Jubilæi nunquam aperitur. 354
Praxes variæ compatiendi Matri doloroſæ. 101. 102. *&c.*
Prædeſtinatio quid & quàm difficilis controverſia. 751
Prædeſtinatio per bona opera certa facienda. 759
Prædeſtinatio nulli certa de ſalute, ut cum timore ſalutem operemur. 760. *&c.*
Præſentia Dei efficax ad omnem perfectionem incitamentum. 465
Qui in Præſentia Dei ſemper ambulaverint. 466
Præſentia Dei contra omne peccatum remedium efficax. 457. *&c.*
Procraſtinatio pœnitentiæ noxia. 355
Prodigia varia & horrenda. 3. 4. *&c.*
Prodigia in morte Barbaræ Bavariæ Principis. 8
Providentia Dei ab innumeris periculis nos ſervat. 195
Providentia Dei apta ſimilitudine declaratur. 195. 201
Providentiam Dei contemnens ſubita morte punitur. 199
Providentiæ divinæ quinam confiſi ſint. 202. *& ſeqq.*
Providentiâ divinâ omnia etiam minima gubernantur. 193
Providentiæ divinæ rara exempla. 194. 195
Proximus diligendus ſicut pupilla oculi. 720. *& ſeqq.*
Pſittacus totum ſymbolum Apoſtolicum recitare doctus. 444.
Pudor ſceleris admiſſi peccatorem excruciat. 61. *&c.*
Puer in ſylvis repertus, humi repit ut quadrupes. 288
Puer biceps, quadrupes, quadrimanus quid portenderit? 5
Pueri in utero flere auditi. *ibid.*
Pueri à teneris compeſcendi. 441
Punitio divina tardè infertur. 2. 12

R.

Regimen omne ſeveritate & manſuetudine temperandum. 454
Reges decet manſuetudo. *Dom. Palm.*

Rex

Rex apum aculeo caret. *ibid.*
Regnum non capit duos. 688
Religio unde dicta. 26
Religionis vincula. *ibid.*
Religiosi mundo mortui, vivunt Deo. *Dom.* 15. *post Pent.* §. 2.
Religionem ingressuri non flendi. *ibid.*
A Religione avertere quale peccatum. *ibidem* §. 3.
Religiosi perversè viventes, miserabiliores omnibus hominibus. 552. *& seqq.*
S. Remigius incenso horreo exclamat: Dominus dedit, Dominus abstulit. 152
Renovationis symbolum bombyx, aquila. &c. 343.347
Renovatio veteris hominis quomodo facienda. 348
Ad Renovationem omnia creata invitant. 350. *& seqq.*
Renovatione egent omnes etiam viri Religiosi & perfectionis studiosi. *ibid.*
Reprehensiones etiam cum capitis periculo factæ. 316. *&c.*
Reprehensiones quinam libenter audierint. 320. *&c.*
Reprehensio. *V. Correptio.*
Reverentia templis ac locis sacris debita. 604.605. 608. *&c.*
Richardus Vitus in carcere hæreticis illudit. 280. *& seqq.*
Robertus Santarellus humanitate sibi latrones benevolos reddit. 334
Roffensis Episcopus sereno & læto animo se ad mortem parat. 282

S.

SAbbathum Matri dolorosæ sacrum. 103
Sacramenta fontes gratiarum. 299. *&c.*
Sacramenta pro cujusque dispositione gratiam ampliorem conferunt. 300
Salomonis aula describitur. 659
Salutatio angelica ter per diem signo campanæ dato, ubi primum instituta, & quo miraculo comprobata. 102
Sanctos quomodo Deus etiam in terris honoret. 629
Scalas nobis facimus calcando divitias & honores. 710.711
Scalæ in vini amphora captivo porrectæ. 716
Scripturæ sacræ antiphrases. 427
Scortum viri nobilis graviter punitum. 196
Senectus, ejusque incommoda. 344
Senes an ulla arte juvenescere queant. 345
Senes qui ad juventutem redierint. 345. *& seqq.*
Senes 300. annorum. 347
Sepulti vivi. *Dom.* 15. *post Pent.* §. 1.
Sermo lenis frangit iram. 333
Servus de Domino questus, rectè docetur. 149. *& seqq.*
Serviendum Domino cum timore & amore. 155
Servi terreno Domino alacrius inserviunt, quàm nos Deo. 156
Signum quid & quotuplex. 2
Signa prognostica, comminatoria. *ibid.*
De signis Caroli V. Imp. prudens responsum. 4
Signa in cœlo & in terra. 3.4. *&c.*
Simia latrunculis ludit. 286
Simius pictor, de quo lepida historia. 735
Sirenes mari tranquillo lamentantur. 283
Socratis in adversis constantia. 275.280

Sodali-

Sodalitates titulo *Matris dolorosæ.* 103
Soles duo an visi ab Albano? 769
Solis repentinus defectus fatalis in nuptiis Alexandri Ducis Florentiæ. 4. 5
Solis mensa qualis. 491
Solitudinis laus. 50. 51. *&c.*
Solitudo juvat ut homo cum Deo attentius loquatur & Deus cum homine. 52. 55
Solitudinis etiam ethnici amantes. 51. 56
In solitudinem Philosophus abit cum alveari vitreo, ut mellificium apum addiscat. 51
In solitudine Deum venamur. 54
Solitudo ad peccatum invitat & quis insano amore in illam secesserit. 55
Solitudo in urbe & in turbis quomodo comparanda. 59
Somnium ferale Ducem Bavariæ mortis imminentis admonet. 8
Somnia quid & unde oriantur. 42. *&c.*
Somniamus de nocte quæ de die tractamus. 43. *&c.*
Somniantes quid operis quandoque exercuerint, variis historiis probatur. *ibid.*
Somnium S. Franc. Xaverii. 45
Somnus morti comparatur. 803. 804. *&c.*
Sorores duæ ab invicem separandæ in mutuo amplexu expirant. 72
Speculum Christi passi cor Mariæ. 87
Speculum fidum omnibus omnia. 310
Speculo ustorio Eucharistia comparatur. 487
Status vitæ quis & quomodo deligendus. 407. *&c.*
De statu vitæ parentes aut propinqui non consulendi. 415
Status eligendi principia certa. 414
Statum Religiosum deserentes horrendum puniti. 423. *&c.*
Sudor sanguineus cadaveris ad præsentiam homicidæ. 251
Superbi utribus inflatis insident. 632
Superior mansuetudine excellere debet. 332
Superior mansuetudine & affabilitate omnia impetrat. *Dom. Palm.* §. 3.
Supplicia horrenda Regum sicariis intentata. 254
Suspirium Christi morientis ultimum quis exoptarit. 96
Sympathia quâ duæ citharæ æqualiter tensæ consonant. 89

T.

Tabaci libra in obsidione Bredanâ 100. florenis vænit. 526
Tabaci quod 4. scutis illatum, vænit 1200. florenis. *ibid.*
Tacere prudentis est. 631
Tacere quando noxium & peccaminosum. 641. 642 *&c.*
Taciturnitas uxoris, iram viri frangit. 334. *& seqq.*
Tempestas classem potentissimam Philippi II. Regis haurit, Rege imperturbato. 154. 155
In tempestate S. Elzearius animo quieto & vultu sereno. 277
Templum locus terribilis. 600
Templi violatores puniti. 605. 614
Templi neglectus à Cardin. Bellarmino defletur. 606
Templum Salomonis sine ullo strepitu ædificatur. 609
Tentationi resistens coronam sibi gloriæ

gloriæ nectit. 25
Tentationes quæ ratione sancti superarint. 167
S. Thomas Aquinas ab Eucharistico pane sibi scientiam comparavit. 494
Thomas Morus in carcere & morte sales & jocos protulit. 281
S. Thomas Cantuariensis liberè Regi Angliæ resistit. 316
Thomas de Turrecremata Reges Hispaniæ liberè arguit. 321
Thomas Sanchez tria sibi habet charissima. 495
Timor Domini commendatur. 155.156
Tonitrua & fulmina quidam valde timuerunt. 164

V.

VAledictio charorum amara. 71
Valedicit Maria filio ad passionem abeunti. 70.&c.
Vale extremum omnibus terrenis in morte dicendum. 72
Vasa effingit figulus pro arbitro. 150
Venatur Deus animas per morbos quasi molossos, 767.&c.
Venena contraria vitam servant. 200
Veritas odium parit. 311.& seqq.
Veritas Regum aulis exulat. ibid.
Veritatem enuntiantes morte puniti. 316. 317
Veritatem quinam libenter audierint. 320
Vermis conscientiæ. 166.&c.
Vermium morsus pruritum carnis & libidinis extinguit. ibid.
Vermis mirabilis in corde adolescentis repertus. 172
Vestales virgines quales, & quâ disciplinâ excultæ. 535
Vestium luxus ingens. 482
Vestium luxui puella addicta, à dæmone abripitur. 44
Vetus homo & vetustas animi quomodo renovanda. 347
Vincula ferrea SS. Martyrum redduntur aurea & nectuntur in coronam. 19. 20
Vincula SS. Petri & Pauli quo in pretio & veneratione. ibid.
Vincula morborum & tentationum nos Deo arctius adstringunt. 22. 23. &c.
Vinculum Religionis ac votorum non solvendum. 27
Vincula conjugatorum conferunt ad coronam gloriæ. 29
Vincula quinam amore Christi exoptarint & osculati sunt. 31
Virginitas quantum conjugio antecellat. 122
Virgines in cœlo cantabunt canticum quod nulli alii. 304
Virgis pueri discoli corrigendi. 447. 450
Qualis vita, finis ita. 35. &c.
Vitrum pro margarito venditum. 593
Vmbra crucis quam vim habuerit. 91
Vocatio Dei quomodo cognoscenda. 407. 508. &c.
Vocatio ad statum religiosum, à Deo est & signum prædestinationis. 417. 420
Vocationem differre aut negligere signum æternæ reprobationis. 424
Vocationem differentes aut deserentes graviter puniti. ibid.
Votorum vinculis corona nectenda. 26
Vota quis de die ter millies renovârit. 27. 28
Vox clamantis Ioannes Bapt. 34
Vsurarius inauditâ pœnitentiâ expi-

expirat. 168
Vulnera Christi per peccata nostra recrudescunt. 244. 245. *&c.*
Vulnera Christi B. Joannæ in veneratione fuere. 102
Vultus index animi, & speculum mentis. 274. *&c.*
Vultus semper idem in quibusdam apparuit. *ibid.*
Vxor qualis ducenda exemplo Theophili Imp. ostenditur. 133
In uxore ducenda non forma, non divitiæ, sed indoles & virtus spectanda. 134. *&c.*
Vxorem ducens ad dimidium deceptus. 136
Vxor sancta virum sanctum reddet. *ibid.*

X.

S. Xaverius. *V. Franciscus.*
Xantippe maritum suum dirè exagitat. 280

Z.

ZElus Christi pro domo Dei. 599. 600.
Zelus indiscretus S. Carpi. 436. *& seqq.*



INDEX
IN TOTAM QUADRAGESIMAM.

Feria quarta Cinerum.

MEMENTO *homo quia pulvis es.* Cujus rei memoriam ultimam homo dormiturus indies refricet, juxta illud Job.7. *Ecce ego nunc in pulvere dormiam.* p.804. Vbi fusiùs de morte agitur.

Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Matth. 6. De præceptis jejunii. 257

Hæreticorum errores circa jejunium refutantur. *ibid.*

Jejunium armat contra Dæmonem & carnem. 260. 264

Jejunium auget vires corporis & formam. 268

Jejunium pueri observarunt. 266. 267

Nolite fieri sicut hypocritæ. Qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 547

Similes sunt sepulchris dealbatis. 554. &c.

Thesaurizate vobis thesauros in cœlis. Per eleemosynam quæ centuplum refundet, quod non auferetur. 470. 471. &c.

Reddit tibi. *ibid.*

Feria Quinta.

Accessit ad eùm Centurio, rogans eum & dicens: Domine puer meus jacet in domo paralyticus. Matth. 8. 767

Morbi velut molossi nos velut cervos ad fontem vivum compellunt. 767. 768. &c.

Infirmitas corporis facit ut animus ad Christum & ad cœlestia aspiret. 767

Morbi quibusdam fuere pro purgatorio. 773. *&c.*

Homo cùm morbi cruciatibus conflictatur Martyribus comparatur. 776. &c.

Morbus corporis confert ad sanitatem animæ. 770. 771. 772.

Dico huic vade, & vadit. Hanc obedientiam imitari debent pueri erga parentes, exemplo Christi parvuli, qui fuit subditus illis. 107. 108. &c.

Vbi erit fletus, Potiùs hîc flendum. Vbi de pretio lachrymarum & vi earum, ut etiam infernum extinguant. 390. 391. &c.

Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum. Hoc recolat dum S. Eucharistiam sumpturus accedit, & seipsum per prævias dispositiones dignum efficiat. 502. &c

Non inveni tantam fidem in Israël. Fides viva circa S. Eucharistiam exercenda. 49[illegible]

Feria sexta.

Diliges proximum tuum. Matth. 5. proximus diligendus sicut pupilla oculi. 720. & seq.

Dilectionis proximi rara exempla. 724. 72[illegible]

Dilectionis mutuæ perfectum exemplar Jonathas & David. 726. per totum.

Vt sitis filii patris vestri. Dilectio nos facit filios Dei. 72[illegible]

Si enim diligitis eos, qui vos diligunt quam mercedem habebitis? Nam & ethnici & pecora hoc faciunt, ut ait Augustin. *Dom. Sexag.* 228. &c.

Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Quem proponis nobis ut perfectissimum exemplar ad imitandum. 791. &c.

Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. Sicut Hypocritæ, qui exteriùs speciem sanctitatis præferunt. *Dom. 5. post Pent. per totum.*

Pater tuus qui videt in abscondito reddet tibi. Idque centuplum. *Dom. 1. post Pent. per totum.*

Sabbatho.

Cùm serò esset. Joann. 20. Multis erit serò in morte pœnitere, & cum porta misericordiæ erit clausa. 354. 355. &c.

Vidit discipulos suos laborantes. Multi laborant in vanum. Qui in nocte gentilitatis & idololatriæ versantur. 2. Hæretici. 3. In morte. Peccati mortalis laborantes. *Dom. 4. post Pent.*

Quinam spectris & umbris territi. 171. 172

Putaverunt phantasma esse. Quinam spectris & umbris territi. *ibid.*

Cœperunt in grabatis eos qui se malè habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. morbi ad Deum redire compellunt. *Dom. 20. post Pent. per totum.*

Dominica prima Quadragesimæ.

Ductus est Iesus in desertum. Matt. 4. Quinam à malo & vano spiritu, quinam à Spiritu Sancto acti in desertum. 51. 52. 54

Desertum locus orationis. 56

Desertum etiam in urbibus & turbis esse potest. 59

Cùm jejunasset 40. diebus. De præcepto jejunii, per totum. 257. &c.

Dominum Deum tuum adorabis. De dominio Dei in creaturas. 142. 143. 144 &c.

Verum dominium soli Deo competit, non homini. 147

Illi soli servies. Nemo potest duobus Dominis servire. *Dom. 14. post Pent. per tot.*

Feria secunda.

Cùm venerit filius hominis in majestate suâ, & omnes Angeli ejus cum eo. Matth. 25. Si Majestas Regis, & vel unius Angeli homines exanimârit, quid faciet Majestas Dei tot millionibus Angelorum stipata. 60

De judicio Dei bona opera ponderanda, atque ex iis homines judicandi, 817. 818. &c.

Venite benedicti Patris mei. Hanc vocem sibi dari à Christo audivit S. Mechtildis, & quàm hic nuntius hominibus gratus esset, se ex benedictis fore. 759. 764. & seqq.

Esurivi enim & dedistis mihi manducare, &c. possidete paratum vobis regnum. Eleemosyna non tantùm centuplum, sed & regnum cœlorum impetrat, 471. &c.

Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis, Quod lepidè mendicus exposuit. 482

Quamdiu fecistis. cœnobia condendo,

dendo, aut alia pia opera exercendo quæ diu permanent, expendit Rupert. 820

Discedite à me maledicti. Quàm longè damnati discessuri à Deo, à Beatis: & quale chaos inter hos & illos. 676. 677. 822

Quàm amara separatio, *dum segregabit oves ab hœdis.* 821

Feria tertia.

Intravit Iesus in templum Dei, & ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo. Zelus & virtus Christi eluxit in hoc opere. 599

Domus mea, domus orationis vocabitur. de qua verè licet exclamare, *terribilis* est locus iste, *non est hic aliud*, nisi domus *Dei & porta cœli*. Gen. 28. 600

De cultu & reverentia templis debita. 600. 601. &c.

Exponitur & illud: Domum tuam decet sanctitudo. Psalm. 92. *Dom. 9. post Pent.* §. 2.

Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Quinam illi qui templum in speluncam latronum, & quasi in lupanar convertunt. 604. &c.

Contrà spelunca latronum verè in templum conversa. 202. 203

Et accesserunt ad eum cæci & claudi. Infirmi velut cervi saucii ad Christum fontem vivum accurrunt. *Dominica 20 post Pent. per tot.*

Feria quarta.

Magister volumus à te signum videre. Matth. 12. Deus non unum, sed plurima signa illis & nobis ostendit, ut à peccato deterreat. 2. 3. 11. &c.

Signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Quod signum Dei longanimis ad pœnitentiam nos exspectantis. 13. 14. &c.

Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam. Ita, inquit Cyprianus, adducet Diabolus in judicium homines mundanos, qui plus pro rebus fluxis & terrenis laborarunt, quàm nos pro æternis. 595

Ecce plus quàm Salomon hîc. Vide si Salomonis palatium tam splendidum, quàm splendidum debet esse templum, quod est aula Dei. 600. 659

Intrantes habitant ibi. Dæmones ubi semel animum occuparunt, jamque *ingressi habitant ibi*, difficulter statione cedunt. ita vitia ubi in consuetudinem abierunt. 284

Quid consuetudo & quomodo acquiratur. 285

Consuetudo altera natura quàm difficulter exuatur. 288

Remedia extirpandi pravos habitus & consuetudinem peccandi. 292. 293

Feria quintæ.

Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël. Matth. 15. Cœlestis pastor quomodo oves ad se vocet & trahat. 369. 370. &c.

Nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum. Quantâ animi demissione & dispositione ad S. mensam accedendum. 495. 502. &c.

O mulier magna est fides tua. Quàm viva fides circa mysterium Eucharisticū requiratur. 496. &c.

Feria sexta.

Erat autem quidam homo ibi triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Ioan. 5. Morbi quibusdam pro purgatio fuere. 773. 774

Morbus corporis malis salutem animæ contulit. 760. 761. & *vis sanus fieri.*

Multi volunt sani fieri, quibus expediret ægrotare. 771. 772

Sabbatho.

De transfiguratione, quam Sancti quidem per Eucharistiam consecuti. 491. 500. &c.

Resplenduit facies ejus sicut Sol. Matth. 17. Quod etiamnum fit in Eucharistia, è qua velut è speculo Solari plures sancti sibi radios mutuarunt. 487. 491. 494

Splendidus Solis vultus semper idem, constantis animi symbolum est. 274. &c.

Qui in adversis vultu semper eodem & sereno fuerint. 279. & seqq.

Bonum est nos hic esse. Si Petrus hoc dixerit ubi (ut August. ait) tantùm stillam cœlestis dulcedinis degustarat, quid sentiendum de torrente voluptatis & gloria beatorum. 661. &c.

Hic est filius meus dilectus. totus in gloria, quàm dispar ab illo ut eum Pilatus populo proposuit: *Ecce homo.* 85. 86

Dominica secunda.

Idem Euangelium ut Sabbatho præced.

Feria secunda.

In peccato vestro moriemini. Ioan. 8. Complures qui Deum commonentem & comminantem non audierunt, in peccatis mortui. 10. 16. 17

Qui pœnitentiam differunt in peccatis mortui. 359. 360. 367

Peccatis per omnem vitam assueti, iis immortui. 37. 38. 290

Qui misit me verax est, & ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Christus liberè veritatem locutus est, etsi veritas odium parit, quod plures Sancti proprio vitæ periculo experti sunt. 311. 312. &c.

Feria tertia.

Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Matth. 23. Hypocritæ speciem externam sanctitatis præferunt, ut laudentur ab hominibus. 346. &c.

Homines mundani magis laborant, ut placeant oculis hominum, & laudem inanem acquirant, quàm nos ut oculis Dei placeamus & gloriam æternam acquiramus. 588. 589

Qui se humiliaverit, exaltabitur. Sola humilitas est, quæ exaltat. 617. &c.

Christus per omnem vitam se humiliando exaltatur. 618

Probatur sacris & profanis histostoriis eos qui se humiliant exexaltari. 622

Exponitur illud Eccl. 11. Sapientia *humilitati exaltabit caput illius.* 639. &c.

Feria quarta.

Ecce ascendimus Hierosolymam. Matth. 20. quomodo & nos ascendere possimus, vitia calcando scalam nobis faciamus. 715

Tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum. Hoc Euangelium aptè legitur Dominicâ Quinquagesimæ, quâ mundus celebrat Bacchanalia, & peccator suis flagitiis rursus Christum flagellat & crucifigit. 343. 344. &c.

Petens aliquid ab eo, nempe *ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram, & alius ad sinistram.* Mortales plerique non modò stulta, sed & sibi maximè noxia petunt. 428. 429. &c.

Nescitis quid petatis. Quia malè petitis & mala. 432. 433

Quid salubiter à Deo petendum sit. 437. 438

Quicunque voluerit inter vos major fieri, erit vester minister. Docet unicam humilitatem viam esse ut quis verè magnus fiat apud Deum & homines. 622. &c.

Feria quinta.

Vidit Abraham à longè. Luc. 16 Peccator quàm longè à cœlo & Deo. 670. 671. &c.

Inter nos & vos chaos magnum firmatum est. Quantum intervallum inter cœlum empyreum & infernum. 676

Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent, ut patet in tragœdia. 16.

Feria sexta.

Homo erat paterfamilias. Matth. 21. De officio patrisfamilias, & recta filiorum educatione. 441. &c.

Filii tibi sunt, erudi illos, & curvâ illos à pueritia illorum. Eccl. 7. Dom. 6. post Pascha. §. 1.

Qui parcit virgæ, odit filium suum. Prov. 13. ibid. §. 2.

Tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis. Prov. 23. ibid. §. 3.

Paterfamilias noverit severitatem mansuetudine temperare. ibid. §. 4.

Peregrè profectus est. Homines seculares aliquando animi causa foris secedunt. 50. 51

Malos malè perdet. Pœnam talionis sumendo. 781. 782. &c.

Sabbatho.

Profectus est in regionem longinquam. Luc. 15. Peccator in regionem longinquam proficiscitur longè à Deo & cœlesti patria. 670. 671. 672. &c.

Indignatus est autem (senior) *nolebat introire.* Idque ex invidia, quia sibi talis honor nunquam habitus. 174. &c.

Dominica tertia.

Erat Iesus ejiciens dæmonium & illud erat mutum. Luc. 11. hoc dæmonio possessi, qui tacent, & velut canes muti non audent latrare dum aliorum scelera corripienda sunt. 638. 639

Alii tentantes, signum quærebant ab eo. Sufficientia Deus dedit signa ut nos à peccato deterreat. 4. 5. 7. 8. &c.

Ipse autem ut vidit cogitationes eorum. Cogitationes picturæ sunt animi, has videt Deus in quibusdam (ut in Judæis) teterrimas, in aliis pulcherrimas. 733. 734. &c.

Cogitationes malæ ilicò repellendæ. 736. 737. &c.

Ob solam cogitationem damnati. 741. &c.

Omne regnum in seipsum divisum desolabitur. Regnum Dei quod intra nos est non dividendum, sed unus Deus in corde nostro regnet. *Domin.* 14. *post Pent.*

Quærens requiem & non invenit. Ita omnis peccator, quem exagitat scelerum conscientia. 160. 161. &c.

Ingressi habitant ibi. Quod fit per omnem pravam consuetudinem. 285. per totum.

Feria secunda.

In veritate dico vobis. Luc. 4. etsi veritas odium pariat. *Vide Feria* 2. *post Dom.* 2.

Feria tertia.

Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum. Matth. 18. Correptio quando & quomodo adhibenda. 645

Correptionem omittere quale peccatum. 638

Vbi enim duo vel tres congregati sunt *in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Quod propriè fit in templo, ubi plures confluunt ad orandum Deum. 601

Feria quarta.

Honora patrem & matrem. Matth. 15. Hoc præceptum datum liberis & exemplo suo Christus docuit parentes honorandos, iisque obtemperandum. 107. 108.

Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias. De Hypocritis vide dicta dicta Feria 4. cinerum.

Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Cor peccatoris longè à Deo. 671. & seqq.

Quidam in oratione per evagationem cordis longè à Deo. 59. 738. &c.

Non quod intrat in os coinquinat hominem. Quomodo hæretici hoc loco abutantur. 257

De corde exeunt cogitationes malæ. De malitia cogitationum. 734

Cogitationes malæ statim repellendæ. 737

Qui ob solam cogitationem damnati. 741

Feria quinta.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4.

Morbi corporis conferunt ad salutem animæ. *Dom.* 20. *post Pent. per totum.*

Omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad Jesum Christum. morbi cogunt infirmos ad Christum velut cervos saucios ad fontes aquarum. *ibid.*

Egressus ibat in desertum. Et nobis subinde secedendum, deque bono vitæ solitariæ. 50. 51. &c.

Feria sexta.

Omnis qui biberit ex aqua *hac sitiet iterum.* Ioan. 4. Aquæ mundi salsæ sitim non restinguunt, nec omnia mundi bona hominem satiant. 562. 563. &c.

Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Aqua quam Christus dat verè satiat. 570. & seqq.

Fontes gratiarum nobis scaturiunt è quibus aquæ vitæ æternæ profluunt.

profluunt. 297. &c.
Mirabantur quod cum muliere loquebatur. De cujuſmodi conſortio mulierum quæ venantur animas, vobis maximè cavendum. 582. 583

Sabbatho.

Digito ſcribebat in terrâ. Ioan. 8. Quid ſcripſerit opiniones variæ. 814
Qui ſine peccato eſt veſtrum primus in illam lapidem mittat. Chriſtus liberè illis veritatem dixit quod & viri Apoſtolici æmulati ſunt. 315

Dominica quarta.

Quantum volebant. Ioan. 6. Divinæ munificentiæ fontem benigniſſimus Redemptor hodie multis millibus fecit ſcaturire, largiendo ſingulis *quantum volebant.* At longè excellentiùs per Sacramenta, gratiæ fontes in nos derivamus. 297
Hinc hauriendum quantum volumus, pro cujuſque capacitate. 299. &c.
Vt autem impleti ſunt. ſolus Deus ſatiat. 570
Ieſus ergo cum cognoviſſet quia venturi eſſent ut facerent eum Regem, fugit. De fuga honorum, quæ unica ad veros honores via. 628. 629.
Fugit iterum in montem ipſe ſolus. Exemplo ſuo ſæpiſſimè ſeceſſum & ſolitudinem commendat. *Dom. 4. Advent. per totum.*

Feria ſecunda.

Invenit in templo vendentes & ementes. Ioan. 2. Vide dicta feria 3. poſt Dom. 1.
Quod cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit. ſuis funibus peccator flagellatur juxta illud: per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. 781. &c.
Nolite facere domum patris mei domum negotiationis. de cultu & reverentia templis debita. *ibid.*
Zelus domus tua comedit me. 600

Feria tertia.

Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit. Ioan. 7. Vt homines vani qui multum garriendo & gloriam propriam quærendo, ludibrio ſunt. 630
Nolite judicare ſecundum faciem. nam multi hypocritæ extus apparent ſancti & ſimiles ſunt ſepulchris dealbatis. 546. 547

Feria quarta.

Venit nox quando nemo poteſt operari Ioan. 9. Ideo jam dum lux eſt gratiæ non differenda præſentia. 354. 355. &c.
Hæretici & peccatores privati luce gratiæ, in nocte operantur omnino in vanum. 538. 539
Credo domine, & procidens adoravit eum. Ita vivâ fide & adoratione ad Euchariſtiam accedendum. 496. 497. &c.

Feria quinta.

Ecce defunctus. Luc. 7. Religioſi mundo mortui, quaſi Deo vivunt. 694. 695. &c.
Noli flere. Homines mundo mortuos, in Religione Deo viventes non flendos eſſe, *Dom. 15. poſt pent.* §. 23.

Feria sexta.

Domine ecce quem amas infirmatur. Ioan. 11. morbos immitti ab amica Dei manu in animæ salutem. *Dom. 2. post Pent.*

Infirmitas hæc non est ad mortem. multi sancti si sani fuissent (inquit Salvian.) sancti non fuissent. Quibus infirmitas profuit ad vitam æternam. *ibid.*

Lazarus amicus noster dormit sed vado ut à somno excitem eum. ubi Christus mortem somnum vocitavit & aptè. 803

Mortis & somni proprietates inter se comparantur. 804. 805. &c.

Salubris homini dormituro illa Lipsii commonitio: *ad lectum ad lethum.* 808

Et lachrymatus est Iesus. Quàm pretiosæ Christi lachrymæ, unde & lachrymæ pœnitentium pretium & vim accepere. 391

Christus nos flere docuit, quia lachrymis anima baptizatur. 394. 395

Beati qui lugent. 402

Sabbatho.

Ego sum lux mundi. Ioan. 8. Quæ maximè relucet in speculo Eucharistico. *Dom. 2. post Pent.*

Ejaculatur lucis suæ radios ut peccatores illuminet, & luce sagittarum suarum configat. 384. 385

Dominica passionis.

Si veritatem dico vobis quare non creditis? Ioan. 8. veritatem libere proferendam. 310

Vide dicta Feria. 2. post Dominicam. 2.

Feria secunda.

Si quis sitit veniat ad me. Ioan. 7. Fons gratiarum omnibus scatet affluenter. 297. 298. &c.

Pro dispositione & capacitate cujusque gratia communicatur. 299.

Feria tertia.

Quærebant eum Iudæi interficere. Ioan. 7. idipsum quantum in se est adhuc quærunt peccatores dum flagitiis suis Deum lacessunt & velut rursus crucifigunt. 243. 244

Feria quarta.

Oves meæ vocem meam audiunt. Ioan. 10. Quinam sola voce ad Christum conversi sunt. 385. 386. &c.

Ego cognosco eas & sequuntur me. Oves attractæ ramo gratiæ pastorem Christum sequuntur. 369. 370. &c.

Feria quinta.

Mulier quæ erat in civitate peccatrix. Luc. 7. Quomodo cœlestis pastor hanc ovem perditam venetur. 384. &c.

Lachrymis cœpit rigare pedes ejus. De lachrymis Magdalenæ & verè pœnitentis. 395

Anima pœnitentis lachrymis baptizatur. 394

De pretio lachrymarum. 390. 391

Lachrymarum vis cœlum aperit. 399

Beati qui lugent. 402. &c.

Feria sexta.

Hic homo multa signa facit. Ioan. 11.

11. Mirum Judæos illis signis non terreri & converti ad pœnitentiam. Vt nec peccatores, plurimis signis admoniti. 6.7. 8. 9. &c.

Cogitaverunt ut interficerent eum. Quantum malum sola cogitatione committatur. Et qui ob unam cogitationem damnati. 555. 741

Sabbatho.

Si quis ministraverit, honorificabit eum pater meus. Ioan. 12. quomodo Deus honoraverit eos qui se hic humiliaverunt. 619. 620. 621. 628. &c.

Omnia traham ad me ipsum. Quomodo Deus trahat animas ramo gratiæ. 370. &c.

Dominica Palmarum.

Si quis vobis aliquid dixerit, dicite Dominus his opus habet. Matth. 21. de absoluto dominio Dei in omnes creaturas. Quod Job attendens, dedit, dixit: Dominus, Dominus abstulit. 141. 142. 152

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. De mansuetudine Christi. Vide *Dominicam Palm. per totum.*

Feria secunda.

Feria 3. & quarta de Passione Domini JESU, cujus epitome habes. *Dom. infra oct. Nativit.*

Feria quinta.

De cœna Eucharistica vide *Dom. 2. post Pent.*

Feria sexta.

De Passione ut supra. 319

Sabbatho.

Non est hîc, surrexit. Matth. 28. vide Dominicam Resurrectionis.

IN FESTA TOTIUS ANNI.

Festo Circumcisionis.

Vocatum est nomen ejus JESUS. Luc. 2. An & quod nomen Deo competat. Pag. 142.
Nomen Domini suave. 157
Quoties S. Paulus nomen JESU in epistolis expresserit. 46

Festo Epiphaniæ.

Natus est Rex. Matth. 2. Verè mansuetus, Princeps pacis. qualis debet esse omnis superior, paterfam. &c. *Dom. Palm. per totum.*
Cum natus esset JESUS *in Bethleem*, spretâ Ierosolyma, & urbium strepitu, mente saltem secedere oportet in Bethleem, ut Christum natum adoremus. 54
Vidimus stellam ejus. & quot stellas Belgium, quot signa nos vidimus, nec Deum quærimus, nec ad eum accedimus. 4. 5. 6. &c.
Audiens autem Rex turbatus est. Conscientia impii facilè turbatur. 163. 164
Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Herodes vulpes versipellis qualis Rex Walliæ in vulpem conversus & plures alii. 549

Festo Conversionis S. Pauli.

Audivit vocem dicentem sibi Saule, Saule, quid me persequeris, Christus quàm potenter Saulum vocârit. & quinam velut oves perditæ, vocem pastoris audierint. *Ego sum Iesus quem tu persequeris.* Peccator Deum persequitur, bellum cum eo gerit, & sceleribus suis quasi rursum crucifigit. 243. 244. &c.
Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matth. 19. quinam gratiâ Christi attracti, omnibus spretis Christum secuti. 385. 386. &c.
Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Hoc centuplum etiam accepturi sunt, qui modica reliquerunt & per eleemosynam in pauperes erogarunt. 470. &c. & vita æterna qualis quantaque beatorum gloria. 652. 653. &c.

Festo Purificationis B. Mariæ.

De Humilitate integerrimæ Virginis, quæ hoc die peculiariter eluxit. 622
Hoc die purgandus animus ab omni nævo, priusquam quis filium Dei accepturus accedat. 504. 505. &c.
Homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israël &c. Luc. 2. quanto desiderio cor Simeonis æstuarit videndi Christum Dominum; eodem & nos ardere debemus ut eum in Eucharistia, cordis sinu excipiamus. 507
Venit in spiritu in templum. quo spiritu

ſpiritu veniendum in templum, & qua attentione & reverentia agendum. quidam ſpiritu maligno ad templum ſe conferunt. 602.603.604. &c.

Accepit eum in ulnas ſuas, quinam Sancti Jeſum ulnis exceperint. conſimili fervore à nobis in Euchariſtia ſuſcipiendus. 510. 511. &c.

Feſto S. Matthiæ Apoſt.

Cecidit ſors ſuper Matthiam. Act. 2. nihil ſorte aut caſu fieri, ſed divina providentia omnia gubernat. 192. 193. &c.

Domine cœli & terræ. Matth. 11. de perfecto dominio Dei in omnia creata. 143. 144. &c.

Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis & ego reficiam vos. Invitat Chriſtus ad fontes gratiarum qui omnibus ſuper effluenter ſcaturiunt. 297. 298. &c.

Quavis infirmitate laborantes velut cervi ſaucii recurrere debent ad Chriſtum fontem vivum. 767

Diſcite à me quia mitis ſum. de manſuetudine Chriſti aliorumque Sanctorum, & quàm ea virtus excellens nobiſque neceſſaria *Dom. Palm. per tot.*

Et humilis corde. de profunda Chriſti humilitate, aliorumque Sanctorum, qua quiſque merito exaltatur. 618.619.620.&c.

Feſto Annuntiationis B. Virg.

Ingreſſus Angelus ad eam, Luc. 1. invenit eam ſolam & per 9. horas cum illa egiſſe dicitur. 61. 65

Ave gratiâ plena, ad plenitudinem illam gratiæ hauriendam, opus eſt cor noſtrum velut vas capax afferamus. 299. 300

Et regni ejus non erit finis. quàm illud regnum amplum & pretioſum. 654.655.666. &c.

Ecce ancilla Domini. Maria humilitate concepit, & ancilla Dei mater effecta, ſupra omnes creaturas exaltata. 622.623

Feſto Reſurrectionis Dom.

Surrexit non eſt hic. Marci 16. Ut cum Chriſto reſurgamus & in novitate vitæ ambulemus, exuere oportet veterem hominem, bombycem imitando quem M. Baſilius Reſurrectionis typum oſtendit. 343. &c.

II. Feſto Paſchæ.

Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam? Luc. 24. Chriſtus & omnes ſancti multa hîc & indigna paſſi, gloriam adepti ſunt. 619. 620. 621. &c.

6. *Stulti & tardi corde ad credendum.* Fide viva panis Euchariſticus ſumendus. 496.497

Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur. Quantò ardentius in nobis eſſe debet, quos intimè reficit. 500.501. 502. &c.

Cognoverunt eum in fractione panis. Et nos ut eum cognoſcamus ad panem vitæ accendamus juxta illud Pſal. 33. accedite ad eum & illuminamini. 490. 491

Deum in pane Euchariſtico quinam

nam præſentem etiam oculis corporeis cognoverint. 498. 499

III. Feſto Paſchæ.

Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Luc. 24. aliquorum cogitationes non aſcendunt ſed deſcendunt: quas cogitationes quomodo Deus execretur. 734. 735. &c.

Feſto Aſcenſionis.

Divitias honores & terrena omnia calcando, homo aſcendere valet. 712. 713. &c.
Ex vitiis ſcalam nobis facimus ſi vitia ipſa calcamus. Aug. 715
Per humilitatem ſolam aſcenditur juxta illud Eph. 4. quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit. 618

Feſto Pentecoſtes.

Apud vos manens. Iohan. 14. Divinus ille ſpiritus, Deus ipſe omnibus intimè præſens, utinam oculis ac animis noſtris ſemper obverſetur. Cujus præſentia medium ac remedium præſentiſſimum ad omnia peccata vitanda. 457. 458
Dei præſentia efficax ad omnem virtutem, & perfectionem incitamentum, & quinam Sancti ſemper coram Deo ambulârint. 46. 47. 465. &c.

II. Feſto Pentecoſtes.

Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Ioan. 3. majori ſtudio ſectantes fluxa & terrena quàm æterna & cœleſtia. 588. 589. &c.
Qui autem facit veritatem venit ad lucem. Quinam veritatis amantes, apertè quaſi in luce ſe argui æquanimiter paſſi ſint. 320. &c.
Non venit ad lucem ut non arguantur opera ejus.

III. Feſto Pentecoſtes.

Occulta ſua vitia argui nolunt. 311
Oves vocem ejus audiunt. Ioan. 10. Quomodo cœleſtis paſter oves ad ſe vocet & quinam eam audierint. 382. 383
Oves illum ſequuntur. quænam oves gratiâ Dei, ceu virenti ramo fractæ, Chriſtum ſecutæ. 271. 272. &c.

Feſto SS. Corporis Domini.

Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum. Sap. 7.
1. Hoſtia Euchariſtica quæ mirifice facit ad illuminandos & inflammandos animos, ſpeculo cauſtico comparatur. 487. 488
2. Accedite ad eum & illuminamini. 490
3. Quinam ex hoc pane illecti, ſibi radium divinæ ſapientiæ mutuârint. 494
4. Vmbram fugat veritas, noctem lux eluminat. 495
5. Speculum Euchariſticum fidelium corda inflammat, 499
6. Diſpoſitiones animi præviæ ad flammas ex Euchariſtico ſpeculo concipiendas. 502

7. Pro-

7. Proxima ad divinas flammas concipiendas dispositio, fervens desiderium. 507
8. Quo amoris incendio Deipara Christũ utero conceperit,& in Eucharistia sumpserit. 511.512

Festo SS. Philippi & Iacobi.

In domo patris mei mansiones multa sunt. Ioan. 14. majores diversæ pro diversitate meritorum, sic tamen ut alter alteri beatorum non invideat. 304
Quomodo possumus viam scire? quomodo quis de vocatione sua anxius scire possit quæ via ducat ad vitam. 407.408.417
Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. quinam mala & sibi noxia petiverint. 428. 429.432
Ostende nobis patrem & sufficit nobis. hominem boni infiniti capacem nulla creatura satiat, sed solus Deus illi sufficit. 562. 570

Festo Inventionis S. Crucis.

In corde Virginis Matris crux inventa à primo momento quo mater Dei effecta. 65
Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Ioan. 3. quomodo homo per novitatem vitæ renasci possit? 343
Quomodo potest homo nasci cum sit senex? Ioan. 3. ut senex non possit renasci & juvenescere, potest tamen homo vetus renovari. 344. 445. &c.
Quinam senes ad juventutem redierint & velut renati sint. 345. &c.

Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Aut quod idem est, nemo exaltatur, nisi qui fuerit humiliatus. 618.&c.

Festo Nativitatis S. Ioannis Bapt.

Ioannis Baptistæ breve elogium *Vox clamantis*, Echoni comparatur. 34. &c.
Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto. Luc. 1. & nos repleri possumus si ad fontem gratiarum dignè accedamus. *Dom. 4. Quad. per totum.*

Festo SS. Petri & Pauli.

De vinculis Petri & Pauli, quali in pretio & veneratione. 19. 20
De S. Paulo V. *supra Festo* Conversionis ejus.

Festo Visitationis B. V.

Repleta est Spiritu sancto Elisabeth. Luc. 1. ut & nos repleri possimus, Christus fontes gratiarum scaturire fecit. *Dom. 4. Quad. per totum.*
Benedictus fructus ventris tui. In hoc versu Christus singularem modestiam ostendit. 634
Vnde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? Majori nos animi demissione ad S. Eucharistiam accessuri dicere possumus: unde hoc mihi ut veniat Dominus meus ad me. 505
Beata qua credidisti. De fide viva quâ ad Christum accedendum. 496. 497

Festo

Festo S. Magdalenæ.

In civitate peccatrix. Luc. 7. Quomodo cœlestis Apollo eam velut monstrum venatus sit. 389
Lachrymis cœpit rigare pedes ejus de lachrymis Magdalenæ & verè pœnitentium. 395. 396
Anima lachrymis baptizatur. *ibid.*
Lachrymarum vis cœlum aperit. 399
Beati qui lugent. 402

Festo S. Iacobi.

Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo. Matth. 20. Vide stultas & noxias multorum petitiones, quibus aptè respondetur: *Nescitis quid petatis. Dom. 5. post Pascha per totum.*
Quænam salubriter postulanda. *ibid.*

Festo S. Laurentii.

De constantia S. Laurentii, tyranno insultantis: *Versa & manduca.* Deque aliorum Martyrum in tormentis constantiâ, & lætitiâ. 276. 279. &c.
Laurentius dispersit, dedit pauperibus, sciens quod Deus multiplicabit semen, & augebit incrementa frugum justitiæ, ad centuplum. de quo eleemosynæ centuplo, *vide Dom. 1. post Pent.*
Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus. Ioan. 12. Quomodo Deus servos suos se humiliantes extollat & honorificet. 622. &c.

Festo Assumptionis B.V.

Pro festo Assumptæ Virginis rara historia. 119. 120
Quæ est ista, quæ ascendit de deserto? Cant. 3. ascendere & nos possumus in solitudine orationi vacantes, ibi enim quis levat se supra se. 56. 57
Possumus quoque cum Maria ascendere omnia humana calcando. 622. 623. &c.

Festo S. Bartholomæi.

Omnis turba quærebat eum tangere. Luc. 6. de ferventi desiderio ut Christum in Eucharistia tangere possimus: & quinam eum ulnis exceperint. 507. 508. 509. &c.

Festo S. Matthæi.

Vidit Iesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine, & ait illi: Sequere me. Matth. 9. Matthæum ovem perditam, quomodo Christus ad se traxerit. 371
Surgens secutus est eum. Quinam cum Matthæo Christum vocantem & trahentem secuti sint. 372. 373
Sequere me. Quisque hoc sibi dictum autumet, ut sequatur Christum, non carnem, non sanguinem. Vnde statuendum in adolescentia, quâ eundem ut Christum sequi & assequi valeamus. *Dom. 4. post Pascha.*
Non veni vocare justos, sed peccatores

res velut oves perditas. *Dom. secunda post Pascha per totum.*

Festo sancti Michaëlis.

De officio Angelorum &c.

Quomodo pueri possint Angelos agilitate æmulari. 115. 116. &c.

Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 18. Qui vult magnus esse in regno cœlorum, debet fieri parvus, quia sola humilitas exaltat. *Dom.* 10. *post Pent. per totum.*

Quomodo parvuli possint intrare in regnum cœlorum, cum Matth. 11. dicatur: *Regnum cœlorum vim patitur.* 399

Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. De visione Dei, 664. 665. &c.

Festo S. Lucæ.

S. Lucas præcellens pictor docet animum sanctarum cogitationum lineamentis pingendum, juxta illud: *Dabit cor suum in similitudinem picturæ.* Eccl. 38. *Dom.* 18. *post Pent.*

Quinam illud fœdis cogitationibus infestent? 735. &c.

Festo sanctorum Simonis & Iudæ.

Hac mando vobis, ut diligatis invicem. Ioan. 15. De dilectione proximi. 719

Diliges proximum sicut pupillam oculi tui, quoniam sumus invicem membra. 720

Jonathas & David perfectum mutuæ dilectionis exemplar. 726

Ego elegi vos de mundo. Plures alios elegit de mundo, & vocavit ad se, ad statum Religiosum, & differunt aut detrectant venire. *Dom.* 4. *post Pascha.*

Festo omnium Sanctorum.

Sanctos pro diversitate gratiæ habituros gradum gloriæ. 303. 304

De domo beatorum quàm ampla futura sit. 652. 653. &c

Beati mites. Matth. 5. Vide *Dom. Palm. per totum.*

Beati qui lugent. Dom. 3. post Pascha.

Beati misericordes. In pauperes, qui centuplum recepturi. *Dom.* 1. *post Pent.*

In die Animarum.

De desiderio cœlestis patriæ quod qui in se non habuerunt quo purgatorio puniti. 667 &c.

Morbos brevi tempore patienter tolerando, qui purgatorii flammas evaserint. 773. 774

Festo S. Martini.

Exemplo S. Martini commendatur liberalitas in pauperes, cui Deus centuplum refundit. *Dom.* 1. *post Pent.*

Festo S. Martini mira accidit tragœdia. 16, 17

Festo S. Catharinæ.

Laus Virginitatis. 122

Vinculum virginitatis nos Deo adſtringit. 26.27
Virgines cantabunt canticum, quod multi alii beatorum. 304
Clauſa eſt janua. Matth. 25. porta ſancta Romæ patet tempore jubilæi; at eo elapſo clauditur, ita & porta gratiæ nunc patet, multi cum fatuis occaſionem negligentes, invenient clauſam januam. *Dom. 1. poſt Paſcha per totum.*

Feſto S. Andreæ.

Crux equo regio comparatur in quo ponatur, quem Rex voluerit honorare. 628
Venite poſt me, Matth. 4. quot modis & quibus cœleſtis paſtor nos ad ſe vocet & trahat. *Dom. 1. poſt Paſcha.*

Feſto S. Nicolai.

Exemplo S. Nicolai liberalitas in pauperes exercenda, cum Deus centuplum promiſerit. *Dom. 1. poſt Pent.*
Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Matth. 25. ita gratiæ ſemper cooperando, eam in immenſum augere poſſumus. 300. 301. &c.
Lucratus eſt alia quinque. Si homines ſeculares tam ſeduli & ſolertes ad lucrum terrenum augendum, quantò magis nos ad cœleſte & æternum acquirendum. *Dom. 8. poſt Pent.*
Intra in gaudium Domini tui. quale illud lingua non poteſt effari. 666, 667. &c.

Feſto S. Thomæ Apoſt.

Dominus meus & Deus meus. Ioan. 20. Domini nomen propriiſſimè Deo competit. 141
Quomodo nullus Dominus, niſi ſolus Deus. 146.147
De dominio Dei abſoluto in omnes creaturas. *Dom. 3. poſt Epiph. per tot.*
Beati qui non viderunt & crediderunt. quod in myſterio Euchariſtico locum habet, quod credere maluerunt quidam quàm videre. 598.599

Feſto Nativit. Chriſti.

Mente ſaltem ſecedendum in Bethleem, ut Chriſtum natum contemplemur. 54.55
Humanitas & benignitas Chriſti nati, puellam graviſſimis flagitiis obſtrictam ad pœnitentiam induxit, ut à Chriſto infantulo abſolutionem mereretur accipere. 60

Feſto S. Stephani.

Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. quam quiſque ſibi nectere poteſt per adverſitates & tribulationes. *Dom. 2. Adventus.*
Stephanus plenus gratia. Act. 6. ut & nos repleri poſſimus ſcaturiunt fontes per ſacramenta. *Dom. 4. Quad.*
Audientes autem hoc diſſecabantur & ſtridebant dentibus in eum. idque præ invidia. quod malum vivis coloribus depingitur. *Dom. 5. poſt Epiph.*

Ecce video cœlos apertos. & nobis patet. sed timendum, ne ingredi differendo, & procrastinando inveniamus januam clausam. *Dom. 1. post Pascha.*

Obdormivit in Domino. mors somnus recte dicitur. *Dom. 23. post Pent. per tot.*

In Dedicatione Templi.

Terribilis est locus iste. Gen. 28. Vide *Dom. 9. post Pent. per tot.*

Quærebat videre JESUM. Luc. 6. De desiderio videndi Deum in nobis excitando. 663. 664. &c.

In Communi Martyrum.

Qua ratione Martyres per vincula sibi coronam gloriæ texuerint. 19. 20. &c.

Martyres qui in tormentis semper eodem vultu, & riserunt & jocati sunt. *Dom. 2. Quad. per tot.*

Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Matth. 24. Sola in Martyribus perseverantia coronatur. 527. 528. &c.

In Communi Confessorum V. dicto Festo S. Nicolai.

In Communi Virginum. V. dicto festo S. Catharinæ.

In Communi non Virginum.

Quæsivit lanam & linum, & operata est. Prov. 31. Fœminas semper operi debere esse intentas exemplo B. Virginis, & SS. Matronarum. 213. 214. &c.

Fallax gratia & vana est pulchritudo. in conjuge non spectanda forma, sed indoles & virtus.

Mulier timens Dominum ipsa laudabitur. 130. 131

FINIS.



